BIBLIOTECA NAZ.
Vittorio Emanuele III
XL
F
22
NAPOLI

M. ACCII
PLAUTI
SARSINATIS
COMOEDIÆ VIGINTI
ET FRAGMENTA.

ARGUMENTIS FABULARUM OMNIUM,
ACTUUM, ET SCENARUM, NOVIS,
INTERPRETATIONE, NOTIS,
ET INDICE VOCABULORUM OMNIUM,
EORUMQUE USUS ILLUSTRAVIT,

JACOBUS OPERARIUS
Conſtantienſis Presbyter, Domus de Charitate B. Mariæ Proviſor,

JUSSU CHRISTIANISSIMI
REGIS,
IN USUM SERENISSIMI
DELPHINI.



PARISIIS,
Apud FREDERICUM LEONARD Regis, Sereniſſimi Delphini
& Cleri Gallicani Typographum, viâ Jacobæâ.

M. DC. LXXIX.
CUM PRIVILEGIO REGIS.

BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE III
NAPOLI


Trahitur dulcedine cantus
M.A.
PLAUTI
COMŒDIÆ.
J. Langlois Sculp.

NAPOLI

SERENISSIMO
DELPHINO.

ADEST *Marcus Accius Plautus Latinus comicus vetuſtiſſimus*, SERENISSIME DELPHINE, *autoritate Patris tui Chriſtianiſſimi Regis, in tuæ partem inſtitutionis invitatus. Si ratio generis apud te & ſanguinis haberetur, eſt ruſticus Plautus: ſi dignitatis & ordinis, eſt Plautus molitor: imo molitoris ſer-*

vus; & hoc utroque nomine nonne exclusiſſimum eſſe oportet à contubernio tuo regio conſpectuque Plautum? Sed bonorum eſt principum, unum genus nobilitatis agnoſcere, quod non ſucceſſionum & generis gradibus cenſetur, ſed quæ ſe probat, & induſtriâ, & doctrinâ, & inſigni aliquâ laude celeſtem; non ſolas dignitates admittere, quæ hominum ſuffragio arbitrioque deferuntur, ſed eas imprimis, quæ conſtant divino quodam animorum principatu. Quin & Plauti diſcipulus Publius Terentius, à te jam benigne exceptus, comicus & ipſe, & olim ſervus, ſpem facit magiſtro, ſuam operam, ab optimo principe, non eſſe rejiciendam.

Quominus ſit hic faſtidio principi molitor, & quotquot ſunt, genere quidem

elegantiæ eruditioniſque Romanæ; in eo Principes Civitatis, Conſules, Imperatoreſque ſederunt auditores. In aula ipſa Gallica, non nunc primum conſpicitur Plautus; ejus præceptis & inſtitutis informatus Ludovicus Duodecimus, populi pater eſt appellatus; Propræceptor Delphinianus Iacobus Corbinellus Florentinus Henrico Secundo regnante; & ipſi Delphino, & reliquæ proli regiæ, etiam fœmineæ Plautum propoſuit; Vno verbo quidquid habuit hactenus Theatrum regium eruditi & feſtivi, id Plauto debet acceptum. Quin & Comici, etiam celeberrimi, mutato tantum titulo & linguâ, fabulas integras puras putaſque exhibuerunt; quid eſt Avarus Comici hoc noſtro ſeculo celeberrimi, cujus fatum etiamnum luget ſce-

na regia, niſi Aulularia Plauti?

Autor hic tantus, SERENISSIME DELPHINE, *tamque egregius; plus ſibi ex tua inſtitutione pollicetur, quam ex inſtitutione victoris ac Principis nationum populi, Cæſarum & Auguſtorum. Nimirum ſanguis ille tuus*, SERENISSIME DELPHINE, *qui per tot regum venas, annis octingentis fermè totis, in te confluxit, uſu regnandi diuturno à communi generis humani conditione, quaſi vindicatus, heroïcus factus eſt totus. Ex illo eximia illa ſpecies corporis, adoleſcenſque majeſtas, & imperio forma digna effloreſcit; animus vero ille regiæ naturæ fortunæque par, omnibus verbis, factis, nutibus vires ſuas exerit, & celeſtem originem longè latéque demonſtrat. Heros ille homericus inter*

puellas diu latere potuit incognitus, ſed ſpoliatum ornamentis omnibus dignitatis tuæ, tuoque illo comitatu, qui regio herede dignus eſt, deſtitutum, & quàvis veſte tectum, tua te prodet natura eximia, & regem te, aut prolem regiam, aut certe utroque titulo digniſſimum ſuadebit.

Ad regiam illam naturam, SERENISSIME DELPHINE, *etiam is cumulus felicitatis accedit, ut, quoniam Pater tuus Rex Chriſtianiſſimus, Filium te ſibi ſimillimum genuiſſe intelligit, & imperio te parem, & imperium tibi par, efficere, omni ratione, contendat. Eo uno conſilio, & intus regnum pulcherrimis legibus informat, & foris caſtrenſes nullos labores recuſat, in recuperandis imperii limitibus, quos*

aut fraus, aut vis externa confudit; Gallicique nominis honore vindicando: ſed nihil tam antiquum fuit Patri Sapientiſſimo, quam ut inſtitutio ſe teque digna, id eſt Regia, id eſt heroïca contingeret. Oſtendit Rex Chriſtianiſſimus in tua informatione, quanta eſſe debeat in quovis ſubdito inſtituendorum cura liberorum. Nullus unquam fuit in toto Regno quo cum minore ſit actum indulgentiâ, quam cum tenero Principe, cum unico Filio Regis, cum Herede regni. De principe fecit te diſcipulum quibuſvis magiſtris morigerum; nihil cum iis retinere voluit Principis, niſi antecellendorum quorumvis doctrinâ & induſtriâ diſcipulorum neceſſitatem; quantum ſanguine & dignitate antecellis. Illis ipſis temporibus, diebus & horis;

quibus alia juventus regni, etiam ſeveriori ſubjecta diſciplinæ, relaxare mentem ſolet, labori incumbis; nullæ tibi ſunt horæ ſucciſivæ, ſed ſucciſivi labores; eſt unus pro laboris levamento, labor; eſt una à labore recreatio, laboris mutatio.

Ad opus informationis tuæ regiæ urgendum, SERENISSIME DELPHINE; *adjutorem ſibi & Vicarium Pater tuus Ducem & Parem Franciæ* MONTAUSERIUM *adjunxit, morum tuorum & ſtudiorum Moderatorem, virum omni prædicatione digniſſimum, omnium in toto regno prædicatione celeberrimum, virum moris antiqui & antiquæ in omnibus fidei, quem ex æquo ſemper commendaverant & fortitudo in armis & meliorum literarum amor; pietas vero & ipſa antiqua, ſine fuco, & quæ conſtat*

revertentiâ vera numinis, & morum integritate ſummâ; ſed, quod imprimis optandum viſum eſt patri, ſeveritas ejuſmodi liberalis, qualem oportet afferre ad inſtitutionem principis, cui metus eſt, ne generis ſui regii conſcientia, & futuræ potentiæ, moleſtiorem reddat inſtitutionem, & ad otium deliciaſque per ſeſe traducat. Videlicet exiſtimavit Rex Sapientiſſimus, in eo quodammodo eſſe oportere ornamenta regia, cui committeret regium adoleſcentem inſtituendum, & omnia genere laudis eminere debere ſupra cæteros, eum, cui incumberet illum informare, qui aliquando prærogativâ ſanguinis ſui, ſupra cæterorum mortalium ſortem emineret. Hic patrio animo affectuque erga te aſſumpto, tum quum te ſicut hæredem coronæ apud te venera-

tur, ad excolendam præclariſſimam indolem tuam, ſic tecum agit, ut cum Gregario diſcipulo, niſi quod metitur peccata omnia dignitate tuâ, neque nævuum ullum tam egregiæ indoli adhæreſcere patitur. Virtutes tibi nullas proponit niſi heroïcas, & tantum non vitio vertit quod non eſt ſummum, quod eſt tibi cum aliquo commune. Denique ea eſt ejus gloria moderatori Chriſtiano Regiæ prolis præſtantiſſima, quod nullus hoc toto regno hac ætate ſit candidior, innocentior, & magis Chriſtianus.

Præceptorem vero qualem & ipſe pater Chriſtianiſſimus præfecit, SEREN. DELPHINE? *nimirum eum cujus eſſet lenitas tanta & humanitas, ut humanitates ipſas tibi redderet, ut ita di-*

cam humaniores; adeò ſtudiorum moleſtias tenero principi levaret; cujus eſſet & eloquentia tanta ut quidvis principe dignum poſſet inſinuare.

Ingenio tanto Princeps, tam felici indole, moribus tam commodis, ſub oculis patris tanti, tanti diligentia moderatoris & præceptoris ratione ſtudiorum tam benè inſtitutâ, labore tam aſſiduo, quantos progreſſus in litteris & omni virtute feciſſe exiſtimandus eſt? Reminiſcentiæ Platonicæ propemodum feciſti fidem, adeo antevertiſti velocitate ingenii diligentiam præceptorum omnium; nullum eſt ullius curriculum diſciplinæ quod non celeritate animi, tam facile percurreris, quam radius ſolis immenſitates aëris & quaſvis tenebras ſine opera pervadit. Eſt & ejuſdem Philoſophi opinio,

eſſe animabus nobilioribus alas quaſdam, à Deo datas, quibus ſupra cæterarum niſum conatumque longiſſimè evolent; inſtar illius avium reginæ, infra te tantum cæteros ingenii laude & eruditionis, quantum nativitate, vides.

Olim indignatus eſt Princeps Adoleſcens, SERENISSIME DELPHINE, *quod magiſter in lucem edidiſſet ac feciſſet publica, quæ privatim tradidiſſet; veritus videlicet ne quis in regno patrio regium hæredem doctrinâ adæquaret; ſed te tui præſtantia ingenii ab hoc metu præſtat immunem; etiam in iis, quæ tibi ſunt cum aliis communia; adeo vis emicat ingenii, ut aliis lucem tribuere, à te accipere videantur. Muſæ ipſæ, quia de montium incolis, aulicas, de ſordidulis purpuratas facis,*

quando regio tuo contubernio excipis, quaſi vicem redditura, totâ te ſuâ cumulant divinitate. Vno verbo, Carolo Septimo deceſſori Patris tui & tuo laudem præripis & nomen RECTE INSTITUTI, *prærepturus propediem & titulos illos eximios*, PII, JUSTI, SAPIENTIS, *& qui omnes continet*, MAGNI, *Philippis, Carolis, Henricis, Ludovicis, uno Patre excepto, quem æquaſſe, heroïcum eſt, ſuperaſſe, divinum.*

Verùm hæc ſunt mentis exercitamenta, quæ non expectant ætatem, SERENISS. DELPHINE; *ſed ſtatim atque vires corpori cum ætate acceſſerunt; quantâ diligentiâ, quantâ item felicitate eas exercuiſti, in iis omnibus, quæ, aut ad ſtatum corporis informandum, inſtitutione dignâ Principe, dignâ regnaturâ, aut*

ad militiæ rudimenta prima condiſcenda?

De Rege Macedone narrant, SERENISSIME DELPHINE, *quod præclara de filio fuerit auguratus, quia in equo vidiſſet cum nonnulla dignitate ſedentem. Quod eſt exercitiorum tuorum liberalium, quo non liceat de te augurari præclariora? Quando & ipſe ſedes in equo; quando lanceam tenes & vibras, in oculis, in ore, in vultu denique toto, Martius ardor quidam emicat, alacritaſque illa generoſa, quæ ſatis innuit, quantus in armis futurus ſis, & quàm hoſtibus Gallici nominis invidiſque formidoloſus; jam jam ad illorum videris incitari fatum; victoria jam jam tibi manus tendere geſtit triumphoſque commonſtrare.*

Dici non poteſt, SERENISSIME

DELPHINE, *quanta inde letitia patri, ſpes Galliæ, orbi admiratio, oriatur. Legati regum diverſiſſimarumque gentium finitimarum & longinquarum, ſparſam de te apud ſuos famam, maximam quidem eſſe, ſed veritate longe minorem; reverſi ad dominos ſuos, non laudibus, ſed admirationibus prædicant. Etiam invidi gloriæ Gallicæ gratulantur patri tanto tantum filium, tanto filio patrem tantum, Gallico nomini tantam fœlicitatis ſucceſſionem, juvenis adhuc patris & adulti jam filii, quaſi ſoli ſol, ſicut ſub polo utroque, nullâ interpoſitâ nocte, ſuccedat, & perennis jam orbi lux orta ſit univerſo.*

Sic pater tuus imperio te parem effecit, SERENISSIME DELPHINE, *ut jampridem capeſſendæ autoritati ſum-*

mæ par ſis, hoc patri ſimilis, qui vix quinquennis ad regni gubernacula acceſſit, & fœlicitate præſtitit puer ac propemodum infans, quod jam virtute & ſapientiâ præſtat, adultam aſſequutus majeſtatem, ut non tu regno, ſed tibi regnum deeſſe videatur. Imo citra coronam, ſceptrum, ſolium & purpuram, jam exerces principatum, quem tibi defert orbis univerſus, & ingenii & doctrinæ, regiarumque virtutum & regiorum omnium ornamentorum.

Vno verbo pater tuus Rex Chriſtianiſſimus, SERENISSIME DELPHINE, *æquitatem armorum ſuorum comitem eſſe perpetuam voluit, ratus id eſſe, aut barbarorum, imperium ſolâ libidine dominandi viribuſque metiri, aut ambitionis Romanæ, adverſus finitimos*

populos, cauſas belli, ſi veræ abſint, fictas comminiſci; ſed conferat limites imperii ſui, quo, & potentia ejus, & virtus, & felicitas pervenire potuerint; conſequetur id quidem quod vix veteres ulli optare auſi ſunt, ſed nunquam imperium tibi par comparabit; orbis tibi terrarum quantus quantus eſt inſtitutioni tam regiæ, tam heroïcæ, minime reſpondeat.

Itaque ſatis non poterit ſibi gratulari Plautus, SERENISSIME DELPHINE, *ſi comœdias ejus legeris, & in tuarum partem oblectationum eruditarum venire non dedigneris; pluſque ſibi accedere inde gloriæ arbitrabitur, quàm quum triumphator Carthaginis atque adeo Africæ univerſæ victor populus, earum de Theatro Ro-*

mano, editarum, ſederet ſpectator applauderetque. Obliviſcetur enimvero obliviſcetur generis ſui originiſque Plautus, factus contubernio tuo & gratiâ, de Ruſtico urbanus, de molitore aulicus. Ejus præceptis & inſtitutis id quidem aſſequeris, quod in libero populo præclariſſimum eſt, ut, quod imperare poſſis, ſuadeas, ut ſit nemo, qui magis reſiſtere poſſit orationi, quàm legionibus apud hoſtes, quàm autoritati apud tuos. Sed quantum accedet à Plauto lucis orationi tuæ & ſplendoris, tantum ex te in Plautum refundetur.

Quod ſi Principe latinitatis oblato memet meo cùm munere benigne exceperis, SEREN. DELPHINE, *& jam inde hoc, quaſi quadam vectigali litterario, ſubditum me tuum ſi non rex at cer-*

te & Naturæ & Salicis legibus regnaturus agnoveris, fructum ſtudiorum meorum uberrimum, ſuaviſſimum, ampliſſimum fuero conſequutus.

JAC. DE L'OEUVRE.

PRÆ-

PRÆFATIO.

CAROLUS SANCTA-MAURIUS Dux MONTAUSERIUS Franciæ Par, Ordinum Regiorum Eques torquatus, Normanniæ, Ingoliſmorum, Santoniæ & Alſatiæ Præfectus, à Rege Chriſtianiſſimo ad educationem Sereniſſimi DELPHINI cooptatus, poſt doctrinam Chriſtianam, qualem Regis Chriſtianiſſimi filium decet & heredem, proximam eſſe voluit curam, ut in litteris humanis alumno tanto inſtitutio quamoptima contingeret. Noverat nimirum vir ſapientiſſimus, hominum utriuſque antiquitatis Græcæ & Latinæ ſummorum exemplis, & ſuâ ipſius experientiâ perpetuâ, quantum inde eſſe poſſet adjumenti cuivis, & maximè Principi, ad res præclare gerendas, & ad vitam benè beatéq; ducendam. Quo factum eſt ut illos imitatus, præſtantium eruditione virorum ſocietate ſemper fuerit imprimis delectatus & in caſtrenſibus vigiliis nunquam non contubernalem habuerit aliquem humanitatis autorem. Dum autem ætas militaris accederet regio Principi, & ad res gerendas animi corporiſq; robur, quid eſt in quo tempus & operam melius poneret puer & adoleſcens, quam in excolendo ingenio omni genere humanitatis?

In inſtitutione autem Tyronis Regii primum locum tenere voluit veterum lectionem autorum, quos adeo ſupra cæteros ſua commendat antiquitas; ſuæ enim uni præſtantiæ debent, quod in aliorum fato ſuperſtites fuerunt ſeculis illis omnibus, quibus, non Typorum, ſed ſtili uſus fuit

aut calami, quod ruinis urbium & imperiorum in quibus floruerunt, non ſepulti ſunt, ſed viciſſitudinum temporis & rerum victores ad nos uſque pervenerunt. Sane quum omnis eruditio humanitatis duobus omnino conſtet, ut mentem doctrinâ & oratione linguam excolat, quid eſt quo præſtari utrumque melius quam eorum lectione poſſit? videre licet ſatis multos qui ſepoſitis omnibus ratiocinandi præceptis, aut veteribus aut novis, in lectione autorum humaniorum una verſati, longe præclarius diſſerunt, quam qui intra pulverem Logicum, aut diſcendo conſenuerunt aut etiam docendo? quid eſt quod humanâ induſtriâ excogitari poſſit, de quo verbis exquiſitiſſimis exquiſitiſſimâque ratione explicandi non diſputaverint antiſtites illi eruditionis humanæ; quo fit ut qui eorum lectioni meditationique ſedulo incubuerint, copiam tantam verborum rerumque paraverint variarum, nihil ut deinceps in ſermonem hominum incidere poſſit, in quo diſſertiſſime tractando hæreat oratio. Sermo autem ipſe quo res explicant, quantum & ipſe ad rerum cognitionem juvat? diſplicet enimvero diſplicet ſiccum illud & exſuccum, ne dicam horridum rerum explicandarum genus in ſcholas jampridem invectum. Autores humanitatis ſepius verbo uno ſpeciem rei ipſius ingerunt menti tam luculentam, tam, ut ita dicam, vivam, ut rem ipſam oculis cernere, tenere manibus & contrectare videaris.

Et in autoribus quidem oratione ſoluta ſcriptis MONTAUSERIUS exempla voluit abundè ſuppetere, Maxime Principum, Principi DELPHINO, quibus prudentia regnandi pace belloque conſtat propemodum univerſa; in Poëtis etiam heroïca. Poëtæ enim dum nobis homines naturâ ſuâ majores depingunt, ex hominibuſque heroas, & ex heroïbus deos, ad captandam admirationem, id ſaltem aſſequuntur, ut, & imitandi ſtudium in animis concitent, & id proponant, quod ſemper homines imitentur, nunquam adæquent. Et hoc genus placuit imprimis Alexandro, qui ſæpe in exemplum fortitudinis eximiæ affertur; in exemplum vero juventutis recte inſtitutæ ſatis non poteſt afferri. Hic ſemper ferebat, ſemper legebat Homerum, non ſolum quia Græcorum ſuorum facta præclariſſima continebat, aut etiam quia erat de ſanguine Achillis Alexander; ſed quia in eo autore inveniebat heroïca exempla ſupra vires humanas maxime poſita. Quam autem intentam exem-

plis tantis mentem habuerit, vel ex hoc patet, quod & fortiſſimus bello extiterit, & , aut Deus, aut certè filius Dei videri voluerit.

In lectione vero veterum autorum nunquam id probari potuit MONTAUSERIO, quod hactenus in ſcholis, etiam in Academiis, uſu fit, ut nonnulli tantum humanitatis autores proponantur juventuti legendi, imò partes illorum plerumque non magnas: exiſtimavit enim ſemper vir ſapientiſſimus, nobilitati rectè inſtitutæ, ſemel, ad minimum, omnes humanitatis autores eſſe pervolvendos totos: aliter, neque de quoquam judicium ferri poſſe tutum, neque fructum percipi qualem licet expectare; humanitatis vetuſtæ ſic partes omnes cohærere invicem, ut cognoſci benè, niſi univerſa, non poſſit.

Quum autem legendorum tot autorum labor videretur major quam ut ferre poſſent Principis vires pueri ac propemodum infantis, editionem eorum omnium novam adornari voluit ſapientiſſimus regii heredis moderator, in qua, amotis omnibus diſcendi moleſtiis, nihil admodum ſupereſſet, niſi quod principem bene natum ad lectionem provocaret.

Atque hæc eſt illa præſtantiſſima EDITIO quam MONTAUSERIANAM liceat appellare; niſi quia munificentiæ Chriſtianiſſimi REGIS typis mandata eſt, REGIAM; quia in uſum Sereniſſimi DELPHINI excogitata, DELPHINIANAM placeat nuncupare. De cujus ratione & ordine poſtquam pauca ſubjecero, quæ erunt autoribus omnibus communia; pauca item de Plauto noſtro dicam, ejuſque lectione; denique de mea in eo edendo opera, pauciora.

Editionem hanc autor ejus MONTAUSERIUS partibus quatuor conſtare voluit; textu autoris; textus interpretatione continuâ; annotationibus; & indice vocabulorum auctoris omnium.

De contextu autoris id tantum dicam, eam eſſe gloriam ſeculi noſtri & ſuperioris, ut nullus fermè humanitatis autor jam ſit, in quo, ad codices optimos emendando typiſque elegantiſſimis edendo, præclarus vir aliquis operam ſuam & induſtriam non poſuerit, atque hic eſt textus quem MOTAUSERIUS partem ſuæ eſſe voluit Editionis.

In interpretatione continua duobus conſultum eſſe voluit, & perſpicuitati, & copiæ; perſpicuitati quidem, contextu autoris retexto, vocibuſque loco ſuo refixis ac motis, & in ordinem

ô ij

vernaculæ noſtræ collocatis; quo fit ut & pueri etiam infirmiorum ordinum ſolo Lexici adjutorio, autores difficillimos, ne exceptis quidem Poëtis, inoffenſo pede percurrere poſſint; quin & provectioribus in curriculo humanitatis hæc interpretatio non erit inutilis. Quanquam enim neque in vocibus, neque in phraſi hæreant Latinorum librorum; tamen quia ſtilo Latino fermè rejicitur vox una, aut in mediam, aut etiam in extremam periodum, vix ac ne vix quidem vernaculâ reddere poſſunt, niſi lectam denuò ac relectam; quæ moleſtia ſtatim tollitur, ſublatâ perturbatione, & vocum, & phraſium, iiſque in ordinem vernaculi noſtri collocatis. Addam etiam externis uſui eſſe poſſe, & linguæ noſtræ ignaris; quia omnes jam fermè linguæ, quæ ubique gentium ſunt in uſu, non multum abludere dicuntur ab iſto ordine ſiloque orationis Gallicæ. Copiæ autem conſultum eſt ſynonymis vocum, quantum fieri potuit, omnium.

Breves eſſe notas voluit, quantum ſatis eſt ad lucem textui afferendam, & hoc breviores quod earum neceſſitatem ferè omnem adimat continua interpretatio. Neque enim MONTAUSERIUS nos imitari voluit illos commentariorum Scriptores, ſi commentaria & non diſſertationes liceat appellare, qui quidquid diuturna lectione meliorum Autorum compararunt, in unius alicujus vocis explicatione conferunt, in quo dum ſuam eruditionem oſtendunt ſeu oſtentant, lectores remorantur ad Autorum omnium lectionem properantes, in quibus eoſdem ipſi flores nanciſcerentur. Satis eſſe viſum eſt, ſi difficultatem aut uno verbo Interpretatio, aut paucis Annotatio tollat.

Vocum denique omnium quotquot in Autore quovis reperiantur, & quotquot locis repetantur, index uſum earum perpetuum oſtendet frequentem infrequentemve, & ad eas reperiendas viam ſtatim commonſtrabit. Quo quid ad rationem emendati ſermonis & electi eſſe poteſt conducibilius?

Quæ editio ut celerius adornaretur & acuratiùs, ſelectos ex omni genere & ordine viros litteratos, propoſitis præmiis ampliſſimis, MONTAUSERIUS invitat, Juriſconſultos, Medicos, Enſiferos, Religioſos, Preſbyteros & cuique ſuum Autorem tradit illuſtrandum. Fœminæ ipſæ nobiles in hujus ſocietatem honoris vocantur, & novo illo genere fœcunditatis & ſuum ſexum illuſtrant & noſtrum adæquant.

Curas quoque ſuas contulit ad promovendam editionem illam eximiam PETRUS DANIEL HUETIUS, Inſtitutionis Delphinianæ Adjutor; Homo, tum ſuis, in omni fermè genere ſcribendi, tum Origenis operibus, in integrum ferè reſtitutis, de omnibus litteratis, & de omni Eccleſiâ præclariſſimè meritus; libris autem illis de Demonſtratione Evangelicâ, qui propediem in lucem edentur, magnâ expectatione litteratorum omnium, ſed majore eorum, qui veræ & Germanæ Theologiæ deſiderio tenentur, fructu; tanquam Latinus Euſebius jamjam ſalutandus; præ quo Græcus ille, tanti inter ſuos noſtroſque hactenus nominis, cum ſuâ illâ Demonſtratione Evangelicâ, ſalvâ vetuſtatis Reverentiâ infans fuerit. Quem utinam Delphinianis interpretibus omnibus habere contigiſſet edendorum à ſe operum integrorum recognitorem; nihil enim ad hanc editionem afferri potuiſſet ornatiùs. Eſt videlicet ſæculi hujus in omni linguarum genere veterum recentiumque, & litterarum facilè Princeps HUETIUS, hocque Lipſiis, Eraſmis, Scaligeris, & aliis ſuperioris luminibus anteponendus, quod unâ aut alterâ laude excelluerunt ſinguli, hic & omnia eorum ornamenta in ſe collegerit, & ſuis aliis infinitis eadem cumulaverit! Sed præter quam quod id infiniti propemodum fuiſſet laboris, etiam homini horarum omnium ſuarum compoti, aſſidua à HUETIO, & in inſtituendo DELPHINO SERENISSIMO, propriis & in lucubrationibus expoliandis adhibenda opera, vix ei ſatis ſpatii reliquit, quo per intervalla ad eum convenirent interpretes Delphiniani, ut ne cujuſquam hæreret opus demandatum, & ut *ſi quis* in eo *dignus* tanto *vindice nodus* incidiſſet ei ſolvendus proponeretur.

Atque hæc de Editione Montauſerianâ; cui haud ſcio, an excogitari poſſit præſtantior; præſtantiorem verò nullam hactenùs eſſe ſuſceptam, res ipſa clamat. Et Batavorum quidem reſpublica non parùm de hoc ſæculo & omni poſteritate merita eſt, quando Editionem adornavit cum Notis variorum Autorum; ſed præterquam quod Montauſeriana Editio, quidquid habet Batavica laudis, aut emendatione textus, aut notis, complexa eſt, plus affert adjumenti ad lectionem autorum, maximè Poëtarum, vel unâ Interpretatione continuâ, quam quævis commentaria; nihil ut de indicibus dicam, qui ſunt vocum omnium Latini ſermonis theſaurus locupletiſſimus. In

quo quantum MONTAUSERIUS meritus ſit de omni eruditione humanitatis, vel ex hoc videre eſt, quod levati ſint omni ferè moleſtiâ, & docendi magiſtri, & diſcendi diſcipuli. Quare nobilitas Gallica imprimis hanc habeat MONTAUSERIO gratiam, quod intra pueritiæ adoleſcentiæque terminos breviſſimos & ante militarem ætatem ipſam totum decurrere poſſit antiquæ curriculum eruditionis.

Nunc de Plauto ejuſque lectione ut ordo Præfationis poſtulat, pauca ſubjiciamus.

Marcus Accius Plautus, ab aliis Attius, ab aliis Actius eſt dictus; ab his Plotus, ab illis Plautus; quod quanquam factum fuit culpâ Librariorum; tamen non defuerunt, qui ſuam eruditionem in his explicandis ſummi Poëtæ nominibus oſtenderunt. *Ploti*, inquit Feſtus, *appellati ſunt Umbri, pedibus planis quòd eſſent. Unde ſoleas dimidiatas, quibus utebantur in venando, quo planius pedes ponerent, vocant Semiplotia: & ab eâdem cauſa Marcus Actius Poëta, quia Umber Sarcinas erat à pedum planitie initio Plotus, poſteà Plautus cæptus eſt dici.* Idem: *Plauti appellantur canes, quorum aures languidæ ſunt & flaccidæ, & latiùs videntur patere.* Equidem exiſtimaverim utrumque nomen & *Ploti* & *Plauti* à πλατὺς originem habere, quod *latum* ſignificat. Thuſci enim apud quos fuere primæ Latinæ linguæ incunabula, voces retinuere complures Græcas, in quibus nonnulla tantum elementa mutaverunt ut ſua facerent. Unde à πλατὺς *Plautus*. Scaliger putat *Plautum* eſſe vocem umbricam ut ſunt ſua cuique genti vocabula, ut ita dicam, vernacula. In manuſcriptis laudatioribus eſt, *Marcus Accius Plautus Aſinius.* Quam ultimam appellationem non immeritò putant corruptam, & pro *Aſinio Aſinum* eſſe reponendum; quæ vox alterutra adjecta eſt nomini Plautino, ad notandam ejus conditionem; quia de piſtorum erat proſapia. Piſtores autem, quia trudendarum & circumagendarum molarum operam cum aſinis partiebantur, fermè & ipſi *Aſini* appellabantur. In nonnullis exemplaribus dicitur *Sarcinas Umber* à *Sarcinâ* oppido & *Umbria* regione viri tanti natalibus illuſtri, celeberrimi Poëtæ. Non deſunt qui non *Sarſinatem*, ſed *Farſinatem* appellent: quæ ſi ſententiarum pugna dubiam reddit originem viri ſingularis, inde mihi plus habere ſplendoris Plautinum nomen *pervulgatum & ut ita dicam Tralatitium eſt*, inquit Giſanius;

ut præſtantiorum ortus Poetarum ferè ignoretur. Et in hoc, credo eos divinitatem affectaſſe.

Quis ſit Plauti Pater, quæ Mater, qui avus, majores, incertum eſt. Obſcuras fuiſſe vel ex hoc patet, quod, qui hominem ex imâ plebe volebant olim exprimere, teſte Minutio Felice, in ſuo Octavio, *Plautinæ proſapiæ*, dictitarent. Quod neque Pater ejus, neque Mater, neque genus utriuſque notatur, argumento eſſe putant fuiſſe ſervilis conditionis. Servi enim, quaſi in ſortem beſtiarum animantium conjecti, ſucceſſione nominum & bonorum carebant.

Non deſunt qui arbitrentur eum ſuam imaginem expreſſiſſe in Pſeudolo ſuâ act. 4. ſcena ſeptima verſu 120.

> *Rufus quidam, ventrioſus, craſſis ſuris, ſubniger,*
> *Magno capite, acutis oculis, ore rubicundo, admodum*
> *Magnis pedibus.*

A nonnullis veterum βαρύωτος Plautus, id eſt, *Surdaſter* dicitur; ab aliis non βαρύωπος, ſed βαρύωπος, id eſt, oculis hebetioribus. Sed ſi βαρύωπος Plautus, quî illi conveniat, quod eſt in Pſeudolo ubi *acutis oculis* fuiſſe dicitur?

Philippus Paræus mentionem facit autoris Anonymi, qui in libro De vitâ veterum Philoſophorum, Plautum noſtrum Tullii diſcipulum facit. Quicumque tandem fuerit Tullius ille, non minor ei gloria fuit illi litteratori, tantum habuiſſe diſcipulum, quam Marco Tullio Ciceroni eumdem magiſtrum Plautum habuiſſe.

Quod ſi Plautus in Piſtrino natus eſt, vix crediderim alium fuiſſe ejus pædagogum, quâ ipſam indolem ac propenſionem ad litteras à naturâ inolitam; à quâ ſuo ipſius Marte, & ſeipſo præceptore, inſtitutus eſt, auxilio librorum, quos comparare potuit & legere Ut etiamnum videmus homines cujuſvis ſortis, qui poſtquam vel elementa litteratum norunt, libros quoſvis legunt vernaculæ noſtræ, & interdum verſus non malos condunt. Sed valdè mirum mihi eſt viſum, videbiturq. ſemper, quod Græcam linguam, Punicam, & Perſicam videatur calluiſſe. Quis enim non obſtupeſcat, ſi molitorem, de molitore natum nunc videat, vel unam linguam tenere Latinam, citra præceptoris operam? Huc accedit quod Plautinis temporibus nundum tantum erat commercium Græcos inter & Romanos; quare conjecturis alie-

nis & hanc meam liceat adjicere, fuiſſe forſitan inter Piſtrini Plautini mancipia, unum quoddam Græcum, à quo Græcam, Punicum, à quo Punicam; Perſicum, à quo Perſicam linguam ſucceſſivis horis didicerit, & pro levamento operis Piſtorii hanc viciſſitudinem laboris eruditi adhibuerit.

Quibus Autoribus Græcis fuerit delectatus, ipſe in prologis ſuarum fabularum notat; nec legit modò, ſed eorum laudem in ſe uno collegit, factuſque eſt uno tempore, Romanorum Dephilus, Philemon, Demophilus, Menander, Epicharmus, Embulus. Hinc licet conjicere in omnibus litteris comicam imprimis placuiſſe; & quæ fuerit ejus animi propenſio. Comœdia enim feſtivitatem habet adjunctam, de quâ nemo meritò conqueratur; nam ſi hominum mores repræſentat, id præſtat, non quemadmodum Satyra quæ ſale defricat & aceto morum vulnera cruda & recentia; ſed affectibus tam lenibus, ut nec rideri ægrè ferat, nec cùm de ſe ridentibus adjungi prudens ſciens. Quo autem perduxerit Comici Poëtæ laudem Plautus tam difficile eſt ſtatuere, quàm facile ex ejus operibus intelligere. Nullum genus eſt in quo exprimendo coloribus comicis non excelluerit. Quod quando facit eſt ſemper aliqua perſona quæ monitorum ſuorum prudentia vitium oppugnat; ut & hinc videre liceat virtutis ſtudioſum fuiſſe Plautum imprimis, neque hac in parte ulli Philoſophorum ſcholæ conceſſiſſe. Uno verbo quod de Comœdiâ dicit Tullius, id Plautinis fabulis apprimè convenit: nuſquam enim ejuſmodi invenias *vitæ imitationem, ſpeculum conſuetudinis, veritatis imaginem.*

Semper fuit magnum certamen inter Grammaticos de fabularum Plautinarum numero; cui certamini locum fecit ſtilus Plautinus. Quum enim ſtatim à morte Plauti circumferrentur fabulæ complures ſine nomine Autorum, ut quæque videbatur arte & ingenio expolita, vel tribuebatur Plauto, vel Plauti eſſe negabatur. Aulus Gellius noct. Atticarum lib. 3. Cap. 3. dicit ſuis temporibus circumferri Plauti nomine fabulas centum & triginta; ſed notat idem ibidem ex Varrone, fuiſſe quemdam Poetam illis temporibus nomine Plautium, fabularum ſcriptorem; cujus quoniam fabulæ erant inſcriptæ nomine Plauti, per longiuſculum I. & non per II. geminum, ut moris erat ſcribere, inde factum eſt ut Plau-

tianæ

tianæ fabulæ ſumptæ ſint pro Plautinis. Prætereà non dubium eſt quin Plauti temporibus fuerint fabulæ veterum Poëtarum quæ illi non ſunt viſæ omninò indignæ theatro; quas, ut acceptiores eſſent populo, interpolare potuit & expolire Plautus; quæ idcircò Plautinæ dictæ ſunt, quia nonnullam operam in illis corrigendis poſuerit vir eximius. Crediderim etiam Plautinas fabulas eaſdem ſub aliis atque aliis nominibus fuiſſe editas, atque adeò non eſſe fabulas, ſed fabularum nomina diverſa. Unum eſt in quo hærere videntur Grammatici, nempe quod multa ſint, quæ, quamvis cum certâ appellatione fabularum viginti, quas habemus, afferantur ab Autoribus magni nominis, tamen nuſquam in illis fabulis, quorum nomina præferunt, reperiuntur. Sed ſciendum eſt fabulas Plautinas Germanas ſæpius repoſitas à Poëta & repræſentatas, ab eodem mutari potuiſſe, quo eſſent populo gratiores. Imo fuiſſe qui ſtatim à morte Plauti ejus fabulas repræſentarint mutatis prologis & additis de ſuo aut ſcenis, aut verſibus. Lucius Ælius Stilo, teſte Aulo Gellio, putat fuiſſe quinque & viginti. Varro unam & viginti, quæ, propter tanti viri autoritatem, dictæ ſunt Varronianæ: quæ fuerit illa præter viginti quas habemus, ne nomine quidem ſcimus.

Plautinæ fabulæ ſtatim magnum nomen fecere Plauto, & ex nomine rem maximam collegiſſe, narrat Aulus Gellius; eumque mercaturam exercuiſſe pecuniis è ſcena collectis, & id tam infeliciter, ut ad piſtrinum reverti coactus fuerit. Qui Auctor, niſi Varrone teſte, qui Plautinis temporibus magis finitimus fuit, diceret, vix crediderim virum tantum, non ad ſcenam potiùs, quàm ad piſtrinum eſſe reverſum, niſi animi & induſtriæ cum re jacturam fecerit. Si de piſtrino natus ad Piſtrinum reverſus ſit, poſt naufragium rei ſuæ, crediderim id eveniſſe, quia intra piſtoris forte penates natus, eò, tanquam ad portum ex diuturnâ jactatione reverſus ſit. Quod eò faciliùs crediderim, quod munus ſcribendi repetiviſſe gravis per ſeſe autor Aulus Gellius, idque gravioris & antiquioris teſtimonio Varronis refert & tres ſcripſiſſe fabulas, Satirionem, Addictum & tertiam quandam, cujus & nomen ipſum periit. Nam Piſtorum genus quod agreſte fermè & barbarum, non paſſum fuiſſet hominem, tempus, trudendis molis collocandum, in ſcribendis fabulis ponere; utpote cui nihil potiùs eſt quàm quod ſub manibus habet, terendiſque frugibus quam

libris feliciùs operam impendi exiſtimet. Itaque ſi reverſus eſt ad molas Plautus, veteri id ſimplicitate fecit veterum illorum Romanorum, qui à domandis bobus ad domandos hoſtes; & rursùs à domandis hoſtibus ad domandos boves ſubinde revertebantur. Euſebius in Chronico ait Plautum mortuum olympiade centeſimâ 45. alii 149. ann. tertio, Urbis conditæ 569. C. C. Pub. Claudio & Caio Portio mundi 3782. ante Chriſtum floruiſſe 201. annis.

Paræus ſuis calculis putat quadrageſimum ætatis annum non attigiſſe Plautum. Quod ſi id verum eſt, admirabilem eſſe oportuit ejus in commentando & ſcribendo felicitatem, licet Comœdias quinque & viginti tantum compoſuiſſet quæ ad nos pervenerunt. Aulus Gellius lib. 1. c. 24. dicit verſus hos tres ſcripſiſſe Plautum ipſum, ſuo ipſius tumulo inſcribendos:

Poſtquam eſt mortem optus Plautus, Comœdia luget,
Scena eſt deſerta: hinc ludus riſúſque, jocúſque.
Et numeri innumeri ſimul omnes collachrymarent.

in quibus verſibus arbitror neque ineſſe modeſtiæ ſatis neque acuminis, ut digni viro tanto videantur.

Ad ſuadendam Plauti lectionem non parùm valeat ejus antiquitas. Id enim hic liceat uſurpare de Latinitate, quod de fabulis ipſis innuit quando eas cum vino nummiſque comparat in Caſinæ prologo Plautus *veterem* eſſe *optimam*. Nam Autorum omnium Latini ſermonis, qui ſtantibus Romanis rebus editi ſunt ruentibuſque ſteterunt, eſt Plautus antiquiſſimus. Cæterorum enim, qui ante eum ſcripſerunt, opera, nihil fermè retinent incolume præter nomen; ſtatuis illis ſimilia, quæ ſunt adeò comminutæ, nullum ut formæ priſtinæ indicium lineamque retineant; illis ædificiorum ruderibus, quorum ita lapides disjecti ſunt, ut antiquæ ſtructuræ veſtigium nullum appareat. Plautina opera cæteris ruentibus ſteterunt, ſtantque temporis omnis vetuſtatiſque victricia, ipſis marmoreis theatris, de quibus exhibita ſunt, republicâ, & imperio, in quibus ſunt celebrata, templis & aris, numinibus ipſis & ipſâ eorum religione perenniora: hoc naturæ cœleſtis ſiderumque & humanæ mentis æmula, quæ ſemel condita ſibi ſemper conſtant inferiorum harum viciſſitudinum expertia: quin & Autores cæteri, quotquot deinceps ſcripſerunt, hoc uno ſe ab

injuriâ temporis defendere potuerunt, quod Plauti nonnihil habere viderentur, eoque ſunt viſi præſtantiores, quò fuerunt, ut ita dicam, *Plautiniores*. Uno verbo Autorum omnium, qui uſque ad Romanarum Rerum Latinæq; linguæ fatum floruerunt, princeps fuit, anteſignanuſque Plautus; ſub ejus ſignis Autores omnes Romanæ eruditionis militarunt. Principes civitatis nomen, Conſules, Imperatoreſque dederunt, in quorum caſtris legiones omnes Romanæ meruerunt; & quandiu vigebit inter homines ſermo Latinus, cujus jam uſus longiùs latiúſque patet quam ſtantibus & florentibus Romanis rebus, ſemper erit elegantiæ omnis arbiter Plautus; hocque politior quivis videbitur, quo propiùs ad eum, aut ſcribendo acceſſerit, aut loquendo; ſemper erit ſermo elegantiſſimus *Solutus metro Plautus* ſicut Plinius affirmat; ſemper erit *Latinorum verborum elegantiſſimus; linguæ atque eloquentiæ in verbis Latinæ princeps; linguæ Latinæ decus*. Sicut Aulus Gellius; ſemper erit *Eloquentiſſimus, quem antiqua ætas tulit*, ut Macrobius.

Adeò lectioni Plautinæ incumbebant, & ut Ciceronis utar verbis, *tritas habebant aures* conſuetudine legendi Plauti Romani lautiores, ut ſi quis audaciâ librariorum in textum Plautinum verſus irrepſiſſet; ſi vel vox una loco mota, aut etiam littera, ſtatim internoſcerent. Quin & nobiliores fœminæ, in quarum ore ſemper extitit apud nationes omnes patruus ſermo venuſtior, apud Romanos politiſſimæ habebantur, quarum eſſet oratio Plautina. Uno verbo Romanis Autoribus molitor Plautus eſt tantùm non altera Venus, quarta Gratia, decima Muſa. Quo fit ut ſuis, & Elii Stilonis verbis affirmet Varro; *Muſas Plautino ſermone loquuturas eſſe, ſi Latinè loqui vellent*.

Autores Chriſtiani non minùs ſuæ colorem orationi à Plauto, quam Ethnici accerſandum eſſe putaverunt. Eccleſiaſticæ doctrinæ Antiſtites manibus iiſdem Codices ſacros & Plautinos verſare non dubitaverunt; eodem ore quo verbum Dei fidelibus, tribuerunt Plauto laudes. Divus Hieronymus de ipſis æternæ Sapientiæ inter homines natæ incunabulis Bethleemi exclamat: *Hæc eſt Plautina elegantia, hic lepos Atticus, & Muſarum eloquio comparandus*. Legit Hieronymus Plautum; Plautinam eloquentiam imitatur Hieronymus. Hieronymus *Pueris ſibi ad diſcendum Dei timorem traditis Plautum prælegit*; Et id

quando Hieronymo Rufinus exprobrat, verbis facit Plautinis ut non minus à ſe legi Plautum Rufinus innuat imprudens, quam ab Hieronymo Plautum. Arvernorum Antiſtes ſanctus Sydonius Apollinaris Hieronymo ſic ſuccinit in Plauti laudibus:

Et te tempore qui ſatus ſevero
Grayos Plauto Sales lepore tranſis.

Præter accurationem ſtili, eſt & aliud in quo utilis eſſe poteſt lectio Plautina, nempe vitæ communis cognoſcendæ ratio. Id enim habet per ſeſe Comœdia, ut imaginem contiñeat vitæ comunis expreſſam; quo quid utilius eſſe poteſt, Principi ac Regio heredi? Et Tragœdia quidem continet adumbratam magnatum vitam: ſed id uſu quotidiano Principes & intra Regios Lares condiſcere poſſunt; at rationem vitæ communis, niſi Comœdiæ opera, unde cognoſcant? nimirùm ſua eos conditio, adeò ſuprà mortales cæteros extulit, ſummovitque à tenuiorum conſortio, ut vix alibi diſcere poſſint eorum, & facta, & inſtituta, & vitam. Neque aliâ ratione ullâ putavero adductos ſeculorum fermè omnium principes, ut tam lubenter Comœdias audirent, quam quod eorum oculis, in ſcena, quaſi univerſum eorum regnum ſubjiceretur. Ea eſt autem laus Plauti, ut quidquid ad cognitionem privatæ vitæ conferre poſſit, ſuis fabulis complexus ſit, quidquid ante eum Græci, quidquid poſt eum Latini, diverſiſſimarumque linguarum Poëtæ Comici uſurparunt, quod Principem juvare poſſit ad vitæ communis cognitionem, contineat. Pluſque in Plauto uno, quam in omnibus nationum omnium linguarumque Comicis, & uſu ipſo vitæ communis quotidiano aſſiduoque condiſcat.

Uno verbo in moribus tum populi Romani, tum Græcorum, aliorumque populorum agnoſcet ſuos Sereniſſimus Princeps, & jam inde aſſueſcet imperio, cujus fermè momentum præcipuum eſt, ut eos quibus imperet penitùs agnoſcat.

Duo ſunt quæ in optimo Poëtâ reprehendit Horatius *numeri* videlicet & *Sales*.

At noſtri proavi Plautinos & numeros &
Laudavêre ſales. Nimium patienter utrumque
Ne dicam ſtultè mirati.

Sed ſi propiùs propiúſque numeros Plautinos Saleſque conſideremus, eoſque citra præjudicium autoritatis Horatianæ expendamus, forſitan cum proavis Horatianis Piſonianiſque laudare & mirari maluerimus, quam cum Horatio culpare. Et Plautinos quidem numeros liberiores eſſe, quàm ut ad Horatianam trutinam in arte poëticâ datam expendere poſſimus, minimè diffitemur:

Legitimumque ſonum digitis callemus & aure.

Neque enim aut aure, aut digitis quiſquam metiri poteſt, ſaltem primâ vice; neque pedum animadvertere diſtinctionem, ſine quâ perit verſuum ſonus legitimus: verùm hoc contendimus, non eſſe Plauti culpam ſed Poëſeos ipſius dramaticæ, ſeu potius naturam; nimirùm id ſibi proponit Comicus, ut ſermones populares adumbret, qui ſi ſeverioribus legibus eſſent adſtricti numerorum, nonne ab imitatione, quæ utramque paginam implet in hâc arte, recederent?

Quas numerorum Plautinorum defenſiones hoc minùs à quoquam exiſtimo eſſe rejiciendas, quod ad præſcriptum Horatianum ſubductæ ſunt in ipsâ arte Poëticâ, in quâ tam diligenter monet alios atque alios numeros eſſe adhibendos, pro ratione argumentorum & operum. In Bucolicis avenam, in Georgicis fiſtulam, in Æneide tubam inflat Virgilius. Itaque Horatius Horatio compoſitus motam de numeris Plautinis controverſiam dirimat. Sed ſi minùs adeſſent præcepta Horatiana pro numeris Plautinis, at certè ipſum exemplum Horatianum ſtaret; conferte enim Horatium cum Horatio, Odarum libros cum Satyris & Epiſtolis; in illis non opus eſt digitis; aure ſolâ callemus; at in aliis operibus eos difficilè digitis, auribus nullomodo comprehendimus. Ipſos verſus, quos contra numeros Plautinos ſcripſit, audiamus:

At noſtri proavi Plautinos & numeros &
Laudavêre Sales.

Quid eſt quod minùs aure percipiamus, quam verſuum illorum numeros? quæ proſa oratio ſoni minùs habet? Quid tum? quia videlicet, ipſo docente Horatio, in illis operibus, eſſe oportet *Sermoni propiora*, id eſt, ſolutæ orationi.

Ad defendendos Sales Plautinos eſt advocanda & artis

poëticæ opera: nam Comœdiæ eſt adumbrare populi mores, quales quales ſint, & orationem. Quis autem neſciat populi ſermones urbanis & inurbanis Salibus eſſe conditos? Eſt de vulgi genio captare riſum è re quâvis, & jocis delectari; qui quidem profecti ab iis, qui lectione careant, & uſu lautiorum hominum, varii ſunt, & ut plurimùm inurbani & indigni riſu, niſi *denſi humeris vulgi* & animi denſioris pinguioriſque Minervæ. Peccaret igitur graviſſimè in artem ipſam, qui nihil niſi urbanos Sales ab Hiſtrione in ſcenam afferri voluerit. Uno verbo Poëta Comicus omne tulit punctum qui hominibus ævi ſui placuit, quem ſunt ſpectatores ſui admirati, quem laudavêre; quod Plauto contigit, Horatio ipſo teſte.

Sed nec ſoli proavi Horatiani Piſonianique laudaverunt Sales Plautinos, laudaverunt & Horatiani æquales; laudavit dicendi princeps Marcus Tullius Cicero, cujus eloquentia una abſolvat Horatianos proavos Piſonianoſque *ſtultitiæ patientiæque nimiæ. Duplex omninò eſt jocandi genus*, inquit in libro Officiorum I. *unum illiberale, petulans, flagitioſum, obſcænum: Alterum elegans, urbanum, ingenioſum, facetum; quo genere non modo Plautus noſter & Atticorum antiqua Comœdia, ſed etiam Philoſophorum libri ſunt referti.*

Tertium eſt in quo vindicandus eſt â cenſurâ Plautus, nempe obſcœnitas. In quo expendendo, hoc libentiùs verſari licet, quod hæc defenſio, non ſolùm pertinet ad Plautum, verùm etiam ad omnes doctrinæ humanioris autores, in quibus nonnunquam gemmæ eruditionis pretioſiores colligi minimè poſſunt, niſi nonnullis ſordibus obſcœnitatis inquinatæ. Sed hæc defenſio, hoc mihi videtur eſſe difficilior, quod cura pudoris eſt veluti inſita ab naturâ in mente humana. Unde apud omnes nationes, præter cæteros laudati ſunt, qui corpus ab omnibus libidinis & voluptatum inquinamentis purum illibatumque ſervaverunt. Ars ipſa verecundiam docet, quæ in ſtatuaria & pictura, partes illas corporis quibus ſexus alteruter revelatur, non ſinit eſſe inopertas. Sed religio Chriſtiana imprimis abhorret ab omni labe pudoris. Quo fit, ut nonnulli deprecati ſunt Plautinam lectionem; & inde factum eſſe putavero, quod nonnullæ Poëtæ noſtri fabulæ mutilæ ad nos pervenerunt. Quorum partes adverſus Plautum, ne am-

plectar Chriſtianus & Preſbyter, prohibet ipſa Comœdiæ natura, quæ, aut corruat, aut certè plurimùm laboret, niſi in in ea populi mores, ut ut ſint, oculis ſubjiciantur. Itaque quum duo ſint naturæ noſtræ per peccatum hominis primi corruptæ impetus vehementiſſimi, alterum libidinis, alterum gulæ, eoque vehementiores, quo minùs eſt in homine, & rationis, & religionis, & exiſtentis ex utrâque honoris; ſi eos qui rationem, moreſque excoluerunt ſapientiæ diſciplinâ, ſi pios, ſi nobiles, exceperis, reliqui fermè omnes, qui tanto numero alios ſuperant, æſtu corruptelarum, & libidinis elati, quidquid latet animo & ſecùs conſpectum hominum perpetrant, verbis, & oratione exprimunt. Quare ſi eorum mores adumbrandi ſunt, neceſſe eſt ſua quamque perſonam armare oratione, qualis qualis ſit, libidinoſam libidinoſa, avaram avara, fraudulentam fraudulenta. Sed ea laus eſt Poëtæ noſtri, ut in ſcenam inducat neminem, qui amore teneatur, quin ſtatim inducat aliquem qui eum ad mentem ſanam revocare quâvis ratione non conetur, mox riſu, mox ſeverâ & gravi reprehenſione, mox monitis lenibus & amicis, ut dixiſſe tantùm Poëta videatur obſcœnum, ut ſit quod oppugnet, quod dedoceat homines.

Nihilominùs in hâc editione Autorum omnium humanitatis, atque adeò Plauti, conſultum eſt pudori SERENISSIMI DELPHINI, ſuiſque revulſa locis obſcœna, in unum locum collecta ſunt; ſic ut & adoleſcentiæ ſubduci poſſent, & in gratiam provectioris ætatis ad calcem autoris ſubjici.

Supereſt, ut magiſtrum cum diſcipulo, Plautum cum Terentio conferamus. Quum enim duo uni extiterint Comici Poëtæ Latini, quos à temporis injuriâ ſua præſtantia vindicaverit, Marcus Accius Plautus, & diſcipulus ejus Publius Terentius, internecinum ſemper certamen extitit inter litteratos, utri palma in ſocco concederetur, his pro magiſtro, illis pro diſcipulo ſic ſtantibus, ut ne gloriam quidem quam alteruter mereretur intactam, æquo animo, reliquerint. Quorum contentio dirimi, vel hoc uno poteſt; quod quum Comici Poëtæ ſit, homines ſuos moreſq; pernoſſe, cognitoſque verſu & actione exprimere, quales quales ſint, ſi Plautino tempore Terentius, vel Terentiano Plautus floruiſſet, uterque fuiſſet ſæculi ſui lumen & ornamentum. Videlicet hoc uno Terentiani Terentium Plauto anteponunt, quod ſtilus ejus & caſtigatior videatur & libera-

lior; ſed pace tantorum virorum dixero, non ſatis attendere videntur ad temporum rationem, à quâ pendere ſcenam oportet. Nam Punici belli ſecundi temporibus, atque adeò vigente populi authoritate apud Romanos, quibus imprimis erat placendum, Plautus: Terentius verò diffluente populi potentiâ, & ad nobiles demigrante ſcribebat; atque adeò ſtilus ille huic uſurpandus fuit quem nobiles citra faſtidium acciperent. Itaque qui ſtilum ſtilo utriuſque Poetæ conferat, & orationem oratione, uno tempore rempublicam cum republicâ, populum cum nobilibus componat.

Jam quod poſtremum eſt, paucis de noſtra in edendo Plauto opera ſubjectis, finem præfandi faciamus. Quam ne cum editionibus Camerarianis, Gruterianis, Taubmanianis, & aliis compluribus vetuſtioribus recentioribuſque nominis minoris & accurationis, conferamus, admonet ipſa Autorum illorum celebritas, & diligentia.

Sed præterquam quod quidquid ab illis dictum eſt noſtro ordine collocavimus revulſum ſuo, nonnulla addidimus, quæ optimo comico lucem aliquam afferre poſſe non deſperamus. At primo quidem loco prolegomena collocavimus, in quibus non Autorum munus, ſed collectorum obivimus. Et hæc ſic diſtribuimus, ut quæ ſunt Plauti cum aliis Comicis communia, ea quæ Plauti ſunt propria antecedant.

In quo partem operæ noſtræ præripuit, qui editionem Terentii curavit. Nam & Evantii & Donati Grammaticorum æqualium de Tragœdiâ & Comœdiâ, & Julii Scaligeri de Comicis dimenſionibus lucubrationes, & Joannis Theodorici Bellovaci ſpicilegium, & Danielis Hinſii ad Horatii de Plauto Terentioque judicium, diſſertationem, inter prolegomena Terentiana collocavit, quæ ſunt ſine dubio Plauti Terentiique communia, atque adeò Plauto, utpote vetuſtiori, præponenda. Hoc actum ne agere videremur in prolegomenis Plautinis imprimenda denuo non putavimus, ſed in aliud tempus, aliamque editionem, hanc ſuam poſſeſſionem, quaſi poſtliminio, Plautum recuperaturum ſperamus. Hic, quod noſtræ diligentiæ tantùm relictum eſt, deſcriptionem Theatri Græci Romanique per Julium Cæſarem Bulengerum præpoſuimus. Lilium Gregorium Giraldum de ſcena, ludis & ornatu ſcenico. De Comœdiâ & Tragœdia collectiones ex Hephiſtione,

Teren-

Terentiano, Donato, Diomede, Lucio Victore; Joannem Petrum Vallam de Comœdia; Joachimum Camerarium de Carminibus Comicis.

Hæc verò Plauti propria ſunt; vita ejus à Petro Crinito & Lilio Gregorio Giraldo; diſſertatio de vitâ & ſcriptis Plauti, per Joannem Philippum Paræum; illuſtria tum veterum, tum recentiorum Autorum teſtimonia, Joachimi Camerarii de fabulis Plautinis diſſertatio & epiſtola.

In argumentis Plautinarum fabularum plus mihi operæ & laboris impendendum eſſe duxi: quia nihil mihi viſum eſt, unde plus lucis poëtæ optimo accedere poſſit, quàm ſi ſeries cujuſvis fabulæ arſque Poëtæ explicetur, quod argumentorum eſt. Et ante Priſcianum quidem Grammaticum, nulla fuere Plautinarum argumenta Comœdiarum; niſi in prologis ab ipſo Poëtâ conſcriptis, quæ datâ operâ contracta ſunt, ut moverent ſpectatori deſiderium audiendæ fabulæ integræ, non, ut ejus ſeriem & artem exponerent. Priſcianus fecit acroſticha, id eſt, in pauculos verſus conjecit, & quotquot tantum adæquant numerum litterarum, quibus conſtat fabulæ nomen, non juſtam operis magnitudinem; quod & nimis contractum viſum eſt, & iis qui Priſcianum ſunt conſequuti. Itaque complures ex eo tempore, & maximè ex quo impreſſioni ſubjectus eſt Plautus, longiora moliti ſunt & explicatiora. Sed & pace tantorum virorum dixero, in iis etiam nonnihil deſiderari, nempe ut ſeriei hiſtoricæ ſuis omnibus circunſtantiis explicatæ ſimilia eſſent.

Neque modo contenti ſumus nova argumenta ſingulis præfigere: verùm etiam ſingulis actibus fabularum ſingularum, ſingulíſque ſcenis actuum præfigenda de novo compoſuimus, imitati exemplum Antonii Mureti in Terentium, quorum opera in quamcumque partem fabulæ lector incidat, Hermete non indigebit alio, ut animadvertat ubi verſetur. Quod & hoc lubentiùs feci, quod animadverti interpretes diligentiores in notis crebro ea aſpergere, ad lucem autori afferendam, quibus ſuus eſſet à naturâ deſcriptus locus, initio textus in argumentis.

Poſt argumenta ſequitur textus Plautinus: hunc ex Grutero hoc libentiùs accepimus, quod ab ipſo Grutero collatus eſt ad optima exemplaria, & ipſo Grutero correctore impreſſus,

Ad commendationem textus hujus, cujus eſſe præcipuam curam oportet in quovis Auctore edendo, non alienum fuerit à propoſito notare exemplaria, ad quæ impreſſus fuit Plautus, in duabus bibliotecis publicis fuiſſe, Florentina videlicet, & Palatinâ. Quæ à Florentinâ propagatæ ſunt editiones, mancæ admodùm fuerunt & mutilæ; ea eſt gloria Georgii Merulæ Alexandrini, quod primus apud Venetos Plautum ad Florentina exemplaria collatum impreſſioni ſubjecerit anno 1472. annis ab inventa imprimendi arte 27. laudabili quidem conatu, ſed infelici ſucceſſu, propter mendas exemplariorum Florentinorum. Nihilo fuit felicior in eadem opera Baptiſta Pius Bononienſis, qui privatorum exemplariorum errores, publicis Florentinis adjecit. Diſcipulus Merulæ Euſebius Scutarius, & ſuas, & Magiſtri, & Pii mendas in ſuam editionem invexit, Aſtolphus Mulingus Argentoratenſis anno 1508. ſecutus Scutarium; Simon Carpentarius vir alioquin magni nominis 1513. & Pii & Scutarii editiones imitatus, imitatus eſt & errores. Aldus Manutius 1522. & Aldi Manutii autoritate deceptus; Robertus Stephanus 1566. optimis cartis opimiſque Characteribus graviſſimos errores commendarunt; & erroribus ſuis, autoritate nominis ſui, propemodum fidem fecerunt. Reliqui quotquot extiterunt ſatis initio operum ſuorum profitentur, unde & accuſentur & excuſentur proditis & erroribus & errorum autoribus.

Quæ ab exemplaribus Palatinæ Bibliothecæ propagatæ ſunt editiones, longè emendatiſſimæ fuerunt; nam illi errores, quos in iis reprehendit Philippus Paræus, utpote à ſcriptore, alio dictante, admiſſi, facilè reſtitui poſſunt à quovis mediocriter litterato. Quantam autem fidem habere oporteat Gruteriano textui inde accipe, quod quum exemplaria illa Palatinæ bibliothecæ, apud Heidelbergam, ſtrictæ, in manus Joachimi Camerarii Padebergenſis neſcio quo fato, felici profecto reipublicæ litterariæ & auſpicato, perveniſſent, homo, ſi ex ſcriptis de eo conjicere licet, ut de lineis vultus, candidus, ſyncerus, eruditus, &, niſi me mearum partium doctrina prohiberet, verè pius, verè religioſus, omnes animi vires, omnem diligentiam adhibuit, ut quam emendatiſſimum Plautum ad illa exemplaria collatum, impreſſioni mandaret anno 1551. Statim atque venit in hominum manus hæc editio, omnium

gratulatione, ſic excepta eſt, quaſi ipſe ſuum opus coram dictaſſet Plautus. Anno 1592. egregiam operam ſuam Janus Gruterus, egregiæ operæ Camerarianæ addere voluit; ad illam attulit eruditionem ſingularem, in legendâ antiquâ ſcripturâ & ſermone, quorum monimenta ab omni vetuſtate eruta, in lucem edidit tanto litteratorum omnium applauſu. Itaque ſuam editionem cum exemplaribus à duobus Camerarii filiis Joachimo & Philippo mutuo acceptis confert, & ne apicem quidem ad vetuſtatis normam non expendit. Omnes docti in eâ textus Plautini editione hærendum eſſe ſibi crediderunt. Federicus Taubmannus in Academiâ Vitembergenſi Profeſſor, & idem ſcriptor diligentiſſimus notas ſuas ad textum Gruterianum adſcripſit. Sed cum editio textus Plautini Camerariano-Gruteriana, ut ita dicam, in campo litterario una eminet, una dominatur, Philippus Paræus, qui ſe ſimulatone an vero officio Gruterii profitetur diſcipulum, novam quamdam & inſignem operam poſuiſſe ſe gloriatur in edendo conferendoque cum iiſdem exemplaribus Plauto, per latus Federici Taubmanni & Gruterum & Camerarium petit.

Hujus dolorem injuriæ, ut perſequatur armata in Paræum bile Federicus Taubmannus novam Plauti editionem parat; Sed eâ ad umbilicum vix perductâ, quod ait Virgilius:

Animam in vulnere ponit.

Moriens commendat editionem libri ſui Jano Grutero, cujus erat adversùs Paræm cauſa communis. Nemo non laudaverit Jani Gruteri diligentiam in tollendo partu amici. Denuo enim conferr textum ſuum cum exemplaribus Palatinis qui redempta fuerant per Senatum Palatinum à filiis Joachimi Camerarii & reddita bibliothecæ Palatinæ apud Heidelbergam utcumque inſtauratæ, & diligentiam omnem in eo exhaurit: quin & ipſe curam correctionis in ſeſe recepit idem Gruterus; ſed quotuſquiſque perinde probaverit, & Taubmanni & Gruteri in commordendo Philippo Paræo in ſingulas paginas furorem? Sed ea ferè in litteratos culpa confertur, rarò comitem eſſe quod Apoſtolus ait *manſuetudinem ſapientiæ*.

In eodem contextu ordo fabularum Priſciani eſſe creditur veteris Grammatici, quem, ut meliùs mandaretur memoriæ alphabethicum eſſe voluit, quo conſilio & argumenta fabula-

rum ſingularum acroſticha fecit. Sed ordo ille fabularum alphabeticus non eſt ita exactus, niſi ratio habeatur litterarum, & non ſyllabarum. Nam ſi ratio habeatur ſyllabarum, ejuſmodi eſſe debet, Amphitryo, Aſinaria, Aulularia, Bacchides; Captivi, Caſina, Ciſtellaria, Curculio, Epidicus, Menechmi, Mercator, Miles, Moſtellaria, Perſa, Pœnulus, Pſeudolus, Rudens, Stichus, Trinummus, Truculentus. Quo ordine & ſcriptæ fuerunt revera, & repræſentatæ, tam difficile eſt conjicere, quam inane ſcire; quum enim de aliis fabulis fermè mentio fit in prologis, inde quis ordo earum fuerit minimè ſtatuere poſſis; quandoquidem una eadem fabula ſæpiùs repoſita fuerit mutatuſque prologus, & in eo mentio facta earum fabularum fuerit, quæ & ante eam, & poſt eam, & ſcriptæ fuerunt & repræſentatæ. Quod Bacchides poſt Epidicum alieno ordine litterarum collocetur, non eſt error Priſciani, ut optimè monuit vir clariſſimus, & non minus litterarum quàm generis gloria illuſtris Michaël Marollius Abbas Villalupenſis: nam ſapientiſſimè conjicit ex eo quod & finis Aululariæ, & initium Bacchidum perierunt, unum codicem fuiſſe perditum, qui poſt Aululariam Bacchides ſequi debere oſtendat. Idcircò autem ab imperito quodam ſcriptore Bacchides ſubjicitur Epidico, perturbato litterarum ordine, quia in Bacchidibus Epidici mentio fit; quaſi verò Bacchides bis non reponi potuerit & ante Epidicum, & poſt Epidicum, & quum iterum repoſita fuerit verſum unum addere Poëta non potuerit. In diſpoſitione partium quibus conſtant fabulæ ſingulæ Gruterum etiam ſumus ſequuti, poſt editionem Batavicam cum variorum notis: in aliis enim perturbata & confuſa omnia; in Lucæ Olchinenſis Canonici editione anni 1518. in quâ & Georgii Vallæ præceptoris ſui, Bernardi Sarraceni, & Grapaldi, & Georgii Anſelmi, & Burchardi Pyladis Brixiani, & Joannis Baptiſtæ Pii Bononienſis, & Thadei Ugoleti, & Grapaldi lucubrationes complexus eſt. Amphitryo in actus novemdecim diſtribuitur, id eſt, in novemdecim ſcenas. Aulularia in actus quatuor, reliquæ fabulæ numeris nullis, neque actuum, neque ſcenarum dividuntur. Lambinus actibus quinque Amphytryonem & Aſinariam diſtinguit, Aululariam nullis, nullis Captivos. Actus ſunt quinque & Curculionis & Caſinæ & Ciſtellariæ. Nulli Epidici,

Bacchidum, Moſtellariæ, Menæchmorum. Militis actus primus, quartus & quintus notantur. Cæterarum fabularum ſunt actus quinque. Primus omnium Janus Gruterus ſingulas fabulas diſtinxit actibus & ſcenis, titulis & numeris impoſitis; imò, ut ſtatim lector ſciret aperto libro in quâ fabulâ, fabulæque actu, actuſque ſcena verſaretur, titulo currente in ſummâ orâ paginæ, nomen fabulæ, & numerus, tum actus, tum ſcenæ legitur. Diſtinxit & ſcenas in quinarios verſus adſcriptis ad oram paginæ exterioris numeris.

De ſupplementis Plautinarum fabularum alii alia ſtatuerunt. Gruterus ſuis locis diſtribuit, ſed alio charactere; ego & ſcenarum & verſuum numeris diſtinguenda putavi.

In enumeratione perſonarum cujuſvis fabulæ ordinem Gruteri omiſimus, & vernacularum noſtrarum fabularum rationem ſumus amplexi, ſequuti ordinem dignitatis in inſcriptione perſonarum colloquentium; eundem ſequuti ordinem repetivimus, nomen perſonæ quæ prima ſermonem inſtituit.

Interpretationem Montauſerianam quantum in me fuit ad ejus Autoris Illuſtriſſimi mentem accommodare ſtudui, id eſt, ut textus planus ſit Autoris & copiæ conſuleretur, mutatis vocibus, phraſibus, & oratione: nam aut addidimus voces ad explendas ellipſes, aut detraximus ad tollendos pleonaſmos, aut voces vocibus ſynonymis mutavimus, figuratas ſimplicibus, ſimplices figuratis, phraſes phraſibus ſubjecimus, ſubſtantivum adjectivo, verbum nomine, utrumque adverbio; & vice verſâ. Orationem demùm pro oratione repoſuimus vocibus loco motis mutatiſque & in ordinem noſtri vernaculi ſic redactis, ut alia prorsùs videatur oratio, in quibus nihil perinde difficile repperi atque Synonymiam: nam, ut nihil dicam de eorum ſententia, qui arbitrantur nulla eſſe Synonyma vocum Latinarum; notum eſt omnibus longè difficillimum eſſe vocabula, quibus uſi ſunt Autores politioris Latinitatis, in quibus primum locum Plautus obtinet, ſynonymis reddere veris & germanis. Porrò ut mihi conſtaret, quæ lux ex interpretatione noſtra Autori optimo acceſſiſſet, locos prælegendos putavi difficillimos per ſeſe, iis qui in vocibus minimè laborarent, qui ſtatim interpretatione expoſiti planis ſunt viſi.

In notis fuimus quā breviſſimi eſſe potuimus, contenti explicare voces, quæ una Synonyma reddi non poſſent, & in quibus in-

eſſet aliquid eruditionis contractæ. Non eas certo cuidam Autori tribuimus, niſi ſit idem vetus & claſſicus, ut ſunt Donatus, Feſtus, Nonnius, & alii veteres Grammatici, non ut eorum laudem nobis arrogaremus: ſed ne quod & Taubmannus ipſe, & editio Batavica paſſim fecerunt, uni alicui tribueremus, quod alius ſit, ne dicam aliorum. Opera eorum & induſtria uſi ſumus producendo, contrahendo, mutando, quod in iis invenimus, quod ad noſtrum propoſitum faceret. Nullæ in Plautum ſcriptæ ſunt ante Dioniſium Lambinum Monſtrolienſem Profeſſorem Regiũ Lambinianis ampliores; notæ ſed uſus inemendatis exemplaribus textus, in multas Syrtes incurrit. Præterea quum in univerſum Plautum notas breves & parùm exactas ſcripſiſſet, eas retractare aggreſſus, in decimâ tertiâ, & ſcribendi finem fecit & vivendi. Eſt igitur fœtus poſthumus, & cum Jacobo Heliâ Græcarum litteratum Regio Profeſſore Collega Lambiniano ipſi Lambino communis. Plus adjumenti accepimus à Taubmanno editionis Gruterianæ. Hic quidquid ab aliis ante allatum fuerat collatumque lucis in unum locum collegit, delectu exquiſitiſſimo, & hoc quod ex ſeſe contulit, ſatis oſtendit quam parum eorum opera indigeret. Uſi ſumus & notis in Plautum Brevibus quidem, ſed diligentiſſimis Jacobi Corbinelli Florentini, domus hujus de charitate Beatæ Mariæ vulgô Longobardornm Proviſoris & Propræceptoris Delphiniani, Henrico II. regnante, in quo non poſſumus nobis non gratulari deceſſore tanto in utroque munere, & Proviſoris, & interpretis Plautini, idque in uſum SERENISSIMI DELPHINI, ejuſdem Coronæ hæredis. Has Corbinelli notas ad oras omnes paginarum editionis Plautinæ à Sambuco factæ ipſâ Autoris manu elegantiſſimè ſcriptas commodaverat Joannes Baleſdens ex Academiâ Gallicâ, quo paulo poſt vitâ functo, in publicatione librorum ejus, hic verè aureus veniit, cui, nondum compertum habere potui, quâcumque diligentiâ adhibitâ ad eum detegendum. Utinam verò in manus inciderit ejus, cui ſit ejus pretium notum, & aliquando publicum faciat

Denique in indice Plautino adornando operæ pretium eſſe putavi, ſi non ſolùm vocabula omnia congererem, ſed etiam in claſſes certas diſtribuerem, quibus conſtaret, quam varia eſſet eorum in Autore acceptio & uſus; id enim ſi in

omnibus Autoribus humanitatis fieret exiſtimavi unam viam eſſe & rationem certiſſimam, figendorum Latinæ linguæ limitum condendique Dictionarii, quo non poſſet eſſe meliùs & abſolutiùs. Cæterùm, ſi in centum quadraginta, ad minimum, millibus vocibus, ſuâ, ſingulis, attentione, expendendis, ſuo ſingulis ordine collocandis, alicubi à nobis peccatum fuit, ô Lector, per temet, ut reſtituas, vel ipſe inſtitutus ordo per ſeſe commonſtrabit.

PRIVILEGE DU ROY.

LOUIS par la grace de Dieu Roy de France & de Navarre, A nos Amez & Feaux Conſeillers, les Gens tenans nos Cours de Parlement, grand Conſeil, Requeſtes de noſtre Hoſtel, & de noſtre Palais à Paris, Baillifs, Seneſchaux, Prevoſts, leurs Lieutenans, & à tous autres nos Juſticiers qu'il appartiendra, SALUT. Ayant fait choix de noſtre bien amé FEDERIC LEONARD noſtre Imprimeur, pour mettre ſous la Preſſe les anciens Autheurs Latins, Hiſtoriens, Poëtes, & autres, ſur leſquels on a fait des Commentaires, & des Notes pour l'inſtruction de noſtre fils le Dauphin, deſquels Auteurs le Terence, LE PLAUTE, le Phedre, le Salluſte, le Florus, le Tite-Live, le Cornelius Nepos, le Velleius Paterculus, le Juſtin, le Claudian & le Quinte-Curſe ſont en eſtat d'eſtre imprimez: Et ledit LEONARD Nous ayant fait remontrer le prejudice qu'il recevroit, ſi aprés les grands frais qu'il doit faire pour l'impreſſion de ces Livres, d'autres entreprenoient de les contrefaire, ce qui pourroit arriver ſi Nous ne luy accordions nos Lettres de Privilege ſur ce neceſſaires. A CES CAUSES, deſirant traiter favorablement ledit LEONARD, & empeſcher qu'il ne ſoit fruſtré de ſon labeur, & des grandes dépenſes qu'il luy convient ſupporter pour leſdites impreſſions; Nous luy avons permis & accordé, permettons & accordons d'imprimer ou faire imprimer, vendre & debiter leſdits Livres dans tous les lieux de noſtre obeyſſance, en telles Marges, Volumes & Characteres qu'il voudra, pendant le temps & eſpace de vingt années, à compter du jour que chacun d'iceux ſera achevé d'imprimer pour la premiere fois: faiſant tres-expreſſes inhibitions & défenſes à tous Marchands Libraires, Imprimeurs, & à tous autres de quelque qualité & condition qu'ils ſoient, d'imprimer ou faire imprimer, contrefaire, ou alterer leſdits Livres, les vendre ny les diſtribuer par toutes les Terres & Seigneuries de noſtre obeyſſance, d'autre impreſſion que de celle dudit Expoſant, à peine de trois mille livres d'amende applicable, un tiers à Nous, un tiers à l'Hoſpital General, & l'autre tiers audit Expoſant; de confiſcation des Exemplaires contrefaits, & de tous dépens, dommages & intereſts: A la charge de mettre deux Exemplaires de chacun deſdits Livres en noſtre Bibliotheque publique, un en celle du Cabinet de nos Livres de noſtre Chaſteau du Louvre & un en celle de noſtre tres-cher & feal le ſieur d'Aligre Chevalier, Chancelier de France, avant que de les expoſer en vente, à peine de nullité des Preſentes. Si vous mandons que du contenu en icelles vous faſſiez & ſouffriez jouïr & uſer pleinement & paiſiblement ledit LEONARD & ceux qui auront droit de luy, ſans ſouffrir qu'il leur ſoit donné aucun empêchement. VOULONS qu'en mettant au commencement ou à la fin deſdits Livres Copie des Preſentes, ou un Extrait d'icelles, elles ſoient tenuës pour bien & deuëment collationnées par l'un de nos amez & feaux Conſeillers & Secretaires, comme à l'Original. MANDONS au premier noſtre Huiſſier ou Sergent ſur ce requis, faire pour l'execution des Preſentes tous Exploits requis & neceſſaires, ſans demander aucune autre permiſſion, nonobſtant toutes oppoſitions, ou appellations quelconques, clameur de Haro, Chartre Normande, Priſe à partie, & Lettres à ce contraires, dont Nous nous reſervons la connoiſſance, & à noſtre Conſeil; Car tel eſt noſtre plaiſir. DONNÉ à Verſailles le vingtiéme jour d'Aouſt, l'An de grace mil ſix cens ſoixante-quatorze; & de noſtre Regne le trente-deuxiéme. Signé, Par le Roy en ſon Conſeil, DESVIEUX.

Regiſtré ſur le Livre de la Communauté des Libraires & Imprimeurs de Paris le 10. Septembre 1678. ſuivant l'Arreſt du Parlement du 8. Avril 1653. & celuy du Conſeil Privé du Roy du ſixiéme Fevrier 1665. Signé, THIERRY *Syndic*.

Achevé d'imprimer pour la premiere fois le 31. Decembre 1678.

PROLEG.

PROLEGOMENA PLAUTINA.

M. ACCII PLAUTI VITA, A PETRO CRINITO.

MAR. PLAUTUS patria Sarſinas fuit ex Umbriâ, quod ipſe de ſe inſinuat, in Fabulâ Moſtellariâ, & alii veteres tradunt. Conſtat eum his temporibus Romæ vixiſſe, atque in Scenâ præſtitiſſe, quibus in civitate Pub. Scipio Fulvius nobilior, & M. Cato excellentes habiti ſunt. Ingenio perurbano fuit & maximè feſtivo, quod cum alia multa indicant, tum Comœdiæ ipſius plenæ jocunditatis, ac leporum. Relata ſunt ab A. Gellio complura in Atticis noctibus de eruditione & Fabulis Plautinis, & authoritate M. Varronis, qui Plautum ait, cum erogaſſet omnem pecuniam in Scenicis ornamentis, ad ſummam paupertatem fuiſſe redactum. Eáque ratione in urbem rediiſſe, & operam piſtori locaſſe ad victum comparandum, his molis circumagendis, quas truſatiles vocant, Hieronymus manuales appellavit. Et cum aliquandiu in piſtrino verſaretur, ibidem Fabulas aliquot dicitur compoſuiſſe, ut Saturionem & Addictum. M. Varro in libro de Plautinis Comœdiis verba hæc poſuit, quæ aſcribenda exiſtimavi, ut à Gellio eſt obſervatum. Feruntur ſub Plauti nomine Comœdiæ circiter C. & xxx. Sed homo eruditiſſimus Lælius xxv duntaxat illius eſſe cenſuit. Neque dubium eſt, quin iſta etiam, quæ à Plauto ſcripta non ſunt, veterum Poëtarum fuerint, ut M. Accii, C. Plautii, à quo dictæ ſunt Plautianæ Fabulæ, non Plautinæ. Cæterùm cum xxv à veteribus connumerentur M. Plauti Comœdiæ, ſciendum eſt præter illas xx (quæ à noſtris Grammaticis conſenſu omnium pro Plautinis habentur) tres à Gellio nominari, hoc eſt, Boëthiam, Nervulariam, Fretum. Varro & Sex Pompeius alias plures nuncupant, ut Artemonem, Frivolariam, Phagonem, Ceſtrionem atque Aſtrabam, eaſque inter Plautinas referunt. De Aſtraba tamen Gellius & Nonius dubitarunt. In Fabulis ſuis ſequutus eſt Græcos Authores, maximè Demophilum,

Philemonem, & Epicharmum Siculum, ut Horatius Flaccus teſtatur. Tantumque ſcribendi elegantia & ſalibus viſus eſt præſtitiſſe, ut Epius Stolo affirmare non dubitaverit; Muſas ipſas Plautino ſermone fuiſſe locuturas, ſi Latinè loqui voluiſſent, quod à Fabio Quintiliano refertur. Quocirca Gellius cenſor optimus omnium ſcriptorum, appellat eundem Plautum parentem ac principem in omni Latina elegantia. Volcatius Sedigitus, cum de ordine comicorum ſcribit, poſt Cæcilium collocavit Plautum, cæteriſque omnibus prætulit. Nomen Plauti deductum eſt à planitie pedum (ut eſt author Sextus Pompejus) prius enim Marcus Plotus dicebatur. Hinc ſemiplotia calceamenta dicta ſunt, quibus in venationibus uterentur. Sed hac de re ſuo loco diximus. Obiiſſe traditur paucis annis poſt Quintum Ennium, Olympiade centeſima xlv. Quantum jacturæ factum ſit in ejus obitu, teſtatus eſt idem Poëta his verſibus de ſe compoſitis;

Poſtquàm eſt morte captus Plautus
Comœdia luget, ſcena eſt deſerta,
Deinde riſus, ludus, jocuſque & numeri
Innumeri ſimul omnes collacrymarunt.

M. ACCI PLAUTI VITA, E LILIO Greg. Giraldo.

SEcus Nœvium Mar. Actius Plautus erat, qui aliquo cum Nœvio tempore vixit. Eſt vero Plautus appellatus, ut Sex. Pomp. ait, quod hi qui plani ſunt pedibus Ploti primum, mox Plauti vocati ſunt, Unde ait Actius Poëta, qui Umber Sarſinas erat à pedum planicie initio Plotus, poſtea Plautus eſt dictus. Sanè (hoc vobis nunc ſemel dixerim nè repetendum ſit ſæpius) vario modo ſcribi video hoc nomen Actius; quidam enim per c t notant, quaſi ab agendo Actius dicatur: alii duplici c c Accius, ab Acca videlicet: demùm alii duplici t t Attius ab Atti Trojano, quod innuit Vergilius;& memini me ſæpius in marmoribus, & vetuſtis numiſmatum inſcriptionibus obſervaſſe: ut Victorinum mittam id Orthographiæ libello præcipientem, & Græca Dionis exemplaria. Sed & nomen Attys Phrygis pueri apud Græcos ἄττις, ſcriptum ſæpius eſt videre. Ego nihilominus, quoniam ita pridem à magiſtris puer inſtitutus fui, Actium ſcribere perſeverabo. Fuit igitur Actius Plautus Patria Sarſinas, quod Umbriæ eſt oppidum, ut Hieronymus, & Feſtus obſervant; id quod & ipſemet ſubinnuit alicubi in Moſtellaria Fabula. Floruit vero in Scena, teſte Gellio, anno fermè 150 poſtquam bellum Punicum ſecundum inceptum eſt, cum jam Romani Pœnos ipſos vincere cœpiſſent; id quod innuit ipſe in Pœnulo his verbis.

Vincite, ut feciſtis ante hac, & Pœni victi pœnas ſufferant.

In Fabulis componendis etſi alios Græcos eſt imitatus; Diphilum, & Philemonem, alios, ut vel ex ipſo facilè eſt videre, tamen Horatii Flacci Sententia Plautus ad exemplum Siculi properare Epicharmi dicitur. Quæſtum quoque in Fabulis feciſſe dictus eſt, adeò ut etiam Mercaturam exercere voluerit, quæ cum ei malè ceciſſet, pecuniaſque omnes perdidiſſet, Romam inops reverſus, ob quærendum victum, ad circumagendas molas, quæ truſatiles appellantur, operam piſtori locavit: tametſi apud Euſebium Hieronymus id annonæ caritate feciſſe prodiderit. Ipſum ait Gellius fabulas in Piſtrino ſcripſiſſe; Syterionem, Addictum, aliámque, cujus nomen nec ipſe retulit. Anno verò 20. Plautus ut M. Cicero obſervat, poſt Cethegi & Tuditani Conſulatum, Publio Claudio, & L. Portio Coſſ. Catone Cenſore mortuus eſt, non multo poſt Ennium, Olympiade videlicet cxlv. Epithaphiumque ſibi ipſe compoſuit, quod à M. Varrone in libro de Poëtis, poſitum affert Gallius.

Poſtquàm eſt morte captus Plautus,
Comœdia luget, ſcena eſt deſerta,
Deinde riſus, ludus, jocuſque & numeri
Innumeri ſimul omnes collacrymarunt.

De numero vero Fabularum Plauti dubitatum eſt. Servius ait ab aliquibus viginti & unam exiſtimatas, ab aliis quadraginta, à nonnullis centum. Varro quidem & ipſe viginti & unam legitimas prodidit, quæ & ab eo Varronianæ cognominatæ fuerunt. Sed Lælius homo eruditiſſimus eas quinque & viginti exiſtimavit. Gellius verò ſua ætate centum & triginta ipſius Plauti nomine circumferri tradidit. Sedenim Varro in libro de Plautinis Comœdiis quaſdam enumerat quæ non Plauti ſunt, ſed M. Aquilii, ut ego lego, quod alii M. Accii, id quod M. Acutici perperam apud Gellium legitur. Subjungit idem, Plautinum quempiam Comœdiarum Poëtam fuiſſe, cujus Fabulæ, quod Plautii inſcribebantur, acceptæ fuerunt quaſi Plautinæ, cum eſſent non à Plauto Plautinæ, ſed à Plautio Plautianæ. Alii quidem illas non Plauti fuiſſe, at veterum quorumdam Poëtarum, ab eoque retractatas ac reſarcitas nomen Plauti recepiſſe: quod mihi vix veriſimile videtur, nullis celebratis Poëtis ante Livium, & Ennium. Tantæ vero authoritatis apud antiquos fuit Plautus, ut Quintilianus Varronem ſcripſiſſe affirmet, Muſas Epii Stolonis ſententia Plautino ſermone locuturas fuiſſe, ſi Latinè loqui voluiſſent. Cicero mirum in modum, ut ſcitis, Plautum commendat. Volcatius vir in

Poëtica illuſtris, ſecundas in Comœdia Plauto attribuit. Macrobius Plautum ait in jocorum venuſtate præcelluiſſe: ut alios penè innumerabiles hoc loco mittam, qui Plautum ſummis laudibus proſequuntur, quorum me movet authoritas, ut non tam facile cum Horatio cenſeam, qui eum, eoſque qui illum laudavere his verſibus perſtringit.

At noſtri proavi Plautinos & numeros, &
Laudavere ſales, nimium patienter utrumque,
Ne dicam ſtultè mirati.

Ego utique (ut vobiſcum quod ſentio loquar) non inficias ierim pleraque in Plauti Fabulis legi, quæ ſi è Scenâ non exciperentur, fortaſſis frigida, & in numerum redigenda forent. Sed nunquid ego cum Horatio Poëta tanti judicii in Poëtica, quanti hactenus quiſquam alius, nunc certem? minimè: utram vos in partem velitis inclinate, idque ſine piaculo. Summæ certè doctrinæ & æſtimationis viri in re literaria, Commentaria in Plauti Fabulas compoſuere M. Varro, L. Siſenna, & Aſper, aliique & noſtra hæc ætate quidam ſanè bene docti: quin & hodie video elegantiſſimos, & doctiſſimos homines amicos meos libentiſſimè in ejus Poëtæ lectione, poſt graviora ſtudia, conquieſcere.

DISSERTATIO DE VITA ET SCRIPT. M. ACCI PLAUTI,
E Joanne Philippo Pareo.

POSTQUAM Comœdia Græca ad Latinos derivata eſt, in ea Livius Andronicus primum inclareſcere cœpit: deinde Nævius Campanus. Huic in agendi facultate ſucceſſiſſe fertur M. Accius Plautus, in cujus vitam & ſcripta paulò accuratiùs nunc inquirere animus eſt.

Dictus initiò fuit Umbrica, hoc eſt, ſua lingua, non Plautus, ſed Plotus, πλατύπους: propterea quod planis foret pedibus, teſte Grammaticorum optimo Pompejo Feſto.

Oriundus ex oppido Sarſina (Parrhaſius, aliique, Farſinam nominare malunt) Umbriæ regionis clariſſimo, cujus Geographorum Aquila Strabo meminit lib. V. in hæc verba: *Tuſcia applicatur ex parte Orientis Umbria, quæ ab Apenninis incipit, & ultra etiam ad ſinum Adriaticum. Hi enim à Ravennâ inchoantes propiora deinceps tenent Sarſinam, Ariminum, Senam, Camarinum.* Et Plautus ipſe ipſe in joco patriam ſuam prodidit Moſtell. 3. 2. v. 83.

Tr. *Quid? Sarſinatis ecqua eſt? Si Umbram non habes.*

NOBILE ſcilicet municipium fuit Sarſina, in fide olim ſplendidæ & nobiliſſimæ familiæ Cæſiorum, in quo natus quoque

Plauti popularis Cœſius Sabinus: & , ſi credendum eſt viris in omni Hiſtoria exercitatis, eadem patria fuit D. Franciſco, quem alii Aſſiſio è Spolletana valle, Umbriæ oppido, prognatum commemorant: Seceſſum præterea Romanorum amœniſſimum fuiſſe doctiſſimus Poëta ad Nympham ſcripſit in hæc verba.

Sic Montana tuos ſemper colit Umbria fontes,
Nec tua Bajanas Sarſina malit aquas.

Idemque ut mellis lactiſque copioſiſſimum promptuarium prædicavit alibi de villa Fauſtini cujuſdam,

Fert ille ceris cana cum ſuis mella
Metamque lactis Sarſinate de Sylva.

Cui conſonat graviſſimus Poëtarum Silius, l. 8. verſu 461.

——*His populi fortes: Amerinus, & armis*
Vel raſtris laudande Cameres, his Sarſina dives
Lactis.

De tempore eo, quo Umber hic Vates primam vitæ uſuram accepit, aut deſeruit, magna inter doctos eſt diſſenſio: ita ut quid hic ſtatuere tutò poſſim, vix inveniam. Conſtans tamen plærorumque eſt Sententia, in Scena eum floruiſſe quintodecimo anno poſtquàm bellum ſecundum Punicum, in quo quindecies centena millia hominum perempti, incœptum eſſet: quando nimirum Rom. Impp. Pœnos vincere cœpiſſent.

Nunc ſi ad calculum referas Orbis, vixiſſe & floruiſſe dixeris, anno mundi creati termilleſimo ſeptingenteſimo ſexageſimo nono; ante Chriſtum natum ducenteſimo primo; Urbis conditæ quingenteſimo quinquageſimo; Olympiadis vero Græcorum centeſimæ quadrageſimæ quartæ anno tertio.

Romæ vero mortuum, calculo eodem, quem de vita modo poſuimus, ſervato, conſtabit anno conditi orbis terrarum termilleſimo ſeptingenteſimo octuageſimo ſecundo; Olympiadis centeſimæ quadrageſimæ nonæ anno tertio; non multis annis poſt Ennium, nobilem illum Poëtam Rudium: Anno V. C. Quingenteſimo ſexageſimo nono; Coſſ. Rom. P. Claudio, & C. Portio, Cenſore Catone: iis ipſis temporibus, quibus in Republ. P. Scipio. M Cato, & Fulvius Nobilior excellebant, poſt Cethegi & Tuditani Conſulatum, anno viceſimo, quingenteſimo verò trigeſimo ſecundo, poſtquàm Romulus Urbis Romæ fundator morte defunctus eſſet. Denique ſi quis hæc etiam non neſcire flagitat, milleſimo anno poſt Ilii Trojani direptionem. Ex quo, calculis ita inter ſe collatis intelligitur; ſummum illud ingenium adhuc dum florente ætate, vix cum quadrageſimum attigiſſet annum, morte eſſe extinctum.

Cæterum qualis de facie fuerit Plautus noſter, quamquam ſui imaginem graphicè admodum nobis in Fabulis ſuis depinxit, tamen curioſè anquiſivi hactenus, nec verò certi quid compertum habere

potui. Probabilis videtur eorum Sententia, qui in perſona Pſeudoli, ipſum Plautum deſcribi conjiciunt his verſibus:

Ruffus quidam, ventrioſus, craſſis ſuris, ſubniger,
Magno capite, acutis oculis, ore rubicundo, admodum
Magnis pedibus.

In Gloſſis antiquis neſcio quid legitur: Plautus; βαρύωτος ſi quid ſit, Surdaſtrum Plautum fuiſſe oportet. Quod non crediderim in tanta libertate jocandi. Alii leg. βαρυώπης quod eſſet hebetiori viſu. Altera tamen Phyſiognomonia nihil repugnat generi aut conditioni Poëtæ noſtri. Nam cum de ortu majorum ejus, monumenta vetuſtatis inquiro ſtudioſius, invenio è ſervili proſapia oriundum & humili admodum genere prognatum Quod è vulgatiſſimo illo verbo, quod apud Minutium ſcriptorem ſacrum occurrit, perſpicuum fit, quo Plautinæ proſapiæ hominem abjectum & vulgarem innuere voluerunt. Hìc vero liceat mihi cum Poëta exclamare: *ut ingenium ingens ignoto latet hoc ſub corpore*! Ingenio namque fuit perurbano & faceto; quemadmodum omnes quotquot de eo ſcripſerunt, teſtantur, adeoque ex ejuſmet ſcriptis haud obſcurè, quâ fuerit indole & naturâ, conſpicitur.

Fabularum ſtudio vehementer flagravit, in quo doctiſſimos quoſque Græcorum: Diphilum, Philemonem, Demophilum, Menandrum, Eubulum, Siculum, Epicharmum, Ariſtophanem, alioſque ſibi ad imitandum propoſuit. Hac ſpe fretus, fore, ut eorum fieret quam ſimillimus, quos ſibi ipſe delegerat ad imitandum. Neque profecto eum fefellit opinio. Admodum enim adoleſcens omnes eos, qui in Fabulis ſcribundis florerent, non adæquavit ſolum, ſed factum etiam, ut *equis illis*, ut Poëta canit, *præcurreret albis*. Atque hiſce non pauci magnorum virorum, quorum deinceps teſtimonia proferam, ſuffragantur.

Cæterum in hac ſua Comœdias ſcribendi ubertate quæſtui dicitur habuiſſe ſuas Fabulas ita ut Mercaturam exercere non dubitarit, quæ cum votis ſuis & commodis non per omnia reſpondiſſet: omniſque pecuniæ, quam è Fabulis ſuis acquiſiviſſet, jacturam feciſſet non exiguam, Romam, omnibus rebus exhauſtis, venit, ubi ob quærendum victum quotidianum, ſive ut alii malunt, ob Annonæ caritatem ad Molas manuarias, ſeu Truſatiles, quas vocabant exemplo fortè commotus Menedemi, Aſclepiadis, Cleanthiſque, trium prudentiſſimorum Philoſophorum, Piſtori ſuam operam locare coactus fuit. Interim tamen in iiſdem Piſtrinis tres Fabulas, quas commentatus fuerat, Satyrionem, Addictum, & tertiam quamdam, ſicut Poëta Nævius duas in carcere, ſpe lucri, vendidit. Atque hinc ortum eſſe exiſtimo, quod aliqui cognomentum Aſinii Plauto attribuerunt, ut ex variis Mſſ. aliiſque antiquitùs cuſis eſt obſervare.

De definito Fabularum numero Authores mirum quantum variant,

Alius enim dicit, ſcripſiſſe Plautum Fabulas viginti unam, alius quadraginta, alius centum. Quin imò Varronianis temporibus centum & triginta quinque Comœdiæ ſub Plauti nomine in vulgus paſſim fuerunt ſparſæ. Homo tamen eruditiſſimus L. Ælius Stilo quinque & viginti Plauti fœtus germanos eſſe exiſtimavit: è quibus Varro unam & viginti, quæ ideò etiam Varronianæ uſurpatæ, ſe legiſſe fertur, propterea quòd dubioſæ non eſſent, ſed omnium conſenſu Plautinæ eſſe cenſerentur. Verum *quot capitum vivunt, totidem millia Sententiarum*; ideircò flamma & aqua in gratiam coïbunt facilius, quàm ut ambigua Criticorum factio in unum hac de re conveniat. Quare & nos nodum in ſcirpo quærere nolumus, ſed viginti illas Fabulas, Grammaticorum decretis acquieſcentes, quas temporum injuria nobis reliquas fecit, tamquam genuinam Plautini ingenii imaginem ſuſpiciemus, atque admirabimur. Et quid id nî faciamus merito? Quis enim Plautinas Fabulas, *vitæ imitationem, ſpeculum conſuetudinis* (id quod Cicero de unaquaque Comœdia aſſeveravit) *veritatiſque imaginem vocitare dubites*? ſermo illis ineſt Latinus, verba non abjecta, res compoſitæ ad tetrioris Antiquitatis Genium, & mores, quam diligentiſſimè. Quid? an tu ullum locum in tota Philoſophia reperiri exiſtimas, quem Plautus non uno ad minimum exemplo illuſtraverit? Quod ſi dubitare velis, adi Electa noſtra Plautina, quæ ſeorſum collegimus. Præterea quam facetè omnia ſalſéque quæcumque ſcripſit, commentatúſve eſt à Plauto in lucem ſint producta, quanta urbanitate dictio ejus effloreſcat, ipſum Plautum teſtem habemus locupletiſſimum. Hæc enim Cygnea morientis fuit cantio, apud Agellium lib. I. cap. XXIV.

Poſtquàm eſt mortem aptus Plautus, Comœdia luget;
Scena eſt deſerta: hinc ludus, riſuſque, jocuſque,
Et numeri innumeri ſimul omnes conlacrumarunt.

Idem ſenſit Oratorum Maximus Tullius Cicero.

Duplex omnino, inquit, *eſt jocandi genus*; *unum illiberale, petulans, flagitioſum, obſcœnum: alterum elegans, urbanum, ingenioſum, facetum*; *quo genere non modò Plautus & Atticorum antiqua Comœdia, ſed etiam Philoſophorum Socraticorum libri, referti ſunt*. Neque aliter judicavit divus Hieronimus: *Poſt noctium* (inquit ille) *crebras vigilias, poſt lacrymas, quas mihi præteritorum recordatio peccatorum ex meis viſceribus eruebat, Plautus ſumebatur in manus* Atque eo nomine à Rufino Plautinæ eloquentiæ ſectator appellatus fuit.

Quod ſi igitur hic nulla delectatio oſtenderetur, ſique ex Plautinis facetiis voluptas nulla peteretur, nunquam tot ac tanti viri animum ſuum amœnitatibus hujuſmodi reficiendum Plauto tradidiſſent. Hoc eos dicendi genus delectabat, illud afficiebat. Perelegans nimirum, & cum gravitate ſalſum; non forenſium ſolum actionum, ſed omnium

ſermonum condimentum judicaverunt. Ad ſummam, ne agam de ſingulis, Plautum ipſam Suadæ medullam veriſſimè dixeris. Dictio namque Plautina, tota quanta quanta eſt, eſt ipſa Latinitas. Non hic obſcuritas verborum dominatur, non barbaries pugnat, non voces abſonæ, & inconditæ; ſed puritas vincit ſermonis, verba mira ſuavitate veluti in cratere Philoteſio concordant, Atticiſmi glorioſè triumphant. Quòd ſi auctoritatibus ſingula firmanda, & aſſerenda mihi fuerint, teſtem adducam virum maximarum rerum peritiſſimum Agellium, qui Plautum non dubitavit nominare *ipſum linguæ atque elegantiæ Latinæ principem, verborumque Latinorum elegantiſſimum artificem*: & Macrobium ſummum in omni genere Authorem. *Animadverto*, inquit, *duos, quos elegantiſſimos antiqua ætas tulit, Comicum Plautum, & Oratorem Tullium, eos ambos etiam ad ocorum venuſtatem cæteris præſtitiſſe. Plautus quidem ea re clarus fuit, ut poſt mortem ejus, Comediæ, quæ incertæ ferebantur, Plautinæ tamen eſſe, de jocorum copia noſcerentur.* Eſt & M. Varro Togatorum doctiſſimus, qui vel ſolus Plauti Oſoribus aſininam poſſit pellem detrahere. Hic enim è ſententia Ælii Stilonis tamquam ab ipſo Appolline admonitus, palam edixit. *Ipſæ*, inquit, *Muſæ ſi Latinè loqui voluiſſent, ipſo Plautino genere uſæ fuiſſent.* Quod Varronis Oraculum in numeros ſic redactum eſt.

Si Muſæ vellent uti ſermone Latino,
Eligerent numeros, Plaute, ſaleſque tuos.

Iſtis & hæc Doctorum præconia conſonant: quod Plautus ſit ipſa Muſa decima: Romanæ linguæ lex quædam: Muſarum & gratiarum hortus: optimus loquendi Magiſter: omnium Poëtarum ingenioſiſſimus, politiſſimus, feſtiviſſimus: Latina Siren: Auctor elegantiæ: pater jocorum, riſuum, facetiæ: quodque inter omnes Latinæ elegantiæ ſcriptores familiam jure ducat meritiſſimo.

Faceſſant proinde longe ab hinc, & ad Morboniam migrent, quicumque Accianam lectionem aliis ſupercilioſo admodum auſu diſſuadere ſatagunt. Moveat illos potius graviſſimorum virorum exemplum, qui tantum Poëtam, in magno ſemper honore habuerunt. Quid enim cenſemus judicaſſe olim M. Varronem, L. Ælium Stilonem, Aurelium, Q. Fabium, Macrobium, Agellium, Servium, Papirii Boëthi fratrem L. Siſennam, Aſperum, Atuntium, Celſum, Scaurum, Flavium, Caprum, alioſque quos paſſim commentariis ſuis illuſtraſſe Comicum noſtrum, magniſque in deliciis ſemper habere ſolitos, legimus? Nec verò hoc graviſſimorum hominum de Plauto judicium obſcurari ullo modo poteſt: quin potius conſentiente doctiſſimorum virorum calculo magis ac magis confirmatur. Imprimis omni laude digniſſima eſt vox illa Hermolai barbari, qui litteras humaniores ab opica barbariæ primitus liberavit. *Plautus*, ait ille,

eminentiſſimus

eminentiſſimus Poëta, & qui tot ſæculis in ſupremo ſtetit, nec in comparationem venit; nec in ordinem ſe cogi patitur. Et tamen in ordinem redigere conatus eſt Volcatius Sedigitus, qui de Latinis Poëtis hanc tribunitiam tulit Sententiam.

Multos incertos certare hanc rem vidimus,
Palmam Poëtæ Comico quoi deferant.
Eum meo judicio errorem diſſolvam tibi:
Ut contra ſi quis ſentiat, nil ſentiat.
Cæcilio Palmam Statio de Comico:
Plautus ſecundus facile exuperat cæteros.

Hic quamvis non primas, ſecundas tamen Plauto inter fabularum ſcriptores honorificè tribuere non dubitavit.

Jam minimè admittendos puto illos, qui contentione inſtituta (id quod Afranium, itemque Aſulanum quendam, alioſque factitaſſe legimus) Comicum Afrum Sarſinati noſtro, judicio neſcio quo longè prætulerunt. Qui ſi juſtâ prius trutinâ omnia examinaſſent, tubam cum tibia ſe comparaſſe, ipſimet facilè animadvertiſſent. Nam quidem certè Terentium Afrum huic noſtro longè eſſe inferiorem, inde manifeſtum eſt, quod elegantias ſuas, ſi non omnes, pleráſque ſaltem non ſibi ipſi peperit, ſed ita mutuatus eſt, ut alterius quaſi plumis ſeſe cohoneſtarit. Atque hinc eſt quod Lavinius, Poëta non ignobilis, Terentium furem Plautum non dubitavit appellare: teſte adeò ipſo Terentio Prologo Eunuchi. Rectè nam ut rurſum, alius quidam non inſulsè iudicet, Plautus, *ex potiſſima parte tantum quantus eſt, fecit Terentium.* Placuit omnino judicium doctiſſimi Hieronimi Gebuvileri, qui fabulas aliquot Plautinas cum Commentariis Pyladis Brixiani in lucem edidit Argentinæ, anno M IOXIII. Ita enim ſcribit: *Terentii Comœdias non rejicio, verùm quàm Phœbus cæteris aſtris lumine, tam Plautus Terentium longè precellit Latinitate. Quidquid enim Scommatum & ſalium illic reperias, id totum ex Plautina depromptum eſt officina. Quocirca non temere cognomentum Plautinæ Simiæ Terentius meruit:* idem ſanè Cæſar de Terentio ſenſit his verbis:

Lenibus, atque utinam ſcripto adjuncta foret vis:
Comica! ut æquato virtus polleret honore,
Cum Græcis, neque in hac deſpectus parte jaceres:
Unum hoc maceror & doleo tibi Deeſſe, Terenti.

Quid hic deſideratur? non hac deſtituitur varietate Plautus; ſed abundat, ſed prægnans quaſi eſt. Modo namque aſſurgit, modo ſubmittit: nunc protrita, nunc grándiora dicit: proponit vitia & caſtigat: locos communes virtutum & vitiorum admiſcet, tanquam aliud agens quando hoc ipſum unice agit: omnia denique tanquam ſale venuſtiſ-

ſimis jocis adſpergit. Ad ſummam : veteris Comœdiæ acerbitatem cum novæ ſuavitate temperat.

Accedit eodem teſtis locuples M. Varro, cujus hoc circumfertur judicium : *Cæcilius in Argumentis palmam poſcit ; in Ecthesi Terentius ; in ſermonibus Plautus.* Ecce Terentianæ lectioni antefertur dictio Plautina! ſuffragatur item J. Lipſius, vir in omni litteratura longè potiſſimus. *Terentium*, inquit, *ipſum amo ; admiror, ſed Plautum magis : uterque adoleſcentibus in ſinu, in manu, in oculis ſit. Conferantur etiam, ſi placet, inter ſe : tantum Plauto Terentius nè præferatur.*

E quibus liquidò perſpicitur, quæ excellentia, quæ Plauti ſit dignitas. Profectò, ut nemo pictor eſt inventus, qui Appellem vinceret, Veneris imaginem ita eleganter depingentem, ut oris pulchritudo formæ inchoatæ, reliqui corporis ſuperandi ſpem reliquis auferret: Sic neminem eſſe arbitror, qui ſcribendi genus Plautinum, quod omne tulit punctum, quantumvis doctus, adæquare, nedum ſuperare poſſit.

Facere hic non poſſum, quin in gratiam eloquentiæ ſtudioſorum certis argumentis demonſtrem, lectionem Plautinam, nihil omnino, quod nonnulli arbitrati ſunt, officere facundiæ Tullianæ; ſed eam potius multis modis adjuvare. Audi igitur ipſum eloquentiæ Romanæ Patrem Tullium. *Finitimus eſt quidem*, (inquit Cicero) *Oratori Poëta, cujus virtutes omnes perſequitur, cum numeris ſit adſtrictior, ornandique generibus ſocius, ac penè par.* Magnifica verò vox & magno viro ac ſapiente, vel maxime digna! quæ, ſi ſuo æſtimetur honore, & gravitate, excellentem Poëticæ facultatis ſpeciem atque formam nobis adumbrat. Nam cum nihil tam cognatum ſit mentibus noſtris, quam numeri atque voces, quibus modo excitamur, & langueſcimus, modo incendimur, & lenimur, mox ad hilaritatem, mox iterum ad triſtitiam deducimur: ſumma illa vis carminibus, atque adeo comœdis aptior, non neglecta (ut mihi videtur) eſt à Plauto noſtro. Nam ut monumenta ejus ad noſtram prolata ætatem ſatis ſuperque teſtantur, eâ fuit in agundis comœdis dulcedine, ea ſuavitate, qua perfunderet animos, ut recordationem concinnitatis ſuæ cum delectatione conjunctam, aculeos etiam quandóque relinqueret in animis eorum, à quibus eſſet auditus. Atqui cum in tota eloquentia nihil præſtabilius ſit quam poſſe dicendo tenere hominum cœtus, mentes allicere, voluntates impellere, quò velis, unde rurſus velis, deducere : an tu Comediæ hanc laudem præripies? an eam planè obteres? nihil minus. Tantum abeſt, ut laudibus Comœdiarum, hac in parte obſcuritas aliqua adferatur, ut etiam plurimarum palmarum facilè nobiliſſima ſit: quis enim vel Lyſippus corporis imaginem melius cælo effinxit; vel quis Appelles corporum lineamenta, ac formas contemplatus eſt exquiſitius ſuoque penicillo expreſſit felicius? Quam ingenia

& mores hominum effinxerunt Comœdiæ? quis animorum motus? in quibus ad fidem faciendam plus etiam quàm in argumentorum pondere, poſitum eſt momenti; quippe iis, qui benè tractati (teſte Cicerone) admirabilem faciunt eloquentiam. Quis, inquam, affectus cùm lenes illos, ſive mites, tum vehementiores ſeu concitatiores, in quibus potiſſimum regnat oratio, illis ipſis Comœdiis tractavit commodius, atque ad naturam cujúſque, & fortunam, & ætatem, obſervata in ſingulis decori ratione, accommodavit rectiùs? introducuntur à Comico ab ægritudine contabeſcentes, ferventes avaritia, luxu perditi, inſani amore, ambitione tumidi, expectatione ſuſpenſi! Quid? annon licet ora ipſa cernere iratorum? an non eorum, qui aut libidine conſtricti, aut metu commoti, aut voluptate nimia geſtiunt, quorum omnium vultus, voces, motuſque quam poteſt evidentiſſime permutantur, atque ita permutantur, ut ab iis Oratori vis maxima exiſtat in hominum mentibus, vel ad iram, vel ad odium, aut dolorem incitandis, vel ab his iiſdem permotionibus ad lenitatem miſericordiámque commovendis? Verum quid in re non incerta longiore utor oratione? quove argumento diſſuadere aggredior diutius? ut eloquentiam Ciceronis nullomodo impediri, ſed juvari vel maximè Plautino ſermone deinceps credant adoleſcentes, certè quidem ipſe Cicero, ne longius diſcedamus, Flexanimam ſemper ſuam exiſtimavit orationem, ſi colluſtrata eſſet exemplo aliquo Comico: propterea, quod hac ratione effecti hominum mores in alienis perſonis, expreſſaque imago vitæ quotidianæ, accenſo quodam quaſi lumine, videri conſpicíque planè paulo ante poſſet. Hinc nota illa fabella Cæciliana, in oratione, qua bona S. Roſcii contra L. Cillæ dominantis potentiam deffendit: hinc illa in oratione Cæliana, alia in Miloniana: quibus fabulis ad animos hominum impellendos uſus eſt. Necverò minorem vim atque utilitatem ad impellendas mentes ſalis atque urbanitatis eſſe omnino arbitror. Sæpè enim numerò lepore res graviores magis elevantur venuſto; quam contentione licet graviſſima confringuntur. Jam verò Plautum noſtrum facetiis reliquis longè excelluiſſe, quis ignorat? vicerunt ergo joci facetiæque eloquentiam verboſam. Immò verò facultas dicendi ſecuta eſt: Cæterùm cum orator omnem ſuam operam, curam, & diligentiam in nulla ferè alia re collocare ſoleat, quam ut in dictione ſua ſermonis elegantia eniteat, haud ſcio meliùs, an ullibi, præterquam apud Comicum, verborum illa mundities atque elegantia, quam orator ſtudioſè obſervat, eminentior ſit, magiſque conſpicua: pereleganter enim Poëta ait:

Mortales immortales flere ſi foret fas;
Flerent divæ Camenæ Nævium Poëtam.
Ita qui poſtquàm eſt Orcino traditus theſauro
Obliti ſunt Romæ loqui lingua Latina.

Etenim ſi muſæ ipſæ, quod antea dixi, Plautino voluerunt loqui ſermone;

ſi Romanæ linguæ lex quædam eſt Plautus ; ſi Romana loquendi figura in Plauto efflorescit : ſi denique nulla elocutionis figura à Grammaticis tradi poteſt, cujus apud Plautum non exemplum petatur : ecquam ejus dictionem putabimus ? an hac feſtivitate Plautina ac lepore ullam ſcriptionem conditiorem reperiemus ?

Sunt tamen qui aures mihi ſcalpuriunt, & neſcioqua freti audacia Plauti laudes non modo verbis, ſed reabſe extenuare mollireque ſuis conantur dicteriis. Et hi vel antiquiores ſunt, vel recentiores. Inter Veteres Plauti contemptores familiam ducit Horatius Flaccus, qui tale ſeu ſeriò, ſeu joco in Plautum effutivit cavillum,

At noſtri proavi (inquit) *Plautinos numeros &*
Laudavere ſales ; nimium patienter utrumque :
Ne dicam ſtultè mirati, ſi modo ego & vos
Scimus inurbanum lepido ſeponere dicto.
Legitimumque ſonum digitis callemus & aure.

Ecce exortus eſt Anteſignanus omnium obtrectatorum Plauti Horatius; cujus è ludo tanquam ex æquo Trojano innumeri Sanniones egreſſi ſunt. Hinc clamoſus alius Corax, Tetentianus ille Ariſtarchus, cui in Plautum audacter, ne quid gravius dicam, hæc talia pronunciare non erubuit: *Hæc Plautina ſunt*, inquit, *cum in iiſdem longa ſit diſputatio, ſed mirè à Terentio proferuntur ad ejus exemplum, & quod eſt plus, carent Plautinis nugis.* Quibus è recentioribus conſonat neſcio quis Minturnus, qui inſulsè *non pauca inſulſa in Plauto noſtro reperiri* vehementer admodum diſcepravit. Sed quid tandem ? aviſta patienter adcò in Plautum quotidiè dici patiemur ? nihil minùs. Sublinendum eſt os erudirulis iſtis, audaculiſque Zoilis, ut cùm ſe cicadam ala corripuiſſe animadverrerent, palinodiam canere incipiant. Sed ne longior ſim, quam neceſſe eſt, juſtoque magis excandeſcam, ſententiam illam Horatianam, in qua multi ſeſe ad inſaniam uſque jactitarunt hucuſque, probabilius, uti ſpero, argumentationibus refellam. Laudent ergo, quicumque velint, Horatium dictionis Plautinæ arbitrum, laudent judicium ejus graviſſimum, admitentur etiam, modò & ipſe tutò aſſentiri queam iis viris qui mihi videntur quaſi quædam platanus ſatis ſpecioſa, ad opacandum hunc locum, patulis undiquáque diffuſa veritàtis ramis : Varroni puta, Ælio Stiloni, Macrobio, Agellio, ſexentis aliis, quorum ſupra mentio facta, neque id, ut opinor, injuria: quandoquidem enim conſtat Horatium fuiſſe hominem iracundum, judicium hoc ejus tanti non videtur faciendum, quod ſcilicet ex præcipitato affectu ſic temerè effudit. Sed ſic agam. Aut Horatius veritatem hac in parte diſſimulavit, aut Poëta non fuit. At Poëtam fuiſſe Horatium præconio domeſtico edicit ipſe Horatius.

Spiritum phœbus mihi : phœbus artem
Carminis, noménque dedit Poëta.

Atqui *Poëta*, ut Plautus noſter monet, *cum fabulas cepit ſibi quærit*

quod nuſquam eſt gentium. Et Lucillius antiquus & nobilis ille Satyrarum ſcriptor dixit:

Pergula pictorum; veri nihil, omnia ficta.

Ex quo illud intelligitur, Horatium Flaccum cum hanc tuliſſet ſententiam, ſubventanea velut anicularum deliramenta peperiſſe. Et quid mirum eſt? Nam idem prorſus judicium præpoſterum valdè tulit de Laberio & Chœrilo, Poëtis præſtantiſſimis antè Horatium. Archelaum quippe legimus, numiſma aureum pro ſingulis verſibus Choërilo numeraſſe. Scilicet id verum eſt, quod dici ſolet!

Tres mihi conviva prope diſſentire videntur,
Poſcentes vario nimirum diverſa palato.

Itaque ut rex Athleas religioſiſſimo ſanctiſſimoque ſe obſtringebat juramento (jurabat enim per Aquilonem, & Acinacem) ſe equi hinnitum potiùs, quam Iſmeniæ tibicinis Græcorum præſtantiſſimi modulos malle audire; quo quid abſurdius? ſic Romulus, cum cæteri alerentur Ambroſia & Nectare, rapis veſci maluit. Nec invenuſtè proverbio dici ſolet. *Præterit aſparagos. ut edat carduos aſellus.* Simili mihi ratione judicium illud Grammaticelli mangoniſque; neſcio cujus Minturni coërceri reprimique videtur poſſe.

Sed miſſis iſtis Plauti contemptoribus, de iis aliquid dicam quoque, qui dictare non erubeſcunt, juventutem Chriſtianam lectione Plauti Comœdiarum plurimùm corrumpi; redolere item antiquitatem obſoletam, & denique dictionem Plautinam eſſe corruptam, in pravumque planitùs converſam: negligendam igitur, & ab omni lectione arcendos humaniorum litterarum ſtudioſos. De prioribus ut primò dicam, non ſum neſcius D. Auguſtinum omnem ſuam ætatem graviſſimè deteſtari, quam in lectione prophanorum authorum deſumpſit. Neque hoc etiam diffiteri poſſum, in Comœdiis Plautinis introduci ſæpe meretrices procaces, avaros, lenones, paraſitos edaces, adoleſcentes diſſolutos, ſenes ſtultos: veteratores, & fallaces ſervos, mores molliſſimos, Maſſilia dignos, vel Tarento, jocos denique non facetos, ſed obſcænos, tanquam è Suburra, aut Velabro, Tuſcoque Vico oriundos. Sed quid tum? an propterea è manibus adoleſcentum humaniorum excutiendus eſt is, qui tot annis, tot ſæculis in doctiſſimorum virorum oculis; qui in manu ſinuque fuit perpetuo? minimè gentium. Si enim in his ineſt aliquid probri, quod capiat incautos, nemo tamen tam inconſideratus erit judex, qui id non Plauto, ſed Comediæ imputandum & dicat, & ſentiat. Atqui ne huic quidem jure tribui poſſe fatebitur is, qui conſideraverit, eſſe illam imitationem vitæ, ſpeculum conſuetudinis, imaginem veritatis. Nimirum in hac bona ratio cum perdita, mens ſana cum amentia; optima denique ſpes cum omnium rerum deſperatione ut plurimùm confligit: adeòque a tot ac tantis turpiſſimis ſceleribus præclariſſimæ virtutes quaſi ſuperantur. Quæ cum ita ſint, mihi id hominum genus Comediæ ideò iraſci ſolitum, quod vitia & mores depravati ibi continentur, ſimile videtur illis mulierculis, quæ ipſæ turpes & deformi præditæ vultu cum ſint, ſpeculo

ſuo iraſcuntur, quod formoſam ſui non referat imaginem. Quapropter qui petulantiam, fraudationem, ſcelus, turpitudinem, libidinem avaritiamque ſibi in Comœdia, tanquam in ſpeculo propoſita, non ægrè modò ferunt, ſed & ira ſtomachoque idcirco ardent; his hoc de conſilii, ut ne peccent, certò perſuaſi, ab omni Comœdiæ immitiore morſu tùm demum ſe forè immunes. Et ſi hanc ob cauſam Plautus legendus non eſſet, quod vitia perſtringit: quis quæſo Homeri Iliada, quis ejuſdem Odyſſeam, hinc inde variorum hominum vitiis ſceleribuſque conſperſam, in unum collegiſſet? quis unquam legiſſet? Non minùs enim quam Plautus noſter vitia ſæpius taxat, adulterium videlicet Paridis, Circes, Calipsûs, Veneris; intemperantiam Procorum: ſcelera alia. An Auguſtus Virgilium, Didonis & Æneæ amores laſcivos pertractantem, tanto unquam habuiſſet in honore? nec Ariſtophanis Comœdiæ, ſatis non nullibi flagitioſæ à Chryſoſtomo fuiſſent abſque flagitio tanta lectitatæ diligentia, & accuratione. D. Hieronimus ſignandus nigro calculo, quòd Plautina lectione tantopere delectatus fuit. Ciceronem denique non ſemper Veſtæ pediſſequos imitatum, quis ſequeretur? Quis Juvenalem? Horatium? & quid multis? abjiciendæ epiſtolæ D. Pauli, Gentium illius doctoris; quibus præſertim introducit flagitium horrendum inceſtûs; Ethnicorum nefanda ſcelera, cane pejus, & angue fugienda! quin imò tota Scriptura ſacra perpetua foret obliteranda oblivione, omnique ætati, ad Catonum ſeveriorum normam de vitiis fugiendis, conticeſcendum. Sed & illi ipſi liberiorum morum Ariſtarchi hiſce facilè aſſentiunt, qui ut Poëta canit, ut plurimum,

Curios ſimulant, & Bacchanalia vivunt.

Quemadmodum igitur ſacrarum Litterarum monimenta non idcircò videntur vitia recenſere, ut ea imitemur, ſed (quod optimum eſt) ut aliena inſania ad noſtram utilitatem fruamur, ita Poëtarum Scena, Comicorum ſcelera (quorum meſſem undiquáque maximam licet metere) tanquam in ſpeculo eminentiore depingit, ut peccatorum turpitudine propalam conſpecta, hominibus terrorem incutiat; contra ad pietatem ſedulò colendam excitet. Nam quid cauſæ fuiſſe putamus, cur Demodocus ille Phæacenſis Martis & Veneris amplexus decantavit? an quod adulterio adularetur? non, non: ſed quod cauterium libidine adhibere cuperet. Et ſi (ut lex vult Julia) *non verba mœchantia, ſed ipſa facta puniuntur*: quis Plauto jure ſuccenſeat: facit enim id ſuo quodam jure, ſi puerilia quædam & indecora adducit in Theatrum: hanc, ut opinor, ob cauſam, ut hac ratione homines, vel ſolo recogitatu mores improbos amitterent. Quare ut vina oppoſita vinoſum faciliùs protitant ad bibendum, quam abſtemium; ita libertas illa in Comœdia animum nequam & improbum incitare facilè poteſt: caſtum virum & integrum non poteſt. Non immeritò ideò etiam Poëtarum lectio immenſo alicui mari comparatur, in quo licet ſcopuli ſint acuti, vada etiam difficillima; non tamen cautus idemque diligens Nauta ad ea navem

ſuam impellit: pari ratione in Poëtarum libris ſunt ſcopuli quidam, ad quos cùm impelli non expedit, vir bonus ſtrenuè prætervehitur: non ſecus atque ſocii Ulyſſis, qui ut Sirenum dulciſſima modulamina devitarent, aures ſibi cera liquefacta obturarunt: atque ne blandimentis illis ad libidines allecti naufragium facerent, ſcopulos prætervolarunt. Rectè igitur etiam Livia viros nudos nihil differre caſtis fœminis à Statuis dixit. Cumque in ſtudiis noſtris nihil aliud præter delectationes quæramus; quid impediat, quominùs jocos ejuſmodi facetiáſque urbanas ſeverioribus noſtris ſtudiis admiſceamus, ut ita animus ex forenſi ſtrepitu reficiatur, & aures convitio defeſſæ nonnunquam conquieſcant. Nec verò propterea Plautinas fabulas abjiciendas cenſeo, licet maculæ quædam iis vel ſui, vel ſæculi vitio inſperſæ inveniantur. Ut enim vinum generoſum, vinum eſſe nullomodò deſinit, etiamſi guttis aliquot aquæ ſit commiſtum: ita nec ſplendorem ſuum & gratiam Plautum noſtrum alioſque Poëtas apud doctos, etſi humani quid intervenit, amiſiſſe arbitror. Sed de his hactenus; apud bonos enim ſatis tela objecta retorta videntur eſſe: malis autem nihil ſatis, quamvis Achilleis pugnes argumentis, poteſt diſputari.

Antiquitatem verò Plautinæ dictionis quod attinet, utitur Plautus iis verbis in ſcena, quæ conveniente loco ſingulis rebus & perſonis ſunt attribuenda. Cùm res deſcribit ſerias, heroïcis utitur verbis: cum ridiculas, facetis; cum antiquas, antiquis verbis vtitur: & ſic porrò alia. Appoſitè igitur Tullius, qui quædam Plautina in deliciis habuiſſe perhibetur, inquit: *cum audio ſocrum meam Læliam, eam ſic audio, ut Plautum mihi, aut Nævium, videar audire.* Ecquis novem illas Muſas: Ecquis Appollinem, Præſidem Muſarum culpabit, quod verbis obſoletis locutus interdum fuit? nemo profecto; niſi & me juxta atque illum fallit omnis ratio. Quod ſi itaque Muſæ cum Plauto (uti jam ſæpius commonefeci) loqui voluerunt: faceſſat hinc novitas illa delicata, ſeſeque quàm citiſſimè reprimat: contrà niſi cum Muſis loqui inhoneſtum, aut indecorum quis judicet, antiquitatem illam nobilem, & verè Latinam, quotquot rectioribus ſtudiis imbui ſatagunt, unicè admirentur, imitenturque.

Poſtremò minime quoque ferendum eſſe arbitror eorum accuſationem, qui Plautum ita eſſe corruptum, ita depravatum affirmant, ut neque legi neque intelligi, (ita clamitant) à quoquam ampliùs poſſit. Id etſi forſitan negari planè non poteſt, non tamen Plauto nævi iſti adſcribendi ſunt: ſed iis potiùs, qui elegantiſſimam ejus puriſſimamque imaginem tantopere deformarunt. Ad hæc licet ante ſæcula aliquot adeo deturpatus fuerit Comicus hic; opera tamen atque induſtria noſtra, uti confidimus, tam nitidæ ejus factæ ſunt Comœdiæ, tàm illuſtris lucubrationibus noſtris redditus eſt is, qui etiamnum in tenebris jaceret, niſi veteris Muſarum alumni commiſerti, omnem maculam ita ab divino corpore abſterſiſſemus, ut eum porrò jam quivis, quamvis mediocriter doctus, nullis aliis adminiculis adjutus, ſed (quod aiunt) proprio Marte & legere

poſſit, & intelligere. Ut igitur tandem Diſſertationi huic meæ Plautinæ finem imponam, facere non poſſum, quin in gratiam humaniorum adoleſcentum, eorum, inquam, qui non indiligenter, imò vero quandoque nimis ſuperſtitioſè, ne quid gravius dicam, in Plauti lectione eſſe ſolent, coronidis loco ſubjiciam admonitionem perquam ſalutarem & prudentem magni illius Plautopoli, Joannis Paſſeratii.

Quadruplicem, inquit regius interpres, *cautionem adhibeant ingenui adoleſcentes in evolvendo Plauto.* Primùm, *ſi qua verba ridiculi cauſa confingit, ut multa procudere ſolet, vel ſi qua jungit audaciùs Ariſtophanis more, ea Comicæ putent eſſe licentiæ, neque ſibi permittant.* Deinde *ſi qua occurrent obſcæniora, ut laſciva fuit ſcena illorum temporum, nullam inde concipiant turpitudinis maculam, ſed per ea ſic incedant, quaſi per mediam Suburram properent ad ſobrium Vicum, aut ad aliquod Pudicitiæ ſacellum.* Præterea, *nimis priſca verba, & fere deſita, ſibi tantum ſupponant, ad cognitionis oblectationem: ut elegantes conſueverunt homunculi antiqua vaſa, ſigilla & numiſmata, quæ recondita delectant, neque deprompta inter quotidianam ſupellectilem deteruntur. Scirpos* denique *vitent & Plautinarum quæſtionum cruces, in quibus videmus fruſtra ſe torſiſſe viros doctiſſimos M. Varronem, Ælios, Gallum, & Stilonem, Ateios, Capitonem & philologum.* (Adderem ego decumanam cohortem Criticorum noſtri ſæculi, ſi crambem illam, quam ærumnabili meo labore in caſtigando Plauto devorare coactus fui, jam nunc recoquere allubeſceret.) *Cætera omnia meo bono periculo ſtudioſe conſectentur, quæ ſi fuerint aſſecuti, non erit quod alium latini ſermonis fontem ad hortulos ſuos irrigandos deſiderent.*

Atque tantum de vita & ſcriptis Plauti noſtri è monumentis veterum, aliorumque hoc tempore commentari libuit.

DE PLAUTO, ET EJUS SCRIPTIS veterum auctorum teſtimonia.

VARRO Parmenone, apud Nonium, in poſcere, i. accipere.

In Argumentis † *Cæcilius poſcit palmam, in* Etheſin *Terentius, in* Sermonibus *Plautus.*

CICERO lib. 1. de Officiis.

Duplex omnino eſt jocandi genus; unum illiberale, petulans, flagitioſum,

ſum, obſcenum: alterum elegans, urbanum, ingenioſum, facetum: quo genere non modò Plautus noſter & Atticorum antiqua Comœdia, ſed etiam Philoſophorum Socraticorum libri ſunt referti.

Idem Tuſcul. Quæſt. lib. I.

SERIUS Poëticam nos accepimus: annis enim ferè CCCCX. poſt Romam conditam Livius Fabulam dedit, C. Claudio Cæci filio, M. Tuditano COSS. anno ante natum Ennium, qui fuit major natu, quàm PLAUTUS & Nævius.

Idem lib. III. De Oratore, ex perſonâ L. Craſſi.

EQUIDEM cùm audio ſocrum meam Læliam, (faciliùs enim mulieres incorruptam antiquitatem ſervant, quòd multorum ſermonis expertes ea tenent ſemper, quæ prima didicerunt) eam ſic audio, ut PLAUTUM mihi aut Nævium videar audire.

Idem, lib. De Republ. apud AUGUSTINUM De Civ. lib. II. cap. IX.

SED Periclem, cùm jam ſuæ civitati maximâ auctoritate plurimos annos domi & belli præfuiſſet, violari verſibus, & eos agi in Scenâ non plus decuit, quàm ſi PLAUTUS noſter voluiſſet aut Nævius P. & Cn. Scipioni, Cæcilius M. Catoni maledicere.

Idem, Catone majore, ex ejuſdem perſona.

QUAM gaudebat Bello ſuo punico Nævius! quàm Truculento PLAUTUS! quàm Pſeudolo!

Idem, Epiſtol. Famil. lib. IX. Epiſt. ad Papyrium Pætum.

SED tamen ipſe Cæſar habet peracre judicium: & ut Servius, frater tuus, quem litteratiſſimum fuiſſe judico, facile diceret: Hic verſus Plauti non eſt, hic eſt: quòd tritas haberet aures notandis generibus Poëtarum, & conſuetudine legendi: ſic audio Cæſarem, &c.

VOLCATIUS SEDIGITUS, de Poetis Comicis, apud Agellium lib. XV. cap. XXIII.

MULTOS incertos certare hanc rem vidimus,
Palmam Poetæ Comico quoi deferant.
Eum meo judicio errorem diſſolvam tibi.
Ut, contra ſi quis ſentiat, nil ſentiat.
Cæcilio palmam Statio do Comico.
PLAUTUS ſecundus facilè exſuperat cæteros.
Dein Nævius, qui ſervet, pretio in tertio eſt.
At ſi quid quarto detur, dabitur Licinio:
Attilium poſt Licinium facio inſequi.
In ſexto conſequetur hos Terentius.
Turpilius ſeptimum, Trabea octavum obtinet.

Nono loco eſſe facilè facio Luſcium.
Antiquitatis cauſsâ decimum addo Ennium.

PLINIUS NEPOS, lib. I. Epiſt. XVI.

LEGIT mihi nuper epiſtolas, quas uxoris eſſe dicebat: PLAVTVM vel Terentium metro ſolutum legi credidi.

QUINTIL. Inſt. Orat. lib. x. cap. I.

IN Comœdia maximè claudicamus: licet Varro dicat, Muſas (*L. Ælii Stilonis ſententiâ*) Plautino ſermone locuturas fuiſſe, ſi Latinè loqui vellent.

AGELLIUS Noct. Att. lib. I. cap. VII.

PLAUTUS verborum Latinorum elegantiſſimus, in Amphitruone dixit: Numero mihi in mentem fuit.

Idem lib. III. cap. III.

Verum eſſe comperior, quod quoſdam benè litteratos homines dicere audivi, qui pleraſque Plauti Comœdias curiosè atque contentè lectitaverunt, non indicibus Ælii, nec Sedigiti, nec Claudii, nec Aurelii, nec Accii nec Manilii, ſuper his Fabulis, quæ dicuntur ambiguæ, credituros, ſed ipſi Plauto moribuſque ingenii atque linguæ ejus. hâc enim judicij normâ Varronem quoque eſſe uſum videmus: nam præter illas unam & viginti quæ Varronianæ *vocantur: quas idcircò cæteris ſegregavit, quoniam dubioſæ non erant, ſed conſenſu omnium Plauti eſſe cenſebantur; quaſdam item alias probavit adductus ſtilo atque facetiâ ſermonis Plauto congruentis: eaſque jam nominibus aliorum occupatas Plauto vindicavit: ſicuti iſtam, quam nuperrimè legebamus, cui eſt nomen,* Bœotia: *nam cum in illis unâ & viginti non ſit, & eſſe Aquilij dicatur, nihil tamen Varro dubitavit, quin Plauti foret; neque alius quiſquam non infrequens Plauti lector dubitaverit, ſi vel hos ſolos verſus ex eâ Fabulâ cognoverit: qui quoniam ſunt, ut de illius more dicam, Plautiniſſimi, propterea & meminimus eos & adſcripſimus. Paraſitus ibi eſuriens hæc dicit:*

Ut illum dî perdant, primus qui horas repperit, &c.

Favorinus quoque noſter, cùm Nervolariam *Plauti legerem, quæ inter incertas eſt habita, & audiſſet ex eâ Comœdiâ verſum hunc,*

Strateæ, ſcrupedæ, ſtrativolæ, ſordidæ;

delectatus facetâ verborum antiquitate meretricum vitia atque deformitates ſignificantium: Vel unus hercle, inquit, hic verſus Plauti eſſe hanc Fabulam ſatis poteſt fidei feciſſe. Nos quoque ipſi nuperrimè cùm legeremus Fretum (*nomen eſt id Comœdiæ, quam Plauti eſſe quidam non putant*) *haud quidquam dubitavimus quin Plauti foret, & omnium maxime genuina, ex qua duos hos verſus exſcripſimus; ut hiſtoriam quæreremus Oraculi arietini:*

———Nunc illud eſt,

Quod arietinum reſponſum magnis Ludis dicitur :
Peribo, ſi non fecero; ſi ſaxo, vapulabo.

Marcus autem Varro in libro De Comœdiis Plautinis primo verba hæc ponit : Nam nec *Gemini* , nec *Lenones* , nec *Condalium* , *nec Anus* Plauti, nec *Bis compreſſa* , nec *Bœotia* unquam fuit, neque adeò Ἄγροικος, *neque Commorientes* ; ſed M. Acutici. *In eodem libro Varronis id quoque ſcriptum eſt, Plautium fuiſſe quempiam Poëtam Comœdiarum : cujus quoniam Fabulæ Plauti inſcriptæ forent, acceptas eſſe quaſi Plautinas : cum eſſent non à Plauto Plautinæ, ſed à Plautio Plautianæ. Feruntur autem ſub Plauti nomine circiter centum atque triginta. Sed homo eruditiſſimus L. Ælius quinque & viginti eſſe ejus ſolas exiſtimavit: non tamen dubium eſt, quin iſtæ, & quæ ſcriptæ à Plauto non videntur, & nomini ejus adducuntur, veterum Poëtarum fuerint, & ab eo retractatæ & expolitæ ſint : ac propterea reſipiant dictum Plautinum. Sed enim* Saturionem & Addictum , *& tertiam quandam , cujus nunc mihi nomen non ſuppetit, in piſtrino eum ſcripſiſſe Varro , & plerique alii memoriæ tradiderunt , cùm pecuniâ omni, quam in operis artificum Scenicorum pepererat, in mercationibus perditâ , inops Romam rediiſſet ; & ob quærendum victum ad circumagendas molas , quæ truſatiles appellantur, operam piſtori locaſſet. Sicut de Nævio quoque accepimus, Fabulas eum in carcere duas ſcripſiſſe,* Hariolum & Leontem &c.

Idem lib. VII. cap. XVIII.

PLAUTUS homo linguæ atque elegantiæ in verbis Latinæ princeps.

Idem lib. XVII. cap. XXI.

AC DEINDE annis ferè poſt quindecim , bellum adverſus Pœnos ſumptum eſt : atque non nimium longè M. Cato Orator in civitate , & PLAUTUS Poëta in Scenâ floruerunt.

Idem lib. XIX. cap. XXII.

QUANDO Plautus linguæ Latinæ decus, delitiam *quoque* ἑνικῶς *dixerit , pro delitiis* : Mea , *inquit* , voluptas, mea delitia.

Macrobius Saturn. lib. XI. cap. I.

Et jam primùm animadverto duos , quos eloquentiſſimos antiqua ætas tulit, Comicum PLAUTUM & Oratorem Tullium : eos ambos etiam ad jocorum venuſtatem cæteris præſtitiſſe, PLAUTUS quidem eâ re clarus fuit, ut poſt mortem ejus Comœdiæ, quæ incertæ ferebantur, Plautinæ tamen eſſe de jocorum copiâ noſcerentur.

D. Hieronymus in Epiſt. ad Pammachium.

HÆC eſt Plautina elegantia , hic lepos Atticus, & Muſarum, ut dicunt, eloquio comparandus.

Idem, Epiſt. ad Pammach. De opt. genere interpretandi.

TERENTIUS Menandrum, PLAUTUS & Cæcilius veteres Comicos interpretati ſunt. Nunquid hærent in verbis, ac non decorem magis & elegantiam in tranſlatione conſervant, quàm veritatem interpretationis?

Idem ad Euſtochium, De cuſtodiâ Virginitatis.

ITAQUE miſer ego lecturus Tullium jejunabam. Poſt noctium crebras vigilias, poſt lacrymas, quas mihi præteritorum recordatio peccatorum ex imis viſceribus eruebat, PLAUTUS *ſumebatur in manus.*

Idem, adverſus Ruffinum.

AUDIO præterea te quædam de epiſtolâ meâ philoſophicè carpere, & hominem rugoſæ frontis adductique ſupercilij PLAUTINO *in me ſale ludere, eò quòd Barrabam Judæum dixerim præceptorem meum.*

Idem, in EUSEBII Chronico.

OLYMP. CXLV. PLAUTUS *ex Umbriâ Sarſinas Romæ moritur, qui propter annonæ difficultatem ad molas manuarias piſtori ſe locaverat ibi, quoties ab opere vacaſſet, ſcribere Fabulas ſolitus & vendere.*

RUFFINUS, in D. Hieronymum.

CUM ad hæc omnia quæ ſuprà diximus, etiam illud addatur, ubi ceſſat omne commentum, quod in monaſterio poſitus in Bethlehem antè non multo tempore partes Grammaticas exſecutus ſit, & Maronem ſuum, Comicoſque ac Lyricos & Hiſtoricos auctores traditis ſibi ad diſcendum Dei timorem pueris exponebat.

Quinam iſti Comici ſint, paulò pòſt exprimit.

QUAERO, ſi vel Flaccus tuus, aut Maro, ſi Plautus Comicus aut Terentius certè, ſi aut Satyricus quis, &c.

Idem ibidem.

SIC, dum totus Plautinæ & Tullianæ cupis eloquentiæ ſectator videri, oblitus es, quomodo Apoſtolus omnem Eccleſiam &c.

IDEM ad Domnionem.

PUTO quòd puer legeris Aſpri in Virgilium & Salluſtium Commentarios, Vulcatij in Orationes Ciceronis, Victorini in Dialogos ejus, & in Terentij Comœdias Præceptoris mei Donati, æquè in Virgilium; & aliorum in alios, PLAUTUM, *Lucretium, Flaccum, Perſium atque Lucanum. Argue Interpretes eorum, quare non unam interpretationem ſequuti ſint, & in eâdem re quid vel ſibi vel aliis videatur enumerent.*

D. Aurel. Auguſt. lib. II. cap. XII. De Civitate Dei.

INDIGNUM videlicet fuit, ut Plautus *aut Nævius Publio & Cneo Scipioni, aut Cæcilius M. Catoni malediceret: & dignum fuit ut Terentius veſter flagitio Jovis opt. adoleſcentium nequitiam concitaret.*

C. Sollius Sidon. Apollinaris, Panegyrico ad Anthemium Auguſtum.

QUA Criſpus brevitate placet, quo pondere Varro,
Quo genio Plautus, *quo flumine Quintilianus!*

Idem Carmine XXIII.

ET te tempore qui ſatûs ſevero
Grajos, PLAUTE, ſales lepore tranſis.

SERVIUS HONORATUS ad I. Æneid.

DE numero librorum nulla hîc quæſtio eſt, licet in aliis inveniatur auctoribus. nam PLAUTUM alij dicunt ſcripſiſſe Fabulas viginti unam, alij quadraginta, alij centum.

DE PLAUTO ET EJUS SCRIPTIS

autorum recentiorum teſtimonia.

Joſephus Scaliger.

P*LAUTUM emendatum dare, non cujusvis eſt: & cujus eſt, ejus & magna laus eſt.*

Lœlius Patavinus.

Mihi *decretum eſt, dum litteræ & artes bonæ florebunt, floridam ſemper eorum famam futuram, qui in* Plautinis *Fabulis, Muſarum, ut Veteres, & minime ſuſpecti judices volebant, eloquio comparandis, ſtudium & induſtriam ſuam poſuerunt.*

Cælius Rhodiginus.

Plautus *Poëta doctiſſimus juxta & feſtiviſſimus. Certe non ſuper-*

ſiciaria eſt ejus eruditio, ſed intercutanea prorſus, & quæ vulgariâ ſpecie ſæpiſſime fallat.

Jul. Cæſar Scaliger.

PLAUTINÆ *dictionis genus non eſt noſtrum emendare, qui illi ſane barbari ſumus: aut ſi Latini, Latini certe illius beneficio. Numeros non deſideramus. Antiquas dicendi figuras non niſi inepti carpere auſint. Erant enim Romæ tum Atticiſmi, quos curioſius ſæculum poſtea eſt aſpernatum.*

Joach. Camerarius.

PRÆCLARE *& utiliter opera ſumitur ab iis; quorum provincia eſt litterarum doctrina, in explicatione* PLAUTINORUM *ſcriptorum, præcipue ſi Latina lingua diſcenda ſit.* PLAUTINA *enim ſcripta quominus cura quaſi concinnata, & arte elaborata ſunt, eo manifeſtiùs & certiùs in his*, proprietas & natura Linguæ Latinæ conſpicitur, *&c.*

Hadr. Turnebus.

PLAUTUS valdè elegans Latinuſque Comicus.

P. Victorius.

PLAUTUS eruditus Auctor; ac mirùm in modum ſermoni Latino utilis.

Jacobus Sadoletus.

PLAUTUS fortaſſe licentior; ſed tamen, quid eo ad locupletandam Latinam orationem, & facilitatem ſermonis, copiamque verborum poteſt eſſe utilius?

Ci. Chifletius.

Melior Antiquitatis Autore non utimur, quàm PLAUTUS eſt, ille Muſarum ſermone locutus.

J. Lipſius.

PLAUTUS ille ſcriptor eſt, qui puritatem, qui proprietatem ſermonis ſuppedites: ille qui urbanitatem, jocos, ſales, & eam Atticorum venerem ſufficiat, quam fruſtra in reliquo Latino quæras.

IDEM.

PLAUTUS illud delicium, ille; ut ſic dicam, pullus Romanæ Muſæ, in litterarum quaſi penetrali eſt, quo nonniſi initiati accedant; & qui à ſe ſpernat prophanum vulgus & arceat.

ITEM.

PLAUTUS decima Muſa.

IDEM nemo PLAUTUM amat, quem non melior Muſa & Phœbus.

IDEM PLAUTUS Muſarum & Gratiarum hortus.

Obert. Giſanius.

Captivus loquendi Magiſter, PLAUTUS.

Iſaac Caſaubonus.

Ingenioſiſſimus & facetiſſimus Poëtarum PLAUTUS.

Joh. Murſius.

QUI Plautum Comœdiæ Latinæ parentem deſpectui habent de Apulei mihi proſapia videntur: id eſt, inter Aſinos præcipui; nam aureus ille fuit.

DESCRIPTIO THEATRI ROMANI ET GRÆCI, E Julio Cæſare Bulingero.

DUÆ præcipuæ ſunt Theatri partes, Scena & Cunei. Scena triplex eſt, Tragica, Comica, Satyrica. In Scena tres portæ; media, ubi regiæ aulæ; ſiniſtra, & dextera, ubi humiliora ædificia. Utrimque ad mediam portam aliæ duæ portæ fuere, quarum valvis affixæ machinæ περίακτοι. In imâ Scenâ aditûs & Scalaria, quibus in ſuperiorem Scenam aſcenderetur. Poſt Scenam porticus, ubi choragia laxamentum haberent ad Chorum parandum. In Scena item Epiſcenia, Paraſcenia, Hypoſcenia, Proſcenium, Pulpitum, Machinæ, Aræ, ἠχεῖα, Columnæ, & alia pleraque. Epiſcenium Heſychio fuit, τὸ ἐπὶ σκηνῆς καταγώγιον, id eſt, domicilium ſuper Scenâ. Paraſcenia, αἱ εἰς τὴν σκηνὴν ἄγουσαι εἴσοδοι, id eſt, aditûs ad Scenam. Didymus aditûs eſſe vult utrinque in Orcheſtram, τὰς ἑκατέρωθεν τῆς ὀρχήστρας εἰσόδους. vel, ut Harpacratio, ὁ περὶ τὴν σκηνὴν ἀποδεδειγμένος τόπος ταῖς εἰς τὸν ἀγῶνα παρασκευαῖς, id eſt, locus circa Scenam, ubi ludi præparantur. Hypoſcenium in Græco theatro ſub thymele ſeu pulpito orcheſtræ fuit: de quo Athen. lib. 14. Aſopodorus Phliaſius Tibicine magno plauſu laudato, moratus adhuc in hypoſcenio: Quid hoc rei, inquit, διάπεινᾶν αὐτὸς ἔτι ἐν τῷ ὑποσκηνίῳ. Scenam Iſidorus eſſe vult infra theatrum, meo animo minus bene: cùm Vitruvius lib. 5. cap. 7. ſcribat, *Tectum porticûs quod eſt in ſummâ gradatione, cum Scenæ altitudine libratum perfici oportere*: id eſt, Scenæ altitudini exæquandum eſſe. Ita autem interdum Scena exaggerata fuit, ut tres Scenæ aliæ aliis impoſitæ eſſent, quam tertiam ἐπίσκηνον Vitruvius vocat, parietibus ſuffultæ, & in imo, medio, ſummo, variis ornatæ columnis, nonnumquam uſque ad trecentas. *Longitudo Scenæ eſt, ut ab uno cuneorum cornu ad alterum cum coperturâ ducatur, & dimidiâ parte longitudinem orcheſtræ ſuperet. Proſcenium locus patens & liber fuit in fronte Scenæ*, ait Iſid. in quo actores hiſtrioniam agebant, quorum etiam imagines in proſcenio poſitæ: C. Theod. lib. 15. t. 7. Diomedes lib. 3. *Mimi Latinè Planipedes dicti, quòd actores planis pedibus, id eſt, nudis proſcenium introirent, non ut Tragici actores cum cothurnis, neque ut Comici cum ſoccis. Olim non in ſuggeſtu Scenæ, ſed in plano orcheſtræ poſitis inſtrumentis Muſicis agitabant.* Suggeſtus ille Scenæ vocatus à Vitruvio *pulpitum proſcenii*, quia infra Scenam proſcenium fuit, pul-

pitum autem quinque pedes altum ſupra proſcenium. Itaque Scena pulpito eſt altior; pulpitum proſcenio; proſcenium orcheſtrâ. Servius lib. 2. Greg. ait, *Proſcenia fuiſſe pulpita ante Scenam, ubi ludicra exercentur*. Per proſcenium in Scenam aſcenſum fuiſſe, docet Syneſ. lib. 2. de Provident. εἴ τις εἰς τὴν σκηνὴν εἰσβιάζοιτο διὰ προσκηνίου, &c. Certè in Græcia Scena proſcenio altior fuit; proſcenium pulpito; quod in orcheſtra decem pedes altum: pulpitum ipſum orcheſtrâ altius, quæ cùm imis gradibus exæquabatur, & Scenâ brevior fuit longitudinis dimidiâ parte. In proſcenio fuerunt Aræ: ut Plaut. indicat in Amphitr. Prolog.

Etiam hiſtriones annò cùm in proſcenio hic
Jovem invocarunt, venit.

Item ædificia, eodem teſte, in Trucul. Prolog.

Athenæ iſtæ ſunt, ita ut hoc eſt proſcenium,
Tantiſper dum tranſigimus hanc Comœdiam

E proſcenii faſtigio actores, qui in pulpito erant, ſpectari poterant, ut Sueton. in Neron. cap. 12. Tragœdi igitur & Comici in pulpito proſcenii Romæ agebant, Thymelici in proſcenio aut pulpito ipſo, ut ſcribit Seneca ep. 84. &, *Ex pulpito*, inquit, *omne tibiarum genus organórumque conſonuit*. Pulpitum ideo Romæ latius quàm in Græciâ fuit, *Quòd omnes Romæ artifices in Scenam dant operam*, ut Vitruvius lib. 5. cap. 6. ait. Athen. lib. 14. Ludis, inquit, quos Luc. Anicius Rom. exercitûs Imperator edidit in Circo ampliſſimâ Scenâ extructâ, tibicines omnes in proſcenio conſtituit, ut unà cum Choro canerent. Apud Græcos verò, ut Vitruvius lib. 5. cap. 8. *Tragici & Comici in Scena peragunt, reliqui autem artifices ſuas per orcheſtram præſtant actiones*. Orcheſtra autem, in quâ *ſenatorum ſunt ſedibus deſignata loca*, Romæ inter cuneos & Scenam interjecta erat, præducta muro pedem unum alto, quod *Podium* dicitur, qui columnis tres pedes altis ornabatur, quibus ſpectatores inniti poſſent. Ea erat graduum quatuor, aut quinque, alta pedes duodecim, longa dimidiam Scenæ partem. Gradus Orcheſtræ digniſſimus imus fuit, Podio proximus & Scenæ. Inter Podium & gradus Orcheſtræ fuit ſpatium aliquod latius; in quo ſellæ curules Magiſtratuum, tribunalia Editorum, ſedes Veſtalium, ſuggeſtûs & cubilia Imperatorum, ſellæ abſentibus repoſitæ, lictoribuſque Magiſtratuum, & viatoribus locus. Hi Orcheſtræ gradûs Suetonio *primi ſubſelliorum gradus* dicuntur, quos proximè ſequuntur Equeſtria.

Græcis amplior Orcheſtra fuit, Scena receſſior, minoréque latitudine pulpitum, quod *Logeum* appellant, in quo Thymelici canebant, chorus ſtabat, hiſtriones ſaltabant. Logæi altitudo pedum decem apud Græcos, cùm Romæ pulpitum proſcenii altum ſit pedes quinque. Orcheſtra ipſa primis gradibus altitudine exæquabatur. Ab eâ erant gradationes, quibus in Scenam aſcenderetur, aut deſcenderetur. Quare & Suetonius, *Ludis decimum Laberium ſeſſum in Quatuordecim è*

Scena

Scenâ per Orcheſtram tranſiiſſe, ſcribit in Julio, cap. 39. In Græciâ Orcheſtra licet extra Scenam procurrerit, cum Scena tamen conjuncta fuit, nec podio incluſa, ut Romæ, ſed obverſa imis gradibus, unde ſpectabant: cùm Orcheſtra Romæ initium graduum & cuneorum fuerit, Scenæ obverſa, ut à Senatoribus omnium agentium geſtûs ſpectari poſſent. Gradûs autem alii fuêre humiliores ad aſcenſum & deſcenſum, quas *gradationes*, & *ſcalaria*, ſeu *ſcalas*, & *ſcalarum gradûs* Vitruvius vocat: alii altiores, in quibus ſpectatoribus locus, & *in amfractu quaſi cathedræ*, ait Tertull. lib. de Spectaculis.

Gradus illi alti palmo pede & digitis ſex, lati duos pedes & ſemis; ita collocati, ut in imo acuti, ſurſum latiores cunei formam redderent, unde & *cunei* vocantur. Doctiſſimus Lipſius vult ſcalas ipſas cuneos vocari: *quia* inquit, *Scalarum directio talis, ut ab imo ordiens magis diffunderetur in altum, redderentque cunei formam.* Malè, meo animo, cùm Vitruvius lib. 5. cap. 7. dicat, *gradationes ſcalarum inter cuneos & ſedes dirigantur ad primam præcinctionem.* & ſpectatores in cuneis ſediſſe, certum fit. Sueton. Auguſto cap. 44. *Adſignavit prætextatis cuneum ſuum, proximum pædagogis.* Graduum initium Romæ à podio & orcheſtrâ, in quâ tres primi ſubſelliorum ordines Senatoribus attributi. Gradûs autem diſtincti erant tribus præcinctionibus, quæ graduum intervalla & diviſiones quædam in orbem fuerunt; unde & tres *caveæ* dictæ, quia fornicata graduum ſtructura erat in imâ, mediâ, ſummâ caveâ. In ſingulis gradationibus, & ſcalaribus erant aditûs, ſeu portæ & *vomitoria*, per quæ ab exterioribus porticibus venientes in ſedilia ſe funderent. *Aſcenſus ſcalaque*, ait Vitruvius, *inter cuneos ad primam præcinctionem*: item, *aditus in cornibus orcheſtræ ad inferiores ſedes, ubi itinerum ſupercilia. Gradus ſcalarum ad aſcenſum, erant alti ſemipedem, & unciam, lati duos pedes.* Quas vias fuiſſe arbitror, directas ab Orcheſtrâ ad Equeſtria, ubi deſinebant. Nam ab Equeſtribus ad Popularia erant aliæ viæ, quæ ibi deſinerent. Inde etiam aliæ viæ, à Popularibus ad ſuperiorem porticum, & tectum quæ ſumma cavea fuit Calpurnius,

Nam quæcunque patent ſub aperto libera cœlo,
Aut Eques aut nivei loca denſavêre Tribuni.

In ſingulis præcinctionibus cunei ſecabantur lateralibus viis, & dividebantur præcinctionem itineribus. E porticibus ſuperioribus tenuiores ſpectabant, quam τὴν ἀνωτάτω θεάτρου ἁψῖδα Dio vocat. Eæ porticûs fuere cum tecto, ut Solis ardorem defenderent, ideoque dicuntur Tertull. lib. de Spectaculis, cap. 20. *Apulia*, ἀπὸ τοῦ ἡλίου, quaſi *à Sole averſus* dicas: ut *Solaria* & *Heliocamini* Soli exponuntur. Hæc mea mens de totâ theatri conformatione. Si quid ſecus ſcriptum à nobis, dictúmve eſt, inſcriptum, indictúmque eſto.

DE SCENA E LILIO GREGO. GYRALDO.

Erat vero Scena antiquis umbraculum ex arborum frondibus umbræ

cauſa à ruſticis conſtitutum, id quod σκιὰ ſignificat: ubi feſtis diebus convenientes, diverſa ludorum & jocorum genera exercebant: id quod & hodie in pagis multis in locis ſervari videmus. Hac de re Caſſiodorus libro variarum lectionum quarto ſic ait: *Theatri frons Scena dicitur, ab umbra luci denſiſſima, ubi à paſtoribus inchoante verno tempore, diverſis ſonis carmina canebantur: ibi actus muſicus & prudentiſſimi ſeculi dicta floruerunt.* Tria tamen poſtea facta ſunt Scenarum genera, ut auctor eſt Vitruvius: unum Tragicum, alterum Comicum, tertium Satyricum: quorum ornatus inter ſe diſſimili erant diſparique ratione. namque Tragicæ deformatæ columnis fuerant, & faſtigiis, & ſignis, reliquiſque regalibus rebus: Comicæ autem, ædificiorum privatorum & mœnianorum habent ſpeciem, proſpectuſque feneſtris diſpoſitos, imitatione & communium ædificiorum ratione. Agatharchus Athenis dicitur, Aeſchylo tragædiam docente, Scenam hujuſmodi feciſſe, & de ea commentarium reliquiſſe.

Ex eo moniti Democritus & Anaxagoras de eadem re ſcripſerunt, quemadmodum oporteat ad aciem oculorum radiorumque extenſionem, certo loco centro conſtituto, ad lineas ratione naturali reſpondere, uti de incerta re certæ imagines ædificiorum in Scenarum picturis redderent ſpeciem: & quæ in directis planiſque frontibus ſint figurata, alia aſcendentia, alia prominentia eſſe videantur. Et ego conſtructas hujuſmodi ligneas, cum Romæ aliquando, tum Ferrariæ conſpexi. At vero Satyricæ Scenæ ornantur arboribus, ſpeluncis, montibus, reliquiſque agreſtibus rebus, in topiarii ſpeciem deformatæ, ut ait Vitruvius. Quare Horatius cum Satyrographos ſignare vellet, ſic in poëtica cecinit:

Sylvis deducti caveant me judice fauni, &c.

Fuerant præterea aliæ Scenæ temporariæ, aliæ ſtabiles, tum etiam quæ verſiles ſeu verſatiles & ductiles dicebantur. Verſiles quidem, quæ ſubito totæ machinis quibuſdam convertebantur, & aliam picturæ faciem oſtendebant. Ductiles vero, tractis tabulatis, hac atque illac, ſpecies picturæ nudabat interior, ut Varro & Suetonius apud Servium teſtantur. Idem innuit illo verſu Virgilius:

Vel Scena ut verſis diſcedat frontibus.

Mitto vobis hoc loco, quæ portentoſiſſima ſcribit Plinius c. 36. naturalis hiſtoriæ, de theatris & Scenis Scauri & Curionis: hic enim ex ligno, vertabili libramento quodam, ille ex marmore confecit; ne ab inſtituto diſcedam. Quod autem ante Scenam pulpitum erat, proſcenium vocabatur: Epiſcenium vero, Scenæ pars ſuperior. Vitruvius quidem de Scena apud Alabandenos ab Apaturio conſtructa: *præterea*, inquit, *ſupra eam epiſcenium*, &c. *Scena quidem hiſtrionum propria eſt*, ut inquit Pollux: *Orcheſtra vero chori, in qua erat thymele ſive pulpitum id eſſet, ſive etiam ara.* Hinc Vitruvius: *Ampliorem*, ait, *habent Orcheſtram Græci, & ſcenam receſſiorem, minoreque latitudine pulpitum, quod λογεῖον appellant: ideoque apud eos tragici & comici actores*

in ſcena peragunt, reliqui autem artifices ſuas per Orcheſtra præſtant actiones : itaque ex eo *ſcenici* & *thymelici* græcè ſeparatim nominantur. *Erant preterea periacti*, ut ait idem Vitruvius, *loca in ſcena ad ornatum comparata*, quorum & Plutarcus meminit & Pollux. Athenæus etiam ſellas στρεπτικὰς vocat, quaſi nos *verſiles* dicamus & *circumductiles* : qualibus hoc tempore utuntur podagrici ut noſtra illa de qua ſic in noſtro epigrammate:

Qua facili impulſu quovis referoque feroque,
Dum Plauta partes lubrica ſphæra facit.

Sed & *Bronteum* erat ſub Scena machina ad tonitru imitandum; unde & illi nomen : qualia & Latinis, ut Pompeius ſcribit, Claudiana tonitrua. Fuit & *Ceraunoſcopion* in altiore eminentiorique Scenæ loco, ad fulmina imitanda, à quibus & illi nomen græcè factum. Legimus & varia pægmata, automata, quæ ſponte & minimo impulſu agerentur : Itemque quæ *Neuroſpaſta* dicta ſunt, quorum meminit Gellius XIV. capite 1. item Athenæus & Ariſtoteles in libro de mundo ad Alexandrum, quem locum ita vertit, vel potius circunſcribit Apuleus: *Aſtutia unius converſionis multa & varia adminiſtrant, etiam illi qui in ligneolis hominum figuris geſtus movent : quando filum membri, quod agitari ſolet, traxerint, torquebitur cervix, nutabit caput, oculi vibrabunt, nec invenuſtè ſolum videbitur vivere.* hæc ille. Videor & me hujus dictionis meminiſſe apud Lucianum. Sed poſtquam in hæc ludicra Scenarum incidimus, alia nonnulla referam, quæ cum apud alios Græcos, tum maximè apud Pollucem in quarto legi. Fuit ergo Crade pægmatis ſpecies in comica tantum Scena : in tragica vero μηχανὴ hoc eſt, machina, qua in aëre Dei & Heroës agebantur, ut Perſeus & Bellerophontes. Tametſi quidam *Craden* hamum ferreum ſeu vinculum ſignificare ſcribant, quo in aëre pendere videntur, qui ita ſuſtolluntur, ut hodie quoque in celebritatibus fieri conſpicimus. Sed Pollux à ficus imitatione κράδη dictam autumat : nam κράδην inquit, ficum Attici vocant. Sed & de *Crade* eſt apud eos proverbium. *Theologium* quoque ſupra Scenam facere conſuevere, ubi Jupiter cæterique Dei in Tragediis ita agerentur, ut repentè apparere viderentur, & fabulæ finem afferre. Ariſtoteles meminit in Metaphyſic. & Cicero in primo de natura deorum. Sed hac de re longè plura Collegit in proverbio Eraſmus, *Deus ex improviſo apparens* : quo loco & nonnihil de μηχανὴ erat & *Geranon* machina, qua veluti Memnon ab aurora vel Endymion à una rapi videretur, talis ſcilicet qualis Martialis de lauro libro primo,

Raptus abit media quod ad æthera taurus harena

Aeora præterea funes vehementius intenti dicuntur, quibus ii ſuſtinentur, qui per aëra ferri videntur Heroës Deique. *Eccyclema* etiam pægmatis genus quo rotis circumacto, quæ intus agerentur, oſtendebantur. Erat & *Aero batica* machina ad ſcandendum in ſpectaculis idonea.

Et hæc quidem & alia pluta græci habuere: ego ad latina redeo. Claudius pulchet, ut Valerius ſcribit, Scenam primus varietate colorum adumbravit, vacuis ante pictura tabulis extentam: quam totam argento C. Antonius, auro Petreius, vel ut alii, legunt, P. Etelius, vel P. Beteus (adeo variant vetuſta exemplaria) ebore, Q. Catulus prætexuit. Verſatilem fecerunt Lucius & Cinna: locum quem argentatis cotagiis P. Lentulus Spinther adornavit. Sed & in hoc loco varii ſunt codices: quidam enim lucum, non locum habent. Scenæ autem ornamenta ſunt aulæa, peripetaſmata, ſiparia, vela, & velatia, chotagia, & id genus cætera. Ornabantur ad hæc & inſpergebantur Scenæ & theatra pleiunque floribus & croco, aquaque crocea, id quod Lucretius, Horatius, Propertius, Statius, Martialis, Seneca alii palam oſtendunt, Plinius: *Crocum*, inquit, *mirè congruit, præcipue dulci tritum, ad theatra replenda.* In Scena præterea ante fores, ut Pollux ſcribit, ara ponebatur quæ, *Halieus* dicta eſt. Sed & qui Comœdiam celebrant, in Apollinis honorem, quem Caſſius menander vocaſſe dicitur, aram conſtituere ſolitos legimus: hæc vero an ſit, neſcio, quæ comœdiæ ara vocabatur. Sed enim Donatus duas in Scena fieri aras ait: dextram, quæ Libero patri dicata erat: & ſiniſtram, quæ illi deo in cujus laudem ludi fiebant. Sed quoniam in ludorum mentionem incidimus, par eſt ut ludorum etiam genera, in quibus Fabulæ agebantur, vobis referam. Illudque in primis vos ſcire oportet, ludos apud latinos, religionis, non voluptatis cauſa fuiſſe inſtitutos: quod Livius & Valerius oſtendunt, & poſt hos Agellius, Auguſtinus. Ex qua re palam fit id quod à principio, Fabulas à rebus divinis incæpiſſe, non modo apud Latinos, ſed etiam Græcos: quod & Horatius innuit, cum de Tragœdia ageret & Satyris, *eo*, inquit, *quod*.

Illecebris erat, & grata novitate morandus
Spectator, functuſque ſacris & potus & exlex.

DE LUDORUM GENERIBUS EX EODEM.

Ludorum igitur in quibus Fabulæ recitabantur, quatuor apud Latinos genera Donatus enumerat, quos Aediles curules munere publico curare ſolebant: *Megalenſes*, qui & Romani, & Magni, & à circo *Circenſes* dicuntur, Magnis Deis conſecrati, quos ludos Græci μεγαλήσια appellant: *Funebres*, ad retinendum populum inſtitutos, dum pompa funeri decreta in honorem patricii viri plenè inſtrueretur: *Plebeios*, qui pro ſalute plebis luduntur: *Apollinares*, Apollini conſecrates. quorum ludorum omnium apud ſcriptores, & imprimis Livium, eſt crebra mentio. *Honorarios* etiam ludos Suetonius nominat: *triginta*, inquit, *amplius dies, qui honorariis ludis occupabantur, actui rerum accommodavit.* Honorarios vero ludos alio nuncupari no-

mine *Liberalia*, docet feſtus : dicti quidem videntur, ut jus dicitur Honorarium, prætorium. Fuerunt & ludi *Attellani*, ab Oſcis acciti, ut Valerius docet. Thraſylus quoque apud Græcos ait *Tragicos & Scenicos* poëtas certaſſe *Dionyſiis*, *Lenæis*, *Panathenæis & Chitris* : quorum hoc ultimum Satyricum fuit, & propterea à numero τετραλογία vocata eſt apud Laertium. Hinc & quidam Tragœdiam, quaſi τετραγωνίαν dictam putant, ut ex Iſaacio recitavimus, quaſi quatuor certaminum. Hinc & τεσσαρολόγια τετράλογια ποιήματα. Porro in Alexandria à Ptolomæo rege Muſis & Apollini ludi conſtituti, in quibus, ut ait Vitruvius ſcribentium poëtarum certamina fiebant : ut Græcorum celebratiſſimos mittam Olympicos Atheneos Iſthmicos & Pythicos certamina id quod & in primo dialogo latius docuimus. Fuerunt & apud Latinos alii ludi, ut *votivi*, *compitalitii*, & *ſeculares* : ſed non omnia complecti poſſumus.

DE SCENICO ORNATU EX EODEM.

Reſtat jam ut de veſtitu habituque Scenico nonnihil agamus : eo enim pro qualitate vel perſonæ inductæ, vel diſcretione, vel moribus uti convenit. Hinc ulyſſem palliatum ſemper inducunt, ſive quod inſaniam aliquando ſimulavit, quo tempore tectus eſſe voluit, ne agnitus cogeretur in bella prodire ; ſeu ob ſingularem ſapientiam, qua tectus munituſque plurium ſociis profuit : hujus enim virtutis erat, animi ſemper decipientis ingenium. Nonnulli Ithacæ incolas, ſicut Locros palliatos fuiſſe commemorant. Achillis ſive Neoptolemi perſonæ diademata habebant, quamvis regalia ſceptra nunquam tenuerint: cujus argumenti probatio inducitur, quod nunquam cum reliqua Græciæ juventute ad gerenda cum Trojanis bella, ſacramenta conjurationis inierunt, nec unquam ſub Agamemnonis imperio fuerunt. Comicis ſenibus candidus veſtitus inducitur, quod is antiquiſſimus fuiſſe memoratur. Adoleſcentibus diſcolor attribuitur : ut vero Pollux ait, purpureus. Servi Comici amictu exiguo conteguntur, paupertatis antiquæ gratia, vel quo expeditiores agant. Sext. Pompeius tales ferme veſtes, *exomidas* vocat *Comicas*, quod exertis ſit humeris. Polluci vero veſtiuntur alba tunicula, quæ Græcè ἐγκόμβωμα dicitur. *Paraſiti* cum intortis palliis veniunt, Jullio Polluci cum nigris vel phæis, hoc eſt fuſcis : præterquam in Sicyonio, cui datur album, quod ipſe ſit ducturus uxorem. Lœto veſtitus candidus, ærumnoſo obſoletus, diviti purpureus, pauperi phœnicæus datur, militi chlamys purpurea, puellæ habitus peregrinus inducitur. Leno pallio varii coloris utitur, cui virgam rectam in manu dat Pollux. Meretrici ob avaritiam luteum veſtimentum eſt attributum. Lenæ & meretricum matres tæniam ſeu vittam purpuream habent circum caput: anus vero veſtes melinas, ſeu aëreas : præter ſacerdoes, quibus albæ attributæ ſunt. Sanè non modo Co-

micæ & Tragicæ veſtes diſtinctæ, eſſe debent, ſed etiam thymelicæ & Citharædicæ quarum crebra mentio apud ſcriptores. Sed & juriſconſultus Calliſtratus has contineri veſtis appellatione cenſet, libro quarto de cognitionibus. Cætera hujuſmodi haud exequi par eſt: magis neceſſaria vobis retuli: ſi plura vultis, Pollucem adite. *Syrmata* dicta ſunt ab eo quod trahuntur: quæ res trahendi ſcilicet veſtes, ob Scenicam luxuriam inſtituta eſt. Eadem in luctuoſis perſonis incuriam, ſui per negligentiam ſignificant. Sunt & calceamenta, *Socci* & *Cothurni* ἀμβάδιον & ἐμβάται à Grecis nuncupata, ut idem Pollux ſcribit. Hammonius: *Embades*, inquit, *Comica ſunt calceamenta*, *embata*, *tragica*. Idem & Thomas Magiſtri: qui & illud ait, ἀμβάδια ſimpliciter calceamenta ſunt. Ariſtophanes in Pluto: τοῖς ἐμβαδίοις τις χρώσεται hoc eſt qui calceamentis utetur. ὁ ἔμβατα ὁ ἐμβάται idem ait Thomas, tragica ſunt calceamenta. In aliquibus etiam Fabulis crepidis utebantur, quæ crepidatæ dictæ ſunt, ut ante relatum eſt, tametſi etiam Græcorum Philoſophorum crepidæ vocantur. Aulæa quoque humi in ſcena ſternebantur. Erat autem aulæum, ornatus pictus ex Attalica regia Romam uſque perlatus, pro quibus ſuppara, ætas poſterior accepit. Eſt autem minutum velum, quod populo obſiſtit. Plerique apud Donatum non *ſupparum* legunt, ſed *ſiparium*; quod teſte Feſto genus veli eſt minimum. Utitur hac voce M. Cicero, Quintilianus, Seneca, Juvenalis, & Apuleus quod recordor. Sunt & qui non *ſiparium*, ſed *ſupparium* vocent. Porro de velis alia plura in noſtris navigiis retulimus. De perſonis ratus ſum nihil mihi dicendum, etſi in his deſcribendis multis verſibus uſum eſſe Pollucem videmus, qui tragicas, ſatyricas, & Comicas ſeorſum narrat. Hoc tantum non mittam, me apud Dioſcordem legiſſe, Arcion herbam ab aliquibus appellatam proſopida & proſopion, à Romanis perſonaciam: quo loco ab interprete notatur moris fuiſſe antiquis ante perſonarum luſum hac herba, quoniam lata ut Cucurbita habet folia, pro perſona uſos fuiſſe, unde & illi nomen. Vidimus & nos hoc tempore paganos aliquando hac ipſa perſona faciem obtegere, itáque riſus ſpectantibus ciere. Porro perſonarum inventionem Diomedem & Grecorum pleroſque Theſpidi, alios nonnullos Æſchylo attribuiſſe legimus; id quod in imaginibus explicandis planius percipietis. Ariſtoteles tamen in poëtica, perſonas & prologos & hiſtrionum multitudinem, quis protulerit, & hoc genus cætera, ignorari ſcribit. Sanè *Mæſon* perſona comica appellatur, ut coci, aut nautæ, aut ejus generis, dicta ab inventore eius Mœſone comœdo, ut Ariſtophanes grammaticus & Feſtus tradunt. Alii *Mæſona* ſcribunt hiſtrionem comicum quempiam fuiſſe Megarenſem, eundemque primum perſonam excogitaſſe, quę & *Mæſon* ab eo eſt vocata. Scommata quoque quibus mordaces id genus homines utuntur, mæſonica ſunt appellata. Idem habet & Atheneus.

Lucianus vero in quadam ſaturnalium epiſtola, in comœdiis ait per-

ſonas quaſdam induci ſolitas, quæ barbam promiſſam in acutum haberent in cunei ſpeciem, a qua re nomen factum illis σφηνοπωγώνους quaſi dicatis *cuneibarbi*. Illud præterea in fabulis obſervandum, ut quæ latinè ſcribuntur, hoc eſt latino argumento, per pauciores agantur perſonas, quam quæ græcè: quod Aſconius Pædianus diligenter annotavit. Sed & illud attendendum ut hiſtrionibus aliiſque perſonis introductis nomina imponantur, quæ convenientia aliqua ratione ſint, etymologiamque habeant fabulæ, vel perſonæ congruam: id quod parum obſervarunt noſtris diebus quidam qui fabulas docuerunt. Eſt enim abſurdum, ut ait Donatus, Poëtam apertè argumenta confingere, vel nomen perſonis incongruum dare, vel Officium quod ſit à nomine diverſum.

Hinc ſervus fidelis Parmeno, ſalutifer Soſia, infidus Syrus & Geta juvenis Pamphilus, & id genus plura: in quibus ſummum Poëtę vitium, ſi quid è contrario repugnans diverſumque protulerit, niſi per contrarium ridendo, ut Miſargyros apud Plautum trapezita, Ariſtoteles & ipſe in Poëtica ſubobſcurè de hac nominum impoſitione in Comœdia & Tragœdia præcepit, ſed ita ut vix intelligatur. Fabulis etiam imponenda ſunt nomina, quę vel à loco vel facto, vel eventu, vel vocabulo ducantur. Porrò & apud antiquos quinque judicibus dabatur negocium, ut de Comicorum fabulis pronunciarent, ut Epicharmus apud Zenodotum parœmiarum ſcriptorem teſtis eſt: unde illud exiit ἐν πέντε κριτῶν γούνασι κεῖται; hoc eſt in quinque judicium genibus jacet.

NONNULLA:

De Comœdia & Tragœdia ex Hephæſtione, Terentiano, Donato; Diomede & L. Victore Fauſto ſcitu neceſſaria.

Drama ſive Fabula quid, & ejus ſpecies.

Dramata dicuntur Tragica, aut Comica παρὰ τὸ δρᾷν, id eſt, agere. Latinè *fabula* appellantur, ſive *factubula*, in Latinis enim fabulis plura ſunt cantica quæ canuntur: vel à faciendo: nam & agi fabula, non referri ab actoribus dicitur. Itaque Horatius utraque ſignificatione interpretatur, cùm ita de fabula dicit,

Aut agitur res in Scenis, aut Acta refertur.

Fabula ſi Græcum argumentum ſive apparatum habeat, *Palliata*, ſi Romanum, *Togata*, nuncupatur: Palliata ſecundum ritus & habitus Palliatorum, id eſt, Græcorum. (Nam Græci ſupra tunicam pallium ferebant) Scenicis, atque Græcis argumentis habitum Palliorum deſiderat, quamvis in Latinum ſit verſa. Sic Togata ſecundum ritus & habitus hominum Togatorum, id eſt, Romanorum (Toga namque Romana eſt) Latinis argumentis Togam requirit. Fabulæ tam Palliatæ, quam Togatæ quatuor ſunt ſpecies. Tragœdia, vel Prætextata, Comœdia ſive Tabernaria, Satyra ſive Attellana, Mimus, aut Planipes.

Si Græcum ſit argumentum habitúſve. Palliatorum quatuor hæ ſpecies, Tragœdiæ, Comediæ, Satyræ ac Mimi nomen ſortiuntur : Prætextatæ verò, Tabernariæ, Attellanæ, & Planipedis, ſi Romanum fuerit, argumentum habitúſve Togatorum. Inter Tragœdiam igitur & Prætextatam hoc intereſt, quòd in Tragœdiis Hæroës ac Reges introducerentur; in Prætextatis autem Romani magiſtratus, duces Regéſve, aut Imperatores, qui prætexta omnes utebantur: atque in his Reipub. Romanæ negotia agebantur, ut perſonarum dignitate & argumentorum ſublimitate Tragœdiis ſimiles eſſent. Sic Tabernariæ humilitate perſonarum & argumentorum ſimilitudine Comœdiis erant pares: at habitu diverſæ. Comœdiæ Græcorum, Tabernariæ verò Latinorum ritus exprimebant, & perſonas. Communiter vocatæ ſunt Tabernariæ, quòd olim tabulis tegerentur. In his atque illis non magiſtratus regéſve, ſed humiles homines & privatæ domus inducuntur. Atellanæ etiam Latine (quæ à civitate Oſcorum Atella in qua primùm cœperunt, denominantur) à Satyris Græcis ſolo habitu differunt: in his enim Satyrorum, in illis ruſticorum perſonæ Satyris ſimiles, ac ridiculæ, ludendi, jocandique cauſa inducuntur, ut ſpectator inter res Tragicas Seriaſque Satyrorum quoque jocis & luſibus delectaretur; ut & Horatius ſentit his verſibus :

Carmine qui Tragico vilem certa it ob hircum,
Mox etiam agreſtes Satyros nudavit & aſper.
Incolumi gravitate locum tentavit, eo quod
Illecebris erat : & grata novitatè morandus,
Spectator,

Quarta ſpecies eſt quæ Græcè μῖμος, Latinè planipes dicitur. Mimus eſt ſermonis cujuſlibet motus ſine reverentia, vel factorum cum laſcivia imitatio. Mimus dictus, quaſi ſolus imitetur, & cùm alia Poëmata idem faciant, ſolus tamen quaſi privilegio quodam, quod fuit commune, poſſedit. Similiter atque is qui verſum facit, dictus ποιητὴς, cùm tamen artifices, qui æquè quid faciunt, non dicantur Poëtæ. Ideò autem Latinè Planipes, quòd actores planis pedibus, id eſt nudis, proſcenium introïrent, non ut Tragici actores cum cothurnis, neque ut Comici cum Soccis olim : non in ſuggeſtu Scenæ, ſed in plano Orcheſtræ poſitis inſtrumentis mimicis agitabant. Cujus Planipedis, Accius Togatarum ſcriptor ita in Ædilitia fabula meminit : *Datum eſt aurum, exultat planipes.* Si quas tamen ex Soccis fabulas fecerant, Palliati pronuntiabant. Togata prætextata, à Tragœdia differt. In Tragœdia Heroës introducuntur. Pacuvius Tragœdias nominibus heroïcis ſcripſit, Oreſten, Chryſen, & his ſimilia. Item Accius: in prætextata autem ſcribetur Brutus, vel Decius vel Marcellius. Togata Tabernaria à Comœdia differt, quod in Comœdia Græci ritus inducuntur, perſonæque Græcæ, Laches, Soſtrata, in illa verò Latinæ. Togatas Tabernarias in Scenam ductaverunt

præcipuè

præcipuè duo, Afranius & Quintus Ennius. Nam Terentius & Cæcilius Comœdias ſcripſerunt. Latia Attellana à Græca Satyrica differt, quòd in Satyrica ferè Satyrorum perſonæ inducuntur, aut ſi quæ ſunt ridiculæ ſimiles Satyris, Autolycus, Burris; in Attellana, obſcœnæ perſonæ, ut Marcus. Hoc tenendum, Comœdiæ nomen cùm ſit fabulæ altera ſpecies, generatim ſæpe pro fabula uſurpari: unde Togatæ Comœdiæ in Prætextatas & Tabernarias dividi dicuntur. Togatas autem, cùm ſit generale nomen, ſpecialiter tamen, pro Tabernariis non modò communis error uſurpat, quia Fannius Togatas appellat, ſed & Poëtæ, ut Horatius, qui ait,

Vel qui Prætextas, vel qui docuere Togatas.

Initio Togatæ Comœdiæ dicebantur, quòd omnia in publico honore confuſa cernebantur. Fabula generale nomen eſt. Ejus duæ primæ partes ſunt, Tragœdia & Comœdia. Si Latina argumentatio ſit, Prætextata dicitur. Comœdia autem multas ſpecies habet: Aut enim Palliata eſt, aut Togata, aut Tabernaria, aut Attellana, aut Mimus, aut Rhyntonica, aut Planipedia. Planipedia autem dicta ob humilitatem argumenti ejus, ac vilitatem actorum, qui non cothurno aut ſocco utuntur in Scena, aut pulpito, ſed plano pede: vel ideò quod non ea negotia continet, quæ perſonarum in turribus, aut in cœnaculis habitantium ſunt, ſed in plano & humili loco. Perſonati primi egiſſe dicuntur Comœdiam Cincius & Faliſcus: Tragœdiam Minutius & Prothonius. Comœdiarum formæ ſunt tres, Palliatæ, Græcum habitum ferentes, quas nonnulli Tabernarias vocant. Togatæ juxta formam perſonarum, habitum Togarum deſiderantes Attellanæ, ſalibus, & jocis compoſitæ, quæ in ſe non habent niſi vetuſtam elegantiam. Illud verò tenendum eſt, poſt τὰν κωμῳδίαν Latinos multa fabularum genera protuliſſe: ut Togatas à Scenicis, atque argumentis Latinis: Prætextatas, ab dignitate perſonarum, & Latina hiſtoria: Attellanas à civitate Campaniæ ubi actitatæ ſunt plurimæ: Rhyntonicas ab actoris nomine: Tabernarias, ab humilitate argumenti & ſtili: Mimos, ab diuturna imitatione vilium rerum, & levium perſonarum.

DE SCENICO HABITU.

Scenicus habitus, eſt indumenti genus, quo utebantur Scenici, ut alter ab altero dignoſceretur. Hinc Ulyſſem Palliatum ſemper inducunt: ſive quod aliquando inſaniam ſimulavit, quo tempore tectum ſe eſſe voluit, ne agnitus cogeretur in bella prodire, ſeu ob ſingularem ſapientiam, qua tectus munitúſque plurimum ſociis profuit. Hujus enim virtutis erat, animi ſemper decipientis ingenium. Nonnulli Ithacæ incolas, ſicut Locros, Palliatos fuiſſe commemorant. Achillis & Neoptolemi perſonæ diademata habent: quamvis regalia ſceptra nunquam tenuerint, cujus argumenti probatio talis induitur,

quòd nunquam cum reliqua Græciæ Juventute ad gerenda cum Trojanis bella, ſacramenta conjurationis inierunt, nec unquam ſub Agamemnonis imperio fuerunt. Comicis ſenibus candidus veſtitus inducitur, quod is antiquiſſimus fuiſſe memoratur. Adoleſcentibus diſcolor attribuitur, ut ſui ingenii mobilitatem præ ſe ferant. Servi Comici amictu exiguo conteguntur, paupertatis antiquæ gratia, vel quo expeditiores agant. Paraſiti cum intortis palliis veniunt. Læto, veſtitus candidus; ærumnoſo, obſoletus: purpureus, diviti; pauperi, Phœniceus datur. Militi chlamys purpurea; puellæ habitus peregrinus inducitur. Leno pallio varii coloris utitur. Meretrici ob avaritiam luteum datur. Syrmata dicta ſunt ab eo quòd trahuntur: quæ res ab Scenica luxuria inſtituta eſt. Eadem in luctuoſis perſonis incuriam ſui per negligentiam ſignificant. Aulæa quoque in Scena in terra ſternuntur, quòd pictus ornatus erat ex Attalica regia Romam uſque perlatus: pro quibus Siparia ætas poſterior accepit. Eſt autem minutum velum, quod populo obſiſtit, dum fabularum actus commutantur.

COMOEDIA QUID.

D. Comœdia, eſt fabula diverſa inſtituta continens, affectúmque civilium ac privatarum rerum: qua diſcitur quid ſit in vita utile, quid contrà evitandum. Comœdiam eſſe Cicero ait *imitationem vitæ, ſpeculum conſuetudinis, imaginem veritatis.* Livius Andronicus, qui primus Tragœdiam Togatam reperit, ait *Comœdiam eſſe quotidianæ vitæ ſpeculum*: nec injuria. Nam ut intenti ſpeculo veritatis lineamenta facilè per imagines colligimus: ita lectionem Comœdiæ imitationem vitæ, conſuetudiniſque non ægerrimè animadvertimus. DI. *Comœdia eſt privatæ civiliſque fortunæ ſine periculo vitæ, comprehenſio*; apud Græcos ita definita Κωμῳδία ἐστὶν ἰδιωτικῶν καὶ πολιτικῶν πραγμάτων ἀκίνδυνος περιοχή. E. Comœdia eſt Poëma demulcendis hominum mentibus, excutiendíſque potiſſimum cachinnis accommodatum. Hoc innuit Virgilius, & illi Græcorum, qui θάλειαν Muſam Comicis præſidere cecinerunt, quæ ſcilicet feſtivis pullulans jocis, ad riſum uſque delectet. Hoc etiam Ariſtoteles comprobavit, inquiens, *quod in turpitudine ridiculum eſt, Comœdiam imitari.* Quandoquidem illud imprimis Poëtæ rebus & verbis efficere conabantur: ipſa quidem re bifariam, videlicet, vel opinione ſua, vel alterius perſuaſione deceptas fingendo perſonas: deinde magna nomina, vel deos mortalium poſtremis componendo, ſicuti Plautus in Amphitryone Mercurium ſimulat agere Soſiam: vel contrà, quemadmodum in Ranis Ariſtophanis fabula, Xanthias vile mancipium Herculem agit. Verborum autem modis ſeptem Comici riſus excitabant: vel ſcilicet plura ſignificans verbum uſurpantes, quod Grammatici dicunt ὁμωνυμίαν: vel plura ſignificationis ejuſdem, quod vocant vel συνωνυμίαν proprium aliquod ludentes nomen, ea qui-

dem ratione, qua nos interdum oratorem dicimus aratorem, quod illi nuncupant παρωνυμίαν : vel eadem ſæpius non invenuſtè repetendo, quod appellant ἀδολεσχίαν : cujuſmodi eſt illud Ennianum ab Aulo Gellio citatum, ubi verbum hoc *fruſtra* & *fruſtrari*, decies eodem loco inculcatur : vel aſpernandi ſtudio diminutiva formantes : vel aliquam haud abſurdè litteram mutantes. Denique per non tritas dicendi figuras elegantiam alicujus, aut rude ingenium exprimentes, Theatrum omne riſu diffundebant. Verùm hæc univerſa nihili nonnunquam erant, niſi vocem hiſtriones ſingulis adhibuiſſent accommodatam : quandoquidem omnis oblectatio Comœdiæ, propemodum in actione conſiſtit.

TRAGOEDIÆ ET COMOEDIÆ etymon & origo.

D. Initium Tragœdiæ & Comœdiæ à rebus divinis eſt inchoatum : quibus pro fructibus vota ſolventes operabantur antiqui. Nam incenſis jam altaribus, & admoto hirco, id genus carminis quod ſacer chorus reddebat Libero patri, Tragœdia dicebatur, vel ἀπὸ τοῦ τράγου, hoc eſt ab hirco hoſte vinearum & à cantilena. Ejus ipſius rei apud Virgilium plena fit mentio, vel quòd hirco donabatur ejus carminis Pœta, vel quòd uter ejus muſti plenus ſolenne præmium cantoribus fuerat : vel quòd ora ſua fæcibus perlinebant ſcenici ante uſum perſonarum ab Æſchilo repertum. Fæces enim dicuntur Græcè τρύγες. Et his quidem cauſis Tragœdiæ nomen eſt inventum. At verò nondum coactis in urbem Athenienſibus, cùm Apollini Nomio, id eſt, paſtorum vicinorúmque præſidi deo, conſtructis aris in honorem divinæ rei circum Atticæ vicos, villas, pagos, & compita feſtum carmen ſolemniter cantarent : orta eſt Comœdia ἀπὸ τοῦ κωμάζειν καὶ ᾄδειν, quod eſt commeſſatum ire cantantes, quod à Poëtis ſolenni die, vel amatoriè laſcivientibus choris Comicis non abſurdum eſt. Itaque ut rerum, ita etiam temporum ipſorum cœpto ordine Tragœdia primo prolata eſſe cognoſcitur. Nam ut ab incultis, & feris moribus paulatim perventum eſt ad manſuetudinem, urbéſque ſunt conditæ, & vita mitior atque otioſior proceſſit : ita res Tragicæ longè ante Comicas inventæ. DI. Comœdia dicta ἀπὸ τῶν κωμῶν. Κῶμαι enim appellantur pagi, id eſt, conventicula ruſticorum. Nam juventus (ut ait Varro) Attica, circum vicos ire ſolita fuit, & quæſtus ſui cauſa hoc genus carminis pronuntiabat. Aut certè à vicis. Nam poſteaquam ex agris Athenas commigratum eſt, & hi ludi conſtituti ſunt, ſicut Romæ Compitalitii ad canendum prodibant, & ab urbana come & oda Comœdia dicta eſt ἀπὸ τῶν κωμῶν, id eſt, viculis, quòd ea humilium domuum fortunæ comprehendantur, non (ut in Tragœdia) publicarum regiarúmque. Vel ἀπὸ τοῦ κώμου, id eſt, com-

meſſatione, quod olim in hujuſmodi fabulis amantium juvenum κῶμαι agebantur: vel ἀπὸ τοῦ κώματος, hoc eſt à ſomno. Nam olim ſedatis ac compoſitis bellorum inſultibus, Athenienſes cum ad vitam pacatiores ſe tranſtuliſſent, domeſticæ tunc in pauperes inſurrexerunt injuriæ. Ex agro igitur Athenienſi ruſtici ſæpius à divitibus injuriâ affecti, ſeſe in urbem receperunt: ſed cum interdiu quærendo ſuis incommodis auxilium præſtare non poſſent, noctu vicos urbis omnes obeundo, cunctis ſilentibus, cives nominatim compellabant; & quas paterentur, aperiebant divitum injurias, necnon impia facta, ac dicta propalabant. Hæc cum ſæpe vicini audiſſent, quod noctu acceperant, poſtridie inter ſe invicem colloquebantur. Inde non mediocri erat vitio, quibus ejuſmodi objiciebatur contumelia. Unde oportunum fuit multis in urbe potentibus, ut ſuis in agricolas injuriis modum invenirent, ſibique ab inferendis contumeliis moderarentur. Videntes igitur cives hoc eſſe utile civitati injuriæ æmuletum, juſſerunt contumeliis provocatos in Theatrum prodire, & quæ noctu proclamaſſent audaciori animo referre. Deinde quoniam talis luſus non ſine gravitate placuit, ſancivit populus Athenienſis, ut qui ingenio præſtarent, de ejuſmodi rebus carmina componerent, atque libere & impune adverſum omne hominum genus loquerentur. F. *Comœdia* nomen à dæmone Come religioſè admodum arbitramur eſſe deductum, quoniam & commeſſari eodem de nomine dictum Philoſtratus affirmat: cujus ſcilicet numinis dexteritate, quælibet hominibus fauſta comeſſatio daretur. Quid autem ſit *comeſſari*, Philoſtratus imagine Comi faciliùs tibi, quàm ego poſſim, demonſtrabit, ubi fingit eum ferveſcente mero ſupinum dormitare, faciéque præ nimio potu ſcintillante, rhoncos ab imo pectore ſtertere deducentem. Utriuſque verò ſexus homines, id quod ipſe deſiderat, gregatim veſtibus permutatis, plauſuque concinno, quàm maximè poſſunt genio indulgere. Quod ipſum in hac urbe ſæpius vidiſti, cum mimariæ, (ut aiunt) ſaltationes hybernis noctibus debacchantur, quæ teſte Polluce κόρδακες appellari conſuerunt. Noli igitur illos audire qui comeſſari dictum putant ab eſu, quoniam, S, ſimplici neceſſario ſcriberetur, nec ſecus eruditi veterum codices haberent. Nam Græcum illud κωμάζω, quemadmodum z litteræ natura deſiderat, duplici ſſ Latine quidem annotatur, ſicuti φιλιππίζω, philippiſſo eſt. Ita κωμῳδία quaſi κωμαζῳδία, videlicet comeſſantium hominum cantilena quæ Græcorum, & Donati ſententia maximè placet: cum præſertim doctiſſimus quiſque fateatur in Dyoniſiacis comeſſationibus, id genus Poëmatis à veteribus fuiſſe celebratum. Ii vero mihi nullo pacto blandiri poſſunt, qui nomen hoc ἀπὸ τῶν κωμῶν derivare contendunt, quoniam Athenienſes, apud quos natam fere & auctam eſſe Comœdiam nemo ambigit δήμους vocarunt, quæ ab aliis κῶμαι fuiſſent appellatæ, Enim vero illud mihi negotium facit, ne ſcilicet Comum ἀπὸ τῶν κωμῶν Græcia dixerit: quem-

admodum Romani Fornacaliam ſervatis ab incendio coluere fornacibus : & Robigum ſive Rubiginem atque alios complures à quibus præeſſent rebus appellavere. Utcumque tamen ſeſe res habeat, περὶ τὸ κωμάζειν appellari Comœdiam affirmo: quoniam etſi περὶ τὰς κώμας dicatur ὁ κῶμος, tamen ab eo τὸ κωμάζειν, unde κωμωδία, quaſi κωμαζόντων ᾠδὴ, nominatur. DI. Poëtæ primi Comici fuerunt, Suſarion, Rullus, & Magnes. Hi veteris diſciplinæ jocularia quædam minùs ſcitè & venuſtè pronunciabant, in quibus hi verſus fuerunt.

Ἀκούετε λέξιν, Συσαρίων λέξει τάδε.
Κακὸν γυναῖκες, ἀλλ' ὅμως ὦ δημόται,
Οὐκ ἔστιν οἰκεῖν οἰκίαν ἄνευ κακοῦ.

Secunda ætate fuerunt Ariſtophanes, Eupolis, & Cratinus; qui & principum vitia inſectati, acerbiſſimas Comœdias compoſuerunt. Tertia ætas fuit Menandri & Philemonis, qui omnemq; acerbitatem Comœdiæ mitigaverunt, atque multiplicia argumenta Græcis authoribus ſecuti ſunt. Ab his Romani fabulas tranſtulerunt; & conſtat apud illos primùm Latino ſermone Comœdiam Livium Andronicum ſcripſiſſe. Sunt qui velint Epicharmum in inſula Co exulantem, primum hoc carmen frequentaſſe, & ſic à Co Comœdiam dici. Anteà itaque galeris, non perſonis utebantur, ut qualitas coloris indicium faceret ætatis, cùm eſſent aut albi, aut nigri, aut rufi; Perſonis verò uti primus cœpit Roſcius Gallus, præcipuus hiſtrio, qui oculis obverſis erat, nec ſatis decorus in perſonis, niſi paraſitos pronuntiabat. D. Hujus autem originis ratio ab exteris civitatibus, moribuſque pervenit. Athenienſes namque Atticam cuſtodientes elegantiam, cùm vellent malè viventes notare, in vicos & compita ex omnibus locis læti alacreſque veniebant: ibique cum nominibus ſingulorum vitam publicabant: Unde nomen compoſitum, ut Comœdia vocaretur. Hæc autem carmina in pratis primum mollibus agebantur, nec deerant præmia, quibus ad ſcribendum Doctorum provocarentur ingenia, ſed & actoribus munera offerebantur, quò libentiùs jucundo vocis flexu ad dulcedinem commendationis uterentur. Caper namque pro dono his dabatur, quia vitibus noxium animal habebatur: à quo etiam Tragœdiæ nomen exortum eſt. Nonnulli autem ex amurca olei fæce, quæ eſt humor aquatilis, Tragœdiam dici vocarique maluerunt. Qui ludi cum per artifices in honorem Liberi patris agerentur, etiam ipſi Comœdiarum, Tragœdiarúmque ſcriptores hujus Dei velut patris, numen colere venerarique cœperunt, cujus rei probabilis ratio extitit. Ita enim carmina inchoata proferebantur, ut per ea, laudes ejus, & facta glorioſa celebrari, proferrique conſtaret. Tum paulatim fama hujus artis increbuit. Theſpis autem primus hæc ſcripta in omnium notitiam protulit: poſtea Æſchylus

ſecutus exemplum, publicavit: de quibus ita Horatius in arte Poëtica loquitur,

Ignotum Tragicæ genus inveniſſe camœnæ
Dicitur, & plauſtris vexiſſe Poëmata Theſpis,
Quæ canerent, agerentque peruncti facibus ora.
Poſt hunc perſonæ, pallæque repertor honeſtæ
Æſchylus, & modicis inſtravit pulpita tignis;
Et docuit magnúmque loqui, nitique cothurno.
Succeſſit vetus his Comœdia non ſine multa
Laude: ſed in vitium libertas excidit, & vim
Dignam lege regi, lex eſt accepta, chorúsque
Turpiter obticuit ſublato jure nocendi.
Nil intentatum noſtri liquere Poëtæ,
Nec minimum meruêre decus, veſtigia Græca
Auſi deſerere, & celebrare domeſtica facta,
Vel qui prætextas, vel qui docuêre Togatas.

Si funditus Latinæ Comœdiæ quæras perſpicere conditionem, imprimis ejus originem par eſſe arbitror non igorare, quippe cum ad nos è Græco fonte derivata per Latinos quaſi traduces emanarit. In veterum itaque fabulis quinque perhibent eſſe differentias temporum ſcilicet, ſtyli, materiæ, numerorum & apparatus. Nobis igitur tempora conſiderantibus, tria Comœdiarum genera ſeſe offerunt diſtinguenda. Primum enim eſt, quod una cum Peloponneſiorum imperio, Suſarione, vel Sannirione floruit inventore. Alterum, quod ab impoſitis per Lacedæmonios Athenienſium cervicibus, triginta quaſi jugo tyrannis, ad ætatem uſque Philippi Macedonis eſt propagatum, videlicet per annos circiter ſexaginta. Tertium, quod ab Alexandri temporibus, adeò fauſtum ſumpſit initium, ut etiam à Latinis in præſontia celebretur. Veruntamen ego Comœdiam Græcum eſſe inventum minime arbitror. Neque (ut Thomas Magiſter, & eum ſecuti, videntur æſtimare) ab agricolis civium injurias conquærentibus eſſe derivatam. Hoc nempe cauſam aſperitatis & jurgiorum in veteri Comœdia reddit: quam mox ipſi longè aliam eſſe docebimus: neque videtur quicquam, ut reor, ad Comœdiæ primordia pertinere: quoniam Orphæus, quem conſtat per centum amplius annos ante Trojani belli tempora vixiſſe ſub Laomedonte ſcilicet, ac Athenis Ægeo imperante Bacchi myſteria ab Ægyptiis tranſlata ſuis Thracenſibus indicavit. Atqui Comœdiæ, quemadmodum idem aſſerit Thomas, veris tempore Bacchantibus agebantur. Unde etiam apud Romanos ara Libero patri ſacra in dextro latere Scenæ, quemadmodum ait Donatus, vel Orcheſtræ, ut Pollux, ſemper erigebatur, quod maximum eſt argumentum à Bacchi myſteriis, omne fabularum genus eſſe depromptum. Id Horatius innuit, cum *ſpectatorem* & *ſacris functum* & *potum* appellat. Par eſt igitur arbitrari, prima Comœdiæ ſemina per Orpheum

ab Ægypto in Græciam fuiſſe delata, unde complura non Orphæus modo, verum & alii tranſtuletunt. Celebres enim erant & Phœniciæ literæ, nundum Græcis ſexdecim à Palamede Nauplii filio configuratis: ac plurimi ſtudia Poëtices habebantur: proindeque ſapientes illi numeris omnia componebant, quæ unà cum cæteris apud tum Ægyptios floruiſſe nemo bene doctus dubitarit. Non defuerunt etiam qui fabularum initia Siculis adjudicarent, quemadmodum Ariſtoteles in Poëticis ait, quoniam Epicharmus Comicorum antiquiſſimus Poëta illinc eſſet oriundus. Syracuſanus enim revera fuit, dupliceſque Græcorum literas ζ,ξ,ψ, primus omnium excogitavit, ſicut in Iliados α Grammaticus Joannes, ſolerti vir ingenio, mecum ſentit; ubi longas η, ω, & per Simonidem Poëtam in inſula Chio natum, ſcribit eſſe formatas, aſpiratarumque characteres: θ, φ, χ, Cadmo illi Mileſio teſtatur effictos, licet hæc Plinius quinquageſimo ſexto libri ſeptimi capite, longe aliter tradat, niſi ſit error in Codicibus; aut Græci ipſi non ſatis ſibi conſtent, quos ille potiſſimum fuerit ſecutus. Satius tamen arbitror hæc elementa ſingula ſingulis inventoribus addixiſſe. Ea igitur ægrotantium ſomnia prætermittas: Unum hoc ſciens ab Æſchylo, & qui eum ſecutus eſt, Cratino, fabulas in ſuam formam eſſe tandem redactas. Si quidem ante devictos Perſas ad Salamina, cujus victoriæ fabulam quæ nunc extat, Æſchylus dedit, nullus in iis ordo poterat reperiri. Comœdiarum itaque prima ſemina ad Ægyptios referamus, formulam & earum ordinem Cratini temporibus adſcribentes. D. Quamvis autem retro priſca volventibus reperiatur Theſpis Tragœdiæ primus inventor & Comœdiæ veteris patet Eupolis cum Cratino, Ariſtophanéque eſſe dicatur; Homerus tamen qui fere omnis Poëticæ largiſſimus fons eſt, etiam his carminibus exempla præbuit, & velut quadam ſuorum operum lege præſcripſit: qui Iliadem inſtar Tragœdiæ, Odyſſeam ad imaginem Comœdiæ feciſſe monſtratur. Nam poſt illius tale tantumque documentum ab ingenioſiſſimis imitatoribus & digeſta ſunt in ordinem & diviſa ea quæ etiam tum temere ſcribebantur adhuc impolita; atque in ipſis rudimentis haudquaquàm ut poſtea facta ſunt, decora atque lævia. At nos ea, quæ propriè de Tragœdia dicenda ſunt, titulo propoſiti operis inſtantes, in alia tempora differamus: & de his fabulis jam loquamur quas Terentius imitatus eſt. Poſtquàm demonſtrandæ originis cauſa de utriuſque generis initio diximus: quod neceſſe eſt jam dicemus. Comœdia ferè vetus, ut ipſa quoque olim Tragœdia, ſimplex carmen (quemadmodum jam diximus) fuit: quod chorus circa aras fumantes nunc ſpatiatus, nunc revolvens gyros, cum tibicine concinebat. Sed primò una perſona ſubſtituta eſt cantoribus, quæ reſpondens alternis choro, locupletavit, variavitque rem Muſicam. Tum altera, tum tertia, & ad poſtremum creſcente numero, per authores diverſos, perſonæ, pallæ, Cothurni, Socci, & cæteri ornatus, atque inſignia Scenicorum re-

perta: & ad hoc unicuique ſuus habitus, & ad ultimum qui primarum partium, qui ſecundarum, & tertiarum, qui quartarum, atque quiniarum actores eſſent, diſtributa & diviſa quinque partitò tota eſt fabula, quæ tamen in ipſis ortus ſui velut quibuſdam incunabulis & vix dum incipiens, κωμῳδία ἐπώνυμος ἢ ἀρχαία dicta eſt: ἀρχαία idcirco, quia eſt de nobis parum cognitis vitiis: ἐπώνυμος autem, quia ineſt in ea velut hiſtorica fides veræ narrationis, & denominatio omnium, de quibus libere deſcribebatur. Etenim per Priſcos Poëtas, non ut nuno, penitus ficta argumenta, ſed res geſtæ à civibus palam cum eorum ſæpe qui geſſerant nomine decantabantur. Ideo ipſa ſuo tempore moribus multum profuit civitatis: cùm unuſquiſque caveret, culpa ne ſpectaculo cæteris eſſet, & domeſtico probro, ſed cum Poëtæ abuti licentius ſtylo & paſſim lædere ex libidine cœpiſſent plures bonos: ne quiſquam in alterum carmen infame proponeret, lege latâ ſiluère. Et hinc deinde aliud genus fabulæ, id eſt, Satyra ſumpſit exordium, quæ à Satyris, quos illotos ſemper ac petulantes deos ſcimus eſſe, vocitata eſt. Etſi aliunde nomen traxiſſe pravè putant alii. Hæc, quæ Satyra dicitur, ejuſmodi fuit, ut in ea quamvis duro & veluti agreſti modo, de vitiis civium tamen ſine ullo proprii nominis titulo carmen eſſet. Quod item genus Comœdiæ multis obfuit Poëtis, cum in ſuſpicionem potentibus civibus veniſſent illorum facta deſcripſiſſe in pejus, ac deformaſſe genus ſtylo carminis, quod primò Lucius nono conſcripſit modo, ut Poëſim inde faceret, id eſt, unius carminis plures libros. Hoc igitur, quo ſuprà diximus modo coacti omittere Satyram, aliud genus carminis τὴν νέαν κωμῳδίαν,, hoc eſt, *novam Comœdiam* reperere Poetæ, quæ argumento communi magis & generaliter ad omnes homines, qui mediocribus fortunis agunt, pertineret; & minus amaritudinis ſpectatoribus, & eadem opera multum delectationis afferret: concinna argumento, conſuetudine congrua, utilis ſententiis, grata ſalibus, apta metro. Ut igitur ſuperiores illæ ſuis quæque celebrantur authoribus: ita hæc νέα κωμῳδία cum multorum anteà, tum præcipuè Menandri, Terentiique eſt.

DE COMOEDIÆ PROPRIETATE, QUIDQUE differat à Tragœdia & Satyra.

Comœdiæ proprium fuiſſe ſcribunt quidam, vigintiquatuor adhibere ſaltatores, & quadratum chorum. Præterea convitia, dicacéſque ſermones continere. Illud quoque minimè prætereundum, quod Comici, Satyrici, Tragici omnes uno nomine *Comici* appellati ſunt, quoniam ex vicis in urbem eruperint, qui his dedère principium. Exin diſtributa ſcribentium ratio eſt, ut Comici, ſervos & humiles Satyrici, Ruſticos, Tragici divites, & reges deſcriberent: ac ſicut Comœdia à vitiis aut à ſummo dicta, Tragœdia ab hirco, aut à fæce: ita

ita Satyra à Satyris, hoc eſt, ruſticis, illautis & petulentibus eſt appellata, vel à Satyra lance, quæ referta variis, multiſque primitiis in ſacris inferebantur. D. Inter Tragœdiam & Comœdiam cum multa tum in primis hoc diſtat, quod in Comœdia mediocres fortunæ hominum, parvi impetus, periculáque, lætique ſunt exitus actionum: at in Tragœdia, omnia contraria, ingentes perſonæ, magni timores, exitus funeſti habentur. Et illic turbulenta prima, tranquilla ultima: in Tragœdia contrario ordine res aguntur. Tum quod in Tragœdia fugienda vita, in Comœdia, capeſſenda exprimitur. Poſtremo, quod omnis Comœdia defictis eſt argumentis: Tragœdia ſæpe ab hiſtorica fide petitur. DI. Comœdia à Tragœdia differt, quod in Tragœdia introducuntur Duces, Heroës, Reges; in Comœdia humiles atque privatæ perſonæ. In illa luctus, exilia, cædes: in hac amores, virginum raptus. Deinde quod in illa frequenter & penè ſemper lætis rebus exitus triſtes & Liberorum fortunarumque priorum in pejus agnitio: in hac triſtibus lætiora ſuccedunt. Quare varia definitione diſcretæ ſunt. Altera enim δεινῶν περιοχὴ, altera τύχης περιςάσις dictæ ſunt. Triſtitia namque Tragœdiæ proprium. Idcóque Euripides petente Archelao regè, ut de ſe Tragœdiam ſcriberet, abnuit, ac precatus eſt, ne accideret Archelao aliquid Tragœdiæ proprium: oſtendens nihil aliud eſſe Tragœdiam, quam miſeriarum comprehenſionem.

DE COMOEDIARUM QUALITATE.

D. COMOEDIÆ *motoriæ* ſunt, aut *Statariæ* aut *mixtæ*. Motoria Comœdia eſt quæ res turbulentas inducit, ut Amphitryo. Stataria, quæ res continet quietiores, ut Ciſtellaria, Heautontimorumenos. Mixta, quæ ex utroque actu conſiſtit, ut Andria, Eunuchus, Adelphi, Hecyra, & Phormio.

DE COMOEDIA E JOANNE PETRO VALLA.

COMOEDIAM igitur Ariſtotelis ſententia Megarenſes ſibi aſciverunt: illic ſiquidem erat Poëta Epicharmus & Phormis. Principium namque ex Sicilia venit, ſicut apud Athenienſes Crates primus incœpit. Alii in Peloponeſſo argumentum à nomine capiendo; comas ſiquidem vocari aiunt ab illis colonos; unâ & Comœdia. Alii Comœdiam, à Commeſſando, id eſt, epulando. Athenienſes autem ſuam eſſe volunt & à vicis appellatam: *Comas* enim illi vicos vocant: Inde etiam ſumunt argumentum Peloponenſes quod dramata ejuſmodi dicant fabulamenta; quoniam quod ipſi δρᾶν, id eſt, *facere* dicunt Athenienſes: non δρᾶν ſed πράττειν: *Comœdia*, inquit Ariſtoteles, *eſt improborum imitatio, non per omne visium; ſed turpitudinis pars ridicula.*

Ridiculum namque eſt delictum quoddam atque turpitudo dolo is expers, velut ridicula facies turpe quoddam citra dolorem. Tradunt alii Comœdiæ, Tragœdiæ, Satyræ & Mimorum initium à ruſticanis hominibus, apud Athenienſes, divitum conquerentibus injurias; & primo verſus confinxiſſe Suſſarionem: & inde conſecutos qui priſcam ſcripſere Comœdiam: de quibus Hora.

Eupolis atque Cratinus Eriſtophaneſque Poëtæ.
Atque alii quorum Comœdia priſca virorum eſt.

Secundo tempore ſucceſſit mitior Comœdia: utMelandri & Philemonis, & aliorum. Alii à divinis rebus principium fuiſſe putaverunt. Quemadmodum & Tragœdiæ quibus pro fructibus collectis operantes vota ſolverent antiqui. Nam ſuccenſis altaribus & admoto hirco id genus carminis ſacer chorus Baccho reddebat: Unde & Horatius:

———Vilem certavit ob hircum.

Inde Tragœdiam dici voluerunt ἀπὸ τῦ τράγυ, hoc eſt ab hirco: vel quod hirco donarentur: vel quod hirci uter muſto plenus ſolemne præmium cantoribus foret. Unum & Horatius:

———Unctos ſalvere per utres:

alii autem Tragœdiam dictam putant quod tryga fœcem Græci vocant; ſiquidem antiquitus perſonas ab Eſchilo inventas fæce ora inquinabant; inde Hora.

Ignotum Tragicæ genus inveniſſe Camenæ
Dicitur & plauſtris vexiſſe Poëmata Theſpis,
Quæ canerent agerentque peruncti fæcibus ora.
Poſt hunc perſonæ pallæque repertor honeſtæ
Eſchilus & modicis inſtravit pulpita tignis.
Edocuit magnúmque loqui nitique cothurno.
Succeſſit vetus his Comœdia non ſine multa
Laude, ſed in vitium libertas excidit, & vim
Dignam lege regi lex eſt accepta, choruſque
Turpiter obticuit, ſublato jure nocendi.

Theſpin quidem primùm ſcripſiſſe Tragœdias multi tradiderunt: ſcilicet Plato in Minoe ante Theſpin fuiſſe tradit Tragœdias. Satyras ſcripſerunt Græci carmine iambico fabulas: quas à Satyris, id eſt, Ruſticis illotis atque petulantibus nominarunt. Unde Horatius:

Mox etiam agreſtis Satyros nudavit & aſper,
Incolumi gravitate jocum tentavit: eo quod
Illecebris erat: & grata novitate morandus.
Sectator functuſque ſacris & potus & exlex,
Verum ita riſores ita commendare dicaces,

Conveniet Satyros ita vertere ſeria ludo.
Ne quicumque Deus, quicumque adhibebitur heros.
Regali conſpectus in auro nuper & Oſtro,
Migret in obſcuras humili ſermone tabernas.

Alter apud Latinos Lucilius quem ſecuti Horatius, Perſius, Juvenalis: ſicut & à Comœdia aliam quoque ſecuti rationem: Unde Horatius:

Nil intentatum noſtri liquere Poëtæ,
Nec minimum meruere decus veſtigia Græca,
Auſi deſerere & celebrare domeſtica facta,
Vel qui prætextas, vel qui docuere Togatas.

Nam *prætextas* à *prætexta* veſte nobilium, quod nobiles perſonæ inducerentur; ſicut *Togatas* à *Toga* ignobilium & Romanorum, quoniam *Palliata*, à Tegmine Græcorum, pallio, quæ à Græcis in Latinum converſa eſſet, nominata eſt. Veluti Tabernaria à Tabernis: id eſt, viliſſimis hominibus, ubi ſermones quoque viles, ut paulo ante per Horatium oſtenſum eſt. Attellanæ autem dictæ ab Attella Oſcorum civitate immunda, ſicut Planipedes quod in plano Orcheſtræ agerentur. Rinthonicæ ab actoris nomine. Latinæ quidem fabulæ à Livio Andronico primum cœptæ, inde ab aliis celebratæ apud Romanos, quo fere tempore Camillus vita functus eſt peſtilentia exurgente, cum vis morbi nec humanis conſiliis, nec ope divina, inquit Livius, levaretur, victis ſuperſtitione animis. Ludi quoque Scænici, nova res bellicoſo populo; nam circi modo ſpectaculum fuerat, inter alia cæleſtis iræ placamina inſtituti dicuntur. Cæterum parva quoque ut fermè principia omnia & ea ipſa peregrina res fuit ſine carmine ullo, ſine imitandorum carminibus actu. Ludiones ex Hetruria acciti ad tibicinis modos ſaltantes haud indecoros motu more Thuſco dabant. Imitati deinde eos juventus ſimul jucunditis inter ſe jocularia fundentes verſibus cœpere: nec obſoni à voce motus erant. Accepta itaque res ſæpiuſque uſurpando excitata vernaculis artificibus quia *Hiſter* Thuſo verbo ludio vocabatur, nomen Hiſtrionibus inditum: qui non ſicut ante Feſcennino verſu ſimilem incompoſitum temere ac rudem alternis jaciebant. Sed impletas modis Satyras deſcripto jam ad tibicinem cantu motuque congruenti peragebant. Livius poſt aliquot annos qui ab Satyris auſus eſt primus argumento fabulam facere: idem ſcilicet id quod omnes tum erant ſuorum carminum actor dicitur. Cum ſæpiùs revocatus vocem obtudiſſet, venia petita puerum ad canendum ante tibicinem cum ſtatuiſſet, canticum egiſſe. Aliquanto magis vigente motu: quia nihil vocis uſus impediebat inde ad manum cantari hiſtrionibus cœptum. Diverbiaque tantum ipſorum voci relicta, poſtquam lege hac fabularumque ab riſu: ac ſoluto joco res avocabantur, & ludus in artem

paulatim verterat. Juventus Hiſtrionibus fabellarum actu relicto ipſa inter ſe more antiquo ridicula intexta verſibus jactitare cœpit : unde *exodia* quæ exordia poſtea appellata , conſertaque fabellis potiſſimum Attellanis ſunt:quod genus ludorum ab Oſcis acceptum tenuit juventus, nec ab Hiſtrionibus pollui paſſa eſt. Eo inſtitutum manet , ut Actores Attellanarum ; nec tribu moveantur,& ſtipendia tanquam expertes artis ludicræ faciant inter aliarum parva principia rerum : ludorum quoque prima origo ponenda viſa eſt;utapparet quam ab ſano initio res in hanc vix opulentis regnis tolerabilem inſaniam venerit.| Comœdiarum aliæ *motoriæ*,aliæ *ſtatariæ*,*mixtæ* aliæ dictæ ſunt:*motoriæ* quidem turbulentæ : *Statariæ* quietiores; *Mixtæ* ex utroque conſiſtentes. Comœdiæ partes , ut quidam ſcripſere,hæ quatuor. Prologus,Prothaſis,Epithaſis, Cataſtrophæ. Prologus eſt Præfatio,Protaſis primus Actus , Epitaſis incrementum proceſſuſque turbarum,Cataſtrophæ converſio rerum ad jucundos exitus. Dionyſius autem & Crates & Euclydes aliis has partes nominavere appellationibus. Primam quidem Prologum dicentes : ſed ſecundam melos chori , Tertiam epiſodium, Quartam exodum. Agebantur Comœdiæ tibiis paribus aut imparibus : à dextris , aut ſiniſtris. Dextræ ſua gravitate ſeria indicabant , ſiniſtræ acuminis lenitate jocum in Comœdia arguebant. In dextra & ſiniſtra mixtum jocum & gravitates indicabant. Quæ à principio humilis apud Romanos poſtea ſuperbior. Horatius ;

Tibia non ut nunc orichalco juncta tubæque ,
Æmula : ſed tenuis ſimplexque foramine pauco ,
Aſpirare & adeſſe choris erat utilis ,

Deinde mox ſubjungit :

Sic priſcæ motumque & luxuriam addidit arti
Tibicen,traxitque vagus per pulpita veſtem :

Hoc eſt Syrma,ut in Tragœdiis.Membra Comœdiarum tria ſunt quibus priſcæ tenebantur. Diverbium, canticum , chorus , perſonæ diverbiorum, aut duæ, aut tres , aut raro quatuor , ideo ait Horatius :

——— *Nec quarta loqui perſona laboret.*

Nam ultra augere numerum non licet : in canticis una tantum debet eſſe perſona . Aut ſi duæ fuerint ita eſſe debent , ut ex occulto una audiat nec loquatur,niſi ſecum. In choris non eſt perſonarum numerus definitus. Comicis ſenibus à Soraco per ediles candidus veſtitus attribuebatur : quod is antiquiſſimus fuiſſe memoretur ; adoleſcentulis diſcolor. Servi Comici amictu exiguo contegabantur,paupertatem præ ſe ferendo antiquam : aut quo forent expeditiores, Pharaſiticum intortis palliis ob collum veniebant. Læto veſtitus candidus , ærumnoſo obſoletus , purpuræus diviti, pauperi Phœniceus dabatur , militi clamis purpurea, puellæ habitus peregrinus, lenoni varii coloris pallium , meretrici ob avariciam luteus amictus : atque hæc de Comœdia in præſentia ſatis.

JOACHIMI CAMERARII
De fabulis Plautinis Deſſertatio, ad aliquos principes Germaniæ.

ANNI jam ſunt XX. cum nactus fui exemplum Plautinum ſcriptum, ſane vetus, ſed non exaratum tamen vel erudito ſæculo, vel ab homine docto. Id repertum fuit in patria mea, inter libros clariſſimi & virtute ac ſapientia præſtantis viri, Viti Verleri Franci, unde exemptum propinquus ipſius amicitiæ ſanctiſſimo vinculo & maximæ familiaritatis uſu mihi conjunctus Micaelus Rotingus, vir optimus atque doctiſſimus, qui tum forte nobiſcum eſſet, mihi utendum dedit, & ipſe Dominus libri poſtea ut uterer benigne permiſit. Ego vero, qui & puer audiviſſem Lipſiæ vitum Verlerum explicantem Comœdias Plautinas, & poſtea adoleſcens ſtudium lectionis harum retinuiſſem, confirmato judicio intellexi, ſine cognitione hujus autoris, præſertim iſtius generis ſcriptis aliis amiſſis & perditis, proprietatem & naturam linguæ Latinæ percipi non poſſe. Hanc autem teneri, præclarane res ſit, & digna in qua omnibus viribus elaboretur, alibi diſſeruimus: & nunc quaſi ita eſſe vicerimus, ſic poſitum hoc & certum nobis eſto. Quantum vero momenti ad comprehendendam & perſpiciendam veritatem ſermonis latini habere Plautinas fabulas animadverti, tanto dolore ſæpenumero me affecit infelicitas ſtudiorum bonorum hac etiam in parte, cum cernerem optimum authorem tam fœde lacerum & truncum circumferri: aque eundem medicatione in dies magis affligi atque lædi: ſi enim ullum cujuſquam opus miſerabiliter depravatum, & corruptum ſcelerate fuit, hoc profecto fuit optimum & præſtantiſſimum Plautinarum Comœdiarum. Correctiones autem comprobaverunt proverbium vetus & ipſæ; multorum medicorum curationibus ægrotos plærumque perdi. Cum igitur illum librum veterem primum vidiſſem, incredibili gaudio affectus fui, quod ſperarem beneficio hujus tam turpiter contaminatas & mendis ſcatentes fabulas Plautinas repurgari atque integritati ſuæ reſtitui poſſe. Cum autem intueri illum attentius, & rem gerere accuratius, cœpiſſem, non quidem, ut aiunt ἄνθρακες ὁ θησαυρὸς, ſed multo certe minus quam ſperaveramus, in illo libro opis & copiæ reperimus. Primum enim ſtatim deprehendimus, librarium fuiſſe imperitum litterarum latinarum; unum, ut apparet, ex illorum genere, qui in Cœnobiis ad alios quaſvis occupationes ſeſe dare quondam conſueviſſent, quam incumbere ſtudio bonarum litterarum atque artium. Rectene, an ſecus nunc non quæram. Sed neque librum ἀρχέτυπον, unde hic deſcriptus

fuit, integrum & emendatum ubique fuiſſe, facile potuit animadverti. Quid verò hoc mirum? cum Varro, qui & vixit his temporibus, quibus eruditio litterarum & doctrina floruit, & proximè abfuit ab ætate Plauti, alicubi de analogia quærens, quod non probaret quædam de Truculento, in iis librarii mendum accuſet? Poſteriores autem ſæpè de fide exemplorum quæſti, & vetuſtiſſimorum quorumque teſtimoniis contra vulgatas lectiones uſi fuerunt; nam illa ſemper corrupit imperitia quorumdam, ut ait Priſcianus, mutantium ſcripturas. Sed noſtra diligentia & induſtria etiam quadam, permulta de noſtro illo veteri libro in Plautinis Comœdiis reſtituta ſibi fuerunt, tam in verbis quam numeris verſuum; de quorum integritate nihil etiam dubii jam nobis relinquitur. Ac poſſem annumerare non δεκάδας, neque ἑκατοντάδας, ſed plane χιλιάδας, ſi oſtentare operam noſtram vellemus: ſed *pauperis eſt numerare pecus*. Non pauca autem confido nos, ſi non emendaſſe, at non edidiſſe deterius neque perverſius, quam priores. Quæ vero corrupta & falſa eſſe plane cernerem, ea indicare ſtudui; indignum ratus, lectorem ſecuro animo errare perpeti. Nam primùm laudandus, qui erranti comiter monſtrat viam: ſecundo verò loco gratiam meretur is qui, ſi non poſſit viam rectam demonſtrare, indicet illam veram non eſſe, ne pergat errare viator, & de via diligentius quærat ac percuntetur. Sed quid ego præſtiterim longo ſanè tempore, & aſſiduo ſtudio, & diuturno labore meo, alii ſtatuent atque judicabunt. Quæ vulnera inflicta Plauto fuerunt, ea ſunt in conſpectu omnium. Hoc quædam minus ſanabilia, quo veluti circatrice in opinione curationis obducta non apparent omnibus, κρύπτα καὶ ὕπουλα, ut medici loquuntur. Ego tamen, ſi mihi & otii plus & profundior quies contigiſſet, neque tam variè diſtractum fuiſſet temporibus & caſibus ſtudium meum, fortaſſe cum aliis in muſicis quaſi certaminibus, tum in hoc ſpatio edere aliquid præclarioris operis potuiſſem. Nunc in hac adverſatione fortunæ, in tanta penuria adjumentorum omnium, hac etiam communi quadam calamitate ſæculi noſtri id quod nos perfecimus, neque prorſus nihili pendi debeat. Atque de illis præcipuis, perturbatione rerum publicarum & noſtrarum difficultate, nihil nunc quidem dicemus. Adjumenti vero quid fuit, præter noſtrum veterem codicem, non raro fruſtrantem conatus? Nam interpretes novi uſque adeo nihil ſubſidii auxiliive nobis tulerunt, ut aliquantum etiam nocuerint, audaciſſime mutantes & vertentes atque torquentes omnia, ſuaque commenta ad veterum codicum fidem referentes. Veteres autem Grammatici, profuere illi quidem nonnihil; ſed & ipſi mendoſe editi, & nonnunquam in inquirendo indiligentiores, ſæpè multumque fefellerunt opinionem noſtram. Quid, quod veterum ſummorum virorum multiplex in Plautinis Comœdiis enucleandis ſtudium effeciſſe videtur, celeriter ut exempla non conſentirent, ſed ſcriptura pleriſque in locis diverſa proferretur? Memorantur enim *Plautinæ quæſtiones* conſcriptæ à Varrone. Itemque ſcauri ac Siſennæ & aliorum

commentationes in fabulas Plautinas. Sed apud quem non etiam Grammaticorum veterum, quorum qualiacumque ſcripta ad nos pervenerunt, autoritatem diminuerent tales explicationes, quas ex aliis ſæpè incogitantius deſcriptas apparet? *Cor* eſſe generis maſculini; quod ſic docuiſſe Ceſellium vindicem Gellius reprehendit: *fidele* pro *fideliter:* in Captivis, *fac fidele*; cum ibi planè legatur, *fac fidelis ſis fideli.* Eliſerunt autem veteres ut nemo ferè ignorat, vitantes ſibilum hujus elementi. Item in his & ſimilibus, *Deum virtutem, & millia ſex nummum*, poni accuſativum ſingularem pro genitivo plurali: cum manifeſtum ſit illa eſſe, συ'γκατομμένα. Item genium eſſe parſimoniam. Item, *qui ſerius honores adhamaverunt*: cum appareat perperam inſertam aſpirationem, & verum eſſe *adamaverunt.* Sed in his recenſendis non occupabimur, præſertim cum non eſſe nefas de illorum Grammaticorum traditis quærere ampliùs, ex iſtis paucis intelligi poſſe videatur. Atque ita demonſtratum eſſe confido, quantulumcumque ſit, quod nos in Plautinis fabulis integritati ſuæ reſtituendis perfecerimus, id ſtudioſis Linguæ Latinæ gratum acceptumque eſſe debere. Nos quidem ita ſumus animati, ut aliorum ſtudio noſtras operas planè obſcurari expetamus. Sed dicat aliquis: ergo hic autor, ut ais, ad Linguæ Latinæ cognitionem neceſſarius eſt? quo veró argumento? cum & aliorum ſcripta egregia extent, & Plautina ætas ſermone Latino non ſatis polito uſa eſſe videatur. De his ſanè, ſi quis res penitus exquirere velit, plurimum verborum faciendum & oratione prolixa opus eſſet. Sed nos breviter aliquid de utroque diſſeremus. Primum extare, conſervata quidem, ut mihi perſuadeo, divinitus, egregia ſcripta autorum Linguæ Latinæ, fateor & ſcio. Sed nos de puritate & ſimplicitate ſermonis nunc loquimur, quæ de quodam veluti filio orationis popularis ac quotidianæ perſpicitur atque colligitur tantum, propter cùm res ratione & cura inexquiſitas, tum elocutionem inelaboratam & popularem, vel ut ita vocem, vulgarem atque vernaculam. In quo genere ſolo proprietas & natura ineſt, atque cernitur, tanquam fundamenta quædam, nondum extructa domo. Sic enim communiter loquuntur, ut & verbis ſignificantibus, res de quibus illa fiunt, & figuris orationis exprimentibus ſententiam animi, uti velint, ſine ambagibus, & quadam veluti pompa. Idque faciunt alii quidem aliis melius, ut in oppidis quam pagis, in bene inſtitutis familiis quàm ſecus. Ideoque Cicero plurimum putat contuliſſe Gracchis eloquentiam matris Corneliæ, quæ eſſet ſoror Africani. Nam & hæc eſt domeſtica diſciplina, ut animum, ita etiam os fingere parvulorum. Qui hæc igitur fundamenta non jecerint, & fortuito cœperint quaſi ſuper arena axaggerare & educere molem quandam orationis, horum opus labet, & vitioſum ſit neceſſe eſt. Sed Terentium eſſe in medio, aliquis inquiat, qui puram orationem quodam in prologo etiam oſtentet. Hic quidem Poëta & egatur & ediſcatur, & nunquam de manibus deponatur. Cur autem,

ſi vel paris, vel majoris etiam commòditatis aliunde copia offeratur, illam ſtudioſus bonarum artium negligat & amittat? Atque utinam quàm plurima hujuſmodi ſcripta ad nos ab antiquitate perveniſſent, ut eſſet quaſi officina muſica inſtructior. Atque Terentius, quo carere non poſſet hoc ſtudium, eſt tamen in mirifica quadam attentione & cura nimis artificioſus: & dum hoc unum agit, ut Comœdia morata ſit, neſcio quo pacto ſimplicitatem ſermonis non tuetur: & dum ſtudet uti populo oratione, utitur eruditâ. Omnes autem, qui de Terentio ſcripſerunt hanc laudem illi tribuiſſe ſcimus, ut præſtare hunc aliis arte & affectibus exprimendis perhiberent. Contrà in Plauto illa veluti popularitas orationis, & vulgaritas jocorum à quibuſdam etiam improbata fuit. Noti enim ſunt verſus Horatiani:

At noſtri proavi Plautinos & numeros &
Laudavere ſales, nimium patienter utrumque,
Ne dicam ſtultè mirati. Si modo ego & vos
Scimus inurbano lepidum ſeponere dictum,
Legitimumque ſonum digito callemus & aure.

Imò illi meritò & rectè atque ſapienter Plautum laudarunt & admirati fuerunt: tuque ad Græcitatem omnia, quaſi regulam, Poemata gentis tuæ exigens, immeritò & perperam atque incogitanter culpas. Varro reliquit hoc ſcriptum. *In argumentis Cæcilius poſcit palmam; in ἤθεσι Terentius, in ſermonibus Plautus.* Qui eſt ſermo? Qui in circulis, diſputationibus, congreſſionibus familiarium, ut Cicero ait, verſatur: perſequitur etiam convivia. Hæc nimirum eſt populi oratio. De qua Cicero etſi putat præcepta dari poſſe, quod attentavit Pontanus, nulla tamen fatetur eſſe. Hic igitur ſermo, id eſt communis locutionis facultas, & conſervata forma conſuetæ & omnino urbanæ orationis in Plauto reprehenditur ab Horatio, quia non redoleat peregrinam culturam & expolitionem. Quo nomine aio à nobis plurimi hunc fieri, & diligentiſſimè legi oportere. Quod enim nobis & patria & tempus non concedit, ut domi à matribus, nutricibus, pædagogis imbuamur cognitione linguæ hujus, id præſtabit lectio talium librorum, quales reliquit optimos & eximios in hoc quidem genere Plautus: quos tamen non modò bonitas ipſorum, ſed aliorum ſimilium amiſſio & penuria nobis commendat. Nam de antiquitate multis in partibus poſtea mutata, cum quidem litterarum eruditioni & doctrinæ propoſita ſit ad imitandum Ciceroniana ætas, qua eloquentiam perfectam & abſolutam fuiſſe conſtat. De illa igitur antiquitate quod a quibuſdam dicitur, nihil eſt. Hac enim, ut in numis antiquiſſimis quique cupidiſſimè expetuntur ab iis qui divitias congerunt; ita ſtudioſis Linguæ Latinæ nihil debet eſſe antiquius. Non ut temerè & fortuitò proferre, & quaſi neceſſariis uſibus impendere, ſed potius tempori, loco, rebus

buſ reſervare velint. Hoc quale ſit, dici neque breviter, neque omninò planè poteſt: ſed & in ipſis iſtis ſcriptis à doctis demonſtrari ſolet, & à non ſtupidis per ſe etiam cogitatione comprehendi. Nam mediocris prudentia in hac parte omne facilè & incommodum vitaverit, & vitium ac horrorem, ſicut videtur, antiquitatis detergere, & ruditatem expolire poſſit. De his igitur jam ſatis. Cum autem hoc totum, de quo loquor, puerile ſit ſtudium, video à piis & ſeveris non immeritò quæri, ſitne verendum ut talium ſcriptorum lectione & cognitione, non inquinentur ac contaminentur, aut ſaltem profaneſcant mentes teneræ & ingenia ſimplicia ac proba, cujuſmodi in pueris, qui ad ſpem virtutis & ſapientiæ educuntur, eſſe volumus & optamus. Nam omnes occaſiones impuritatis ab hâc ætate removendæ, ut ſecundum Poëtam,

Nil dictu fœdum factúve hæc limina tangat,
Intra quæ puer eſt.

Et quæ alia in hanc ſententiam verè & graviter dici conſuevērunt. Hoc ſanè eſt, ut verum fatear, difficilè. Ac veteres quidem tam noſtræ religionis quàm externorum quidam viri docti & ſapientes, quo pacto legi deberent Poëtarum fabulæ, accuratè docuerunt. Non ſolum enim iracundia habitat in auribus, ſecundum Herodotum, verùm etiam profectò impietas, levitas, libido. Quæ enim audiuntur facta aut dicta nefariè, flagitiosè, turpiter, ea mentem ſauciant, tam judicium ſæpenumero corrumpentes, quàm depravantes voluntatem. Quid igitur attinet circumſpicere & quærere medicinam potiùs vulneris, quàm cavere ne plaga infligatur? Omnino res eſt impedita & magna. Sed quid faciemus? Aut ubi reperiemus bonum, cui non ſit adjunctum malum? Omnia in totâ vitâ plena ſunt periculis, neque quicquam horum eſt expers in ulla ætate, conditione, genereque hominum, ut ſi quis hæc vitare velit, hanc lucem relinquere, & terris excedere debeat. Puerili autem ætati inprimis hoc impendet, morum ſanctitatis & innocentiæ atque pudoris. Quem ſi ſimpliciter, & quaſi ex profeſſo lædunt poëmata, multo erat ſatius pænitus illa aboleri, & ut περίεργα βιβλία concremari, quàm omnino inſpici, nedum proponi ſtudiis puerilibus. Atque fuerunt quædam ſemper, & nunc ſunt talia, quæ exterminanda de ſcolis exiſtimamus. Nam quod ille ait, defendens laſciviam carminum ſuorum,

Vita verecunda eſt, Muſa jocoſa mea:

& alter pronunciare audet, tum demum ſalem & leporem habere verſus,

Si ſint molliculi, & parum pudici.

Horum igitur uterque planè deſipit, neque aſſenſionem invenire à nobis debet. Nam tu, qui ais tuam eſſe vitam pudicam, quare ſine cauſſa in flagitio perhiberi te mendacem cupis? qui commemores ipſe tua illa præclara facinora diurna & nocturna voluptatis obſcœnæ? Idem negas indicium animi librum eſſe. Imò ille eſt certè, ſi non propoſiti

g

atque conſilii, at voluntatis & cupiditatum, quas in turpitudine prodi quid attinet? Ille verò alter quam cauſſam affert ſententiæ ſuæ? an quia τὸ ὅμοιον πρὸς τὸ ὅμοιον, ideo impudicis ſcilicet & diſſolutis illi verſus belli ac lepidi videntur? Quid enim per ſe laudabile in turpitudine eſſe poteſt? Falſum hoc eſt, non eſſe in verbis obſcœnitatem, ut quidam oſtendere conati fuerunt. Obſcœnitate v. riſum & oblectationem quærere, etiam nocens, & veritati ac virtuti contrarium. Præclare autem & hoc Perſæ ſervarunt, ut pleraque omnia, ne quid factu fœdum ſuo nomine unquam eloquerentur. ἅσσα, inquit Herodotus, ἀυτοῖς ποιέειν ὐκ ἔξεστι, ταῦτα ὐδὲ λέγειν ἔξεστι. His igitur nequaquam aſſentiemur commendatoribus obſcœnitatis: multo autem minus illi ſcurræ, qui obſcœnè loquentes ait Romana ſimplicitate loqui. Et talia ſcripta prorſus excludemus è ſcholis puerilibus, & ab illis tanquam à peſte bonæ mentis, abducemus oculos, aures, animos teneros. Atque ſi qua ſcripta tota ſunt hujuſmodi, tota exigantur ac rejiciantur: ſin minus, & in illis eſt alicubi aliquid quaſi purulentum & γαγγραινώδης, illud recidatur: ut reliqua, depulſo veneno, tutò attingi poſſint. Idque & in aliis libris & in Plauto factum eſſe apparet, & nunc etiam faciendum eſſe cenſeo. Præſtaret enim vel ineruditiſſimum eſſe aliquem, quàm per eruditionem imbui ſpurcitia & impuritate, vel etiam impietate, ſcelere, furore. Sed ad nos quidem quæ prorſus eſſent vitioſa ſcripta veterum, nulla vel pauciſſima pervenerunt. In aliis non eſt majus periculum, quam in cotidiano uſu vitæ. Non poteſt enim fieri, ut omnes occaſiones vitiorum auferantur, ſed has rapiunt oculi, aures, manus, undique ſecundum inſitam pravitatem animi uniuſcujuſque. Ut enim Tireſias in Tragœdia inquit, ἐν τῇ φύσει τὸ συγγενεῖν ἔνεστιν εἰς τὰ πάντ' ἀεί: ſic etiam in animis origo eſt malorum omnium. Itaque improbi ac nequam homines proverbio memorantur, κακ' ἐφ' αὑτοὺς ἕλκειν ὥσπερ καικίας νέφη. Atque hi ut ea quæ φάρμακα à medicis nominantur, vitioſos humores attrahunt, quæque ſimiles illos ſibi, nam & χολαγωγὰ hæc & φλεγματαγωγὰ ſunt: ita alii alia admittunt probra, & peccata accerſunt. Qui non bonæ frugi eſt, & ut Græci nominant, ἀκόλαστος, luxus, libidinis, voluptatum illecebris capitur. Theodoreæ autem & Diagoreæ naturæ, contemtum Dei & hominum aſciſcunt: ferocia ingenia, crudelitatis exempla probant: excelſa & ſuperba, faſtu inflantur, & contumelioſa redduntur. Non illa quidem de libris tantum, ſed profectò de picturis ac ſermonibus quoque, deque iis quæ in aliam partem fiunt atque dicuntur. Quin etiam plerique vitiorum inſectationes & reprehenſiones, ad vitia in ſe ſtabilienda aſſumunt. Audivi de quodam, qui affirmaret ſe quandam cauſſam non aliter quàm de adverſariorum diſputationibus cognoviſſe. Eodem verò modo, non pauci ex iis præceptis quibus contra vitia animi inſtrui poſſent, vitiorum doctrinam ſibi faciunt. Hæc eſt occulta quæ-

dam vis naturæ, ut omnia impellat ad ſui ſimilium appetitionem; atque ita

Γλυκὺ μὲν γλυκὺ μάρπτε, πικρὸν δ' ἐπὶ πικρὸν ὄρουσε

ſecundum Empedoclem.

Atque hoc eſt perpetuum certamen in bonis, & hæc aſſidua lucta cum vitiis, & cura atque contentio perveniendi eo laudis, quò ſe quiſque incitari, & ad id perficiendum, ad quod ſibi divinitus adjumenta collata eſſe ſentit: ne quid invita, ut dicitur, Minerva experiatur. Hæc ſunt manifeſtiora, quam ut demonſtratione magnopere indigeant. Cauſſas quidem ſapientia humana non videt. Uno verbulo, libidinoſus, avarus, malitioſus, abblandiente morbo ſuo, mirificè commovetur, & alimoniam mali apprehendit. Hoc alteri aut non nocet, aut prodeſt etiam. Cujus pravitatis reſpectu, ea quæ vel ipſa; pernitioſa non ſunt, vel etiam fructum afferre bonis poſſunt, prætermittenda aut explodenda non ſunt. ὥσπερ γὰρ φύσις, ὥσπερ οἰκονόμος ἀγαθὸς οὐδὲν ἀποβάλλειν εἴωθεν ἐξ ὧν ἔστι ποιῆσαι τι χρηστόν, ut inquit Ariſtoteles. Si enim hoc fieri oporteat, nullam virginem aut matronam exornatam in publicum prodire propter libidinoſos, non ſignari aurum & argentum propter avaros, denique non rationem collatam fuiſſe hominibus propter malitioſos, rectum eſſe videatur. Imò cœli ipſius pulcherrima ſpecies occaſionem atrociſſ. ſceleri εἰδωλολατρείας præbuiſſe credatur, in qua admirati homines Solem, Lunam, ſidera, & horum motus, & in hoc incredibilem ordinem atque conſtantiam, & admirabiles quaſdam affectiones, pro deis illa colere ac venerari, & ſimulacra effingere, & fana conſecrare cœperunt. Voluit etiam hoc Ovidius docere in illa epiſtola ſcripta Auguſto Cæſari, nihil eſſe quod non prodeſſe, & lædere idem poſſit. Atque ibi veriſſ. ſententiam eleganti verſu pronunciavit,

Omnia perverſas poſſunt corrumpere mentes.

Quapropter de Poëtis quidem quaſi virus quoddam inſtillandum non eſt pueritiæ. Atque illa quæ veluti ſauciare mentes & ſimplicitatem animi vitiari poſſent, ne recitanda quidem coram illis, nedum explicatione agitanda ſunt. Quod nos movit, ut quædam in Plauto, quorum emendatio fuiſſet in promptu, inducere maluerimus, quàm in talibus oſtentare eruditionem noſtram. Ab iis autem quæ minus graviter, quæ ſcurriliter, quæ improbè dicuntur, quibus cotidianæ vitæ & temporum vitia ac peccata notantur, nemo afficietur ullo detrimento, niſi quæ eruere ultrò, ſeséque damno ipſe afficere voluerit. Ubi quidem, quod ad pueritiam attinet, cui cupimus ad proprietatem linguæ Latinæ percipiendam proponi hunc autorem, permultum ſitum erit in magiſtris & explicatoribus: qui ſi erunt prudentes & viri boni, non modò à ſenſibus & cogitationibus puerorum

omnem injuriam propulſabunt commoditate interpretationis, ſed illis etiam maximam utilitatem ſalutarium præceptorum conciliabunt. Nam ſi qui ſunt, qui ſe in iis locis, quibus mentio fit flagitii alicujus, jactitant atque volutant, ut porcus in cœno, quid cum his nobis rei aut negotii ſit? qui ab inſtitutione puerili, & de ſcolis tanquam peſtis mala & lues morum extorres agendi ſunt. Ego quidem, fatebor enim verum, non ſemel cogitavi animo meo, an opera hæc propter eventus dubiam fortunam placere poſſet Deo, & non aliena eſſe à profeſſione Chriſtianâ videretur. Ac non pauca contra hoc in mentem mihi venerunt. Sed ratio tamen vicit, neque impium hoc ſtudium, neque rem indignam eſſe cupido pietatis & virtutis. Quod ſi aliter videretur, & contraria ſententia probaretur nobis, abjiceremus potius hæc ſtudia θυμόφθορα & imbuentia animos flagitiorum aut ſcelerum quaſi fœtore: & non augeremus prioris vitæ delicta, neque peccata vetera novis in dies accumularemus. Sed mihi cogitanti in mentem venit, *duo* eſſe quæ tradi hominibus velit Deus, *cognitionem ſui, & eruditionem vitæ*. Quorum altetum divinum totum, & humanam intelligentiam ſuperans, ipſius proptium eſt opus, in quo ingenii acrimonia, ac vis & gnavitas, nihil loci habet: & quibus illa contigit, ii gloriari verè poſſunt, ſe adeptos eſſe id quod homini evenire atque tribui poſſit optimum & maximum: ſed hæc eſt diſciplina inſtaurans naturam noſtram, & cor atque intelligentiam reparans, denique novum creans atque gignens hominem. Quam rem Philoſophia penitus ignorat, & omnis ſapientia, omniſque doctrina in terris comprehendere nequit, de quo in præſentia nihil dicendum eſt. Alterum verò, divinum quidem donum & ipſum, collatum tamen & attributum mentibus hominum, ſui quaſi poſſeſſores illos habet, & non modò quale ſit intelligi captu humani ingenii, ſed viribus etiam hujus elaborari poteſt. Inſevir enim Deus animis noſtris judicium boni & mali, cupiditatem ac appetitionem illius, hujus odium atque fugam. In bonis autem hoc ponit vel ſolum, vel certè præcipuum ac maximum & ſingulare officium, decus, laudem, non falſæ & inanis gloriæ, ſed virtutis atque dignitatis. Ad hæc igitur propria atque peculiaria bona, inſtitui Deus humanum genus vult ac jubet, ut hæc divina veluti ſtirps exculta ſuos fructus ferat, conſiliorum & actionum veritate & pulchritudine præſtantium. His & res publicæ & privatæ cùm conſtituuntur, tum conſervantur. Hæc eſt hominis excellentia, & naturæ illius, ut ita loquar, exaggeratio. His ſublatis, multis beſtiis humanum genus inferius reperietur. Atque horum ludus & palæſtra quædam ſunt litteræ & ſtudia bonarum artium, quibus animi pueriles præparantur & finguntur ad humanitatem & virtutem, & quaſi ad conſpectum bonorum ſuorum deducuntur, converſa acie mentis ad contemplationem horum, ut quid in ſe inſit quod ad hominum ſocietatem & utilitatem generis ſui

proferri poſſit, quiſque norit ac ſciat. Nam & hoc vetus verbum ſubjicit atque jubet, quo præcipitur quiſque ſeſe ut noſſe ſtudeat, bona quoque, & hæc quidem imprimis, ſua ut norit. Ad hæccine verò, inquiat aliquis, Plauti leviſſima ſcripta momenti quippiam allatura eſſe videantur? Hoc ſcilicet hic dicit, nihil conferre regiæ domui cementa & calcem, neque parvis quoque rebus magna juvari. Non ego enim nunc hoc diſputabo, quod multi, & de quo Horatius: ſic enim ille ſcribens Auguſto:

Os tenerum pueri balbumque Poëta figurat:
Torquet ab obſcenis jam nunc ſermonibus aurem,
Mox etiam pectus præceptis format amicis,
Aſperitatis & invidiæ corrector, & iræ.
Rectè facta refert: orientia tempora notis
Inſtruit exemplis, inopem ſolatur & ægrum.

Sed hæc non petenda eſſe dicam de Plauto. Non huic decori cúſtodiam, non diſcrimina perſonarum, non ſtudium morum, non jocorum elegantiam & urbanitatem nunc tribuam. Adimam etiam judicium, quod exactius eſſe in una Terentiana fabula Eraſmus pronunciat, quam in Plautinis omnibus. Non enim de his jam agimus. Quid eſt igitur quod autorem hunc commendare puerilibus ſtudiis, debere videatur? parvum quiddam, & admodum exile, quod de illius lectione oſtendimus poſſe eis contingere, ſimplicis & proprii ſermonis copiola quædam. Hoc ego aio eſſe id quo inſtructi illi, egregia honeſtatis & recti ac veri munera exequi aliquando poſſint. Hoc fortaſſe mirum alicui ex magnorum & Honoratorum numero videatur, tantillam curam puerilis ætatis, illa incrementa & excitare & perficere poſſe. Atque erit, ut opinor, qui verum eſſe neget. Mihi autem non modo ſic nunc eſſe hoc verumlibet, ut ait Terentius, ſed ratio etiam vincit ac concludit. Nam conſtat, ad virtutem & laudem vitæ omnem more & aſſuefactione perduci homines. Ea enim quæ actione tota continentur, agendo etiam obtineri & comparari ſolent. Quid autem ſine veritate & conſtantia pulcrum, atque præclarum? Imò quid abſque his non turpe atque vituperandum fuerit? Eſt & hoc manifeſtum, qui certa & exquiſita & bona oratione utatur, in eo ſententiam & cogitationem non eſſe vagam, neque futilem & levem: illa verò, ut dixi, certa, exquiſita bona oratio, proprietate & ſimplicitate, & puro quaſi fonte ſermonis neglecto atque prætérito, acquiri unquam poterit. Nemo hoc dicet aut ſuſpicabitur. Relinquitur igitur hoc quod cupimus probare, ad virtutem & ſapientiam, hoc ſtudium ſermonis proprii & certi, quamvis parvum atque minutum, tantum tamen conferre, quantum maximis & præclariſſimis quibuſque effectionibus, ea ſine quibus

illæ vel inchoatæ, vel abſolutæ nunquam fuiſſent. Nam quales ii ſint etiam in excellentia ingenii & doctrinæ abundantia, qui iſta parva aut ſpreverunt, aut aſſumere nequiverunt, qui volet conſideret atque videat, oculos intendens in omnem ætatem & populum. Semper enim reperiet, eum aut errore & ſtultitia hominum, aut perturbatione & calamitate temporum, illa tenuitas & parvitas ſtudii hujus neglectâ excluſâve fuiſſet, & rempublicam labefactatam, & domeſticam diſciplinam perverſam eſſe, obortis variis & multiplicibus, necnon abſurdis & inconſentaneis opinionibus, cum non magis diſerta eſſet elocutio, cûmque quaſi confuſis ſonis, non intelligeretur ab uno id quod alter memoraret. Atque ita etiam hoc tum uſu venit, ut quemadmodum Cicero, in exordiis quibuſdam hujus erroris & neglectionis queritur, nihil ſit loci pudori, probitati, virtuti, rectis ſtudiis, bonis artibus, utque tandem omnia peſſum eant & confundantur. Atque fit ſæpe, ut in quadam veluti veterno ignorantiæ, cum vera pro falſis homines amplectantur, dubia pro certis, fluxa pro firmis, obſcura pro manifeſtis, tum quaſi ſopitum malum non ſentiatur: ubi verò commoveri cœpit, ibi tanquam Camarinæ cujuſdam fœditas exagitatur, & vitia illa conſpicua fiunt, atque erumpentia plerunque, & quaſi curationi repugnantia in corpore humoribus malis referto, tumultuantur. Ita fit, ut reſpublicæ tum graviſſimè concutiantur, cum innoteſcunt & aperiuntur errores ac peccata ſæculi atque hominum. Quapropter ſi expetenda virtus eſt, & fugiendum vitium, non contemnantur neque parvi fiant ea, quorum eſt quamvis exiguorum ea tamen vis, ut virtutis iter patefaciant, & quæ, cum negliguntur aut denegantur, neque obtinentur, vitam veluti ſentes vitiorum obducere ſoleant. Quorum exempla evidentia ſuppeditant noſtra etiam tempora, quibus cum divinitus prolati & indicati fuiſſent errores multiplices, ea indignatio hominum fuit, ut non illis neque ſuæ vel improbitati vel infelicitati ſuccenſerent, ſed in reprehenſionem & ſalutaria præcepta ſeſe inferrent atque inveherentur: facile enim paſſi fuere & pertulere omnia homines, quouſque abfuit adverſatio, vel affuit potius obſecundatio, & ut Plautus ait, obſequela, & eſt ſecundum Platonem, ποιοῦντι τῷ ἡδὺ τὸ μὴ ἀντιτείνειν. Reflante autem vento, & exagitante judicia opinioneſque & ſententias hominum, eam ſcimus exortam miſeriam, cum qua conflictamur jamdudum, cujus utinam ἡ καταστροφὴ complectatur συμφορὰς ἀγαθάς. Sed eventum permittamus Deo: cauſſa certe perturbationis vel commotæ vel auctæ, eſt inhumanitas & imperitia ac barbaria. De qua re neque dicemus, neque queremur, in præſentia quidem, amplius. Me autem credo vel potius certè ſcio, ſi aliud quicquam eſt quod credam aut certò ſciam, ut noſter inquit Soſia, credo ego, me & pio & non expertæ utilitatis ſtudio, hanc operam navaſſe inſtitutioni puc-

rili, quam Plautinarum fabularum caſtigationi impendi: eamque, oro Deum, ut ad Chriſti potiſſimum gloriam adjungat, deinde & ad rerum humanarum compoſitionem atque proſperitatem accommodet, adductis ſententiis & lingua hac in parte ad certam quandam rationem, in obſervatione & notatione proprietatis ſermonis, de principiis ſimplicis & puri ac cotidiani uſus illius. Ut enim meum quantulumcunque profectum in litterarum ſtudio, ita omnium incœpta & conatus & diligentiam cupio & opto inſervire nomini Chriſti, & dirigi ad celebrationem illius & illuſtrationem doctrinæ Evangelicæ. Id autem quod nos præſtitimus, eſtimandum aliis relinquo &c.

JOACHIMUS CAMERARIUS Pabebergenſis Franciſco Crammio Sagano S. D.

DUM tu terras & maria obis, & mandatas res exequeris, nos hîc, ut ſolemus, conceſſo otio utimur, dum licet: & ſtudia ac litteras noſtras colimus, quaſi diu multumque uſus aliquis harum futurus ſit. facimuſque ſimiliter in hac parte, quemadmodum in re familiari Græcum Epigramma faciendum eſſe præcipit, ut tanquam ſemper hæc duratura ſint, ita colligamus atque condamus adjumenta artium bonarum, in opinione etiam fore ut à poſteritate promantur ea, quæ à nobis repoſita atque conſervata ſint. Sed iidem, ut verum fatear, ita his ſtudiis fruimur, & ea in augendo & amplificando eſt incuria noſtra, quaſi omnia mox interitura ſint. Sed de eventu, ut par eſt, permittantur Deo omnia. De noſtris autem rationibus judicium eſto bonorum; in quas dupliciter inquiri poſſe video. Primum, ut dubitetur, an omnino talia ſcripta, qualia nunc publicamus, pietatis & religionis ſtudio, quod præcipuum eſſe debet, conſentanea eſſe videantur. Secundò, ut quæratur, cur non aliis potius in libris tantum diligentiæ & operæ poſitum ſit. Ego verò, cum de utroque me jam antè accuratè diſſeruiſſe confidam, in præſentia poſſum breviter hæc explicare. Neque enim ego is ſum, quem pudeat ſuæ ætatis: neque reperio quam ſpem eruditionis faciam ulli, abſque cognitione utriuſque linguæ, Græcę ac Latinę. Hæ verò quomodo perdiſci potuerunt, neglecta & inobſervata proprietate utriuſque? Atque id eſt profectò, quod omnibus temporibus, etiam illis quibus ſtudia doctrinæ maximè viguerunt, pauciſſimi præſtantes eruditione viri reperti fuerint. Non defuit illis quidem naturæ & ingenii bonitas, non fugerunt plerique etiam induſtriæ & ſtudii laborem. Hæc autem neglectio corrupit rem, quòd non curarunt, ne ſuæ quidem linguæ proprietatem intelligere atque perſpicere. Ex hoc & diverſitas ac diſſimilitudo ſermonis nata, & diſſidium ſententiarum ortum,

& tandem doctrina omnis, poſthabita eruditione litterarum, depravata fuit. Hæc ſcio neque ſatis intelligi, & derideri à plurimis. Sed quid nos in referendis & approbandis rationibus noſtris aliud poſſumus aut debemus facere, quàm ut ea commemoremus, quæ nos animadvertimus atque notavimus? Quæ ſanè videantur levia, niſi omnium ætatum atque temporum exemplis confirmantur, quibus manifeſtum fit, veritate orationis non cuſtoditâ, ſecutum hoc eſſe, ut eruditio litterarum contemneretur: & ita mox doctrinam degenerare cœpiſſe, & tandem penitus fuiſſe corruptam. Nam quam etiam Reipub. calamitatem attulerit hoc malum, nunc non diſputabo, ne quis veluti ... hanc declamitari à me exiſtimet. Doctrinam quidem bonarum artium & ſtudia ſapientiæ non ſolum dignitatem conciliare rebus humanis, ſed ſalutem etiam & incolumitatem præſtare in terris, cui perſuaſum non eſt, erga illum eſſet alia diſputatione opus: quam hoc tempore & argumento ſuſcipiendam non putavimus. Sit igitur hoc demonſtratum, Neque ſine doctrina vitam rectè & laudabiliter degi, neque doctrinam ſine eruditione litterarum conſiſtere, neque hanc ullam eſſe abſque Græcæ & Latinæ linguæ cognitione, neque percipi illas poſthabita proprietatis conſideratione poſſe. Quæ ſi verè collegimus, conſequens erit, ab iis quorum provincia eſt litterarum doctrina operam quæ in ſcriptorum talium, Plautinorum præcipuè, ſi Latina lingua diſcenda ſit, explicatione ponitur, non malè, ac potius præclarè & utiliter ſumi. Plautina enim ſcripta quò minus curâ quaſi concinnata, & arte elaborata ſunt, eò manifeſtius atque certius in his proprietas & natura ſermonis Latini conſpicitur. Hæc autem duobus præcipuè continetur: verborum ſimplicium vero uſu, & inter ſe junctorum debitâ conſtructione. In priore ſignificatio ſingulorum, in poſteriore ſenſus animi declaratio ſpectatur. Itaque illa vocabulorum, hæc figurarum in loquendo cura & obſervatio eſt. De quibus indicandæ rei gratia tantum nos dixiſſe ſatis ſit. Alterum videri poſſit ad explicandum difficilius. Quomodo enim non diſcrepabunt hæc ſcripta à doctrina pietatis & religionis, cum ſive ſacrorum ſeu profanorum mentio fiat, ſumma in his levitas, & omnia falſitatis ac errorum plena eſſe reperiantur? Quid ego dicam de iis, in quibus delicias faciunt autores iſtorum ſcriptorum? jocos inquam illos obſcœnos, & turpitudinem extremam, qua non modò aures piæ læduntur, ſed animi etiam ſaucientur, & voluntas depravetur, & cupiditates malæ excitentur. Poterant plura enumerari contraria ſanctiſſimis præceptis, & ſalutaribus monitis pietatis & religionis, quæ comprehenſa ſunt & tradita in his ſcriptis. Et, ut verum fatear, hujuſmodi cogitationes me non parum aliquando conturbarunt. Sed, ut opinor, verè reſponderi & expedire hæſitantem hoc poteſt: Non proponi, ſi quid eſt talibus ſcriptis expoſitum, improbè aut turpiter dictum vel factum, ad ſequendum & exprimendum, non magis quam parricidia

dia & adulteria Tragica: ſed potius ad execrandum & deteſtandum atque refugiendum, cùm aliis in conſiderationibus, tum præcipuâ iræ Dei atrociſſimæ, qua ignorantes ille veritatis eos qui in hoc mundo eſſe vellent præſtantiſſimi virtute & ſapientia homines, ad eam paſſus eſt perverſitatem prolabi, ut de nefariis flagitiis & fœdiſſima turpitudine jocos ludoſque facerent: utque congregarent iis temporibus, quæ divino cultui eſſent conſecrata, omnes utriuſque ſexus, cujuſque conditionis & ætatis cives, ad hæc dedecora vitæ atque morum audienda ac ſpectanda. Quod ſi jam aliquem qui iſta legit, quaſi titillatit voluptas & libido, ut ſi cui videatur fortunatus fuiſſe Agamemnonii conjugii atque regni ſubſeſſor, is paululum ſe tanquam rationis remigio inhibeat, & finem intueatur, illaque tam ſcelerum quàm flagitiorum ἐπιχείρεια, ac poſtea ſtatuat quid de his ſentire & amplecti conveniat. Nam ut Deus impunitam eſſe audaciam ſcelerum non ſinit, ita neque petulantia flagitiorum caret ſupplicio, ſive immania utraque ſint, ſeu communis vitæ hujus peccata. Quòd ſi cui ſingulorum correptio & pœna minus manifeſta eſt, is hanc omnium quibus mendacia potiora ſunt veritate, miſeriam intueatur cæcitatis animorum, tam in judicii perverſitate quàm voluntatis depravatione. Qui, etſi non eſt eis obſcura ſententia Dei, ὅτι οἱ τὰ τοιαῦτα πράσσοντες, ἄξιοι θανάτου εἰσὶν, οὐ μόνον αὐτὰ ποιοῦσιν, ἀλλὰ καὶ συνευδοκοῦσι, τοῖς πράσσουσιν, ut inquit Paulus. Hæc igitur horribilia ſunt, neque ſunt occulta, ſed manifeſta & ante oculos. Ut autem ſi quis inconceſſo alicujus matronæ amore flagrans ſciat ſe in inſidias delatum eſſe, & verſari in periculo, ne deprehendatur ἐπ' αὐτοφώρῳ, nunquid illum non magis tum cupiditas extimulatura, ſed impendentis exitii metus ad curam ſalutis ſuæ converſurus eſſe videatur? Similiter & hæc dum audiuntur & leguntur, adſit hic ſenſus iræ DEI, & metus juſti ſupplicii: atque ille pruritus facile reprimetur. Aut ſi in aliquibus hoc non fiet, & erunt ii pauci numero, & planè deplorati quidam, & ἀδόκιμοι τὸν νοῦν. Sed ætas, inquiat aliquis, puerilis, cui tu iſta potiſſimum apparas, incautior & imprudentior eſt, & levior, quàm alia ut cogitet & perpendat. Diſcere hæc igitur pueros volumus, & jubemus tradi diligentius, quàm illa quorum cauſſa proponuntur, ſermonis nimirum naturam & proprietatem ut perſpiciant. In quo ſi quid jam forté delinquatur, non noſtra hæc culpa futura eſt, ſed illorum quibus hoc onus incumbit, ut ſcholaſticis muneribus eos præficiant, qui rectè & ordine adminiſtrare omnia ſciant. Atque utinam hæc damna morum averti, & iſta vitia emendari poſſent, quibus jam conſuetudine & more læditur educatio & inſtitutio puerilis, publicè ac privatim, non modò exemplis tam externis quàm domeſticis, ſed præceptis etiam traditionum quarundam, quibus manifeſta quædam πλημμελήματα ſanciuntur. Hoc illud eſt, quód hujus ſæculi corruptio indies fit major: utque diſciplina omni ſoluta, audiantur quidem alicubi præcepta & monita pietatis, religionis, vir-

tutis, continentiæ, moderationis, caſtitatis: ſed cùm inde ſuam quiſque eunt diverſi domum, nullus eſt illo pacto ſicut illa juſſerant, ſecundum Plautum noſtrum. Quid ita? Quia omnia aliter fieri, & pleraque non modo in improbitate & turpitudine animadverſionem effugere, ſed approbationem invenire cernuntur. Reprehenditur ebrietas: & hoc mox inter pocula recitatur eſſe factum, & continuatur nihilominus. Quid alia? fraudes, impoſturæ, luxus? An pro inhoneſtis jam habentur? Immò contra hæc ipſa propoſitæ edictiones, eos qui exercent protegere ac tueri videntur. Non poſſum in dolore, neque debeo hoc loco, de his plura dicere. Sed hæc eſt profectò occaſio omnis deformitatis, & criminum ætatis noſtræ: qua niſi emicuiſſet lux veritatis, jamdudum in tenebris oppreſſa omnia, & confuſa jacerent fluctuantia in errorum quaſi undis, & tandem illiſa ſcopulis, veluti navis, quæ Pelagi jactatur gurgite vaſto, diſſiparentur, & disjecta interirent. Sit noſtrum opus parvum: eſt enim initii, quod ſpeciem habere, aut magnum videri non ſolet. Hoc tamen agimus, & hoc conamur, ut id quod diſcendum eſſe credimus, recta via & ratione doceatur. Oſtenduntur bona ſæculo noſtro eximia. Hæc ſi non appetere neque conciliare ſibi homines voluerint, quid aliud exiſtimem futurum, quâm mox ut amiſſa cum ingenti dolore & miſeria, fruſtra requirant αὖθις: ut ait Xenophon, τὸ μὴ λαβεῖν τἀγαθὰ οὕτω χαλεπὸν ὥσπερ τὸ λαβόντα στερηθῆναι λυπηρόν. Confirmanda autem eſt mens in hac parte, ne fluctuet, neu hæreat in dubitatione, qua fieri poſſet ut aliquando graviter & periculosè commoveretur. Nam conturbatis rationibus animorum, atque judiciis obſcuratis, mirabiles errores ſtabiliri, & abſurdiſſima ſæpe dogmata aſſeri ſolent. Scimus quæſitum fuiſſe à veteribus quoque, eruditis illis & doctis viris, cultoribus religionis Chriſtianæ, utrum permittenda eſſet lectio librorum eorum, quos à veritatis cognitione alieni quocunque argumento compoſuiſſent, Græcè hos ſecundum Paulum τοὺς ἔξω vocarunt. De quo alii aliter. Nam ii quibus illæ ἀναχωρήσεις καὶ ἀφωρισμέναι μοναὶ, & eximiæ ἀπαθείας in coercenda appetitione naturali placuerunt, hoc genus lectionis prorſus à ſuis removerunt. Ideo max. quòd non carerent illa ſcripta voluptate quadam leniter titillante animos, quos aſſuefieri ad ἀπάθειαν oporteret: ita enim habitum quendam vocarunt, quo hoc fieret, ut cogitatio neque lætitia quaſi difflueret, neque triſtitia contraheretur, reconcinnantes ad ſuæ profeſſionis formam Stoïcum dogma. Alii æquiores, non repulerunt quidem ab his libris Chriſtianos: ſed & quo conſilio atque propoſito illi legi, & quo modo ac attemperatione pueris proponi deberent, diſſeruerunt. Cum prioribus illis ſi quis diſputare vellet, longa eſſet & varia oratione opus futurum. Et multi etiam totam illam ſeparationis περιέργειαν non probant, & in hac ſuperſtitionem implicitam eſſe negari non poteſt. Hoc ſanè fatendum, ſi quis ſapientum & eruditorum veterum ſcriptis ad malarum cupiditatum fomenta, aut etiam incendia abutatur, & ita lectioni indulgeat, ſtudio

eum occupari indigno vitæ & moribus & ſententia Chriſtiana. Sed propter hoc vitium lectionem librorum iſtorum omnino damnare, eſt ejuſmodi, ut ſi quis propter libidinoſam aliquorum & prurientem ſpectandi imagines mollius atque venuſtius pictas intentionem, cenſeat undique ab omnium oculis & aſpectu imagines eſſe amovendas. Immo tollatur voluntatis illa perverſitas, & cùm mens veritate doctrinæ ad amorem caſtitatis convertatur, tum affectiones omnes animi diſciplinæ ſeveritate refrenentur: ita poterit & hic ſpectator, & ille lector etiam, ſuavitatem quandam intuendo & cognoſcendo percipere, neque honeſtatis neque pietatis neque utilitatis expertem. Nam quod ad ἀπάθειαν iſtam attinet, γοητεία eſt hæc quidem, cum præſtigiis quibuſdam eum qui homo ſit, facere conantur ut non homo eſſe videatur, uſque adeò, quemadmodum laudans hanc Evagrius inquit, λαλοῦν διεστραμμένα, ſecundum Paulum, ut etiam ferarum naturâ induatur, τῆς τε ἰδίας παρεξαστάσεως, καὶ τῆς γνώμης λοιπὸν οὐ συμβαινούσης ἀνθρώποις. Quod quidem neque rectum, & deforme ac omnino pernicioſum eſt, id de hac opinione jam correborata manavit, ut de Eccleſiaſticis ſtudiis diſciplinæ bonarum artium excluderentur: ita doctrinâ ſublatâ, & introducta barbarie, poſtquam jam tanquam in Trojanorum caſtris Homericis, οὐ ἦεν ὁμὸς θρόος οὔτ' ἰὰ γῆρυς, ἀλλὰ γλῶσσ' ἐμέμικτο, quò tandem Eccleſiaſtica res reciderit, videmus. Sed de his neque breviter dici poteſt, neque prolixè nunc quidem debet. Cum illis autem alteris in hoc planè conſentimus, neque inconſideratè pueris iſta ſcripta proponenda, neque temerè ab ullo legenda, & accuratè atque prudenter cùm enarranda, tum cognoſcenda eſſe. In aliis quibuſdam rationes ipſorum minus videntur eſſe explicatæ. Sed hoc nobis ſatis eſt, quòd dant, & legenda, & in ſcolas proferenda eſſe; idque accipimus: & quod addunt, circumſpectè & cautè, id vehementer etiam laudamus. Atque utinam hac parte cum voto noſtro eorum voluntates congruerent, quorum & ſententia ac autoritas in conſtituenda hac reipub. parte plurimum valet: & eæ ſunt copiæ ac vires, ut ſuſtinere atque perficere poſſint, quicquid ſuſceperint ac voluerint. De quo tamen cum in hac & rerum perturbatione, & hominum ſolicitudine & temporum miſeria quid ſperem non habeam: ſi meo qualicunque labore inſervirem patriæ, & pueritiæ ſtudia dirigerem, & adjuvarem conatus tam ingredientium, quàm alios deducentium in hæc exordia eruditionis litterarum & doctrinæ, unde ad omnem ſapientiam & virtutem procedi, & cùm ad civiles adminiſtrationes, tum veræ religionis atque pietatis reſpectum ac cultum præparari animi ſolerent, atque poſſent: hanc, inquam, operam diligentiæ & laboris mei, & DEO gratam, & noſtris hominibus utilem, fructuoſamque fore credidi. Confidoque etiam alios bonos, & ab humanitatis ſenſu non abhorrentes, neque improbaturos judicio ſuo, rationes & lucubrationes iſtas, & favore quoque perſecuturos eſſe. Sed

ταῦτ' εἰς θεὸν χρὴ πάντ' ἀναρτήσαντ' ἔχειν.

Nos eò, unde digreſſi ſumus, revertamur. Manemus in ſententia, ſtudia utriuſque linguæ excolenda eſſe: & eſſe hanc viam ad ſcientiam & veritatem, quibus & cultus DEI, & hominum communitas continetur ac durat, &c.

DE CARMINIBUS COMICIS.

DE Plauto Fabularum iſtarum autore pauca dicam: inprimis conſtet quo tempore vixerit: hunc incidere in ætatem Catonis: quo & ipſo Cenſore mortuum eſſe, ſcripſit Cicero, ante ſe Coſ. CLX. annis, hoc eſt, ab V. C. circiter P. D. Claudio, L. Portio Coſſ. Cujus ætatis, in quam Nævius quoque includitur, participes fuere ultra citraque Ennius, Cæcilius, Pacuvius, Terentius. Pacuvium quidem ac Cæcilium male locutos, Cicero ait. Ennium & Nævium probat. Sed noſtro ſtudio relictus eſt Plautus & Terentius tantùm. De his igitur petenda forma Latinæ locutionis, & ſternendum quaſi ſolum, ſuper quo oratio bona & diſerta, verbis & ſententiis aptè conſtructa collocetur. Non enim compoſitio, neque veluti ædificatio qualis eſſe debeat illius, hinc ognoſci aut dici poteſt. Etiam munditiæ & nitori, & ut ita dicam, innocentiæ ac integritati ſermonis antiquitas officit, cùm quia omnium rerum eſt ſua elaboratio & perpolitio, quæ perfectio exiſtimanda: tum quòd ſtudium elegantiæ ut in vita, ſic ſermone quoque illa non uſurpavit. Quapropter poſteriores in ſermone priorum nonnulla mutarunt emendantes, formam certè componendo, & quaſi coagmentando atque reconcinnando reddiderunt & pulchriorem & meliorem. Hæc jam illa eſt certa & conſtans, atque omnium eruditionis atque bonarum artium cupidorum imitationi ſola propoſita, Ciceronis, & eorum qui ætate illa vixerunt: ſed Ciceronis, ut principis & autoris Latinæ linguæ. De quo alibi diſſeruimus copioſius, cum contra reprehenſores hujus ſtudii diſputaremus. Hæc autem qui perſpexerit, in Plautinis & Terentianis ſcriptis ita verſabitur, ut quaſi materiam orationis bonæ, & ſi fas nobis eſt dicere, eloquentiæ Latinæ ab illis ſumat, neque in delectu vel verborum vel figurarum ſermonis allucinabitur. Sed de hoc jamdudum ſatis. De Comico autem carmine etſi alii ſcripſere, quæ magnifactio, probo, tamen noſtro quoque ſtudio exiſtimo adhuc loci aliquid relictum eſſe; cum res illa quidem ejuſmodi ſit, ut penitus comprehendi & omnium etiam diligentiâ quaſi enucleari his temporibus nequaquam poſſe videatur. Quò autem eſt difficilior labor, eò aſſiduitatis pluſculum in veſtigando adhiberi convenit. Nihil autem tam eſt abſtruſum, de quo non aliquid, ſi ſæpius & ſtudioſè exquiratur, erui poſſe ſperandum ſit. τὸ γὰρ ζητούμενον, inquit Sophocles,

κλωτὸν, ὀκρέυγε ἢ τὰ μελύμβον. Minus autem certè turpe eſt, in eo à quo quamplurimos magnitudo & obſcuritas deterruerit, quantumvis modicos, quàm illorum veſtigiis inſiſtentem nullos progreſſus feciſſe. Si tamen eſt adeò digna res, ubi quis nervos intendat ſuos, ut ait Terentius. Quod quidem ita eſſe nobis perſuaſum eſt, & ſenſerunt omnes qui aliquam famam eruditionis litterarum & doctrinæ conſecuti fuerunt. Cum quidem non ſolum beſtiæ demulceantur numeroſo ſono, ſed ſolitudines etiam atque ſilvæ quaſi afficiantur, ita reſpondent carminibus. Qui Muſarum reliquias in cura bonarum artium non amplectetur, vel etiam contemnet, eum nos quidem nimis aut faſtidioſum aut barbarum quoque eſſe judicabimus. Etſi fatemur in hac parte ſupervacaneum, in quodam inconceſſo amore Muſarum inſanum ſtudium impendi non oportere, ne ſequentes volucres illas, hoc remigio deſtituti, ut de Pyreneo fabulæ tradunt, in exitium nos præcipitemus. Sed ad rem accedamus: pauca quidem quaſi præfati de horum ſcriptorum genere. Comicus Poëta fuit Plautus. Comœdia autem eſt Poëma δραματικὸν, hoc eſt expoſitio numeroſa, id eſt, carmine comprehenſa, & in actionem implicita, ſeu collata in perſonas, argumenti ficti, de rebus, caſibus, negotiis ſumptis è vita communi, & quaſi quotidianis eventis. Hoc carminis genus de Tragœdia fluxit, ut Horatius docuit, qui Theſpin dicit inveniſſe ignotum genus Tragicæ Muſæ: atque addit,

Succeſſit vetus his Comœdia non ſine multa
Laude.

Initia autem fuiſſe admodum parva & rudia: cum hilares, poſt labores exactos, diebus feſtis, concinerent aliquid, & alii, & idem Horatius in epiſtola ad Auguſtum perhibet, ubi dicit, ab innoxiis jocis libertatem hanc intolerabilem licentiam provectam fuiſſe. Qui primus autem Comœdiam ſcripſerit, non conſtat. In libro qui Ariſtoteli inſcribitur de Poëtica, inter alia & hæc leguntur: Siculos ſibi vindicare inventum Comœdiæ: fuiſſe enim Epicharmum ante Chonnidem & Magnetem: & uti nominis quoque teſtimonio. Eſſe enim certé Comœdiam, non ἀπὸ τῆ κώμν, ſed ἀπὸ τῶν κωμῶν, id eſt, non de hilaritate & exultatione, ſed de pagis appellatam. Sed ab Athenienſibus pagos non κώμας, verum δήμυς vocari. Similiter & quoſdam Peloponneſiacos ait ſuum facere inventum Tragœdiam, quòd fabula δράματα dicantur: cum tamen Athenienſibus in uſu non ſit verbum δρᾶν, ſed πράττειν. Ibidem & hoc ſcriptum eſt. Ab eo demum tempore Comœdiæ autores celebrari, quo formam illa & ſpeciem quandam nacta fuerit, cum principiò obſcura eſſet, & autores ipſius laterent. Sed Comœdia quæ priſcis temporibus in uſu fuit, qua nominatim hi aut improbos aut inimicos ſuos perſtringebant, principum etiam virorum vitam & mores reprehendentes: hæc igitur antiqua dicta eſt. De cujus licentia κωμῳδεῖσθαι vulgo dixere eos, qui probris inceſſerentur. Hujus

autor vetuſtiſſimus nominatur Sannyrio. Sed excellentes fuere temporibus belli Peloponneſiaci,

Eupolis atque Cratinus, Ariſtophanéſque, Poëta.

Hæc poſtea fuit mutata, cum dolerent, ut inquit Horatius, cruento dente laceſſiti. Tum nomen obtinuit Mediæ, quæ diſſimulato nomine vitia tantum exagitaret.

——— Quin etiam lex,
Pœnaque lata, malo quæ nollet carmine quenquam
Deſcribi ———

Atque ferunt Eupolin in mari ſubmerſum ab iis quos maledictis læſiſſet. Tum igitur Tragœdiarum ferè argumenta detulerunt in Scenam, retexta ad ridiculum modum. Deque hoc genere Chorus paulatim defluxit. In quo præ cæteris clarus fuit Plato Comicus. Hanc ſecuta eſt Nova Comœdia, in qua primas tenuit Menander, potiente rerum Alexandro Magno. Atque hæc Chorum omnino non habet, ſed ornatu vario & multiplici perſonarum inſignis eſt. Atque hæc indicanda breviter & ſtrictim putavi, de initiis ac progreſſionibus Comœdiæ apud Græcos. Apud Latinos autem, Scenicos ludos inſtitutos fuiſſe C. vel ut alibi, T. Sulpitio Bœtico (vel ut alibi Potito) Licinio Stolone Coſſ. annotavit Valerius, & paulatim ludicram artem ad Satyrarum modos perrexiſſe, à quibus primus omnium Poëta Livius ad Fabularum argumenta ſpectantium oculos & animos tranſtulerit. Cicero autem ſcripſit, Livium primum omnium fabulam dediſſe. annis ferè CCCCX. poſt Romam conditam. Fuere autem celebrati primùm ludi Romani patrum & equitum, qui & magni: ludicrum autem equi & pugiles, ut Livius memorat, libro primo, qui & ludorum plebeiorum mentionem fecit. l. XXIX. Idem Livius quo tempore & qua de cauſſa inſtituti eſſe ludi Scenici dicti ſint, copioſè eadem quæ Valerius, retulit, libro VI. Quod tempus eſt urbis circiter CCCXC. Idem tamen l. XXXVI. ſcripſit, ob dedicationem ædis matris magnæ primos ludos Scenicos factos, Valerium Antiatem eſſe autorem, Megaleſia appellatos: quod tempus diſtat à priore annis pluribus CLXV. Cicero Livium fabulam docuiſſe, ut retulimus, ſcripſit in Bruto & prima Tuſcul. Claudio & Tuditano Coſſ. anno ab V. C. CCCCX. Hoc Gellius retulit in annum D. X. ideoque fuere qui apud Ciceronem numeros mutandos cenſerent. Quod nobis fieri oportere non videtur, cum ipſe Cicero indicet, alios hæc aliter expoſuiſſe, & res ſint inexplicabiliter confuſæ. Sed poſtquam componere fabulas argumentoſas Poëtæ Latini cœperunt, ſequentes & vertentes Græcorum ſcripta, in hoc genere magna licentia uſi fuerunt. Cum autem eſſent Latinorum propria quædam Poëmata, ut Attellanorum, videntur libertatem illam in Græcis & Latinis argumentis Poëtæ Latini, non tam fuga laboris & cupidi-

tate edendi ſua, ut Horatius putat, quàm neceſſitate quadam cuſtodiſſe, ne aures civium peregrinitate offenderentur. Ita factum puto, ut neque intra trimetros conſtiterint, neque Græcorum exquiſitionem & quaſi normam, ad quam numeros illi exegerant, hi ſervarint. Sed nunc deinceps de ratione horum & carminum Comicorum ſtructura, quæ noſtra diligentia obſervavit, quæque poſtulare videtur lectio fabularum Latinarum, breviter quidem diſſeremus: ita tamen ut fortaſſe nondum ab aliis demonſtrata indicemus. Metra præcipua ſunt novem: Iambicum, Trochaïcum, Dactilicum, Anapæſticum, Choriambicum, Antiſpaſticum, Ionicum à majore, Ionicum à minore, Pæonicum. E quorum numero nunc eximemus Iambicum & Trochaïcum, de quo his, quæ videbuntur, dicemus. Iambicum metrum à principe pede nomen habet: qui à conviciis appellatus fuit, ut placet Ariſtoteli; cumque ſit maximè conveniens ſermonibus (nam fortuitò etiam loquentes, Iambos crebros proferimus)

Hunc ſocci cepere pedem, grandéſque cothurni,
Alternis aptum ſermonibus, & populares
Vincentem ſtrepitûs & natum rebus agendis,

ut ait Horatius. Hoc carmen cum purum eſt & integrum, omnibus in jocis Iambos habet: ut apud Catullum,

Phaſelus ille quem videtis hoſpites
Ait fuiſſe navium celerrimus.

Et Horatium:

Beatus ille qui procul negotiis.

Quò autem gravis paulo in tarditate procederet Iambus,

Spondeos ſtabiles in jura paterna recepit
Commodus & patiens, non ut de ſede ſecundâ
Cederet aut quartâ ſocialiter.

Sed neque Tragici hoc, imprimis Latini, ſervarunt, & Comici omnibus in locis collocarunt pedes ſine diſcrimine, quinque: Dactylum, Anapæſtum, Tribrachyn, Spondeum, Iambum.

Syllaba longo brevi ſubjecta, vocatur Iambus.

Deos, cliens, ferox. quæ ſi ambæ breves ſint, Pyrrichius is pes vocatur: *lege, kere, grave.*

Spondeus habet duas longas: *exlex, concors, amens.*

Tribrachys tribus brevibus conſtat, *domine, canere, miſera.*

Anapæſtus, duabus primis brevibus, poſtrema longa: *Silices, rabies, patiens.*

Dactylus, prima longa ſequentibus duabus brevibus: *littera, ſcribere, Muſica.*

In Latinis Comicis rari Iambi ſunt, etiam in trimetris, qui ſunt Senarii. In integro tamen Iambico, vult eſſe ultimus pes hic, aut propter

ultimæ indifferentiam: Pyrrichius quintus, quaſi definiens numeros ac verſum. Sicut in Dactylico Dactylus. Horum loco cum Spondeus ponitur, ii verſus tum σπονδειάζοντες & σπονδειακοὶ dicuntur: ut,

Armatumque auro circumſpicit Oriona.
Apollinarem conveni meum. ſcazon.

Claudicare enim hi verſus putantur, & σκάζοντες nominantur, & χωλίαμβοι. Comici autem, ut dixi numeros ideo minus diſtinxerunt, ut ſimilitudo ſermonis communis cuſtodiretur. Itaque Cicero in Oratore ſic ait: At Comicorum ſenarii propter ſimilitudinem ſermonis, ſic ſæpe ſunt abjecti, ut nonnunquam vix in his numerus & verſus intelligi poſſit. Hæc confuſio cùm eſt maxima, tum carmina vocantur ἀπεμφαίνοντα, id eſt, immanifeſta, & ἀνάρμοστα.

Excluſit, revocat, redeam? non, ſi me obſecret.

Qui verſus, ſi producas penultimam, erit dactylicus σπονδειάζων.

Tres unam pereunt adoleſcentes mulierem:

Totus dactylicus, præter ultimam Iambum. Hoc genus & ad octonarios perducitur à Comicis, qui ſunt τετράμετροι. à Latinis etiam quadrati vocantur. Habet apud eoſdem & κατάληξιν, ita ut ad Senarium additus amphibrachys, id eſt, ſyllaba brevis longa brevis: aut bacchius, id eſt, ſyllaba brevis longa longa, (ultima enim ſyllaba omnis verſus eſt indifferens) hos numeros perficiat.

Nam ſi remittant quippiam Philumenam,

Hic eſt τρίμετρος. Addantur illæ tres ſyllabæ, *dolores*, & erit jam τετράμετρος καταληκτικός. Nam in hoc genere alii pedes, quàm ſuprà memorati, non nominantur. Sed neque ſervarunt hoc, ut ante κατάληξιν ſemper eſſet Iambus: neque non pro ſyllaba longa catalectica ſæpe duas breues poſuerunt,

Edepol lenones, meo animo, noviſti Luſce lepidè.

Ante τὴν κατάληξιν τρίβραχυς eſt:

Tacuiſſe mavellem, hau male meditate male dicax es.

Ante κατάληξιν eſt ſpondeus:

Bene ego iſtam eduxi meæ domi, & pudicè.
Si hujus miſeret.

Ante κατάληξιν eſt dactylus:

Nunquam me orares quin darem. nunc illum te orare melius eſt.

Lius eſt, in unam ſyllabam concreſcunt. Hi verſus appellantur Hipponactei, ab autore, & Latinè ſeptenarii: tum enim, Priſcianus ait, Varronem ſcripſiſſe, fieri ſeptenarium, cum ad ſenarium Iambicum triſyllabus pes addatur, hoc modo,

Quid immerentibus noces? quid invides amicis?

Talia

Talia ſunt Ariſtophanea in Plauto, quorum primum hoc;

ὦ πολλὰ δὴ τῷ δεσπότῃ ταυτὸν θύμον σαγήτης.

Trochaicum carmen eſt Iambicum commutatum.

Trocheus à volubilitate & rotatione nomen habet, contrarius pes Iambo, conſtans longa & brevi, *ſcribe*, *Muſa*, *verba*.

Hoc Iambum non admittit, quemadmodum neque in Iambicum trocheus ingreditur. Etſi reperitur etiam in Græcis τροχαϊκὸν τετράμετρον καταληκτικὸν, in cujus quarto loco ponitur Iambus, ut in Nebulis,

ὦ θεώμενοι, κατερῶ πρὸς γ' ὑμᾶς ἐλευθέρως.

Idque εὐπολίδειον ἀσύστατον vocarunt.

Sed multo majore licentia Latini uſi fuerunt, & paſſim, ut videtur, inſeruerunt Iambos. Docent autem ita fieri hoc carmen, ſi ad ſenarium Iambicum addamus creticon, qui ἀμφίμακρος, id eſt, ſyllaba longa brevis longa: ut *aurifex*, hoc modo,

——Dii boni,
Boni quid porto? ſed ubi inveniam Pamphilum?

Et,

——Lætus eſt,
Neſcio quid. nihil eſt. nondum hæc reſcivit mala.

Ita hos numeros compoſuiſſe Archilochum perhibent, atque ab eo μέτρον ἀρχιλόχειον dictum. Sed hoc non ſervarunt Comici, præſertim Latini, ut ſecundam ſyllabam brevem ſemper facerent, quod præceptum de cretico ſubjicit. Cum in hoc verſu ubique reperiatur dactylus, anapæſtus, ſpondeus, trocheus, τρίβραχυς.

Agape, non placet me hoc noctis eſſe: cœnavi modo.
Quid ſi ego illum tractim tangam ut dormiat? ſervaveris.
Exoſſatum os eſſe oportet, quem probè percuſſeris.
Facinus, nequiter ferire malam malè diſcit manus.
Illic homo me interpolabit, meumque os finget denuò.

In fine eſſe ante κατάληξιν debet trocheus, ut carminis ratio appareat, ſed reperitur & τρίβραχυς. ut,

Quid id exquiris tu, qui pugnis os exoſſas hominibus.

Et Ariſtoph.

ὦ σοφώτατοι θεαταὶ, δεῦρο τὸν νοῦν, προσέχετε.

Sæpe autem multumque uſi fuere hoc carmine Archilochio Comici, & illo plurimas ſermocinaciones compoſuerunt. De aliis generibus quid dicam, non habeo. Etſi Siſenna, referente Rufino, anapæſticum metrum in Aululariæ quadam Scena eſſe dixit, ſed conciſum ita, ut non intelligatur. In his igitur nos fruſtra torquere, præſertim tam fœdè corruptis exemplis, & in metricæ nequaquam exacta cognitione, nihil neceſſe, vel potius curioſitatis hoc fuerit, ocio non admodum liberaliter abutentis. Confuſa quidem, id eſt, συγκε-

i

χωλὰ μέτρα plurima ſeſe offerunt paſſim tam in Plauto, quàm Terentio. In quibus Iambus & trocheus, & alii pedes ingredientes hæc metra, collocantur promiſcuè. Quod autem ad καταλήξεις & βραχυκαταλήξεις & ὑπερκαταλήξεις attinet, de eo magis ſuſpicari poſſumus, quàm certi aliquid demonſtrare. Qui tamen cogitatione non illiberali his de rebus ſéſe occupare voluerint, ii primum ad exemplum aliquod rationem numerorum in verſibus conferent, & ita informabunt animo qualemcunque notionem horum. Ponatur igitur hoc: numeros eſſe aptos quoſdam & determinatos, & conſentaneos ſonos vocis humanæ. Hi cum in voce naturâ inſint, in oratione quoque ineſſe oportet. Sed cum abeſt cura compoſitionis, & ars quædam veluti ſtructuræ, facilè illi & diſſipantur & deliteſcunt. Atque hoc eſt quòd Ariſtoteles Poëmata ſua ſponte extitiſſe, & fortuitò prodiiſſe ait, ipſe αὐτοσχεδιάσματα vocat. Hæc concinnitas quædam in omnibus linguis reperitur, ad quam aurium obſervatione adhibita, verſus extitit, elaboratus ſtudio & arte ingenioſorum & doctorum hominum, & proceſſu temporum ita ſuo quiſque in genere perfectus, ut nihil fieri elegantius neque pulchrius, aut magis ſonorum poſſet. Poteſtque de noſtris vernaculis cantilenis etiam aliquo modo hoc cognoſci, ut, etſi forrè hoc ineptum videatur, ſed in docere fideliter cupiente nihil ineptum, ut ſi conferamus hæc noſtratia ad illa erudita, nonne in his ſimiliter deſinentibus quæ noſtrum vulgus rythmos appellat, aliquid Iambicis ſenariis ſimile agnoſcitur? & in modis choreatum, quaſi anapæſticum eſt & Pæonicum melos. Sed & in ſoluta oratione diligentia nunc multorum, accuratè verba componens, ῥυθμοὺς, qui ſunt numeri, afficit. Certò autem & planè oſtendere omnia, id eſſe ejuſmodi puto, ut fieri nequeat. Quemadmodum in aliis quæ uſu perdita fuerunt, inſtauratio & reſtitutio abſoluta deſperanda eſt. Citius enim mihi aliquis illud Heſiodeum plauſtrum lignorum centum conſtruxerit, quàm Scenam hoc tempore explicuerit, omnibus partibus & numeris ſuis, ut dicitur, abſolutam. Hoc tamen dubium non eſt, in linguæ cujuſque uſu communi, harum rerum rationem conſiſtere, quo labefactato aut amiſſo, illa quoque vacillet atque confundatur, vel potius non magis appareat, neceſſe eſt. Eſt autem in omni genere carminum varietas numerorum depoſitionis, ut vocant: ea eſt verſus concluſio, talis quædam. Verſus dicitur ἀκατάληκτος, qui eſt plenus & integer, & pedes ſuos habet totos, ut,

Poëta cum primùm animum ad ſcribendum appulit,

Verſus eſt Iambicus trimeter, qui & ſenarius ἀκατάληκτος. Sic eſt ἀκατάληκτος Theocritus hic primus in Fiſtula,

οὐδενὸς εὐνάτειρα, μακροπτολέμοιο δὲ ματρὸς.

Et poſtea σκάζων,

μάκης ἀντιπέρηθε θεᾶν τόκις ἰζωντῆες.

Et mox καταληκτικὸς εἰς συλλαβὴν,

εὐχὴ κερέων ὅπποτε θρέψατο παυροπάτωρ.

Et πενθημιμερὴς deinde, vel καταληκτικὸς εἰς δύο συλλαβάς,

ἔνεμ' ὅλον δίζων ὃς τὰς μέροπας πόθον.

Atque ita uſque ad δίμετρα καταληκτικὰ εἰς συλλαβὴν, καλλιόπα & ηηλεὺς φ Nam in hoc genere μονόμετρος ἀκατάληκτος fieret unus pes. Metimur enim omnia genera carminum pedibus duplicatis, præter dactylicum. Idque & Rufinus teſtimonio Herodoti comprobavit, veteres factitaſſe. Nam dactylica oracula reddita fuiſſe ait τόνῳ ἑξαμέτρῳ. Gygis autem facinoris meminiſſe Archilochum in Iambico verſu τριμέτρῳ, quæ hujuſmodi quidam ibi aſcribitur,

οὔ μοι τὰ Γύγεω τοῦ πολυχρύσου μέλει.

Eſt ergo & elegiacus dactylicus, quem, ut ſcimus, tribus dactylicis pedibus, additi anapæſti duo abſolvunt,

ὅτ' οὐ μοῖρα παθεῖν οὐ δύναμαι παθεῖν.

I.is eſt cum formâ magna pudicitia.

Ita penthemimeris utraque conjuncta, & ipſa facit ſpondeum, ut ſic pedes quinque dactylici conſtruantur. Eſt autem penthemimeris, τὸ μὴ πενθημιμερὴς, id eſt, quinaria, cùm ſyllaba in verbo ſupereſt poſt pedes duos:

Arma virumque cano.

Hephthemimeris, τομὴ ἑφθημιμερὴς, cum fit hoc poſt tres pedes,

Mneſthea Sergeſtumque vocat.

Sed in aliis verſuum generibus metra duplicatis pedibus procedunt; ut in Iambico hoc μονόμετρον ἀκατάληκτον, id eſt, habet duos pedes integros,

Peſſima mane,
Optume, odio es.

δίμετρον hoc

Verebar quorſum evaderet,

τρίμετρον.

Obſequium amicos, veritas odium parit.

τετράμετρον hoc:

Quid faciam nunc? ſi tresviri me in carcerem compegerint.

Atque hactenus producti Iambici verſus exempla adduxiſſe ſatis fuerit, etſi Grammatici πεντάμετρον quoque formam adjiciunt. Illum autem tetrametrum reperiſſe Boiſcum quendam Cyzicenum, ἐπίγραμμα indicat, tetrametri ἀκαταλήκτου, & καταληκτικοῦ, quod legitur in Commentario Rufini de metris Terent.

Βοΐσκος ὁ ἐκ Κυζίκου, παντὸς γραφεὺς ποιήματος,
Τὸν ὀκτάπουν εὑρὼν στίχον Φοίβῳ τίθησι δῶρον.

Boiſcus ille Cyzecenus ſcriptor omnis carminis
Verſus pedum octo repperit, Phœboque dedicavit,

Verùm ad καταλήξεις revertamur. Eſt igitur καταληκτικὸς, cùm deeſt, quo minus verſus compleatur, ſyllaba una:

Date, mox ego huc revertar:

Iambicus δίμετρος καταληκτικός. Sit enim *revertero*, nam & hac forma uſi verbo fuerunt, erit jam ἀκατάληκτος.

Si mihi perget quæ vult dicere, ea quæ non vult audiet:

Trochaicus Archilochius, id eſt, τετράμετρος ſeu quadratus καταληκτικός. Sic enim *audientur*, erit Trochaicus τετράμετρος omnibus numeris abſolutus.

Hypercatalecticus verſus eſt, in quo ſyllaba una abundat. Hujus exemplum de dactylicis adducunt,

Alloquitur Venus. O qui res hominumque deorumque.
Jactemur doceas, ignari hominumque locorumque.

Verùm diligentiores in dactylico genere ὑπερκατάληξιν & βραχυκατάληξιν, nominari oportere negant, ſed κατάληξιν εἰς συλλαβὴν, aut εἰς δύο. Ex Plauto Priſcianus δίμετρον Iambicum ὑπερκαταληκτικὸν eſſe hunc voluit, *Hoſpitio publicitus accipiar*. De quo nobis dubitare, neque hanc diſtinctionem ſervaſſe, antè indicavimus.

Βραχυκαταληκτικὸς dicitur, cum toto pede deficitur verſus integritas. Ut ſi μονόμετρος ſit, *Eheu mihi*, βραχυκατάληξις erit, *Eheu*. Priſcianus δίμετρον hunc retulit, *Ita peregrè adveniens*: de quo ſuprà. Et jam faſſi ſumus, hæc neque obſervari, neque exquiri potuiſſe à nobis, & haud ſcio an à nullo poſſint omnium qui nunc vivunt, in tam tenui ſcientia Muſices antiquæ, & hac depravatione exemplorum.

Sciendum autem, Comicos Latinos, prologos & primas ferè Scenas, pertexuiſſe Senariis Iambicis, qui ſunt τρίμετροι ἀκατάληκτοι. Plautus tamen & in Amphitruone & alibi, in primis ſtatim Scenis numeros mutavit. A trimetris autem ad longiores pervenerunt, ut τετραμέτρους,

Mirabar hoc ſic abiret, & heri ſemper lenitas.
Ne fortè imprudens faciam quod nolit, ſciens cavebo.
Quid? credebas dormienti hæc tibi confecturos deos?

Nec non concidiſſe reperiuntur verſus, ut ſubjicerent longis breviores: nec non confudiſſe numeros, ut miſcerentur trochei & Iambi, De quibus jam ſatis dictum. Hoc autem ſilentio prætereundum non eſt, in Iambico & Trochaico creticum non eſſe: quamvis de Ar-

chilochii Trochaici ſtructura ille præcipiens, Rufinus ut ferunt, hoc ſcripſerit,

Creticen Archilochus ſupra caput addit Iambi.

Nam cretici ratio, qui eſt, ut diximus, ἀμφίμακρος, temporum quinque, ab hoc genere eſt alienior. Itaque quidam inculcantes in Iambicos & Trochaicos verſus hunc pedem, audiendi, mea quidem ſententia, non ſunt. Etſi ut verum fatear, hoc dixiſſe illi videntur, in his verſibus reperiri verba, in quibus creticus inſit, ut *Edepol*, & ſimilia: de quibus poſtea. Non quòd in verſu jam ſit creticus, ſed quod in illis eſſet verbis, ſi totis ſyllabis planè proferrentur. Hæc ſententia eſt, ut puto, *Scaligeri*, viri eruditi, qui *de verſibus Comicis* edidit brevem libellum: itaque in eo requiſivimus nonnulla, quæ minus explicarentur nobis, & viderentur ſecundum Platonem τῷ πατρὸς δεῖσθαι βοηθοῦ, αὐτὰ οὔτ' ἀμύνασθαι. οὔτε βοηθῆσαι δυνατὰ αὑτοῖς. Ad numeros verſuum Comicorum expediendos aſſumenda ſunt ea quæ Græci πάθη nominant λέξεως, quibus & dilatantur & contrahuntur dictiones. Idque nimirum tum loquentes communiter fecerunt, ut pluribus aut paucioribus ſyllabis verba enunciarent, quàm nos de ſcriptura, aut ſecundum rationem verſuum nobis notam. De qua re nunc etiam breviter quædam memorabimus.

Dilatantur verba diſſolutione, ſeu diviſione ſyllabarum quæ eſt διαίρεσις. Ut *jam*, διςυλλάβως. Quod & Scaurum Rufinus ait indicaſſe, qui diceret in Pſeudolo, *Nunc jam* eſſe tres ſyllabas, & Plautum diviſiſſe *jam* in duas. Tale eſt indicatum in eadem fabula, *Malai*, τρισυλλάβον. Sic & *quis*, *qui*, *quæ*, & caſus horum diviſerunt,

Qui per virtutem peritat, non interit.

Legendum, *Qüi*, διςυλλάβως, ſi eſt vera ſcriptura & de quo quæretur illo in loco. Sed exempla in Plauto jam multa indicavimus. Apud Horatium lib. II. Carm. Odâ III.

Ramis quo obliquo laborant.

Eſt enim verſus Iambicus dimeter ὑπερκαταληκτικὸς: etſi & alia ibi lectio eſt. Huc pertinet *calim*, pro *clam*, ut Feſtus ait. Et in diverſis verbis hiatùs vocalium. Quod tamen non feciſſe Latinos, niſi Poëtas quoſdam, Cicer. in Oratore ſcripſit, qui ut verſum facerent, ſæpe hiaverint. Ennium ſemel, *Scipio invicte.* &

Hoc motu radiantis eteſiæ in vada ponti.

Sed ſunt & apud Maronem hujus diviſionis exempla,

Et longum formoſe vale, vale, inquit, Iola.
Inſulæ Ionio in magno.
Ter ſunt conati imponere Pelio Oſſam.
Glauco & Panopeæ & Inoo Melicertæ.

Apud Horatium, lib. 1. Carm.

Oſſibus & capiti inhumato

Apud Lucretium, lib. V.

Paſſim per cæli volvunt ſe inania templa.

Et libro ſecundo,

Vivam progeniem qui in oras luminis edant.

Ubi tamen & διαίρεσις eſſe poteſt, dictionis *Qui.* ut in hoc verſu,

At contrà quæ amara atque aſpera cunque videntur.

Et apud Horatium rurſum lib. III. Carm.

Jam virum expertæ malè ominatis parcite verbis.

Et Sermon. lib. 1. Satyra 9.

Si me amas, inquit, paulum hîc ades.

Item cùm retinetur littera, *m*, αἰέκθλιπτος tum colliſio uſitata fieri non poteſt, ut

Inſignita ferè tum milia militum octo.

Ut Horatius,

Nil opus eſt te circumagi.

Lucret. lib. III.

Namque papaverum aura poteſt ſuſpenſa, leviſque.

Et libro 1.

Corporum in plumbo eſt.

Et rurſus.

Plus in ſe corporum eſſe.

Et mox,

Corporum augebit numerum.

Et paulo poſt,

Corporum atque loci.

Et rurſum lib. III.

Sed dum abeſt quod avemus.

Et libro II. *Cæteraque cum ita ſint.* Et hoc, *Nam quod fluvidum eſt.* Atque etiam vocalium concurſum & contractionem interpoſita litterà *d*, prohibuerunt. Sicut in *redeo, redhibeo, redarguo, redo'eo, reduncus*: & in diverſis dictionibus, *mederga, tedhoc noctis.* Ita longæ illæ manent, ſi natura longæ ſunt. De his exempla quædam Plautina promiſcuè ponam, pauca illa quidem, ſed de quibus ſimilis loci facilè explicari poſſe videantur.

Jam hi ambo & ſervus & hera fruſtra ſunt duo,

Jam hi ambo, eſt Iambus, vel ſoluta dictione *Jam*, vel retentâ litterâ *m*.

Quot pondo ted eſſe cenſes nudum? non edepol ſcio.

Ille opere foris faciundo laſſus noctu advenit.

Quanquam invita te carebo, animum ego inducam tamen.

Te heri me vidiſſe, qui hac noctu in portum advecti ſumus.

Blepharonem ut re divina facta mecum prandeat,

Nimis bella es atque amabilis, & ſi hoc eſſet meum hodie.

Qui verſus omnes διαιρέσει explicari poterunt.

Contractio ſyllabarum crebior eſt. Et apparet, fuiſſe linguam Latinam magis aptam ad voces cogendas, quam diſtrahendas. Hoc illud etiam indicat, quod retulit Cicero lib. II. De Divinatione: M. Craſſus exercitum Brunduſii imponeret, quidam in portu caricas cauno advectas vendens, *Canneas*, clamitabat. Dicamus, inquit Cicero, ſi placet, monitum ab eo Craſſum, caveret ne iret. Sonuiſſe enim apparet illud, *canneas*, contractum hoc, *cave ne eas*. Hæc indicantur nominibus συναλοιφῆς & ἐπισυναλοιφῆς. Synalœphe quæ & συναίρεσις propriè vocatur, cum duæ ſyllabæ in unam veluti confluunt. Ut *Pheton* δισύλλαβον, pro triſyllabo *Phaethon*.

Cum te dejectum crudeli fulmine Pheton.

Nam *a* & *e* in lingua Latina diphtongum faciunt. *Deinde*, *proinde*, δισυλλάβως, Lucret. *Tandem coierunt*, τρισυλλάβως *Nihil*, *nil*. *Mihi*, *mi*: *mehe*, *me*: *ſi vis* κατ' ἔκθλιψιν, *u*, pro conſonante, *Sis*, *ille & terris*, *illet*. *Sceptroque inniſus eburneo*. *Eburno*, *pendent lychni laquearibus aureis*, δισυλλάβως.

Libra diei noctiſque pares ubi fecerit horas.

Diei vel *die*, duabus ſyllabis.

Tale & *rei*, συνηρημένος.

Sic Dii, *Di* ſunt: & iit, *it*: periimus, *perimus*; ἐπισυναλοιφὴ autem longius patet, cum qualeſcunque vocales contrahuntur, deque duabus ſyllabis una fit: quod ſæpe nobis mirificè factum videtur in lingua Græca & Latina, cum in ſua fieri nemo miretur, quia minus conſiderat. Secundum autem diverſarum linguarum naturam diverſitas in his eſt. Sed exempla ἐπισυναλοιφῆς, ad quam quidem & ἔκθλιψις & συνίζησις referenda, hæc ſunt: *fuit*, una ſyllaba. Lucret. lib. V. *Et ambiens multa percuſſit*. Et, *Et equorum duellica proles*: ubi & σύληψις eſſe poteſt, *duel*. Et, *Et ſonitu ſterilia*. Et, *Nunc ſcio quid ſit amor*: *Sco*, κατ' ἐπισυναλοιφὴν legendum, ut Diomedi placet. *Sodes*, ſi audes, *Sultis*, *ſi vultis* κατ' ἔκθλιψιν, *Suam*, ſam: *ſuum*, ſum: *ſuis*, ſis: *eum*, im: *eapſe*, ea ipſa: *ſapſa* ſe ipſa.

Poſtqu.m lumina ſis oculis bonus Ancus reliquit.
Virgines nam ſibi quiſque domi Romanus habet ſas.
Quo res ſapſa loco ſeſe oſtentatque jubetque.

Tuus, tus: *tua*, ta: *ſue*, ſæ: aut συλλήψει μονοσυλλάβως, ſicut *ſuavis*. Eſt & crebra ἐκθλίψις & poſtea contractio: ut *amaverunt*, *decreverat*, *commoverit*: *amarunt*, *decrerat*, *commorit*. Et apud Lucretium, *Irritat virtutem animi*: pro *irr.tavit*. *Sultis*, pro *ſi vultis*.

Pandite ſultis genas & corde relinquite ſomnum.

†Omnino autem quo minus corriperetur pronunciatio, non obſtetit veteribus, *u* pro conſonante: ut, *Sine invidia laudem invenias*. Eſt enim

ſin inid. τρίβραχυς. *Audivi*, *audii*, Eliditur & littera *m*, *Multum ille & terris*. Hanc colliſionem vocant. Etiam littera *b*, non obſtitit interdum contractioni ſyllabarum: ut, *abi*, μονοσυλλάβως prolatum. συγκοπὴ eſt conciſio, cum ſyllabâ diminuitur verbum. *Nis*, pro *nobis*. *ſcilicet*, pro ſcias licet. *capſis*, pro cape ſi vis. *Emem*, pro eundem. *Cette manus*, pro cedite. *Acta non alio rege puertia*, pro *pueritia*.

Evaſti? credo metues, doctuſque cavebis.
Vixet, cui vitam Deus & ſua dextra dediſſet,
Motus quoque ſurgere debet.

Quæ me ſurr̨uerat mihi. Extritio aut propriè unius tantum litteræ eſt, ut illa ἔκθλιψις litteræ *m*, & literæ *u*, pro conſonante: & *caldior*, *lamna*, pro *calidior*, *lamina*: *iſthic*: priore brevi. *ab oles*, pro *ab illis* antiqui enim litteram non geminabant, ut inquit Feſtus; qui & *fenſtram* dixere, quam poſteriores τετρασυλλάβως *feneſtram*. *Senx*, vel *ſnèx*, pro *ſenex*. *Edepol*, *Edpol*, *Virgines*, *virgnes*. *Semine oriundi*. Sed magis *univerſum* apud Lucretium; *Semne* & *univerſum*. Sic & in *eveniat*, exerita *i* littera videtur: ut apud Ennium, referente Nonio,

Senex ſum, utinam mortem oppetam prinſquam eveniat,
Quod in pauperia meâ ſenex graviter gemam.

Quin etiam initiales ſyllabas quaſi abſorbentes minus expreſſerunt. Sed ad extritionem revertamur. Delicuit igitur in Latina lingua ſæpe ac multum in pronunciatione, littera *s*.

Samnis Spurcus homo vita illâ dignus locoque.
Formido quid ago. da Venus conſilium.
Pandite ſultis genas.
Puncto temporis reddant.

Huc referenda illa quæ à Cicerone memorantur, *multimodis*, *vaſargenteis*, *palmet crinibus*, *tectifractis*: pro multis modis, vaſis argent. palmis & tritectis fr. Et illæ συγκοπὴ, ſecundum quas *tali* & *ala* extitit de *taxillis* & *axilla*. & *& meûm factûm*, *exitiûm*, pro meorum factorum, & exitiorum: quæ in quibuſdam uſitatæ admodum fuerunt, *Deum*, *nummum aureum*, *liberum*. Quinetiam *duorum virorum* judicium, aut *trium virorum* capitalium, aut *decem virorum* lilibus judicandis, ait ſe Cicero, dicere nunquam: quomodo ergo? nimirum συγκεκομμένως, *Duumvirum*. & *triumvirum*, & *decem virum*. Item *ſiet* *ſit*. *Erep*. pro *ex*. *pomeridianas quadrigas*, pro poſtmeridianas. His addantur ἀποκοπὴ: *Viden' Ain' Satin' Men' Mihin'*. de quibus abſciſſum eſt, *ne exin*, *dein*, *proin*, amputato *de*. *Famul* pro famulus. Lucret.

Oſſa dedit terræ proinde ac famul in infimus eſſet.

Volup, *Animal*, *Exemplar*: de quibus reciſum eſt *e illi*, pro illic.

Jam

Jam de productione & correptione vocalium multa dici poſſent, *Fuit*, *fieri*, extenta priore ſyllaba. *Inclitus*, ut ait Cicero, prima brevi. Secundum hæc fiunt mirificæ colliſiones, detritiones, & comprehenſiones litterarum ac ſyllabarum, & pronunciatione vera, quam ſæpe nos non poſſumus conjecturis noſtris conſequi, verſus procedunt: in quibus ſcriptura non raro, præſertim in dilatando, numeros non ſervat. Sed nunc & eorum, de quibus multo minus diximus, quam dici potuiſſet, & tamen ſatis fuiſſe plana indicatio videtur. Plautina exempla afferamus, & ita tandem hanc quaſi commentatiunculam finiamus.

Similem rem ipſe in legem juſſit eſſe Juppiter.

Aut corripitur *Eſſe*, aut eſt καθ' ἐπισυναλοιφήν, *Similem*, δισύλλαβον.

Ut conquiſitores fierent hiſtrionibus.

Hiſtrionibus κατὰ συνίζησιν. Niſi maluerit aliquis *conqueſtores*.

Qui ne quo placeret alter, feciſſet minus.

Qui ne quo, ſpondeus: pronunciatione mediam ſyllabam abſorbente.

Qui cum Amphitruone abivit hinc in exercitum.

Et mox,

Nunc hodie Amphitruo veniet huc ab exercitu.

Hinc in exe. &, *huc ab exe.* ſpondei ſunt pari ratione conciſionis, in brevitate ſyllabâ quaſi evaneſcente.

In tabernaculo: id quidem hodie nunquam poterit dicere.

Simpliciſſimum eſt, ut legatur, *tabernaclo*.

Quid in tabernaculo feciſti? victus ſum, ſi dixeris.

Quid in ta, Trocheus. Vel ut annotavimus, *Quid in*, κατὰ διαίρεσιν anapæſtus, &, *in taberna*, ſpondeus.

Ridiculi cauſſa: vel hunc rogato Soſiam.

Nam hanc veram lectionem puto: *vel hunc*, μονοσυλλάβως pronunciandum.

Quin, ſi tu voles, domi ſervi qui ſunt caſtrabo viros.

Dmi μονοσυλλάβως, κατ' ἐπισυναλοιφήν.

Portitorum ſimillimæ ſunt januæ lenoniæ,

Aut *portitum* κατὰ συγκοπήν, aut *millimæ*, καθ' ἐπισυναλοιφήν, pronunciandum.

Da meus ocellus, da mea roſa, da mi anime, da mea voluptas.

Aut ſic, *Da mus ocel.* Aut ſic, *da ma roſa*: &, *mea voluptas*, *e* brevi abſorpto δισυλλάβως; vel *ma voluptas*.

Lenonis hæ ſunt ædes, malè iſtis eveniat.

Pronuntiandum *evenat* κατ' ἔκθλιψιν litteræ *i*.

Credam, pudor ſi cuipiam lenoni ſiet.

Pronunciandum *cuipiam* δισυλλάβως κατὰ συναίρεσιν & συνίζησιν.

Voltisne olivas aut pulpamentum, aut capparim?

Olivas δισυλλάβως, ut annotavimus: vel potius, *Voltine*, extrita littera *s*.

Quis autem ſcit utra potius pronunciatio actori arriſerit?

Fateor: abi deprome. age tu interea huic ſomnium,

Abi de, Spondeus: *huic ſom*, ſpondeus κατ' ἐπισυναλοιφὴν & συνίζησιν.

Superſtitioſus hic quidem eſt, vera prædicat:

Quidem eſt ve, Spondeus κατ' ἐπισυναλοιφὴν: hæc colliſio creberr. occurrit in Comicis verſibus.

Qui perjurum convenire vult hominem, mitto in comitium.

Nire vult, ſpondeus, eliſa, *u*, pro conſonante.

Quo is homo inſinuavit pacto ſe ad te? per Dionyſia.

Quo is ho, τρίβραχυς κατὰ διαίρεσιν ſyllabæ *quo*.

Nam eum pater ejus ſubegit: nunc mea mater irata eſt.

Nam eum pater, dactylus eſt: *ejus ſub*, aut dactylus liqueſcente, *S*, aut Trochæus, κατ' ἐπισυναλοιφὴν, ut, *ejus*, una ſit ſyllaba.

Hujuſque locuta eſt, quærere aiebas, filiam.

Hujus, καθ' ἐπισυναλοιφὴν, una ſyllaba: ſicut, *aiebas*, duæ.

Ego ad anum recurro rurſum. Lampadio obſecro.

Aut eſt, *ego ad anum*, anapæſtus pronuntiatione, *e* initiale colliquante: aut etiam prioris hoc cum verſus ultimæ dictionis finali ſyllaba, ut ſæpe fit, collidente.

Videar fortaſſe in his alicui nimis diu immorari, & non neceſſariam, vel etiam inutilem operam conſumere. Veruntamen ego de re neque prorſus negligenda & digna liberalibus ſtudiis, & à plerisque tractata negligentius, dicendum hoc loco aliquid putavi: quod quidem ejuſmodi eſſe confido, ut qui fortè voluerint in his verſari accuratius, mediocrem occaſionem exercendi ſtudium ſuum habituri eſſe videantur. Etſi autem hæc ſunt præcipua, per quæ poterunt numeri verſuum Comicorum expediri & quaſi exſolui, tamen & alia quædam ad hanc curam aſſumenda ſunt, & imprimis ſyllabarum productio, quæ ἔκτασις, ac correptio, quæ συστολὴ nominatur. Fit autem ἔκτασις, vocali interdum producto natura brevi: ut *fuit*, & *fieri*, quod ſupra retulimus. Interdum geminara conſonante, ut *relligio*, *redduco*, *repperit*. συστολὴ autem ſyl'aba correpta: ut *omitto* &, *rejicio*, συναιρέσις *reicio*: ut,

Tityre paſcentes à flumine reice capellas.

Ita putatur ἀντιπιπτῶδον,

Vitam dederitis in undis.

&, *tranſieritis aquas*. Etſi quibuſdam natura flexionis poſtulare videtur, ut in hujuſmodi verbis *ri*, ſyllaba producatur, & illa corripiatur κατὰ συστολήν. Hæc & ſuperius indicatorum παθῶν, de Homero etiam nunc quædam indicabimus, Ιλ. σ.

υἱεῖ ἐμῷ κλυτὰ τεύχεα δόρθμαι παμφανόωντα.

Eſt enim δόρθμαι quaſi δόρμαι, ſicut *abjetibus* & *ariete*, & *parietibus*. & hoc Ennianum.

Capitibus nutantes pinus, rectaſque cupreſſos.

In quibus tamen συλλήψεις ſunt, pronunciato *i*, pro conſonante, ſicut hoc verſu Οδ. γ.

πάλλ' ἐπὶ μνεῖ ἴσχυν.

Eſt enim μνεὶ ἔη, dactylus. νῦν δ' αὖτέ μοι φίλαι ἀθήνη : vel ut alibi, φίλαι ἀθήνη. & ἔξοχα γάρ μιν ἐφίλατο παλλὰς ἀθήνη. Pronuntiandum enim quaſi gemino λλ, ut φὶ longum fiat. Sicut Ιλ β.

ἴλιον ἐκπέρσαντ' εὐτείχεον ἀπονέεσθαι.

Quaſi ἀππ. Tale & illud ἄρες quaſi ἄῤῥες eſſe videtur. ita & φιλομειδὴς, ἀφροδίτη, habet λο ſyllabam productam. Et hic verſus ſimiliter pronunciationis productione ſuſtentatur, Ιλ. γ.

αἰδοῖος τέ μοι ἐσσὶ φίλε ἑκυρὲ δεινός τε

Nam & aſpiratio brevis vocalis pronunciationem remoratur, & ῥέδει, eſt quaſi ῥέδδει. ſicut ἰυδεισα δ' ἑλένη. Rurſum Ιλ. ί.

καὶ νύκτ' ἔπι πλέονας λυκίων κτάνε δῖος ὀδυσσεύς.

Etſi poterat facere καὶ νύκ' ἔπι πλέονας : tamen illud maluit, nimirum pronunciatione verſum expediente, quatuor brevibus ſyllabis vnam longam & duas breves ſonantibus ſicut Οδ. ζ.

καὶ τό τε φαιήκων ἐς πόλιν ἵμεν ἠδ' ἱερέεσθαι.

Eſt enim πόλιν ἴμεν, dactylus non ſyllabis, ſed veteri pronunciatione, quam nos exprimere lingua aliena non poſſumus. Hoc loco in mentem mihi venit verſus, quem Scaliger adduxit ex Euripidis Oreſte, in quo eſſet ἐπισυναλοιφή,

αὐτουργὸς, οἵπερ καὶ μόνοι σώζουσι πόλιν.

Sed nos & in editis ab Aldo exemplis & in explicatione reperimus σώζουσι γῆν. Hoc igitur relinquamus. Ιδ. ύ

μόρσιμον ἦ οἱ ἐστ' ἀλέασθαι.

Ubi manifeſta eſt συγκοπὴ, & illud μόρσιμον quaſi μόρσμον. ſicut & in hoc, Ιλ. ώ.

ἐκτὸς μὲν δὴ λέξον γέρον φίλε.

Eſt enim planè, γερονφίλε. Quemadmodum & Οδ. η. μήδ' οὕτω φίλον ἔστι πατρὶ γένοιτο. ubi φίλον eſt quaſi φλον. Jam in hoc Ιλ. β. βωμοῦ ὑπαΐξας, συναίρεσις eſt. Ἕως ὃ ταῦθ' ὥρμαινε : Iliad ά. cum ſit pes : ἀμφίβραχυς alienus carmine Heroico. περιστέλλεται τὸ μέτρον συνιζήσει, ſecundum Euſtathium, ὥς ὅ, productâ ſyllabâ ὅ. Ariſtophanes εἰρήνη : οἱ γεωργοὶ τ' οὖργον ἐξέλκουσι, κἄλλος οὐδεὶς. οἱ γεωργ. ſpondeus συνιζήσεις. Iliad. ξ. ὤκεον δ' ἐν πλευρῶνι. Heſiod. νείκεα καὶ δῆριν ὀφέλλοις.

ιλ. autem ω. in hoc,

χωόμενος ὅ τινι δήπου ἀδελφεὸν ἔκτανεν ἕκτωρ. συνίζησις.

In hoc verò, ιλ. θ.

ἠὼς μὲν κροκόπεπλος ἐκίδνατο πᾶσαν ἐπ' αἶαν.

Et hoc, ιλ. β.

πολυσάφυλόν θ' ἱστιαίαν.

Et hoc, ιλ. ε.

ὅς τ' ὦκα ῥέων ἐκέδασσε γεφύρας.

Et paulo antè,

ὅς ῥα σκαμάνδρου,

ἀρητὴρ ἐτέτυκτο.

Et hoc ιλ. ή

σὸν δ' ἤτοι κλέος ἔσται ὅσον τ' ἐπικίδναται ἠώς.

Abi de, Spondeus: *huic ſom*, ſpondeus κατ' ἐπισυναλοιφὴν & συνίζησιν.

Superſtitioſus hic quidem eſt, vera prædicat:

Quidem eſt ve, Spondeus κατ' ἐπισυναλοιφὴν: hæc colliſio creberr. occurrit in Comicis verſibus.

Qui perjurum convenire vult hominem, mitto in comitium.

Nire vult, ſpondeus, eliſa, *u*, pro conſonante.

Quo is homo inſinuavit pacto ſe ad te? per Dionyſia.

Quo is ho, τρίβραχυς κατὰ διαίρεσιν ſyllabæ *quo*.

Nam eum pater ejus ſubegit: nunc mea mater irata eſt.

Nam eum pater, dactylus eſt: *ejus ſub*, aut dactylus liqueſcente, *S*, aut Trochæus., κατ' ἐπισυναλοιφὴν, ut, *ejus*, una ſit ſyllaba.

Hujuſque locuta eſt, quærere aiebas, filiam.

Hujus, καθ' ὑποσυναλοιφὴν, una ſyllaba: ſicut, *aiebas*, duæ.

Ego ad anum recurro rurſum. Lampadio obſecro.

Aut eſt, *ego ad anum*, anapæſtus pronuntiatione, *e* initiale colliquante: aut etiam prioris hoc cum verſus ultimæ dictionis finali ſyllaba, ut ſæpe fit, collidente.

Videar fortaſſe in his alicui nimis diu immorari, & non neceſſariam, vel etiam inutilem operam conſumere. Veruntamen ego de re neque prorſus negligenda & digna liberalibus ſtudiis, & à pleriſque tractata negligentius, dicendum hoc loco aliquid putavi: quod quidem ejuſmodi eſſe confido, ut qui fortè voluerint in his verſari accuratius, mediocrem occaſionem exercendi ſtudium ſuum habituri eſſe videantur. Etſi autem hæc ſunt præcipua, per quæ poterunt numeri verſuum Comicorum expediri & quaſi exſolui, tamen & alia quædam ad hanc curam aſſumenda ſunt, & imprimis ſyllabarum productio, quæ ἔκτασις; ac correptio, quæ συστολὴ nominatur. Fit autem ἔκτασις, vocali interdum producto natura brevi: ut *fuit*, & *fieri*, quod ſupra retulimus. Interdum geminata conſonante, ut *relligio*, *redduco*, *repperit*. συστολὴ autem ſyl'aba correpta: ut *omitto* &, *rejicio*, συναιρέσεως *reicio*: ut,

Tityre paſcentes à flumine reice capellas.

Ita putatur ὀκτωπεδόον,

Vitam dederitis in undis.

&, *tranſieritis aquas*. Etſi quibuſdam natura flexionis poſtulare videtur, ut in hujuſmodi verbis *ri*, ſyllaba producatur, & illa corripiatur κατὰ συστολὴν. Hæc & ſuperius indicatotum πάθων, de Homero etiam nunc quædam indicabimus, ιλ. ε.

ὕσει ἐμῷ κλυτὰ τεύχεα δόμεναι πειρασόωντα.

Eſt enim δόμεναι quaſi δόμναι, ſicut *abjetibus* & *ariete*, & *parietibus*. & hoc Ennianum.

Capitibus nutantes pinus, rectaſque cupreſſos.

In quibus tamen συλλήψεις ſunt, pronunciato *i*, pro conſonante, ſicut hoc verſu Οδ. γ.

πὰλλ' ἐπὶ μηρὶ ἴπιον.

Eſt enim *μηεὶ ἔη*, dactylus. *νῦν δ᾽ αὖτέ με φίλαι ἀθήνη*: vel ut alibi, *φίλαι ἀθήνη*. & *ἔξοχα γάρ μιν ἐφίλατο παλλὰς ἀθήνη*. Pronuntiandum enim quaſi gemino *λλ*, ut *φὶ* longum fiat. Sicut Ιλ β.

ἴλιον ἐκπέρσαντ᾽ εὐτείχεον ἀπονέεσθαι.

Quaſi *ἀπ*. Tale & illud *ἄρες* quaſi *ἄῤῥες* eſſe videtur. ita & *φιλομειδὴς*, *ἀφροδίτη*, habet *λο* ſyllabam productam. Et hic verſus ſimiliter pronunciationis productione ſuſtentatur, Ιλ. γ.

αἰδοῖος τέ μοι ἐσσὶ φίλε ἑκυρὲ δεινός τε

Nam & aſpiratio brevis vocalis pronunciationem remoratur, & *ἑκυρὲ*, eſt quaſi *ἑκκυρέ*. ſicut *ἰυδειοι δ᾽ ἑλένη*. Rurſum Ιλ. ι.

καὶ νύκτ᾽ ἔτι πλέονας λυκίων κτάνε δῖος ὀδυσσεύς.

Etſi poterat facere *καὶ νύκ᾽ ἔτι πλέονας*: tamen illud maluit, nimirum pronunciatione verſum expediente, quatuor brevibus ſyllabis vnam longam & duas breves ſonantibus ſicut Οδ. ζ.

καὶ τό γε φαιήκων ἐς πόλιν ἴμεν ἠδ᾽ ἐρέεσθαι.

Eſt enim *πόλιν ἴμεν*, dactylus non ſyllabis, ſed veteri pronunciatione, quam nos exprimere lingua aliena non poſſumus. Hoc loco in mentem mihi venit verſus, quem Scaliger adduxit ex Euripidis Oreſte, in quo eſſet *ἐπισυναλοιφή*,

αὐτουργὸς, οἵπερ καὶ μόνοι σώζουσι πόλιν.

Sed nos & in editis ab Aldo exemplis & in explicatione reperimus *σώζουσι γῆν*. Hoc igitur relinquamus. Ιδ. υ

μόρσιμον ἦ οἱ ἐστ᾽ ἀλέασθαι.

Ubi manifeſta eſt *συνκοπη*, & illud *μόρσιμον* quaſi *μόρσμον*. ſicut & in hoc, Ιλ. ω.

ἐκτὸς μὲν δὴ λέξον γέρον φίλε.

Eſt enim planè, *γονφίλε*. Quemadmodum & Οδ. η. *μηδ᾽ ἔτι φίλον δὴ πατρὶ γένοιτο*. ubi *φίλον* eſt quaſi *φλον*. Jam in hoc Ιλ. β. *βωμοῦ δ᾽ ὑπαΐξας*, *συναίρεσις* eſt. *Ἕως ὁ ταῦθ᾽ ὥρμαινε*: Iliad *α*. cum ſit pes: *ἀμφίβραχυς* alienus carmine Heroico. *περαίνεται τὸ μέτρον συνιζήσει*, ſecundum Euſtathium, *ὡς ὁ*, productâ ſyllabâ *ὁ*. Ariſtophanes *εἰρήνῃ*: *οἱ γεωργοὶ τ᾽ ἔργον ἐξέλκουσι, κἄλλος οὐδείς*. *οἱ γεωργ*. ſpondeus *συνιζήσει*. Iliad. ξ. *ὤκεον δ᾽ ἐν πλευρῶνι*. Heſiod. *νείκεα καὶ δῆριν ὀφέλλοις*.

ιλ. autem *ω*. in hoc,

χωόμενος ὅ τινι δήπου ἀδελφεὸν ἔκτανεν ἕκτωρ. συνίζησις.

In hoc verò, *ιλ*.*θ*.

ἠῶς μὲν κροκόπεπλος ἐκίδνατο πᾶσαν ἐπ᾽ αἶαν.

Et hoc, *ιλ*.*β*.

πολυσταφύλον θ᾽ ἱστιαῖαν.

Et hoc, *ιλ*.*ε*.

ὅς τ᾽ ὦκα ῥέων ἐκέδασσε γεφύρας.

Et paulo antè,

ὅς ῥα καμάνδρῳ,

ἀρητὴρ ἐτέτυκτο.

Et hoc *ιλ*. *η*

σοὶ δ᾽ ἤτοι κλέος ἔσται ὅσον τ᾽ ἐπικίδναται ἠώς.

Et hoc σελ. ε.

ἐλῦθι διὰξ ἔσις ἑωῖ.

Et hoc σελ. γ.

Καί ῥ' ἔχεν δύο παῖδας, ἀμφίονά τε ζῆθόν τε.

παῖδας ἀμφ, ſpondeus liqueſcente σ: ut in ſuperioribus verſibus omnibus curſui hæc numerorum obſtaret, niſi removeretur pronunciatione.

Nam ſi verſibus aliquis alienos pedes, qui ſunt proceleuſmaticus, & creticus ſeu ἀμφίμακρος, aut neſcio quos alios inſerit, cum conſtet heroici carminis proprios pedes eſſe dactylum ac ſpondeum: Iambici, iambum, Spondeum & ſpondeo æquales: Trochaici, trocheum & ſpondeum & huic æquales; & alios alius generis. Illum igitur qui admiſcet alienos, non audiendum putamus, corrumpentem carminis modos, & numerorum rationem diſſolventem. Sed pronunciatio hæc omnia quondam nullo cum negotio & ſine omni inſuavitate explicuit. Quare non aſſentior, neque Plutarcho, qui Homerum ſtudioſum bonæ narrationis, compoſitionem neglexiſſe ſcribit, & primum ſtatim verſum ἄμετρον extuliſſe.

μῆνιν ἄειδε θεὰ πηληϊάδεω ἀχιλῆος.

Non enim ille ita extulit ut Plutarchus, multò minus ut nos ſecundum perſcriptas litteras: neque Scaligero infulcienti creticos in Iambicos modos. Qui Eraſmi ſententiam de ſyncopa in nomine *Voluptas*, cum exagitat, mentione Teutonici ſoni, facit, ut mihi videtur, inclementer. Nam neque noſtræ, neque ipſius gentis lingua exprimere elegantiam antiquitatis, & præſtare pronunciationis ſinceritatem, neque ſine ſtudio & curâ ſingulari maxima in pronunciando vitia vitari poſſit. Neque ipſe animadvertit, dum reprehendit Eraſmum quaſi Teutonum craſſo aere natum, ſonantem aliquid plenius, ſe reprehenſioni ipſum exponere, quaſi minus cogitatæ congruitatis in verbis. Quis enim, *mea volup* dixit? cum *volupe*, unde *volup* decurtatum, neutri formam habet, & ſæpe adverbii ſignificationem; ut,

Volupe eſt, quod agas, ſi id procedit lepidè ex ſententia.

Etſi ad hoc dolabitur, ut *voluptas*, anapæſticam velit eſſe dictionem: id quidem melius: ſed illæ εὐφωνίᾳ pronunciationis rectius expediunt numeros, mea quidem ſententia, & antiquitate teſte, cujus unum etiam nunc exemplum adducere viſum, Heſiodi,

ἄσκρη χεῖμα κακῇ, θέρει δ' ἀργαλέη, οὐδέποτ' ἐσθλῇ.

eſt enim θρει & λ ῃ. Sed de hac re, cum tantum jam verborum fecerim plus quidem quàm initio inſtitueram me facturum eſſe, nunc deſinam, & hæc noſtra judicio aliorum ſubmitto, & quod reſtat, obſervationem & curam harum rerum diligentium ſtudio committo. Quantulamcunque autem operam hanc induſtriæ meæ cupio omnes conſulere; quod bonos & bonarum artium cupidos ſcio eſſe facturos: ii enim neque ullam in litteris exquiſitionem nimis parvam & futilem ducunt, neque hos conatus indicationis noſtræ poterunt deſpicere: ἀεὶ γ τῶν ἄλλων οὐ φροντὶς ἱπποκλείδῃ.

FINIS. M. ACCII

M. ACCII PLAUTI.
AMPHITRUO.

ARGUMENTUM.

ARGUMENTUM Amphitryonis Plautinæ, hoc differt à cæteris Plautinarum Comœdiarum argumentis, quod partim ab hiſtoria, partim à fabula dependeat; cæterarum verò argumenta comœdiarum à Poëta uno ſint prorſus conficta. Ad hujus argumenti rationem quatuor ſpectare videntur. Primum eſt hiſtoria, ex qua depromitur argumentum. Alterum fabula, quam hiſtoricæ fidei admiſcuerunt Poëtæ. Tertium eſt ſeries rerum hiſtoriâ fabulâque contentarum, & iis quæ à Plauto pro Poëtæ Dramatici jure mutantur. Quartum denique eſt artificium ipſius Comœdiæ univerſæ quo quicquid eſt, aut hiſtoriæ, aut fabulæ mandatum, aut etiam marte ſuo excogitatum, intra unius diei ſpatia comprehendit Poëta, & in ſuas partes digerit.

Hiſtoria, quâ nititur argumentum Amphitryonis, temporum eſt heroïcorum; videlicet Perſeus, Jovis & Danaës filius, ex Andromeda filios quatuor ſuſcepit, Alcæum, Sthenelum, Meſtorem, & Electryonem ſive Electrum, ut appellat Plautus. Alcæus ex Hipponome Menecæi filia Amphitryonem filium habuit. Sthenelus ex Nicippe Pelopis filia, Euryſteum. Meſtor ex Lyſidice filia Pelopis, Hippothoën. Electryon ex Anaxone Alcæi filia liberos quinque; Stratobatem, Gorgophonum, Celenopheum, Philonomum, & filiam unam Alcmenam. Hippothoë filios duos ex Neptuno peperit, Teleboam & Taphium qui à nomine ſuo Taphias & Teleboïdes ſeu Teleboas vocitarunt inſulas quaſdam maris Ionii, in quibus regnarunt. Taphius habuit Pteleram filium, cui à Neptuno avo capillum datum fatalem fabulati ſunt

Poëtæ, quem quamdiu ſervaret, foret invictus. Pterelas ſex filios ſuſcepit, Cromium, Tyrannum, Ampelum, Cherſidamantem, Meſtorem, & Everem, & unam filiam Cymœtho. Quæ Genealogia ne pareret perturbationem in animo lectoris, in hac tabella mihi viſa eſt diſtinguenda.

- PERSEUS Jovis & Danaës filius, rex Argivorum primus tertiæ ſtirpis. & ANDROMEDA Cephei regis Æthiopum & Caſſiopeæ filia, anno ante Chriſt. 1312.
  - 1 Perſes à quo Perſæ dicti ſunt.
  - 2 Alcæus. & Hipponome. Menœcei filia.
    - Amphitryo 4us. rex Argivorum & Alcmena.
      - Iphiclus uno partu cum Hercule Jovis filio.
    - Anaxo filia.
  - 3 Sthenelus 3us. Argivorum rex. & Nicippe filia Pelopis.
    - Euryſtheus 5us. Rex Argivorum.
  - 4 Meſtor & Lyſidice filia Pelopis.
    - Hippothoë & Neptunus.
      - Taphius rex Teleboarum.
        - Pterelas Teleboarum rex.
          - Cymœtho filia
          - Chromius
          - Tyrannus.
          - Ampelus.
          - Cherſidamas.
          - Meſtor. 2.
          - Everes.
      - Teleboas.
  - 5 Electryon 2us Argivorum rex. & Anaxo Alcæi filia; ex Apollodoro. Eurymeda vel Eurydice Pelopis filia; ex Diodoro.
    - Strotobates.
    - Gorgophonus.
    - Philonomus.
    - Celenopheus.
    - Alcmena. & Jupiter.
      - Hercules uno partu cum Amphitryonis filio Iphiclo editus, anno ante Chriſtum 1289.
  - 6 Hela.
  - 7 Gorgophone.

Pterelas Teleboarum rex, unà cum filiis, dotem Hippothoes aviæ ſuæ ab Electryone Argivorum rege, & ejus filiis repetit, precibus primùm, mox armis. In eo bello liberi omnes Electryonis pereunt, exceptâ Alcmenâ filiâ. Victores, quod fit, prædam à victis auferunt, & apud Philoxenum Elidis in Arcadia regem deponunt. Electryon vocat in auxilium ſuum Amphitryonem Alcæi filium, nepotem ſuum, polliceturque filiam ſuam Alcmenam & ſucceſſionem regni, ſi ejus adjutorio & prædam recuperare poſſet, & mortem ulciſci filiorum. Excitatus magnitudine præmii Amphitryo bellum adverſus Teleboas adornat, & quaſi

ad victoriarum auſpicium prædam à Philoxeno recipit, Electryonique reſtituit. Sed ecce imprudens Amphitryo Electryonem occidit. Sthenelus regni ſocius apud Argos quaſi in ultionem fraternæ cædis Amphitryonem cogit, & Alcmenam relinquere Argivum agrum, & Thebas commigrare ad Creontem Regem, à quo impetrat copias ad ulciſcendam fratrum Alcmenæ mortem, & bellum infert Telebois. In ſocietatem expeditionis adhibet Cephalum Dejonei filium, Æoli nepotem; & Panopeum Phoci filium, Æaci nepotem, Jovis abnepotem. Victis Telebois & interfecto Pterela eorum rege, proditione Cymœthus ejus filiæ, quam fatalem Patri capillum ademiſſe fabulantur Poëtæ, ſed quæ reverà amore capta Cephali ei patrem prodidit, victor Amphitryo Thebas revertitur, & ex pacto quod cum Electryone inierat, Alcmenam ducit uxorem. Hæc uno partu duos pueros edidit Iphiclum & Herculem, qui dictus eſt Amphitryonides ex Amphitryone patre, & Alcides ab avo Alcæo, ſeu Alcmena matre.

Hanc hiſtoriam Poëtæ ſuis fabulis interpolarunt, ex quibus etiam Plautus hujus fabulæ argumentum deprompſit: Scilicet, cùm Hercules inſignis eſſet, & robore, & fortitudine, & rerum geſtarum gloriâ, commenti ſunt eum eſſe Jovis filium. Cùm enim Jupiter animadverteret orbem terrarum monſtris infeſtari, ſtatuit ei dare vindicem Herculem, eumque voluit ex Alcmena Amphitryonis uxore naſci. Sed cùm intelligeret eſſe tantam in Alcmena fidem conjugalem, ut ne à Jove quidem poſſet expugnari, fraude eam eſt aggreſſus. Huic locum præbuit diuturna Amphitryonis abſentia: à tribus enim menſibus Thebis aberat in bello Teleboïco. Itaque per montem Phicium, Thebis finitimum, in terras deſcendit Jupiter, uno Mercurio comite; & ille quidem Amphitryonis, hic verò Soſiæ formam induunt, veniuntque noctu Thebas ad Alcmenam, & fingunt ſeſe furtim ſubduxiſſe exercitui per noctem, ſibique repetenda eſſe caſtra antequam diluceſcat. Accipitur ab Alcmena Jupiter, ut conjux à conjuge, treſque noctes in unam coaleſcunt, peremptâ die quæ duas noctes interſecat, & verſâ in noctem, quò ſit ſpatium Jovi liberiùs & diutiùs cum Alcmena verſandi. In hac longa nocte concipitur Hercules, menſe poſtquam conceptus eſt Iphiclus, tertio.

Ex hac hiſtoria & fabula ſuæ Amphitryonis Plautus œconomiam petivit, circumſtantiis duabus, pro dramaticorum jure, mutatis; altera quidem ex hiſtoria, quando ait nuptias ab Amphitryone eſſe contractas conceptumque Iphiclum ante bellum Teleboïcum; altera verò ex fabula, quando transfert trinoctium Herculeum à conceptione Herculis ad ejus nativitatem. Ita enim ſuam fabulam inſtituit. Inſtante partu Alcmenæ, Jupiter & Mercurius ſumptâ ſpecie, ille Amphitryonis, hic Soſiæ, eam adeunt, & tres noctes in unam conveniunt. In illo trinoctio revertitur Amphitryo, confecto bello Teleboïco, & anchoris in portu Perſico jactis, non longè à Thebis, ſervum Soſiam mittit ad Alcmenam, qui certiorem faciat adventus ſui, & primâ luce craſtinâ affutu-

rum. Sed ecce Soſia invenit Soſiam ſtantem pro foribus Amphitryonis, id eſt, Mercurium ſumptâ Soſiæ formâ. Territus hoc monſtro Soſia repetit naves, & rem narrat Amphitryoni. Interim Jupiter & Mercurius diſcedunt ab Alcmena, cui ægrè eos dimittenti Jupiter reditum brevem pollicetur; & ſtatim trinoctium locum facit diei triplici, peremptâ nocte intermediâ, & in diem versâ, qui dies trihemeron Herculeum poteſt appellari. Tum Amphitryo ratus inſanire Soſiam, pergit ad Alcmenam primo diluculo. Ab ea frigidè admodum recipitur. Arbitratur videlicet ſic reverti Amphitryonem ad faciendum fidei conjugalis periculum, & Amphitryoni marito ſe eſſe ſuſpectam. Negat Amphitryo ſe antea limen contigiſſe. Contra Alcmena affirmat. Ad hanc litem dijudicandam repetit naves Amphitryo, ut adducat Naucratem cognatum Alcmenæ, eorum quæ dixit teſtem locupletiſſimum. Intereadum Amphitryo verus naves repetit, adeſt iterum falſus, conaturque lenire animum Alcmenæ ſuſpicionibus Amphitryonis exulceratum. Interim revertitur verus Amphitryo, ſed excluditur à falſo Soſia qui excubat ad oſtium Amphitryonis. Tandem tamen ingreſſus apud ſe cum Blepharone gubernatore navis Amphitryo, invenit Pſeudo-Amphitryonem. Hæret animus Blepharonis inter utrumque Amphitryonem, & à vero falſum ſecernere nullomodo poteſt. Demum nato Hercule, Jupiter aperit, qui ſit, & Amphitryoni, & Alcmenæ, & Bromiæ.

Super eſt Plautinæ Amphitryonis artificium, in quo ſpectanda ſunt, nomen fabulæ, ſcena, diviſio, mores. Hæc fabula vocatur ab ipſo Poëta Tragico-comœdia, quia in ea ludunt Dii, Reges, Perſonæ nobiles, quod Tragœdiæ eſt; ludunt & ſervi, ancillæ, humiles perſonæ, quod eſt Comœdiæ. Nihilominus quia hæc fabula modò Comœdia, modò Tragœdia appellatur à Plauto, Comœdiæ nomen retinuit. Amphitryo appellatur ab utroque Amphitryone, uno vero, altero falſo, qui in ea primas ſuſtinent, & in quos cadit ſolutio. Scena eſt Thebis, atque adeò eſt palliata Comœdia. Fabula, ſive actio hujus Comœdiæ, ſunt amores Jovis & Alcmenæ. Diviſio hujus fabulæ in prologum & diverbium, diverbiique in actus & ſcenas ſatis patet perſeſe, vel ex ſcripturæ ipſius ratione. Quæ latet, eſt in connexionem & ſolutionem. Connexio totis actibus quatuor primis continetur; ſolutio quinto. Connexio in protaſim & epitaſim. Protaſis actu primo, epitaſis actibus ſequentibus tribus continetur. In connexione, & ea parte connexionis quæ protaſis apellatur, eſt Epiſodium belli Teleboïci. In ſolutione eſt agnitio Jovis, Mercurii, Herculis, & Peripetia verſarum in melius rerum. Mores qui in tota hac Comœdia eminent, hoc uno continentur, quod LIBIDO DE DIIS HOMINES FACIT. In duobus Amphitryonibus, & duobus Soſiis, eſt amatorum, & ſervorum deſcriptio: in Alcmena, caſtiſſimæ matronæ, cujus ea laus eſt eximia, ut ne Jove quidem amatore deduci poſſit à propoſito ſervandæ fidei conjugalis.

SCENA EST THEBIS.

PERIOCHA.

IN faciem vorſus Amphitruonis Juppiter,
Dum bellum gereret cum Teleboïs hoſtibus;
Alcmenam uxorem cepit uſurariam.
Mercurius formam Soſiæ ſervi gerit
Abſentis. His Alcmena decipitur dolis.
Poſtquam rediêre veri, Amphitruo & Soſia;
Uterque luduntur dolis mirum in modum.

INTERPRETATIO.

QUum Amphitruo bellum gereret adverſus Teleboas ſuos *hoſtes, Jupiter mutatus in ejus ſpeciem, abuſus eſt Alcmenâ ejus uxore. Mercurius induit vultum Soſiæ ſervi* Amphitryonii *abſentis. Alcmena circũvenitur his artibus. Poſtquam Amphitryo & Soſia reverſi ſunt* ab exercitu, *uterq; luduntur fraudibus* Jovis & Mercurii *miru modu.*

ANNOTATIONES.

1. *AMphitruonis.*] Codices alii habent Amphitruonis, alii Amphitryonis. Utrique vetuſtiſſimi. Ratio prioris ſcripturæ eſt, quia Amphitruo Græcè eſt, ἀμφιτρύων: moris autem fuit priorum Latini ſermonis ſcriptorum ut *υ* Græcum, *u* Latino verterent. Poſteriores in ſcriptione Romana litteram Græcam *y* retinuerunt. Ratio poſterioris ſcripturæ eſt, quia *y* Græcum primis latinæ linguæ ſeculis, ut *u* Latinum elatum, deinceps ut *i* pronuntiatum eſt, inde & in ſcriptione litterarum permutatio.

Juppiter.] Codicibus antiquis eſt *Jupiter*, modo per unum *p*, modo per duo *pp*. nimirum quia duæ priores ſunt breves in *Jupiter*, neceſſitate numerorum plerumque à Poëtis geminatum *pp*. in proſa item oratione à Librariis ineruditis geminatum eſt.

2. *Teleboïs.*] Teleboa Acarnaniæ regio. Ariſtoteles. *In Acarnanum politeia quandam Acarnaniæ partem Curetes habent. Spectantem verò in occaſum plagam Leleges tenent, reliquam inde Teleboæ.* A Thebanis non longè diſtabant Teleboæ, ſi terrâ iter eſſet, ſi mari longiſſimè: circumeunda enim erat tota Peloponeſus & Achaia. Ratio autem cur expeditionem non ſuſcipit terrâ Amphitryo, eſt quia & ſuperandus erat Oeta mons intermedius, & Teleboæ inſulas obtinebant, ad quas non erat acceſſus niſi navibus. Teleboides & Taphiæ dictæ ſunt inſulæ & incolæ earum Teleboæ & Taphii, à Teleboa & Taphio filiis Neptuni & Hipothoes, ut ſupra in Argumento hujus fabulæ diximus. Teleboides autem, ſeu Taphiæ inſulæ, erant tres ab Amphitryone expugnatæ, Taphias, Arnobia, & Prioneſſa.

3. *Uxorem uſurariam.*] Uxor uſuraria eſt, quæ uſu accipitur. Tribus enim modis uxor habebatur; *uſu, confarreatione, coemptione.* Conjunctio quæ *uſu* fiebat, erat omnium minima, ut pote quæ ad tempus erat, aut ad libitum conjunctorum. *Confarreatio* erat propria Sacerdotum, dicta quod in eorum nuptiis *libum* præferretur *farreum*. *Coemptio* individuam tori bonorumque omnium ſocietatem continebat. Jupiter dicitur Alcmenam *uxorem* habuiſſe *uſurariam*, quia ex ea genuit Herculem. Porro honeſto *uxoris* nomine tegit Poëta adulterium Jovis: neque enim uxor conjugata poterat legibus Romanis eſſe alterius *uſuraria*.

Cepit.] A *capio*, dicitur & *cepi* ſine diphtongo, & *cœpi* cum diphtongo.

Hinc jurgium, tumultus, uxori & viro.
Donec cum tonitru voce miſsâ ex æthere,
Adulterum ſe Juppiter confeſſus eſt.

INTERPRETATIO.

Hinc oriuntur altercationes & turba inter virum Amphitryonem *& Alcmenam* uxorem; *donec Jupiter. confeſſus eſt ſe eſſe adulterum, miſsâ voce è cœlo cum tonitru.*

ANNOTATIONES.

8. *Tumultus.*] Cicero. *Quid eſt enim aliud tumultus, niſi perturbatio tanta, ut major timor oriatur? Vnde etiam nomen dictum eſt tumultus.*

PERIOCHA ACROSTICHA.

AMORE captus Alcumenas Juppiter,
Mutavit ſeſe in ejus formam conjugis.
Pro patriâ Amphitruo dum cernit cum hoſtibus,
Habitu Mercurius ei ſubſervit Soſiæ:
Is advenienteis, ſervum ac dominum, fruſtra habet.
Turbas uxori ciet Amphitruo: atque invicem
Raptant pro mœchis. Blepharo captus arbiter,
Uter ſit non quit Amphitruo decernere.
Omnem rem noſcunt: geminos Alcmena enititur.

INTERPRETATIO.

JUPITER *incenſus amore Alcmenæ ſeſe convertit in ſpeciem* Amphitryonis *ejus mariti, interea dum Amphitryo gerit bellum adverſus Teleboas pro patria. Mercurius ſub forma Soſiæ* ſervi Amphitryonii *ei miniſtrat. Is illudit hero* Amphitryoni *& ſervo* Soſiæ *reverſis. Amphitryo movet rixas ſuæ uxori* Alcmenæ. *Seſe accuſant invicem adulterii. Blepharo* navarchus Amphitryonis *delectus arbiter* jurgii *non poteſt ſtatuere uter ſit Amphitryo.* Amphitryo, Alcmena, & Blepharo demum *detegunt omnem* veritatem *rei. Alcmena parturit geminos* pueros, videlicet Herculem conceptum ex Jove, & Iphiclum ex Amphitryone.

ANNOTATIONES.

1. *AMoro Alcumenas.*] Pro amore *Alcmenas*, *u*, inſerto neceſſitate numerorum & verſus. *Alcmenas* pro *Alcmenes* Genitivus antiquus Doricus. Dores enim pro ἀλκμήνη, ης, dicebant ἀλκμῶνα, ας Nævius, *Bicorporos gigantes filii* terras. Virgilius. *Nihil ipſa nec* auras, *nec ſonitus memor. Terras* pro *terra*; *auras* pro *aura*. & etiamnum *paterfamilias* dotiſſimi ſunt. Ut Alcmena dicta eſt ἀπὸ τῆς ἀλκῆς, à robore, ab ea dictus eſt Alcides ejus filius Hercules.

3. *Cernit cum hoſtibus.*] *Cernit* pro *decernit*. A *cerno* fit *cernito*, & à *cernito certo*. frequentativum de frequentativo.

5. *Fruſtra habet.*] Fruſtratur. *Fruſtra habere aliquem*, eſt *fallere* & *fruſtra eſſe*, eſt *falli*. Sunt duæ phraſes Plautinæ. *Fruſtra eſſe*, eſt etiam Saluſtii.

6. *Invicem raptant.*] *Rapere*, & derivatum ab eo *raptare*, eſt ejus qui alium obtorto collo trahit in judicium.

8. *Non quit decernere.*] Nonnullus legit *di cernere*, quod idem eſt.

9. *Omnem rem.*] Camerarius, ut ſtet verſus, putat ex duabus vocibus unam eſſe conflandam, truncatâ primâ *omn...rem*. Malim voces inverti *rem omnem*: quam conjecturam adjuvat Lambinus, qui vocem hanc *omnem*, à margine in contextum deſcendiſſe putat.

Enititur.] Donatus. *Eniti, eſt laborare, quaſi conatu ſit opus.*

PERSONÆ.

JUPITER.
MERCURIUS.
AMPHITRUO.
ALCUMENA, Amphitryonis uxor.
SOSIA, Amphitryonis ſervus.
PLEPHARO, Gubernator navis.
BROMIA, THESSALA, } Ancillæ.
Muta Perſona.

PROLOGUS

ARGUMENTUM.

PRologus hic eſt μονοπρόσωπος, à Mercurio enim uno recitatur, conjunctuſque cum Comœdia, quia Mercurius eſt una è perſonis ejuſdem Comœdiæ; eſt & idem ὑποθετικός ſeu argumentativus, ut Donati verbo utar, quippe univerſæ Comœdiæ continet Argumentum. Porro quod ſunt exordium, & narratio in oratione, id in Amphitryone Prologus eſſe videtur. Nimirum ſex & ſexaginta verſibus Mercurius ſpectatorum attentionem benevolentiamque captat; in reliquis Argumentum narrationis eſt loco, & alteram quidem partem abſolvit. 1°. Commemoratis, tum ſuis, tum Jovis patris, in ſpectatores beneficiis ampliſſimis; 2°. à clementia & modeſtia Jovis, qui rogat quæ poſſet imperare. 3°. qui rogat juſta & facilia, nempe ut conquiſitores conſtituantur & hiſtrionibus & artificibus ſcenicis & fautoribus mercede conductis. Hanc partem concludit deprecatus invidiam à ſe & à Jove ſi curent Hiſtrioniam & Hiſtriones, idque ab exemplo recenti & quotidiano Tragœdiarum. In Argumento rationem reddit Mercurius, quare formam mutaverint, tum ipſe, tum Jupiter, & quâ ratione dignoſci poſſint ab invicem verus & falſus Amphitryo, verus & falſus Soſia. Mores Prologi ſunt, quòd ab juſtis & bonis rogare oporteat, verſu 35. A numine proficiſci omnia, verſu 44. Quâ viâ niti oporteat ad honores 78. Et de potentia numinis, 139.

PROLOGUS.

MERCVRIVS.

UT vos in voſtris voltis mercimoniis
Emundis vendundiſque me lætum lucris
Afficere, atque adjuvare in rebus omnibus:
Et ut res, rationeſque veſtrorum omnium
Bene expedire voltis, peregrique & domi,
Bonoque atque amplo auctare perpetuo lucro;
Quaſque incœpiſtis res, quaſque incœptabitis:
Et uti bonis vos voſtroſque omnis nuntiis
Me afficere vultis: ea afferam, ea ut nuntiem,
Quæ maximè in rem voſtram communem ſient.
Nam vos quidem id jam ſcitis conceſſum & datum
Mihi eſſe ab diis aliis, nuntiis præſim & lucro.

INTERPRETATIO.

MER. *Sicut optatis ut ego vobis ſim propitius, & ut vos cumulem quæſtu, quando emitis & venditis veſtras merces; & ut vobis feram opem in quibuſvis negotiis: ſicut vultis me extricare plane foris, & domi negotia, & codices* accepti & expenſi, *veſtrum omnium, & ut vos locupletem ſemper in rebus quas inchoaviſtis, & quas inchoabitis quæſtu & juſto & copioſo; ſicut vultis uti ego vos oblectem, & omnes veſtros jucundis nuntiis; & ut ego ad vos deferam & annuntiem illa quæ ſpectant potiſſimum ad veſtrum commune emolumentum. (Neque enim ignoratis cæteros deos mihi tribuiſſe & detuliſſe, ut præſim lucro & nuntiis.)*

ANNOTATIONES.

1. *VOſtris.*] pro *veſtris*, & etiamnum retinemus *noſtris* à *nos*, ut eſt *veſtris* à *vos*.

Voltis.] pro *vultis*, lingua Umbrorum vertit *u* in *o*, hoc patet ex tumulis & monumentis illius regionis vetuſtiſſimis. Porro Plautus erat Umber.

2. *Lætum lucris.*] *Lætus Mercurius*, eſt *propitius Mercurius*, ut è contrario apud Propertium, *triſtes dii, irati, iniqui, infenſi*, dicuntur. Alii habent, *lætos lucris efficere*; alii *fœtum*.

Vendundis emundis.] pro *vendendis, emendis*. Retinuere hanc ſcriptionem & elementa *repetunda, gerundia*, alia.

4. *Ut res rationeſque bene expedire.*] Res ſunt *negotia domeſtica*, & *rationes* ſunt ea quæ in commentarios & codices accepti & expenſi à mercatoribus referuntur. Itaque *expedire rationes*, eſt aut *definire*, quid tibi debeatur, quid debeas, aut accipere, quod tibi debeatur, quod debeas dare. Conturbatæ igitur rationes ſunt, quando hinc debeas, illinc debeatur, aut non vel quid debeatur, vel quid debeas liquet.

5. *Peregri.*] Pro *peregre*. Chariſius. *Peregri in loco; peregre ad locum ſignificat.*

12. *Nuntiis præſim & lucro.*] Hæc ſunt duo Mercurii officia. *Deorum nuntium*, apellat Horatius; unde ἑρμῆς ab ἐρέω dico; alæque eſſe in pedibus finguntur, quòd in nuntiis laudetur celeritas. A Mercurio ἕρμαιον veteres lucrum à mercatoribus in commune poſitum apellabant. Et Perſius. *Salivam Mercurialem*, libidinem lucri vocat; & κοινὸς ἑρμῆς erat lucrum inter plures dividendum.

Hæc

Hæc ut me vultis approbare, annitier
Lucrum ut perenne vobis ſemper ſuppetat:
Ita huic facietis Fabulæ ſilentium,
Itaque æqui & juſti hîc eritis omnes arbitri.
Nunc cujus juſſu venio, & quamobrem venerim
Dicam: ſimulque ipſe eloquar nomen meum.
Jovis juſſu venio: nomen Mercurii eſt mihi
Pater huc me miſit ad vos oratum meus,
Tametſi pro imperio, vobis quod dictum foret,
Scibat facturos: quippe qui intellexerat
Vereri vos ſe & metuere, ita ut æquum eſt, Jovem:
Verùm profectò hoc petere me precario
A vobis juſſit leniter dictis bonis.
Etenim ille, cujus huc juſſu venio, Juppiter,
Non minus quàm voſtrum quivis formidat malum:
Humanâ matre natus, humano patre,
Mirari non eſt æquum, ſibi ſi prætimet.
Atque ego quoque etiam, qui Jovis ſum filius,

INTERPRETATIO.

Sicut vultis ut ego rata faciam illa, & allaborem ut quæſtus jugis accreſcat ſemper. Sic præſtabitis attentionem huic fabulæ, ut ſitis cuncti judices æqui & juſti. Nunc aperiam mandato cujus venio, & quare venerim: & unà proferam ipſe meum nomen: Venio imperio Jovis: mihi eſt nomen Mercurii. Meus pater me miſit huc ad vos rogandos, quanquam non eum latebat vos eſſe acturos quæ vobis dicerentur, ſi mandaret; utpote qui noverat vos ſe revereri & metuere Jovem, ſicut eſt par: ſed mihi mandavit me à vobis contendere precibus hoc urbaniter & verbis blandis. Nam ille Jupiter, cujus imperio venio huc, non metuit minùs adverſa, quàm quilibet veſtrûm. Neque eſt par admirari, ſi ſibi metuit, utpote procreatus genitrice humana & genitore humano; & ego qui ſum filius Jovis,

ANNOTATIONES.

13. *Approbare.*] Alii *adproſperare*: alii *appropare*, pro *approperare*, i. *accelerare.* Nam Veteres *propo* & *propero*: *lambo* & *lambero*: *blaso* & *blatero.*

Annitier.] Alii *adnuvere*, i. *annuere*, alii *adjuvere*, alii *acnitier.*

15. *Facietis fabulæ ſilentium.*] Fabula eſt appellatio communis cujuſvis dramatis, ſive tragœdiæ, ſive comœdiæ, ſive tragicomœdiæ: hic pro comœdia.

16. *Itaque.*] Alii *ita*, ſine conjunctione. Catullus: *Cui dono lepidum, novum libellum?* Pro *& lepidum & novum.*

23. *Vereri.*] Donatus, *Veretur liber, metuit ſervus.*

24. *Precario.*] Eſt precibus & precando obtinere, non ſuadendo aut imperando. Donatus: *Petimus precario; poſcimus pro imperio; poſtulamus jure.* Seneca: *homo eſt precarii ſpiritus.*

25. *Dictis bonis.*] Alludit ad hanc proverbialem formulam in ſacrificiis ſolitam uſurpari, *bona verba.*

26. *Etenim ille Juppiter.*] De ſcenico loquitur, non de celeſti; alioquin impium fuerit.

29. *Prætimet.*] *At mens ſibi conſcia facti*
Præmetuens adhibet ſtimulos. Lucret.

Contagione mei patris metuo malum :
Propterea pace advenio , & pacem ad vos affero.
Juſtam rem & facilem eſſe oratum à vobis volo.
Nam juſtè ab juſtis juſtus ſum orator datus.
„ Nam INJUSTA ab juſtis impetrari non decet :
„ Juſta autem ab injuſtis petere , inſipientia' ſt,
„ Quippe illi iniqui jus ignorant , neque tenent.
Nunc jam huc animum omnes ea quæ loquar advortite.
Debetis velle quæ velimus. meruimus
Et ego & pater de vobis & republicâ.
Nam quid ego memorem , ut alios in tragœdiis
Vidi , Neptunum , Virtutem , Victoriam ,
Martem , Bellonam , commemorare quæ bona
Vobis feciſſent ? quîs benefactis meus pater ,
Deòrum regnator , architectus omnibus.
Sed mos nunquam illic fuit patri meo ,
Ut exprobraret quod bonis faceret boni.
Gratum arbitratur eſſe id à vobis ſibi ,
Meritóque vobis bona ſe facere quæ facit.
Nunc quam rem oratum huc veni , primùm proloquar ,
Pòſt argumentum hujus eloquar Tragœdiæ.

INTERPRETATIO.

formido quoque incommoda contagione mei patris. Idcirco advenio huc cum pace, & ad vos affero pacem. Volo à vobis rogare rem æquam & expeditam. Nam ego qui ſum juſtus , ſum miſſus ad rogandum res juſtas ab juſtis. Nam dedecet obtineri injuſta ab juſtis. Eſt autem inſipientia rogare juſta ab injuſtis. Nam illi injuſti non noſcunt æquitatem , neque obſervant ; nunc convertite univerſi huc mentem , debetis velle ea quæ volumus. Sumus bene meriti de vobis , & ego & pater. Nam quid referam me vidiſſe alios Deos *in Tragœdiis , Neptunum , Virtutem , Victoriam , Martem , Bellonam jactare beneficia quæ vobis exhibuiſſent , omnium quorum beneficiorum meus pater Deorum princeps extitit auctor. Sed meo patri fuit nunquam ejuſmodi conſuetudo , ut exprobraret ea beneficia , quæ exhiberet bonis ; arbitratur ſe accipere à vobis beneficium* quando *grati* eſtis *. & ſe vobis exhibere merito beneficia , quæ vobis exhibet. Nunc dicam primùm rem quam veni huc rogatum. Poſtea exponam argumentum hujus Tragœdiæ.*

ANNOTATIONES.

31. *Mei patris.*] Vulgatæ editiones Plauti habent, aut meæ matris, aut Maiæ matris ; ſed manuſcripti codices habent, mei patris: quam lectionem fulſit 27. verſus , in quo & ipſe Jupiter formidat malum.

Metuo malum.] Verbera , piſtrinum , pœnas quales dant dominis ſervi contumaces.

32. *Pacè advenio.*] Quaſi pacatè , adverbium', per pacem, amicè , benevolè.

34. *Orator.*] rogator , precator.

51. *Tragœdia.*] Tragœdia eſt , in qua ludunt Dii , Reges , Principes. *Eſt Poëma dramaticum illuſtrem fortunam , ſed infelicem , gravi & ſeverâ oratione repræſentans.* Itaque adduxerunt frontem ſpectatores Amphitryonis , quando non ad jocos , ſed ad ſeria ſe vocatos à Plauto animadverterunt eo nomine tragœdiæ,

Quid contraxiſtis frontem? quia Tragœdiam
Dixi futuram hanc? Deus ſum: commutavero
Eandem hanc, ſi voltis: faciam ex Tragœdiâ,
Comœdia ut ſit, omnibus iiſdem verſibus.
Utrum ſit, an non, voltis? ſed ego ſtultior,
Quaſi neſciam vos velle, qui divus ſiem.
Teneo quid animi voſtri ſuper hâc re ſiet.
Faciam ut commixta ſit Tragicocomœdia:
Nam me perpetuò facere ut ſit Comœdia,
Reges quò veniant & dii, non par arbitror.
Quid igitur? quoniam hîc ſervus quoque parteis habet,
Faciam ſit, proinde ut dixi, Tragicocomœdia.
Nunc hoc me orare à vobis juſſit Juppiter,
Ut conquiſitores ſinguli in ſubſellia
Eant per totam caveam, ſpectatoribus.
Si cui fautores delegatos viderint,
Uti iis in caveâ pignus capiantur togæ.

INTERPRETATIO.

Quid adduxiſtis vultum, quia dixi hanc Fabulam fore Tragœdiam. Sum Deus: commutavero hanc eandem ſi vultis: faciam ut evadat Comœdia è Tragœdia ſervatis omnibus iiſdem verſibus. Vultis ne ut ſit Comœdia *an non ſit? Verùm ego ſum amentior, quaſi ignorem vos velle, ego qui ſum Deus. Novi quæ ſit veſtra mens de ea re; faciam, ut ſit* Fabula, *commixta ex Tragœdia & Comœdia. Etenim non arbitror eſſe æquum me facere, ut Fabula in quam veniant Reges & Dii, ſit tantum Comœdia. Quid ergo? Quia ſervus habet etiam partes, faciam ut ſit Tragicocomœdia, ut dixi. Nunc Jupiter mihi mandavit, ut à vobis rogarem id; nempe ut conquiſitores ſpectatorum eant ſinguli in* ſingula *ſubſellia per univerſam caveam, ut ſi deprehenderint aliquos qui ſummiſſi fuerint, ut cuiquam faveant, uti iis detrahant togas pro ſua mercede in ipſa cavea.*

ANNOTATIONES.

55. *Comœdia.*] Jubet ſpectatoribus Mercurius ut ne frontem adducant, & comœdiam ſe afferre in ſcenam. *Comœdia* autem *eſt Poema dramaticum civium, ac vulgi actiones ſtylo populari repræſentans, aſperſis ſalibus ac jocis.*

59. *Tragicocomœdia.*] Patet ex definitione, tum tragœdiæ, tum comœdiæ, quid ſit tragicomœdia; mixta enim eſt ex utraque. Tamen tragicomœdia tantùm dicitur, quòd illuſtres perſonæ in ea ludant, Dii, Reges, Principes, non quòd triſtes exitus habeat, ut tragœdia: habet enim lætos, ut comœdia.

65. *Conquiſitores.*] Erant ii, quibus id unum incumbebat, ut obſervarent utrum eſſent conducti mercede laudatores hiſtrionum, qui ſuo applauſu præirent applauſui multitudinis imperitæ; & ſic iis immeritos palmam & victoriam derivarent. Volebant enimverò plauſum illum ortum habere ab iis qui eſſent, & peritiores, & ætate graviores, & ampliores dignitate.

Singuli.] Aut dicendum *ſingli* pro *ſinguli*, ut dicitur *vinclum* pro *vinculum*, aut *conquæſtores* pro *conquiſitores*: verſus id exigit.

66. *Caveam.*] Tria erant ſpectaculorum loca, Circus, Cavea ſive Amphitheatrum, & Scena ſive Theatrum: pro Theatro & Amphitheatro Cavea accipitur; & Cavea dicebatur quòd eſſent cava loca & fornices ſub Amphitheatro.

67. *Favitores.*] *Fautores: cavitores, cautores: cavitio, cautio.*

Sive qui ambiſſent palmam hiſtrionibus,
Seu cuiquam artifici, ſeu per ſcriptas literas,
Sive qui ipſi ambiſſent, ſeu per internuntium,
Sive adeò ædiles perfidioſè quoi duint,
Sirempſe legem juſſit eſſe Juppiter;
Quaſi magiſtratum ſibi alterive ambiverit.
Virtute dixit vos victores vivere,
Non ambitione, neque perfidiâ. quî minus
Eadem hiſtrioni ſit lex, quæ ſummo viro?
„ VIRTUTE ambire oportet, non favitoribus.
„ Sat habet favitorum ſemper, qui rectè facit:
„ Si illis fides eſt, quibus eſt ea res in manu.
Hoc quoque etiam mihi in mandatis dedit,
Ut conquiſitores fierent hiſtrionibus,
Qui ſibi mandaſſent, delegati ut plauderent;
Quíve, quò placeret alter, feciſſent, minus,
Ejus ornamenta & corium uti conciderent.
Mirari nolim vos, quapropter Juppiter
Nunc hiſtriones curet. ne miremini!
Ipſe hanc acturu'ſt Juppiter Comœdiam.
Quid admirati eſtis? quaſi verò novum
Nunc proferatur, Jovem facere hiſtrioniam.

INTERPRETATIO.

Jupiter voluit eſſe eandem legem iis, qui aut ambiverint palmam pro hiſtrionibus, aut pro quovis artifice, vel per litteras ſcriptas, vel per ſeſe, vel per internuntium; ſive adeò Ædiles tribuerint cuiquam fraudulenter, atque iis qui ambiverint, magiſtratum, aut ſibi, aut alteri. Dixit vos eſſe victores virtute, non ambitione aut fraude. Quare eadem lex non erit poſita hiſtrioni, quæ ſummo viro? Oportet ambire virtute, non fautoribus. Qui facit rectè, habet ſemper ſatis fautorum: ſi habeatur fides illis in poteſtate quorum ea res eſt. Jupiter mihi imperavit quoque, ut crearentur conquiſitores hiſtrionum, qui præceperint ut delegati ſibi plauderent, & qui fecerint ut alter placeret minus. Juſſit Jupiter ut iis proſcindatur & veſtis & pellis. Ne vobis videatur mirum quamobrem Jupiter curam gerat nunc hiſtrionum: ne miremini hoc. *Jupiter ipſe eſt acturus hanc Comœdiam. Quid miramini? quaſi verò ſit inauditum hactenus Jovem exercere ſcenicam;*

ANNOTATIONES.

70. *Seu cuiquam artifici.*] Scenici Artifices erant Chorus, Cantica, Saltationes, Tibiæ pares imparéſque, apud Ciceronem.

71. *Ambiſſent.*] Alii *ambiſſit.*

Seu per litteras.] Tres modi ambiendæ palmæ notantur per litteras, per internuntium, per prævaricationem; nimirum qui poterant palmam conſequi, quia omnium optimè ludebant, pactâ mercede de induſtriâ minùs benè ludebant, ut locum facerent ei quocum convenerant.

72. *Ædiles.*] Erant Magiſtratus quorum erat ædes publicas, tum ſacras, tum profanas curare, annonam, ludos publicos: & fide interpoſitâ, publicè pollicebantur ſe palmam ſcenicam immerenti hiſtrioni non eſſe daturos.

Duint.] id eſt *dederint.*

73. *Sirempſe legem.*] *Similem reipsâ* legem, ſolemne verbum veteribus Legiſlatoribus à *ſiremps.*

Etiam hiſtriones annô cùm in proſcenio hîc
Jovem invocârunt, venit: auxilio eis fuit.
Præterea certò prodit in Tragœdiâ.
Hanc Fabulam, inquam, hîc Juppiter hodie ipſe aget,
Et ego unà cum illo. Nunc animum advortite,
Dum hujus argumentum eloquar Comœdiæ.
  Hæc urbs eſt Thebæ! in illiſce habitat ædibus
Amphitruo, natus Argis ex Argo patre,
Quicum Alcumena eſt nupta Electri filia.
Is nunc Amphitruo præfectu' ſt legionibus.
Nam cum Telebois bellum eſt Thebano populo.
Is priuſquam hinc abiit ipſemet in exercitum,
Gravidam Alcumenam uxorem fecit ſuam.
Nam ego vos noviſſe credo jam ut ſit pater meus;
Quàm liber harum rerum multarum ſiet:
Quantúſque amator ſiet, quod complacitum eſt ſemel.
Is amare occœpit Alcumenam clam virum,
Uſurámque ejus corporis cepit ſibi,
Et gravidam fecit is eam compreſſu ſuo.
Nunc, de Alcumenâ ut rem teneatis rectiùs,
Utrinque eſt gravida, & ex viro, & ex ſummo Jove.
Et meus pater nunc intus hîc cum illâ cubat:
Et hæc ob eam rem nox eſt facta longior,
Dum ille, quâcum volt, voluptatem capit.
Sed ita aſſimilavit ſe quaſi Amphitruo ſiet.

INTERPRETATIO.

quando hiſtriones invocaverant Jovem in hoc proſcenio, ab anno, venit: præbuit opem. Præterea Jupiter ſine dubio habet locum in Tragœdia. Jupiter ipſe, inquam, exhibebit hic hodie hanc Comœdiam, & ego ſimul cum illo. Nunc advertite mentem intereadum afferam Argumentum hujus Fabulæ. Hæc urbs eſt Thebæ. Amphitryo procreatus Argis ex patre Argo habitat in illisce tectis. Alcmena filia Electryonis, eſt nupta cum illo. Ille Amphitryo eſt nunc præpoſitus exercitui. (nam populo Thebano eſt bellum cum Telebois.) Ille ipſemet Amphitryo antequam eſt profectus hinc ad exercitum, fecit gravidam ſuam uxorem Alcmenam. (Porro ego arbitror vos non ignorare qualis eſt Jupiter meus pater: quam indulgeat libenter rebus amatoriis; & quanto amore proſequatur id *quod placuit ſemel.) Is cœpit amare Alcmenam inſcio viro* Amphitryone, *& cœpit uſuram ejus corporis, & eam fecit gravidam ſuo concubitu. Nunc, ut intelligatis clariùs ea quæ ad Alcmenam ſpectant, illa eſt prægnans ex duobus patribus, &* ex Amphitryone *marito. & ex ſummo Jove. Meus pater cubat nunc in ædibus cum illa, & idcirco hæc nox eſt facta productior. Intereadum ille capit voluptatem cum ea cum qua vult* capere; *ſed ille ſeſe compoſuit ſic, quaſi eſſet Amphitryo.*

ANNOTATIONES.

91. *Anno.*] ante annum.
101. *Poplo.*] Pro populo: unde vernaculum noſtrum *peuple.* Corbinel.
103. *Ut ſit.*] ideſt, *qualis ſit.*
105. *Quàm liber harum rerum multarum.*] Quàm libenter Jupiter indulgeat rebus venereis & uxoriis: idque dicit, quia mox de muliere gravidâ.

Nunc ne hunc ornatum vos meum admiremini,
Quòd ego huc proceſſi ſic cum ſervili ſchemâ.
Veterem atque antiquam rem novam ad vos proferam:
Propterea ornatus in novum inceſſi modum.
Nam meus pater intus nunc eſt, eccum, Juppiter:
In Amphitruonis vortit ſeſe imaginem,
Omnéſque eum eſſe cenſent ſervi, qui vident:
Ita verſipellem ſe facit, quando lubet.
Ego ſervi ſumpſi Soſiæ mihi imaginem,
Qui cum Amphitruone abiit hinc exercitum:
Ut præſervire amanti meo poſſem patri:
Atque ut ne, qui eſſem, familiares quærerent,
Verſari crebrò hîc cùm viderent me domi.
* Nunc cùm eſſe credent ſervum, & conſervum ſuum,
Haud quiſquam quæret qui ſiem, aut quid venerim.
Pater nunc intus ſuo animo morem gerit:
Cubat complexus, cujus cupiens maxumè eſt.
Quæ illi ad legionem facta ſunt, memorat pater
Meus Alcumenæ. illa illum cenſet virum
Suum eſſe, quæ cum mœcho eſt. ibi nunc meus pater
Memorat, legiones hoſtium ut fugaverit:
Quo pacto ſit donis donatus plurimis.

INTERPRETATIO.

Nunc ne vos admiremini meum hunc ornatum, quoniam ego veni huc ſic cum veſte ſervili: vobis proferam res vetuſtas ſub nova veſte. Idcirco prodeo indutus ratione nova; nam ecce Jupiter meus pater eſt nunc in ædibus, ſeſe convertit in ſimilitudinem Amphitryonis, & omnes famuli Amphitryonis, qui eum conſpicantur, cenſent eſſe Amphytrionem: adeò Jupiter mutat facile ſpeciem quando placet. Ego mihi induxi formam Soſiæ ſervi, qui profectus eſt ad bellum cum Amphitryone, ut poſſem ſervire meo patri amanti: & ne famuli Amphitryonis quærerent qui eſſem, quando me cernerent crebro verſari hic domi. Nuncquando arbitrabuntur me eſſe ſervum, & ſuum conſervum, nullus quæret quis ſim, aut quare venerim huc. Pater obſequitur nunc ſuæ libidini in ædibus; cubat complexus eam quam deperibat. Meus pater narrat Alcmenæ ea quæ ſunt geſta illic in exercitu: illa exiſtimat adulterum cum quo verſatur, eſſe ſuum maritum. Nunc meus pater refert, ut fuderit copias hoſtium, quo pacto ſit affectus plurimis præmiis

ANNOTATIONES.

117. *Servili ſchemâ.*] pro *ſchemate:* nomen primæ pro nomine tertiæ. Schema eſt ornatus ſcenicus.

123. *Verſipellem.*] Nata vox ex Apologis, in quibus belluæ ſubinde mutant pellem ad alias decipiendas. Tertull. de Pallio vocat pallium *verſiforme.* Martian. Cap. *verſiformem* appellat Jovem: quas autem formas aſciverit, habet hoc diſticho:

Ζεὺς κύκνος, ταῦρος, σάτυρος, δι' ἔρωτα χρυσὸς
Λήδης, Εὐρώπης, Ἀντιόπης, Δανάης.

Taurus, olor, ſatyrus fit & aurum Jupiter ardens
Europen, Leden, Antiopen, Danaën.

Ea dona, quæ illic Amphitruoni ſunt data,
Abſtulimus : facilè meus pater quod volt facit.
Nunc hodie Amphitruo veniet huc ab exercitu,
Et ſervus, cujus ego hanc fero imaginem.
Nunc internoſſe ut nos poſſitis faciliùs,
Ego has habebo hîc uſque in petaſo pinnulas.
Tum meo patri autem torulus inerit aureus
Sub petaſo : id ſignum Amphitruoni non erit.
Ea ſigna nemo horum familiarium
Videre poterit : verùm vos videbitis.
Sed Amphitruonis illic eſt ſervus Soſia,
A portu illic nunc cum laternâ advenit.
Abigam jam ego illum advenientem ab ædibus.
Adeſt : ferit : operæpretium hîc ſpectantibus
Jovem atque Mercurium facere hiſtrioniam.

INTERPRETATIO.

(abſtulimus ea præmia quæ fuerunt delata ibi Amphitryoni. Meus pater agit facilè quòd vult.) Num Amphitryo revertetur hodie huc à caſtris, & Soſia ejus ſervus, cujus ego præfero ſpeciem; ſed ut poſſitis faciliùs nos ſecernere ab invicem, *ego feram ſemper has pennas in pileo, & meus pater geret funiculum reum ſub pileo. Amphitryo non præferet hanc notam. Nullus horum famulorum poterit animadvertere illas notas, ſed vos dignoſcetis. Sed adeſt Soſia ſervus Amphitryonis : ille advenit nunc à portu Perſico cum laterna ; ego illum arcebo nunc ab ædibus advenientem · præſto eſt, pulsat. Oportet Jovem & Mercurium obire nunc hiſtrioniam hîc coram ſpectatoribus.*

ANNOTATIONES.

144. *Torulus aureus.*] id eſt funiculus aureus: torus eſt dictus lectus, quòd toris, id eſt funibus, ſuſpenderetur : *torulus*, quaſi *tortulus*.

149. *Cum laterna.*] Quia nox erat, imo trinoctium.

ACTUS PRIMUS.

ARGUMENTUM.

IN hoc actu protaſis fabulæ abſolvitur, atque adeò tota operis ratio continetur. 1°. Epiſodium eſt eorum quæ ad caſtra Teleboarum geſta ſunt. 2°. Mercurius quidquid gerendum ſit deinceps uſque ad ſolutionem, quaſi in compendium contrahit, tacito tamen ſolutionis artificio, ad attentionem ſpectatorum provocandam.

ACTUS PRIMUS. SCENA PRIMA.

ARGUMENTUM.

EST inſignis ludificatio Soſiæ ſervi Amphitryonis à Mercurio facta. Nimirum interea dum incluſus eſt cum Alcmena Jupiter, aſſumptâ Amphitryonis formâ, Mercurius & ipſe, circumpoſitâ ſpecie ſervi Soſiæ excubias agit ad oſtium. Interim adeſt verus Soſia, qui nuntiet Alcmenæ mariti Amphitryonis adventum: objicit ſeſe Mercurius Soſiæ, & partim argumentis, partim minis, partim etiam ictibus, adigit hominem ad confitendum ſe non eſſe Soſiam, & ad repetendas naves & herum Amphitryonem. Centum octoginta quinque verſibus eſt ea pars Scenæ, quam Dramatici appellant *à parte*, in qua Mercurius & Soſia in Theatro verſantur, loquuntur, nec colloquuntur. Serviles mores in hac Scena graphicè depinguntur in utroque Soſia. Nam profitetur Mercurius, ſumptâ formâ ſervi, ſumptam eſſe & indolem ſervilem. In hac Scenâ eadem narrantur quæ ab Amphitryone geſta ſunt in bello Teleboïco, idque luculentâ admodum oratione. Octo primis verſibus carpitur juventutis licentia. Ad 25 moleſtiæ ſervitutis, atque adeò dominorum crudelitas continetur. A 25 ad 30 eſt ira Dei in ingratos immemoréſque beneficiorum acceptorum.

MERCURIUS. SOSIA.

SOSIA.

QUi me alter eſt audacior homo? aut qui me confidentior?
Juventutis more, qui ſciam, qui hoc noctis ſolus ambulem?
Quid faciam nunc, ſi Tresviri me in carcerem compegerint?

INTERPRETATIO.

SO. *QUis eſt magis impavidus, aut magis intrepidus me? Qui cognitis moribus juventutis* Thebanæ *incedo incomitatus hac noctis horâ? Quid agerem nunc ſi Tresviri me conjecerint in vincula?*

ANNOTATIONES.

2. *Juventutis mores.*] Juventutis Thebanæ videlicet, quæ graſſabatur noctu, & infeſtos latrociniis vicos ſic reddebat, nullus ut niſi audaciſſimus per eos itare securè poſſet.

3. *Tresviri,*] Metum ſibi eſſe oportere dixit à graſſatoribus nocturnis ſuperiori verſu, hoc ſequenti ne & ipſe graſſator habeatur, & hoc nomine Tresviris pœnas det, ſibi eſſe timendum innuit. Apud Athenienſes erant undecim viri pari autoritate cum Tresviris Romanis. Munus

Inde

Inde cras è promptariâ cellâ depromar ad flagrum:
Nec cauſſam liceat dicere mihi, neque in hero quicquam auxilii ſiet.
Nec quiſquam ſit quin me omnes eſſe dignum deputent: ita
Quaſi incudem me miſerum homines octo validi cædant: ita
Peregrè adveniens hoſpitio publicitus accipiar.
Hæc heri immodeſtia coegit, me qui hoc
Noctis à portu ingratis excitavit.
Nónne idem hòc luci me mittere potuit?
Opulento homini hoc ſervitus dura eſt,
Hoc magis miſer eſt divitis ſervos:

INTERPRETATIO.

Educar illinc cras quaſi incus *è prōptuaria cella, ut verberibus ſubjiciar: neque mihi dabitur copia perorandæ cauſæ, neque erit aliquid præſidii in domino* Amphitryone, *neque exiſtet ullus ex omnibus, qui non exiſtimet me eſſe meritum. Quare octo lictores robuſti me verberabunt infelicem, quaſi incudem. Sic excipiar illo hoſpitio publico reverſus à longè. Violentia domini me compulit eò. Hic me ejecit invitum à portu hâc* horâ *noctu. An non potuit ipſe me mittere interdiu? Servitus* quæ exhibetur *domino diviti eſt propterea moleſtior, & mancipium locupletis eſt idcirco miſerius.*

ANNOTATIONES.

autem Triumvirorum erat præeſſe carceri, punire damnatos, cognoſcere de furtis. Tresviri autem Romani habebant ſinguli octo lictores, quorum erat animadvertere in reos judicio Tresvirorum condemnatos. Qui Magiſtratus apud Thebanos, vel undecimvirorum apud Athenienſes, vel Tresvirorum apud Romanos quem ordinem & autoritatem obtinerent, incertum eſt. Porrò Plautus conſultò hunc errorem admittit contra rationem adminiſtrandæ publicæ rei Thebanorum, tum quia ſervi rudes ſunt rerum; tum vel maximè quia volebat carpere juventutis Romanæ licentiam.

4. *Promptaria cella.*] id eſt *promptuaria.* Eſt locus in quo conduntur & è quo promuntur res quæ ad uſum familiarem pertinent. Qui præeſt promptuariæ cellæ *promuſcondus* appellatur. In eo poſitus eſt jocus, quòd quemadmodum incus depromitur è promptuaria cella, ut ſubjiciatur malleis, ita ſubjiciendus ſit Soſia verberibus.

7. *Homines octo.*] id eſt, *octo Lictores,* Appellat uno verbo *homines octo,* ut appellantur ſupra Tresviri. Pergit errare conſultò Plautus, & Thebanis tribuere quod Romanorum erat.

8. *Hoſpitio publicitùs excipiar.*] Moris erat apud veteres, tum Græcos, tum Romanos, ut qui peregrè reverterentur, præſertim publicâ re geſtâ proſperè, publico & hoſpitio & convivio exciperentur. Jocus eſt in hoſpitio: ſic enim appellat carcerem.

9. *Heri immodeſtia.*] Vernaculo ſuo: vertit *indiſcretione* Corbinellus.

12. *Opulento homini.*] Hic, & octo verſus conſequentes obſcuri quidem ſunt, ſi ſcrupuloſius verbum verbo reddere volueris; ſed ſenſui, qui clarè patet, verba accommodanda ſunt. Quod facilè præſtiteris, ſi amputes pleonaſmos hoc ferme modo: *Servus domini divitis eſt hoc magis miſer, quòd dominus habet ſemper opera quæ mandet ſervo facienda, ne ſervus ſit quietus. Ipſe dominus dives citra laborem, arbitratur ſe poſſe, quidquid homo poteſt, optare.*

Noctesque diesque aſſiduo ſatis ſuperque eſt
Quo facto aut dicto adeſt opus, quietus ne ſis.
Ipſe dominus dives operis, & laboris expers,
Quodcunque homini accidit libere, poſſe retur:
Æquom eſſe putat: non reputat laboris quid ſit:
Nec, æquom ánne iniquom imperet, cogitabit.
„ Ergo IN SERVITUTE expetunt multa iniqua:
„ Habendum & ferendum hoc onus eſt cum labore.
ME. Satiùs eſt me queri illo modo ſervitutem, hodie
Qui fuerim liber, eum nunc potivit pater
Servitutis: hic, qui verna natus eſt, queritur.
Sum verò verna verbero. *SO.* numerò mihi in mentem fuit;
Dis advenientem gratias pro meritis agere, atque alloqui.
Næ illi edepol, ſi merito meo referre ſtudeant gratias,

INTERPRETATIO.

quod dominus dives habet ſemper in promptu aliquid *quod mandet ſervo aut facere aut dicere, ne quieſcat ſervus. Ipſe herus ditatus à ſervis, immunis à labore, arbitratur ſe poſſe agere quidquid libeat. Exiſtimat id eſſe juſtum: non curat quid opera ſit* in eo, *nec attendit utrum mandet juſta vel injuſta. Igitur plura injuſta accidunt in ſervitute. Eſt ſuſtinendum & gerendum hoc onus cum moleſtia.* MER. *Eſſet æquius me deplorare hoc pacto ſervitutem, ego qui fuerim hodie liber, & quem pater ſubjecit modo ſervituti: hic lamentatur qui eſt procreatus verna: Ego verò ſum verna miniſterio* quod exhibeo patri. SO. *Profectò mihi venit in animum, ut reverſus ego referam gratiam diis pro meritis, atque ſalutem. Sanè per ædem Pollucis, ſi illi velint rependere gratias meo merito,*

ANNOTATIONES.

14. *Aſſiduo.*] Non eſt adverbium, ſed nomen, ſignificátque opulentum. Cicero: *Cùm Lex Ælia Sentia aſſiduo vindicem aſſiduum eſſe, jubeat locupletem jubet locupleti: locuples enim eſt aſſiduus: appellatus ab ære dando:* quaſi dicas *ab aſſe dando.*

16. *Dives operis.*] Virg. *dives opum variarum.*

23. *Potivit ſervitutis.*] A *potio* veteri activo. Nunc *potior* deponens tantùm eſt in uſu: *potior* autem ferè de bonis, non de malis & ſervitute.

24. *Verna.*] Eſt qui è ſervo natus. Viliores autem ſunt ſervi qui ſunt nati, quàm facti: in his enim manere poteſt mens libera, in illis à natura inolita ſervitus.

25. *Sum verna verbero.*] In ſervis etiam natis eſſe poteſt interdum mens liberalis, atque adeo libero homine digna: tales fuerunt Tyrones Ciceronis & Phædri Auguſti. Sed ſæpiùs ſunt nequam, & quaſi ad verbera facti. Qui autem nonniſi flagris imminentibus accedunt ad opus, aut abſtinent à nequitia, & ne flagris quidem temperare poſſunt a ſcelere, illi turpitudini ſervitutis novam turpitudinem addunt. *Sum verna, quia videor miniſterio quod exhibeo patri, & verna, & verbero.*

Ibid. *In mentem fuit.*] id eſt, *venit.* Non hæc modò in Plauto phraſis familiaris, ſed & Ciceroni, pro Lege Manil. *Quum veſtros portus in prædonum poteſtatem fuiſſe ſciatis.* Ratio hujus ſyntaxeos inde petenda eſt, quod *ſum* pro *eo* & *venio* ferme ponatur, & nos Gallico vernaculo dicimus, *J'ay eſté à Rome*, pro *ivi*.

27. *Edepol.*] Seu *Ædepol*, per Ædem, ſeu per Templum Pollucis, mulieribus viriſque commune jusjurandum: *Æcaſtor* fœminis tantùm. *Hercle* viris familiare.

Aliquem hominem allegent, qui mî advenienti os occillet probè:
Quoniam benè quæ in me fecerunt, ingrata ea habui atque irrita.
ME. Facit ille quod vulgo haud ſolent, ut quid ſe ſit dignum ſciat.
SO. Quod nunquam opinatus fui, neque alius quiſquam civium
Sibi eventurum, id contigit, ut ſalvi potiremur domum.
Victores victis hoſtibus legiones reveniunt domum,
Duello extincto maxumo, atque internecatis hoſtibus,
Qui multa Thebano populo acerba objecit funera,
Id vi & virtute militum victum atque expugnatum oppidum eſt,
Imperio atque auſpicio heri mei Amphitruonis maximè.
Prædâ atque agro adoreâque affecit populares ſuos,
Regique Thebano Creonti regnum ſtabilivit ſuum.
Me à portu præmiſit domum, ut hæc nuntiem uxori ſuæ:
Ut geſſerit rempublicam ductu, imperio, auſpicio ſuo.
Ea nunc meditabor, quo modo illi dicam, quum illò advenero.

INTERPRETATIO.

mittant quempiam hominem ut mihi contundat ſtrenuè dentes advenienti, quia non accepi animo grato eorum beneficia. MER. *Hic agit id quod alii non conſueverunt vulgo, ut agnoſcat quid ſit dignum ſe.* SO. *Nobis evenit id quod nunquam arbitratus ſum, nec quivis alius civium nobis eventurum, ut reverteremur domum incolumes. Copiæ repetunt victrices domum, debellatis hoſtibus, confecto maximo bello, & trucidatis hoſtibus. Illa urbs, quæ attulit exitium triſtiſſimum, eſt ſubacta atque capta impetu & fortitudine militum; potiſſimum imperio & auſpicio mei heri Amphitryonis. Ornavit ſuos cives ſpoliis, & prædiis, & frumento* honorario; *confirmavitque Creonti Regi Thebano ſuum imperium.* Amphitryo *me præmiſit à portu ad ædes, ut referam hæc ſuæ conjugi; quemadmodum adminiſtrarit negotium publicum ſuo regimine, ſuis imperiis, auſpiciis: nunc repetam animo quo pacto illi commemorabo ea quando advenero illuc.*

ANNOTATIONES.

28. *Os occillet.*] *Occillo* ab *occo*, quod eſt ab agricultura ſumptum verbum, & ſignificat glebas occâ comminuere, ne rudentis ſeſe è terra ſegetis mucronem obtundant.

34. *Duello.*] Quaſi *duorum bellum*, unde etiamnum *perduelles* appellantur *hoſtes*. *Perduellionis reus*. hoſtes, aut Principis, aut Patriæ; & *Duellona* olim *Bellona*.

35. *Qui multa Thebano populo.*] Videtur hoc loco innuere Soſia bellum fuiſſe Thebanis cum Telebois: tamen bellum erat Argivorum in ultionem injuriæ Electryoni Argivorum Regi illatæ, in quo bello Thebani erant tantùm inter auxiliares copias. Eundem errorem admittit, ſeu prudens, ſeu imprudens Soſia in Creonte: neque enim agebatur de ſtabiliendo Regno Thebanorum, ſed de recuperanda præda ab Electryone & Argivis ablata.

Ibid. *Funera acerba.*] Virg.
Et funere merſit acerbo.

38. *Adorea.*] Veteres Romani omnem agrorum proventum *adoream* appellabant, quam quoniam victoribus militibus duces tribuere ſoliti eſſent, hinc laus bellica cœpit appellari *adorea*. *Adoreus* penultimam nunc corripit, nunc producit, & *adorea* antepenultimam, quia olim *adus aderis* dicebatur, cujus penultima *e*, mutata in *o*, retinet quantitatem.

Si dixero mendacium, ſolens meo more fecero.
Nam quom pugnabant maxumè, ego fugiebam maxumè.
Verumtamen quaſi affuerim ſimulabo, atque audita eloquar.
Sed quo modo & verbis quibus me deceat fabularier,
Prius ipſe mecum etiam volo hîc meditari. ſic hoc proloquar!
Principio ut illò advenimus, ubi primùm terram tetigimus,
Continuò Amphitruo delegit viros primorum principes:
Eos legat: Telebois jubet ſententiam ut dicant ſuam.
Si ſine vi & ſine bello velint rapta & raptores tradere,
Si quæ aſportaſſent, redderent; ſe exercitum extemplò domum
Reductūrum, abituros agro Argivos, pacem atque ocium
Dare illis. ſin aliter ſient animati, neque dent quæ petat:
Seſe igitur ſummâ vi viriſque eorum oppidum expugnaſſere.
Hæc ubi Telebois ordine iterarunt quos præfecerat
Amphitruo: magnanimi viri freti virtute, & viribus
Superbi, nimis ferociter legatos noſtros increpant.
Reſpondent, bello ſe & ſuos tutari poſſe: proinde uti
Properè de ſuis finibus exercitûs deducerent.
Hæc ubi legati pertulêre, Amphitruo caſtris illicò
Producit omnem exercitum. contrà Teleboæ ex oppido

INTERPRETATIO.

Si protulero mendacium, faciam itant ſoleo meâ conſuetudine. Nam quando illi decertabant acerrimè, tum ego fugiebam velociſſimè. Attamen fingam quaſi affuerim, & edicam ea qua audivi. Sed volo meditari antea mecum quo pacto aut quâ ratione oporteat me verba facere. Referam hac hoc modo. Initio, ſtatim atque advenimus illuc; ſtatim atque terram attigimus, Amphitryo delegit è veſtigio viros praecipuos: eos mittit legatos mandat aperiant ſuam ipſius *mentem Teleboïs: ſi velint dedere* bona Electryonis *rapta, ſine vi & ſine bello: ſi reſtituant qua abſtulerunt, ſe è veſtigio reducturum domum copias, Argivos exceſſuros agro, illis conceſſuros pacem atque otium: ſi verò ſint aliter affecti, neque exhibeant qua petat, ſeſe expugnaturum eſſe ſtatim eorum urbem ſummâ vi, immiſſi que viris. Quando illi quos Amphitryo delegarat, renuntiarunt hac ſigillatim Teleboïs, fortiſſimi viri confiſi fortitudine, & elati viribus, reſpondent nimis arroganter noſtris Legatis: reponunt ſe poſſe ſeſe defendere & ſuos armis; & idcirco ut educant velociter copias de ſuis finibus. Statim atque Legati nuntiaverunt hac, Amphitryo profert repente omnes copias: ex adverſo Teleboa proferunt ex urbe*

ANNOTATIONES.

50. *Teleboa.*] Qui & Taphii erant incolæ, ſeu Acarnaniæ, ſeu Bœotiæ, finitimarúmque Inſularum, dicti à Teleboa & Taphio Hipothöes & Neptuni filiis.

51. *Rapta & raptores.*] Spolia ab Electryone & Argivis ablata, & Teleboas qui rapuerant. In hoc & fides hiſtoriæ laborat: nam ſpolia apud Philoxenum depoſita jam recuperata fuerant & reſtituta Electryoni ab Amphitryone.

53. *Otium dare.*] Virg. *otia fecit.*

55. *Expugnaſſere.*] Ab *expugnaſſo*, pro *expugnavero*: *impetraſſo* alibi, *reconciliaſſo*, *amaſſo*.

Legiones educunt ſuas, nimis pulchris armis præditas.
Poſtquam utrinque exitum eſt maximâ copiâ,
Diſpertiti viri, diſpertiti ordines:
Nos noſtras more noſtro & modo inſtruximus legiones:
Item hoſtes contrà legiones ſuas inſtruunt:
Deinde utrique imperatores in medium exeunt
Extra turbam ordinum; colloquuntur ſimul.
Convenit; victi utri ſint eo prælio,
Urbem, agrum, aras, focos, ſeque uti dederent.
Poſtquam id actum eſt, tubæ utrinque canunt: contrà
Conſonat terra: clamorem utrinque efferunt.
Imperator utrinque hinc & illinc Jovi
Vota ſuſcipere, hortari exercitum:
Pro ſe quiſque id quod quiſque poteſt & valet,
Edit; ferro ferit: tela frangunt. boat
Cælum fremitu virûm: ex ſpiritu atque anhelitu
Nebula conſtat: cadunt vulneris vi & virium.
Denique, ut voluimus, noſtra ſuperat manus;
Hoſtes crebri cadunt: noſtri contrà ingruunt.
Vicimus, vi feroces.
Sed fugam in ſe tamen nemo convortitur,
Nec recedit loco, quin ſtatim rem gerat.
Animam omittunt, priuſquam loco demigrent:

INTERPRETATIO.

ſuas copias inſtructas armis valde elegantibus. Poſtquam proditum eſt hinc inde maximo numero, diſtributi milites, diſtributi ordines; nos inſtruximus noſtras copias, pro noſtrâ conſuetudine & arbitrio: eodem pacto hoſtes dirigunt ſuas copias ex adverſo. Poſtea utrique duces prodeunt in medium extra ordines confertos, colloquuntur unà, convenit ut ii qui fuerint ſuperati hoc certamine, traderent civitatem, regionem, altaria, penates, & ſe. Poſtquam id eſt factum, tubæ clangunt hinc inde; terra conſonat; attollunt vocem ex utraque parte; uterque Dux cœpit *nuncupare vota Jovi; utrinque hinc & illinc incitare copias; quiſque præſtat pro ſe id quod valet & poteſt; ferit ferro; tela edunt fragorem; cælum reſonat fremitu hominum; nubes ſurgit ex ſpiritu & anhelitu; corruunt vi vulnerum & impreſſione noſtrarum virium; demum noſter exercitus vincit quemadmodũ optabamus; hoſtes funduntur paſſim; noſtri ex adverſo irrumpunt; ſuperavimus elati viribus. Attamen nullus capeſſit fugam, neque relinquit locum ut ſtans decertet; antequam cedant de ſtatione, oppetunt mortem:*

ANNOTATIONES.

66. *More noſtro & modo.*] Horat. *more modóque.*

71. *Dederent.*] Tit. Livius quâ formâ fieret deditio notat: *Rex interrogavit, Eſtiſne vos Legati Oratoréſque miſſi à Populo Collatino, ut vos Populúmque Collatinum dederetis? Sumus. Eſtne Populus Collatinus in ſuâ poteſtate? Eſt. Deditiſne vos Populúmque Collatinum, urbem, agros, aquam, terminos, delubra, utenſilia, divina humanáque omnia, in meam, Populique Romani deditionem? Dedimus. Et ego recipio.*

Quiſque uti ſteterat, jacet, obtinétque ordinem.
Hoc ubi Amphitruo herus conſpicatus eſt,
Illicò equites jubet dexterâ inducere.
Equites parent citi: ab dexterâ maxumo
Cum clamore involant; impetu alacri
Fœdant & proterunt hoſtium copias jure injuſtas.
ME. Nunquam etiam quicquam adhuc verborum eſt prolocutus perperàm:
Namque ego fui illic in re præſenti, & meus, quom pugnatum eſt, pater.
SO. Perduelles penetrant ſe in fugam. ibi noſtris animus additus eſt:
Vortentibus Telebois telis complebantur corpora.
Ipſuſque Amphitruo regem Pterelam ſuâ obtruncavit manu.
Hæc illic eſt pugnata pugna uſque à mane ad veſperum.
Hoc adeò hoc commemini magis, quia illo die impranſus fui.
Sed prælium id tandem diremit nox interventu ſuo.
Poſtridie in caſtra ex urbe ad nos veniunt flentes principes:
Velatis manibus orant, ignoſcamus peccatum ſuum:
Deduntque ſe, divina humanáque omnia, urbem & liberos,
In ditionem atque in arbitratum, cuncti, Thebani poplo.
Pòſt ob virtutem hero Amphitruoni patera donata aurea eſt,
Quî Pterela potitare rex ſolitu'ſt. hæc ſic dicam heræ.
Nunc pergam heri imperium exequi, & me domum capeſſere.

INTERPRETATIO.

quilibet ſternitur in eodem loco in quo depugnaverat, retinétque ſuum ordinem. Quando Amphitryo vidit hoc, illico mandat equitibus ut à dextro cornu invadant. Equites obſequuntur veloces. Irrumpunt à dextrâ cum maximâ vociferatione, obtruncant & peſſundant jure exercitum injuſtum hoſtium, impetu alacri. MER. *Nullum adhuc protulit verbum falſum. nam ego fui illic in hac pugna. & meus pater, quando eſt certatum.* SO. *Hoſtes ſe convertunt in fugam. Tunc animus acceſſit noſtris, Telebois cedentibus. Corpora complebantur jaculis, & Amphitryo ipſe interfecit regem Pterelam ſuâ manu. Hoc certamen incruduit à mane ad veſperam. Recordor hujus rei hoc magis, quia fui incœnatus illo die. Verùm nox diremit denique illud certamen ſuo adventu. Die ſequenti primates lacrymantes veniunt ex urbe in caſtra, precantur manibus obvelatis, ut condonemus ſuam culpam: & ſe dedunt, cuncta ſacra & profana, civitatem & liberos in poteſtatem atque in arbitrium populo Thebano. Poſteà eſt oblata patera aurea meo hero Amphitryoni ob virtutem. narrabo hac ita heræ. Nunc pergam implere mandatum heri, & me conferre in ædes.*

ANNOTATIONES.

101. *Velatis manibus.*] Qui pacem rogabant, præferebant ramum olivæ, de quo pendebant complures flocci lanæi, ita ut his tegeretur manus. Virgilius:

Cui me fortuna precari,
Et vitta comptos voluit prætendere ramos.

Unde Neotericus aliquis exiſtimavit legendum eſſe *vittatis manibus*, non *velatis*. Ideo autem & olea & floccus lanæ ſunt inſignia pacis, quia nihil his mollius.

ME. Attat! illic huc iturus eſt: ibo ego illi obviam.
Neque ego hunc hominem hodie ad ædis has ſinam unquam accedere:
Quando imago eſt hujus in me, certum eſt hominem eludere.
Etenim verò quoniam formam cepi hujus in me & ſtatum,
Decet & factâque mores hujus habere me ſimiles item.
Itaque me malum eſſe oportet, callidum, aſtutum admodum,
Atque hunc telo ſuo ſibi, malitiâ à foribus pellere.
Sed quid illuc eſt? cælum aſpectat: obſervabo quam rem agat.
SO. Certè edepol ſcio, ſi aliud quicquam eſt quod credam, aut certò ſciam,
Credo ego hâc noctu Nocturnum obdormiviſſe ebrium.
Nam neque ſe Septemtriones quôquam in cælo commovent,
Neque ſe Luna quôquam mutat atque uti exorta eſt ſemel.
Nec Jugulæ, neque Veſperugo, neque Vergiliæ occidunt.
Ita ſtatim ſtant ſigna: neque nox quôqam concedit die.
ME. Perge nox, ut occœpiſti! gere patri morem meo:
Optimo optimè optimam operam das! datam pulchrè locas.
SO. Neque ego hâc nocte longiorem me vidiſſe cenſeo:

INTERPRETATIO.

MER. *At verò ille ingreſſurus eſt huc, ego me cenſeram obviam illi, neque ego patiar ullatenus hunc hominem accedere ad has ædes, quoniam hujus ſpecies eſt in me. Stat ludificare hominem. Etenim quia indui me ejus imagine & ſtatura, oportet me repræſentare etiam actiones & mores hujus ſimiles. Quapropter eſt neceſſe me eſſe inſigniter nequam, verſutum, doloſum, & eum arcere à janua per nequitiam*, quæ eſt *telum* quo ſolet armari. *Sed quid eſt hoc? Speculatur cælum? Attendam quid faciat.* SO. *Sanè per ædem Pollucis ſcio, & credo* pro certo, *ſi eſt aliud quidquam quod credam & ſciam, Deum noctis obrutum ſomno & vino hac nocte. Nam neque Septemtriones commovent ſe quoquam in cælo, neque Luna ſe mutat à loco in quo eſt orta ſemel, nec Orion, nec Lucifer, nec Pleiades, occidunt; adeo ſigna ſtant in ſtationibus, neque tenebræ concedunt in ullâ parte lumini.* MER. *Procede, nox, ut inſtituiſti; obſequere meo patri, navas optimè optimam operam* Deo *optimo, collocas egregiè munus.* SO. *Neque ego exiſtimo me vidiſſe noctem productiorem hac nocte,*

ANNOTATIONES.

113. *Telo ſuo.*] Suo ipſius telo, ut verſu 171. *ſuo ipſius jumento*, id eſt, *ſua culpa: Il ſe coupe la gorge de ſon propre coûteau.*

116. *Nocturnum.*] Stella Veneris.

119. *Jugulæ.*] Feſtus: *Jugula, Stella eſt Orion, dicta quòd amplior ſit cæteris, quaſi nux juglans.*

120. *Statim.*] ſtando fixè.

Ibid. *Die.*] pro *diei*, Virgilius:

Libra die ſomnique pares ubi fecerit horas.

123. *Hac nocte longiorem.*] Divus Hieronymus notat fuiſſe tantùm *geminam noctem*, adverſùs Vigilant. *Liberè proclamabis te eſſe aut Mercurium, propter nummorum cupiditatem, aut nocturnum, juxta Plauti Amphitryonem, quo dormiente in Alcmenæ adulterio duas noctes Jupiter copulavit, ut magnæ fortitudinis Hercules naſceretur.* Ovidius idem canit:

Amor, ipſe Deûm genitor, ne te tam ſæpè videret,
Commiſit noctes in ſua vota duas.

Seneca in Agamemnone dicit Herculem

Niſi item unam, verberatus quam pependi perpetem.
Eam quoque edepol etiam multò hæc vicit longitudine.
Credo edepol equidem dormire Solem, atque appotum probè.
Mira ſunt, niſi invitavit ſeſe in cœnâ pluſculum.
ME. Ain' verò verbero? deos eſſe tui ſimiles putas?
Ego pol te iſtis tuis pro dictis & malefactis, furcifer,
Accipiam, modò ſis veni huc: invenies infortunium.
SO. Ubi ſunt iſti ſcortatores, qui ſoli inviti cubant?
Hæc nox ſcita 'ſt exercendo ſcorto conducto malè.
ME. Meus pater nunc pro hujus verbis rectè & ſapienter facit,
Qui complexus cum Alcumenâ cubat amans, animo obſequens.
SO. Ibo, ut herus quod imperavit, Alcumenæ nuntiem.
Sed quis hic eſt homo? quem ante ædeis video hoc noctis? non placet.
ME. Nullus eſt hoc meticuloſus æquè. *SO.* quem? in mentem venit,
Illic hoc homo denuò volt pallium detexere.
ME. Timet homo: deludam ego illum. *SO.* perii. dentes pruriunt.
Certè advenientem me hîc hoſpitio pugnæ accepturus eſt.

INTERPRETATIO.

prater unam ſimilem, in qua tota dedi pœnas ſubjectus flagris. Per ædem Pollucis hæc ſuperat multò quoque etiam illam longitudine. Profectò puto Solem obdormire, atque mero madidum egregiè. Fallor niſi ſeſe proluit largiùs. MER. *Atſne verò maſtigia? Arbitraris deos tibi eſſe ſimiles. Per Pollucem te excipiam, furcifer, pro iſtis tuis verbis & factis. Adeſdum huc ſi vis, reperies malum.* SO. *Ubi ſunt iſti qui dormiunt ſoli iniquo animo. hæc nox eſt commoda exercendo ſcorto malè cõducto.* MER. *Meus pater qui cubat nunc complexus Alcmenam, obſequens animo, facit rectè & ſapienter, ex dictis hujus.* SO. *Pergam ut referam Alcmenæ id quod meus herus mihi mandavit. At quis eſt homo ille quem conſpicio ante ædes hâc horâ noctis? non placet.* MER. *Eſt nemo perinde timidus atque hic.* SO. *Quem video venit in animum, illum hominem velle iterum texere meum pallium.* MER. *Homo trepidat: ego illum deludam.* SO. *Perii. dentes pruriunt. Sanè ille me excipiet. Advenientem hoſpitio* ſub ſigno *pugnæ.*

ANNOTATIONES.

non unâ nocte fuiſſe procreatum, ſed quotâ non notat:

Violentus ille nocte non unâ potuit creari.

Propertius etiam & ipſe Poëta diligens:

Jupiter Alcmenæ geminas requieverat Arctos;
Et cælum noctu bis ſine Rege fuit.

Lycophroni Hercules, τρισέληνος & τριέσπερος λέων trinox: Juſtino Martyri, τριέσπερα Ἀλκαΐδης: & Statius appellat *ternoctem herculeam:* vulgò dicitur *trinoctium herculeum:* apud Arnobium *novem noctes ſunt:* apud Clementem Alexandrinum item: *Jupiter pater noctibus vix novem unam potuit prolem extundere, concinnare, compingere.*

125. *Vicit longitudine.*] Sophocl. νικᾷ.

140. *Me hoſpitio pugnæ accepturus eſt.*] Moris ſemper fuit ut inſigniantur ędes aliquibus picturis quæ incurrant in prætereuntium oculos, & quæ domicilia civium quærentibus indicio ſint. Ad hunc morem alludit jocus Soſiæ, quo innuit ſe eſſe ſub ſigno *pugnæ*, vel potiùs, pugnis excipiendum, id eſt, à Mercurio pugnis ſugillandum.

Credo

Credo miſericors eſt: nunc propterea quòd me meus herus
Fecit ut vigilarem, hic pugnis faciet hodie ut dormiam.
Oppidò interii. obſecro herclè quantus & quàm validus eſt!
ME. Clarè advorſum fabulabor. hic auſcultet quæ loquar.
Igitur magis modum in majorem in ſeſe concipiet metum.
Agite pugni, jam diu 'ſt quòd ventri victum non datis:
Jampridem videtur factum, heri quòd homines quatuor
In ſoporem collocaſtis nudos. *SO.* formido malè
Ne ego hîc nomen meum commutem, & Quintus fiam è Soſiâ.
Quatuor viros ſopori ſe dediſſe hic autumat:
Metuo ne numerum augeam illum. *ME.* hem! nunc jam ergo: ſic colo.
SO. Cingitur, certè expedit ſe. *ME.* non feret quin vapulet.
SO. Quis homo? *ME.* quiſquis homo huc profectò venerit, pugnos edet.
SO. Apage, non placet me hoc noctis eſſe: cœnavi modò:
Proin tu iſtam cœnam largire, ſi ſapis, eſurientibus.
ME. Haud malum huic eſt pondus pugno. *SO.* perii, pugnos ponderat.
ME. Quid ſi ego illum tractim tangam ut dormiat? *SO.* ſervaveris:

INTERPRETATIO.

Credo eſt humanus, & quoniam meus herus voluit ut ego vigilarem nunc, hic efficiet hodie pugnis ut dormiam. Planè perii. Quæſo per Herculem quàm procerus eſt & quàm robuſtus! MER. *Loquar clarè ex adverſo. Hic audiet quæ dicam, & ita concipiet timorem in ſeſe in majorem modum. Agite, ô pugni! eſt jam diu quòd non ſuppeditatis cibum ventri; videtur eſſe factum à longo tempore quod die heſternâ conjeciſtis in ſoporem quatuor homines ſpoliatos.* SO. *Pertimeſco magnopere ne mutem hic meum nomen, & evadam Quintus è Soſia. Hic dicit ſe dediſſe ſopori quatuor homines. Metuo ne augeam illum numerum.* MER. *Igitur illum excipiam ſic modo.* SO. *Accingitur, profectò ſe comparat.* MER. *Non feret quin pulſetur.* SO. *Quis homo?* MER. *Certè quiſquis homo venerit huc, edet pugnos.* SO. *Apage, non libet edere hâc horâ noctis. modò cœnavi: itaque appone, ſi vis, iſtam cœnam eſurientibus.* MER. *Huic pugno non eſt tam malum pondus.* SO. *Perii. ponderat pugnos.* MER. *Quid ſi ego illum tangam leniter ut dormiat.* SO. *Non eſt opus:*

ANNOTATIONES.

149. *Quintus fiam*] Erat apud Romanos non infrequens uſus numerorum in imponendis nominibus, ut ferme quintus diceretur puer, & deinceps vir factus quòd natus fuiſſet quintus, interdum & Quintius, Sextus, Sextius, Septimus, Septimius. Hîc jocatur Soſia, & vereri ſe teſtatur, ne in poſterum, non Soſia, ſed Quintus appelletur, quando cæſus à Mercurio dormiet cum quatuor, quos à ſe ſopori datos ſeu interfectos gloriatur Mercurius.

152. *Cingitur.*] David. *Indutus eſt Dominus fortitudinem, & præcinxit ſe.* Et Lucas: *Sint lumbi veſtri præcincti.*

157. *Tractim tangam.*] Tractim tangere, eſt mulcere molli & explicatâ manu, ut nos ferme demulcemus canes feléſque, tractâ leniter à capite ad caudam manu ſecundis pilis. Ironia, *tractim tangere*, pro *ictu gravi affligere.*

Nam continuas has tris noctes pervigilavi. *ME.* peſſumum eſt
Facinus! nequiter ferire mâlam malè diſcit manus.
Aliâ formâ eſſe oportet quem tu pugno legeris.
SO. Illic homo me interpolabit, meúmque os finget denuò.
ME. Exoſſatum os eſſe oportet, quem probè percuſſeris.
SO. Mirum ni hic me quaſi murænam exoſſare cogitat.
Ultrò iſtunc qui exoſſat homines. perii, ſi me aſpexerit.
ME. Olet homo quidam malo ſuo. *SO.* hei! nùmnam ego obolui?
ME Atque haud longè abeſſe oportet. verùm longè hinc abfuit.
SO. Illic homo ſuperſtitioſus eſt. *ME.* geſtiunt pugni mihi!
SO. Si in me exerciturus, quæſo in parietem ut primùm domes.
ME. Vox mihi ad aures advolavit. *SO.* næ ego homo infelix fui,
Qui non alas intervelli: volucrem vocem geſtito.
ME. Illic homo à me ſibi malam rem arceſſit jumento ſuo.
SO. Non equidem ullum habeo jumentum. *ME.* onerandus eſt pugnis probè.
SO. Laſſus ſum herclè è navi, ut vectus huc ſum: etiam nunc nauſeo.
Vix incedo inanis, ne ire poſſe cum onere exiſtumes:
ME. Certè enim hic neſcio-quis loquitur. *SO.* ſalvos ſum, non me videt.

INTERPRETATIO.

nam duxi has tres noctes continuas inſomnes. MER. *eſt nequiſſimum facinus. manus novit perſtringere malè mâlam.* Oportet *eſſe mutato vultu quem tu ferieris pugno.* SO. *Ille homo me interpolabit, & finget de novo meum os.* MER. *Oportet os ejus quem tu benè percuſſeris pugno, eſſe ſine dentibus.* SO. *Mirum ſi hic non meditatur mihi eximere oſſa quaſi murenæ. Apage iſtum qui oſſa comminuit hominibus. Interii, ſi me conſpicatus fuerit.* MER. *Profectò homo mittit odorem ſuo damno.* SO. *Hoi! num ego mitto odorem!* MER. *Atque oportet eum non abeſſe longè, ſed abfuit longè hinc.* SO. *Ille homo vaticinatur.* MER. *Pugni mihi geſtiunt.* SO. *Te obſecro ut eos exerceas primùm in parietem, ſi eos es adhibiturus in me.* MER. *Vox mihi advolavit ad aures.* SO. *Certe ego fui homo infortunatus, qui non eripui pennas: habeo vocem pennatam.* MER. *Ille homo ſibi accerſit malam rem ſuo jumento.* SO. *Profectò nullum habeo jumentum.* MER. *Eſt onerandus naviter pugnis.* SO. *Per Herculem ſum feſſus è navi, ex quo ſum delatus huc. Nauſeo etiamnum; vix gradior vacuus onere, ne arbitreris me poſſe ambulare cum pondere.* MER. *Enimverò neſcio-quis fabulatur hic.* SO. *Sum ſalvus, non me conſpicit.*

ANNOTATIONES.

160. *Quem tu pugno legeris.*] id eſt, *aſſequutus fueris. & percuſſeris.*

161. *Me interpolabit.*] Nonius: *Interpolare eſt immittere & interponere, & novam formam è vetere fingere: tractum ab arte fullonea.*

163. *Quaſi murenam.*] Murenæ ſic ſpinæ eximebantur, primùm baculo diu multumque cædebantur, deinde premebantur manu à capite ad caudam, ut eximerentur ſpinæ.

167. *Superſtitioſus.*] Moris erat apud Veteres ut ſuperſtitioni tribuerent quidquid ad auſpicia, auguria, vaticinia, aſtrologiam, & omnem, quaque verſum patet, divinandi artem pertineret.

Neſcio-quem loqui autumat : mihi certò nomen Soſia eſt.
ME. Hinc enim mihi dextera vox auris, ut videtur, verberat.
SO. Metuo vocis ne vice hodie hîc vapulem, quæ hunc verberat.
ME. Optumè eccum incedit ad me. *SO*. timeo! totus torpeo!
Non edepol nunc ubi terrarum ſim ſcio, ſi quis roget :
Neque miſer me commovere poſſum præ formidine.
Ilicet mandata heri perierunt, unà & Soſia.
Verùm certu' ſt confidenter hominem contrà colloqui,
Igitur quî poſſim videri huic fortis, à me ut abſtineat manum.
ME. Quò ambulas, tu, qui Vulcanum in cornu concluſum geris?
SO Quid id exquiris, tu, qui pugnis os exoſſas hominibus?
ME. Servus éſne, an liber? *SO*. utcunque animo collibitum eſt meo.
ME. Ain' verò? *SO*. aio enimverò. *ME*. verbero. *SO*. mentiris nunc jam.
ME. At jam faciam ut verum dicas dicere. *SO*. quid eo eſt opus?
ME. Poſſum ſcire quò profectus, quoius ſis, aut quid veneris?
SO. Huc eo : heri ſum ſervus. nunquid nunc es certior?
ME. Ego tibi iſtam hodie ſceleſtam comprimam linguam. *SO*. haud potes:
Benè pudicéque aſſervatur. *ME*. pergin' argutarier?
Quid apud haſce ædis negotii eſt tibi? *SO*. imò quid tibi eſt?
ME. Rex Creo vigiles nocturnos ſingulos ſemper locat.

INTERPRETATIO.

Dicit Neſcio-quem ſabulari. Profectò mihi eſt nomen Soſia, non Neſcio-quis. MER. *Enimverò vox mihi pulſat aures à dextris, ut videtur.* SO. *Vereor hodie ne loco vocis quæ pulſat hunc hominem, ego pulſer.* MER. *Optimè; ecce accedit ad me.* SO. *Paveo; totus obtorpeſco. Per ædem Pollucis, ſi quis à me poſtulet nunc ubinam gentium verſer, ignoro, & nequeo me commovere præ pavore. Jam juſſa Domini evanuerunt, & ſimul Soſia. Sed ſtat conferre ſermonem audacter cum homine, ut queam haberi ab illo animoſus, ut coërceat pugnos à me.* MER. *Quò vadis, tu qui fers ignem incluſum in laternâ corneâ?* SO. *Quare percontaris id, tu qui excutis dentes hominibus pugno?* MER. *Eſne ſervus an liber?* SO. *Utut placet meo animo.* MER. *Diciſne verò?* SO. *Dico enimverò.* MER. *Verbero.* SO. *Mentiris nunc jam*, non verbero. MER. *Sed efficiam modò ut confitearis me loqui vera.* SO. *Quid tibi opus eſt eo?* MER. *Poſſum cognoſcere unde venis, ad quem pertineas, aut cur veneris?* SO. *Venio huc, ſum ſervus mei heri, eſne jam doctior?* MER. *Ego tibi comprimam hodie iſtam flagitioſam linguam.* SO. *Nequis, nam cuſtoditur rectè & caſtè.* MER. *Proſequeris nugari? Quod negotium eſt tibi apud hacce tecta?* SO. *Immo quid eſt tibi?* MER. *Rex Creo collocat ſemper ſingulis noctibus excubias.*

ANNOTATIONES.

185. *Qui Vulcanum in cornu geris.*] Qui ignem in laternâ clauſum geris.

188. ME. *Verbero.* SO. *mentitus nunc es.*] Soſia fingit ſe vocabulum hoc, *verbero*, non pro nomine *verbero verberonis*, ſicut accipit Mercurius, ſed pro verbo *verbero, verberas* accipere.

SO. Benè facit : quia nos eramus peregrè, tutatu' ſt domi.
At nunc abi ſanè, adveniſſe familiares dicito.
ME. Neſcio quàm tu familiaris ſis! niſi actutum hinc abis,
Familiaris accipiere faxo haud familiariter.
SO. Hîc, inquam, habito ego, atque horunc ſervus ſum. *ME*. at ſcin' quomodo ?
Faciam ego hodie te ſuperbum, niſi hinc abis. *SO*. quónam modo ?
ME. Auferere, non abibis, ſi ego fuſtem ſumpſero.
SO. Quin me eſſe hujus familiæ familiarem prædico.
ME. Videſis, quàm mox vapulare vis, niſi actutum hinc abis!
SO. Tun' domo prohibere peregrè me advenientem poſtulas ?
ME. Hæccine tua domu' ſt? *SO*. ita, inquam. *ME*. quis herus eſt igitur tibi ?
SO. Amphitruo, qui nunc præfectu' ſt Thebanis legionibus;
Quîcum nupta eſt Alcumena. *ME*. quid ais ? quid nomen tibi eſt?
SO. Soſiam vocant Thebani, Davo prognatum patre.
ME. Næ tu iſtic hodie malo tuo compoſitis mendaciis
Adveniſti, audaciæ columen, conſutis dolis.
SO. Imò equidem tunicis conſutis huc advenio, non dolis.
ME. At mentiris etiam! certò pedibus, non tunicis venis.
SO. Ita profectò. *ME*. nunc profectò vapula ob mendacium.
SO. Non edepol volo profectò. *ME*. at pol profectò ingratiis.

INTERPRETATIO.

SO. *Facit benè : quoniam nos aberamus longè, cuſtodivit domi; ſed nunc abi profectò, nuntia domeſticos adventaſſe.* MER. *Miror quantum tu ſis familiaris: niſi abceſſeris ſtatim, dabo operam ut familiaris excipiaris minimè familiariter.* SO. *Ego maneo hic, inquam, & ſum ſervus Amphitryonis & Alcmenæ.* MER. *Sed ſcisne quo pacto ego dabo operam ut ſis elatus hodie, niſi abſiſtas hinc?* SO. *Quonam modo?* MER. *Auferere, non abibis, ſi ego arripuero baculum.* SO. *Quin affirmo me eſſe domeſticum harum ædium.* MER. *Cogita, ſi vis, quantum cupias modò verberari, niſi velociter excedis hinc.* SO. *Contendiſne tu me arcere tectis revertentem à longè?* MER. *Eſtne hæc tua domus?* SO. *Etiam, inquam.* MER. *Quis eſt ergo tuus herus?* SO. *Amphitryo, qui eſt nunc Præpoſitus copiis Thebanis, cum quo Alcmena eſt conjugata.* MER. *Quid dicis? Quod nomen eſt tibi?* SO. *Thebani nuncupant Soſiam procreatum Davo patre.* MER. *Certè tu veniſti huc hodie tuo damno, columen audaciæ, concinnatis mendaciis, conſertis fallaciis.* SO. *Imo ſanè venio huc, veſtibus conſutis, non fallaciis.* MER. *Mentiris etiam: profectò venis pedibus, non veſtibus.* SO. *Etiam ſanè.* MER. *Nunc ſanè da pœnas propter mendacium.* SO. *Certè per ædem Pollucis nolo.* MER. *Sed per Pollucem vapulabis ſanè invitus.*

ANNOTATIONES.

201. *Faciam ego te ſuperbum.*] Superbus eſt & habetur vulgò qui pedes ire dedignatur, ſed aut equo, aut curru, aut humeris hominum ferri ſublimis gloriatur. Mercurius tot minatur Soſiæ plagas, ut ſit domum referendus inter manus hominum.

Hoc quidem profectò certu' ſt, non eſt arbitrarium.
SO. Tuam fidem obſecro! *ME.* tun' te audes Soſiam eſſe dicere,
Qui ego ſum? *SO.* perii! *ME.* parum etiam, præut futurum eſt, prædicas.
Quoius nunc es? *SO.* tuus. nam pugnis uſufeciſti tuum.
Prò fidi Thebani cives! *ME.* etiam clamas, carnifex?
Eloquere, quid veniſti? *SO.* ut eſſet quem tu pugnis cæderes.
ME. Cujus es? *SO.* Amphitruonis inquam Soſia. *ME.* ergo iſtoc magis,
Quia vaniloquus, vapulabis: ego ſum, non tu, Soſia.
SO. Ita dii faciant, ut tu potius ſis, atque ego te ut verberem.
ME. Etiam muttis? *SO.* jam tacebo. *ME.* quis tibi heru' ſt? *SO.* quem tu voles.
ME. Quid igitur? qui nunc vocâre? *SO.* nemo, niſi quem juſſeris.
ME. Amphitruonis te eſſe aiebas Soſiam. *SO.* peccaveram:
Nam Amphitruonis ſocium næ me eſſe volui dicere.
ME. Sciebam equidem nullum eſſe nobis, niſi me, ſervum Soſiam.
Fugit te ratio. *SO.* utinam iſtuc pugni feciſſent tui!
ME. Ego ſum Soſia ille, quem tu dudum eſſe aiebas mihi.
SO. Obſecro ut per pacem liceat te alloqui, ut ne vapulem.
ME. Imò induciæ parumper fiant, ſi quid vis loqui.
SO. Non loquar niſi pace factâ, quando pugnis plus vales.

INTERPRETATIO.

Hoc quidem ſanè eſt certum, non tibi eſt arbitrarium. SO. *Obteſtor tuam fidem.* MER. *Audéſne tu affirmare te eſſe Soſiam, quandoquidem ſum ego.* SO. *Interii.* MER. *Dicis adhuc minùs quàm eſt futurum. Ad quem pertines jam?* SO. *Ad te; nam me feciſti tuum uſu, pugnis. Heus! fidi cives Thebani.* MER. *Vociferaris adhuc, ſceleſte? Effare cur acceſſiſti?* SO. *Ut eſſet quem tu ferires pugnis.* MER. *Ad quem pertines?* SO *Ego ſum Soſia ſervus Amphitryonis, inquam* MER. *Igitur dabis pœnas propterea quod es mendax: ego ſum Soſia, non tu.* SO. *Dii praſtent ſic, ut tu ſis potiùs Soſia quàm ego, ut te verberem,* MER. *Etiam obmurmuras.* SO. *Mox ſilebo.* MER. *Quis eſt tuus herus?* SO. *Is quem tu cupies.* MER. *Quid igitur? quomodo appellaris nunc?* SO. *Nemo, niſi quem mandaris.* MER. *Dicebas te eſſe ſervum Amphitryonis.* SO. *Erraveram; nam certè volui dicere me eſſe ſocium Amphitryonis.* MER. *Profectò ego ſciebam nobis eſſe neminem miniſtrum nomine Soſiam, niſi me; animus te fugit.* SO. *Utinam tui pugni me fugiſſent quoque!* MER. *Ego ſum ille Soſia, quem tu mihi dicebas te eſſe modò.* SO. *Obteſtor per pacem, liceat te alloqui ita ut non cedar.* MER. *Imò induciæ fiant tantillum, ſi cupis dicere aliquid.* SO. *Non addam verbum niſi ſancitâ pace, quoniam plus potes pugnis.*

ANNOTATIONES.

219. *Uſu feciſti tuum.*] *Uſu facere*, eſt nomenclaturæ juridicæ, ut *uſucapere, uſucapio*: *Uſucapio rerum mobilium, præſcriptio immobilium.*

233. *Induciæ.*] Varro: *Sunt belli feriæ.* Agellius: *Pax caſtrenſis paucorum dierum.*

ME. Dicito, ſi quid vis, non nocebo. *SO.* tuæ fidei credo?
ME. meæ?
SO. Quid, ſi falles? *ME.* tum Mercurius Soſiæ iratus ſiet!
SO. Animum advorte: nunc licet mihi liberè quidvis loqui.
Amphitruonis ego ſum ſervus Soſia. *ME.* etiam denuò?
SO. Pacem feci, fœdus feci, vera dico. *ME.* vapula!
SO. Ut lubet, quid tibi lubet fac; quoniam pugnis plus vales.
Verùm, utut es facturus, hoc quidem herclè haud reticebo tamen.
ME. Tu me vivus hodie nunquam facies, quin ſim Soſia.
SO. Certè edepol tu me alienabis nunquam quin noſter ſiem.
Nec nobis præter med alius quiſquam eſt ſervus Soſia,
Qui cum Amphitruone hinc unà iveram in exercitum.
ME. Hic homo ſanus non eſt. *SO.* quod mihi prædicas vitium, id tibi eſt.
Quid, malùm? non ſum ego ſervus Amphitruonis Soſia?
Nónne hâc noctu noſtra navis ex portu Perſico
Venit, quæ me advexit? nónne me huc herus miſit meus?
Nónne ego nunc hîc ſto ante ædes noſtras? non mihi eſt laterna in manu:
Non loquor? non vigilo? nónne hic homo modò me pugnis contudit?
Fecit herclè. nam etiam miſero nunc mâlæ dolent.

Interpretatio.

MER. *Dic ſi vis quid, non feriam.* SO. *Me committo tuæ fidei.* MER. *Mea?* SO. *Quid ſi deceptes?* MER. *Tum Mercurius ſit infeſtus Soſiæ.* SO. *Adhibe mentem; mihi licet nunc dicere liberè quidlibet. Ego ſum Soſia ſervus Amphitryonis.* MER. *Etiam iterum.* SO. *Feci pacem, ferii fœdus. Facio verba.* MER. *Da pœnas.* SO. *Ut placet, age quod vis, quandoquidem præſtas viribus. Sed quidquid es acturus, tamen profectò per Herculem non ſilebo id.* MER. *Dum tu vives, nunquam aſſequeris ut non ſim hodie Soſia.* SO. *Sanè per ædem Pollucis tu non me facies alium, ita ut non ſim noſter. Neque eſt alius quiſquam ſervus Soſia præter me, qui profectus eram hinc ad bellum unà cum Amphitryone.* MER. *Hic homo non eſt ſanus.* SO. *Mihi affingis illud vitium quod eſt in te. Quid! malum! Ego non ſum Soſia ſervus Amphitryonis? Noſtra navis quæ me retulit, huc reverſa eſt hâc nocte ex portu Perſico? Meus herus nonne me miſit huc? Nonne ſto ego nunc hic ante noſtras ædes? Mihi non eſt laterna in manu? Non loquor? Non vigilo? Hic homo non me percutit modò pugnis? Fecit per Herculem: nam mâlæ mihi dolent infœlici etiamnum.*

Annotationes.

248. *Portu Perſico.*] Portus in Mari Euboico, non longè Thebis, dictus à Perſarum claſſe quæ inibi in anchoris fuit, in quo & eſt anacroniſmus Poëtæ: nam Perſæ longo poſt Amphitryonem tempore in Græciam irruperunt.

252. *Herclè.*] Eſt & alius hiſtrionis anacroniſmus conſultus inconſultúſve: nam, Hercule nondum nato, *per Herculem* juratur.

Quid igitur ego dubito? aut cur non intrò eo in noſtram domum?
ME. Quid, domum voſtram? *SO*. ita enimverò. *ME*. quin quæ dixiſti modò,
Omnia ementitus. equidem Soſia Amphitruonis ſum.
Nam noctu hâc ſoluta eſt navis noſtra è portu Perſico:
Et ubi Pterela rex regnavit, oppidum expugnavimus:
Et legiones Teleboarum vi pugnando cœpimus.
Et ipſus Amphitruo obtruncavit regem Pterelam in prælio.
SO. Egomet mihi non credo, quum illæc autumare illum audio.
Hic quidem certè, quæ illic ſunt res geſtæ, memorat memoriter.
Sed quid ais? quid Amphitruoni à Telebois datum eſt?
ME. Pterela rex quî potitare ſolitus eſt, patera aurea.
SO. Elocutus eſt. ubi patera nunc eſt? *ME*. in ciſtulâ
Amphitruonis obſignata ſigno eſt. *SO*. ſigni dic quid eſt?
ME. Cum quadrigis Sol exoriens. quid me captas, carnufex?
SO. Argumentis vincit: aliud nomen quærendum eſt mihi.
Neſcio unde hæc hic ſpectavit. Jam ego hunc decipiam probè.
Nam quod egomet ſolus feci; nec quiſquam alius affuit
In tabernaculo, id quidem hodie nunquam poterit dicere.
Si tu Soſia es, legiones quum pugnabant maximè,
Quid in tabernaculo feciſti? victus ſum, ſi dixeris.
ME. Cadus erat vini: inde implevi hirneam. *SO*. ingreſſu' ſt viam.
ME. Eam ego ut matre fuerat natum vini eduxi meri.

Interpretatio.

Quare ergo ego hæſito, & quare non ingredior in noſtras ædes? MER. *Quid? veſtras ædes?* SO. *Ita enimverò.* MER. *Quin ementitus es univerſa quæ loquutus es modò. Profectò ego ſum Soſia ſervus Amphitryonis. Nam noſtra navis eſt ſoluta è portu hâc nocte; & cœpimus urbem in qua rex Pterelas regnavit, & expugnavimus copias Teleboarum pugnando vi, & ipſe Amphitryo confecit regem Pterelam in certamine.* SO. *Non mihi credo egomet, quando illum audio dicere illa: hic quidem profectò narrat ad unguem ea quæ ſunt facta ibi. Sed quid dicis, quid eſt datum Amphitryoni à Telebois?* MER. *Crater aureus quo Pterela rex conſuevit bibere.* SO. *Dixit, ubi eſt jam patera?* MER. *Eſt in ciſtulâ communitâ ſigillo Amphitryonis.* SO. *Dic quod eſt ſignum?* MER. *Sol oriens cum quadrigis. quare me tentas, ſceleſte?* SO. *Me ſuperat indiciis, emendicandum eſt aliud nomen, non video unde hic ſpeculatus eſt illa, ego hunc capiam benè jamjam. Nam nullo modo poterit efferre quod quidem egi egomet ſolus in tentorio, nec affuit quiſquam alius. Si tu es Soſia, quando copiæ decertabant acerrimè, quid feciſti in tentorio? Sum victus ſi eloquutus fueris.* MER. *Erat cadus vini, ex eo implevi hirneam.* SO. *Iniit viam.* MER. *Ego eam deprompſi vini puri, ut fuerat ortum à vite.*

Annotationes.

258. *Vi pugnando.*] non pactione.

273. *Hirneam.*] Genus vaſis vinarii: *Hirnea*, ſeu *Irnea*, olim *Erneum*, παρὰ τὸ ὄρνεον, quòd avis figuram ferret. Sic κάνθαρος, quòd ſcarabeo ſimilis; *cymbium*, quòd cymbæ.

SO. Mira ſunt, niſi latuit intus illic in illâc hirncâ!
Factum eſt illud, ut ego illic vini hirncam ebiberim meri.
ME. Quid nunc? vincon' argumentis te non eſſe Soſiam?
SO. Tu negas med eſſe? *ME.* Quid ego ni negem, qui egomet ſiem?
SO. Per Jovem juro med eſſe: neque me falſum dicere.
ME. At ego per Mercurium juro, tibi Jovem non credere:
Nam injurato ſcio plus credet mihi, quàm jurato tibi.
SO. Quis ego ſum ſaltem, ſi non Soſia? te interrogo.
ME. Ubi ego Soſia nolim eſſe, tu eſto ſanè Soſia:
Nunc quando ego ſum, vapulabis, ni hinc abis, ignobilis.
SO. Certè edepol quom illum contemplo, & formam cognoſco meam,
Quemadmodum ego ſum (ſæpè in ſpeculum inſpexi) nimis ſimileſt mei.
Itidem habet petaſum, ac veſtitum: tam conſimileſt atque ego.
Sura, pes, ſtatura, tonſus, oculi, naſum, vel labra,
Malæ, mentum, barba, collum: totus! quid verbis opu'ſt?
Si tergum cicatricoſum, nihil hoc ſimili eſt ſimilius.
Sed quom cogito; equidem certò idem ſum qui ſemper fui.
Novi herum: novi ædis noſtras: ſanè ſapio & ſentio.
Non ego illi obtempero quod loquitur, pultabo foris.
ME. Quò agis te? *SO.* domum. *ME.* quadrigas ſi nunc inſcendas Jovis,

INTERPRETATIO.

SO. *Miror niſi ille ſeſe abſcondit in illâ hirneâ. Illud eſt factum ut ego ſiccaverim ibi hirneam vini meri.* MER. *Quid nunc? Superóne te rationibus te non eſſe Soſiam?* SO. *Tu negas me eſſe Soſiam.* MER. *Quare non negem, quandoquidem ſum ego?* SO. *Juro per Jovem me eſſe Soſiam, neque me dicere mendacium.* MER. *At ego juro per Mercurium, Jovem non tibi fidem habere; nam ſcio eum mihi crediturum magis injurato, quàm tibi jurato.* SO. *Quis ſum ego tandem, ſi ego non ſum Soſia? A te peto.* MER. *Quando ego nolim eſſe Soſia, tu eſto ſanè Soſia: nunc quoniam ego ſum Soſia, dabis pœnas, furcifer, niſi abſiſtas hinc.* SO. *Per ædem Pollucis quando illum conſidero, & intueor in eo meam ſpeciem, ſicut ego vidi ſæpè in ſpeculo, eſt valde ſimilis mei. Habet eundem pileum & eandem veſtem; adeò eſt ſimilis mihi ſura, pes, ſtatura, tonſus, oculi, naſus, dens, labra, mala, mentum, barba, collum; totus. Quid eſt opus verbis? Si ejus dorſum eſt plenum vibicibus, eſt nihil ſimilius hâc ſimilitudine. At quando ego reputo; profectò ego ſum pro certo idem qui ſemper fui. Novi herum, novi noſtras ædes, profectò ſum ſanus & præditus ſenſu. Ego non illi credo, quidquid dicat, feriam fores.* MER. *Quò vadis?* SO. *In meas ædes.* MER. *Si conſcendas nunc currum Jovis, atque aufugias hinc, ne ſic quidem valueris effugere malum.*

ANNOTATIONES.

294. *Quadrigas Jovis.*] Velociſſimas eſſe oportet. Horat. 1. Od. 34. *volucrem currum Jovis* appellat. Catul.

Non ſi Pegaſeo ferar volatu.

Atque

Atque hinc fugias, ita vix poteris effugere infortunium.
SO. Nónne heræ meæ nunciare, quod herus meus juſſit, licet?
ME. Tuæ ſi quid vis nunciare: hanc noſtram, adire non ſinam.
Nam ſi me irritaſſis, hodie lumbifragium hinc auferes.
SO. Abeo potiùs. di immortales, obſecro voſtram fidem!
Ubi ego perii? ubi immutatus ſum? ubi formam perdidi?
An egomet me illîc reliqui? ſi fortè oblitus fui.
Nam hic quidem omnem imaginem meam, quæ antehâc fuerat, poſſidet.
Vivo fit, quod nunquam quiſquam mortuo faciet mihi.
Ibo ad portum, atque hæc uti ſunt facta, hero dicam meo.
Niſi etiam is quoque me ignorabit; quod ille faciat Jupiter!
Ut ego hodie raſo capite calvus capiam pilleum.

INTERPRETATIO.

SO. *Nonne licet referre mea hera quod meus herus imperavit?* MER. *Si cupis referre tua hera quidpiam, refer; ſed non patiar te accedere ad hanc noſtram* heram; *nam ſi mihi moveris bilem, abſcedes hodie hinc fractus lumbis.* SO. *Abeo potiùs. Dii immortales! obſecro voſtram fidem! Ubi ego perii? ubi ſum immutatus? ubi ego perdidi formam? An egomet reliqui illic, niſi fortè fui oblitus? Nam hic quidem poſſidet omnem meam imaginem. Mihi evenit, adhuc vivo, id quod nunquam quiſquam mihi faciet mortuo,* quando præfertur imago. *Revertar ad portum, atque nunciabo meo hero quemadmodum hæc ſunt geſta; niſi is non noſſet etiam quoque quòd Jupiter annuat, ut ego ſuſcipiam hodie hîc pileum, capite raſo.*

ANNOTATIONES.

303. *Vivo fit quod nunquam quiſquam faciet mortuo.*] Mihi vivo præfertur imago mea in Mercurio, videlicet quod nunquam quiſquam faciet mortuo, utpote ignobili & vili mancipio: nam nobilibus tantùm qui efferebantur, præferebantur imagines.

306. *Raſo capite calvus capiam pileum.*] Servi qui manumittebantur, capite raſo, pileum accipiebant in Templo Feroniæ, quæ Libertorum, & Varroni Libertatum Dea Fidoniáque nuncupata eſt.

ACTUS PRIMUS. SCENA SECUNDA.

ARGUMENTUM.

GRATULATUR ſibi Mercurius quòd Soſiam coëgerit repetere naves & herum Amphitryonem, & ſeriem omnem Fabulæ proponit; unde Scena hæc poteſt meritò appellari, Protaſis Amphitryonis Plautinæ.

Pater curavit uno ut fœtu fieret;
Uno ut labore abſolvat ærumnas duas,
Et ne in ſuſpicione ponatur ſtupri,
Et clandeſtina ut celetur ſuſpicio.
Quanquam, ut jamdudum dixi, reſciſcet tamen
Amphitruo rem omnem. quid igitur? nemo id probro
Profectò ducet Alcumenæ. nam deum
Non par videtur facere, delictum ſuum
Suámque culpam expetere in mortalem ut ſinat.
Orationem comprimam! crepuit foris.
Amphitruo ſubditivus, eccum, exit foras
Cum Alcumenâ uxore uſurariâ.

INTERPRETATIO.

ut ambo pueri *ederentur uno partu; ut liberetur duobus doloribus uno labore, ut ſuſpicio ſtupri non cadat in eam, & ut tollatur ſuſpicio occulta* concubitus furtivi. *Tametſi Amphitryo, ut dixi jampridem, cognoſcet omnem rem. Quid ergo? Nullus ſanè vertet id dedecori Alcmenæ: nam non videtur æquum Deum committere id, ut patiatur ſuum peccatum & ſuam culpam recidere in hominem. Coërcebo linguam. Janua ſtrepit. Ecce Amphitryo ſuppoſititius prodit foras cum Alcmena conjuge uſurariâ.*

ANNOTATIONES.

25. *Fieret.*] Prima longa, quaſi *fieret.*
27. *Suſpicio.*] Secunda longa.
36. *Uſuraria.*] 108. Prolog.

ACTUS PRIMUS. SCENA TERTIA.

ARGUMENTUM.

DISCEDIT ab Alcmenâ falſus Amphitryo, quem ægrè dimittit Alcmena, rata eſſe ſuum maritum. Lenit dolorem Alcmenæ Jupiter, datâ paterâ aureâ Pterelæ regis, pollicitus inſuper brevem reditum. Demum mandat Jupiter Trinoctio locum ut faciat luci, & diei. Verſibus 6. & 7. eſt admonitio gravis ad eos, qui præſunt, ut & ægrè diſcedant à ſtatione ſuâ, & eam quàm velociſſimè poſſunt, repetant.

IVPITER, ALCMENA, MERCVRIVS.

IVPITER.

BENE vale Alcumena! cura rem communem, quod facis.
Atque imperce, quæſo! menſes jam tibi eſſe actos vides.
Mihi neceſſe eſt ire hinc: verùm quod erit natum, tollito.
AL. Quid iſtud eſt, mi vir, negotii, quòd tu tam ſubitò domo
Abeas? *IVP.* edepol, haud quòd tui me, neque domi diſtædeat:
Sed UBI SUMMUS IMPERATOR non adeſt ad exercitum,
Citiùs quod non facto' ſt uſus, fit, quàm quod facto' ſt opus.
ME. Nimis hic ſcitus eſt ſycophanta, qui quidem meus ſit pater.
Obſervatote, quàm blandè mulieri palpabitur.
AL. Ecaſtor, te experior, quanti facias uxorem tuam.
IVP. Satin' habes, ſi fœminarum nulla eſt quàm æquè diligam?
ME. Edepol næ illa ſi iſtis rebus te ſciat operam dare,
Ego faxim te Amphitruonem eſſe mâlis, quàm Jovem.
AL. Experiri iſtuc mavellem me, quàm mî memorarier.
Priùs abis quàm lectûs, ubi cubuiſti, concaluit locus.
Herè veniſti mediâ nocte, nunc abis: hoccine placet?
ME. Accedam, atque hanc appellabo, & ſupparaſitabor patri.

INTERPRETATIO.

JUP. *Vale bene, Alcmena, cura fortunas communes, ſicut facis, & tibi parce, obſecro. Animadvertis nunc menſes tui partus eſſe expletos. Oportet me proficiſci hinc; ſed enutri id quod naſcetur.* ALC. *Quid rei eſt illud, mi marite, quòd tu excedas è tectis tam velociter!* JUP. *Per ædem Pollucis, non excedo quaſi me tædeat tui, neque familiæ. Verùm quando maximus Dux non eſt in copiis, accidit ſæpiùs id quod non oporteret fieri, quàm id quod decet.* MER. *Profectò meus pater eſt ſycophanta nimium facetus: videte quàm blandè demulceat mulierem.* ALC. *Per ædem Caſtoris animadverto reverâ quo loco habeas tuam conjugem.* JUP. *Eſtne ſatis, ſi eſt nulla mulierum quam amem perinde atque te?* MER. *Per ædem Pollucis, ſi Juno cognoſcat te navare operam iſtis rebus* amatoriis, *ego pepigerim certò, futurum ut malis eſſe Amphitryo quàm Jupiter.* ALC. *Mallem mihi exhiberi illud, quàm mihi dici. Repetis exercitum antequam locus lecti, in quo jacuiſti, incalueris: heri reverſus es mediâ nocte, jam proficiſceris: idne te delectat?* MER. *Accedam, atque hanc alloquar, & agam partes paraſiti paterni.*

ANNOTATIONES.

2. *Imperce.*] *Parce labori*, & iis quæ vicino partui nocere poſſunt.

3. *Quod erit natum, tollito.*] Infantes olim ſimul ac erant nati, humi deponebantur: pater verò aut mater, aut ſi quis alius eſſe vellet loco patris & matris naſcenti infanti, ab humo tollebat, & in ſinum conferebat. Quo indicio ſeſe parentes ejus eſſe profitebantur, & officia patris veluti pollicebantur. Statius:

Meus ille meus tellure cadentem
Excepi, & vinctum genitali carmine fovi.

Qui non tollebatur, pro abdicato & projectitio erat.

13. *Ego faxim.*] alii *Paxim* pro *pepigerim, je gage: je mets en fait.*

Nunquam edepol quemquam mortalem credo ego uxorem ſuam
Sic efflictim amare, proinde ut hic te efflictim deperit.
IVP. Carnifex? non ego te novi? abin' è conſpectu meo?
Quid tibi hanc curatio eſt rem, verbero, aut muttitio?
Quoi ego jam hoc ſcipione. *AL*. ah noli! *IVP*. muttito modò.
ME. Nequiter penè expedivit prima paraſitatio.
IVP. Verùm quod tu dicis, mea uxor, non te mihi iraſci decet.
Clanculùm abii à legione: operam hanc ſurripui tibi?
Ex me primo prima ſcires, rem ut geſſiſſem publicam.
Ea tibi omnia enarravi. niſi te amarem plurimum,
Non facerem. *ME*. facitne ut dixi? timidam palpo percutit.
IVP. Nunc, ne legio perſentiſcat, clàm illuc redeundum eſt mihi,
Ne me uxorem prævertiſſe dicant præ republicâ.
AL. Lacrumantem ex abitu concinnas tu tuam uxorem. *IVP*. tace.
Ne corrumpe oculos, redibo actutum. *AL*. id *actutum diu*' ſt.
IVP. Non ego te hîc lubens relinquo, neque abeo abs te. *AL*. ſentio.
Nam quâ nocte ad me veniſti, eâdem abis. *IVP*. cur me tenes?
Tempu' ſt: exire ex urbe priuſquam luciſcat volo.
Nunc tibi hanc pateram, qua dono mî illîc ob virtutem data' ſt,
Pterela rex qui potitavit, quem ego meâ occidi manu,
Alcumena, tibi condono. *AL*. facis ut alias res ſoles.
Ecaſtor condignum donum, quali' ſt qui donum dedit.
ME. Imò ſic condignum donum, quali' ſt cui dono datu' ſt.
IVP. Pergin' autem? nónne ego poſſum, furcifer, te perdere?

INTERPRETATIO.

Per ædem Pollucis ego puto neminem unquam fuiſſe mortalem qui proſequatur tam ardenter ſuam uxorem, quàm hic te proſequitur. JUP. *Furcifer, an ego non te noſco? Abiſne à meo conſpectu? Quid tu curas hanc rem, flagrio, aut hiſcis? Per Pollucem ego tibi hoc baculo jam ...* comminuam caput. ALC. *Ah! noli.* JUP. *Fac jam vel verbum.* MER. *Prima paraſitatio ferme malè ſucceſſit.* JUP. *Sed quod tu loqueris, mea conjux, non debet te reddere iratam mihi. Veni huc ab exercitu occultè; ſurripui hanc noctem in tuam gratiam, ut acciperes prima ex me primo, quomodo adminiſtraſſem rem communem; tibi ea retuli univerſa? niſi te diligerem multum, non facerem.* MER. *Agitne ſicut monui? Adulator demulcet ægram animi.* JUP. *Nunc, ne copia reſciant, mihi revertendum illuc occultè, ne dicant me antepoſuiſſe conjugem patriæ.* ALC. *Tu concitas lacrymas tuæ conjugi ex diſceſſu.* JUP. *Sile, ne fœda oculos* lacrymis: *revertar modo.* ALC. *Id* modò *eſt* diu. JUP. *Ego non te deſero hic, neque abeo abs te ultrò.* ALC. *Intelligo. Nam proficiſceris eâdem nocte quâ reverſus es ad me.* JUP. *Quare me retines? Eſt tempus. Volo excedere de civitate antequàm illuceſcat. Tibi do, Alcmena, hunc craterem, quo bibit rex Pterela, quem ego interfeci meâ manu; hic mihi oblatus eſt in præmium ob fortitudinem.* ALC. *Facis hoc, ut ſoles facere alias res. Per ædem Caſtoris, eſt munus dignum eo, qui id dat.* MER. *Imo eſt munus dignum eâ, cui datur.* JUP. *Pergiſne verò? Nonne poſſum ego, furcifer, te perdere?*

AL. Noli amabo, Amphitruo, iraſci Soſiæ cauſſâ meâ.
IVP. Faciam ita ut vis. *ME.* Ex amore hic admodum quàm ſævus eſt!
IVP. Nunquid vis? *AL.* ut quum abſim, me ames, me tuam abſentem tamen.
ME. Eamus Amphitruo: luciſcit hoc jam. *IVP.* abi præ, Soſia;
Jam ego ſequar. nunquid vis? *AL.* etiam: ut actutum advenias. *IVP.* licet.
Prius tuâ opinione hîc adero: bonum animum habe!
Nunc te, nox, quæ me manſiſti, mitto, uti cedas die,
Ut mortaleis illuciſcas luce clarâ & candidâ.
Atque quanto nox fuiſti longior hâc proxumâ,
Tanto brevior dies ut fiat faciam; ut æquè diſparet,
Et dies è nocte accedat. ibo, & Mercurium ſubſequar.

INTERPRETATIO.

ALC. *Noli, obſecro, Amphitryo, iraſci Soſiæ causâ meâ.* JUP. *Faciam itaut vis.* MER. *Quàm amor reddit hunc iracundum!* JUP. *Viſne mandare aliquid?* ALC. *Ut tametſi abſim, nihilominus me diligas abſentem.* MER. *Proficiſcamur, Amphitryo, dies illuceſcit jam.* JUP. *Præi, Soſia; ego jam ſequor. Viſne mandare aliquid?* ALC. *Ita ut revertaris celeriter.* JUP. *Faciam itaut optas; ero hic priùs tuâ expectatione: eſto bono animo. Jam te dimitto, nox, quæ me expectaſti; ut facias locum luci, ut illuſtres homines lumine ſplendido & limpido; & quanto extitiſti productior, ô nox, nocte quæ præceſſit, efficiam ut dies* quæ præceſſit hanc diem, *ſit tanto contractior* hâc die quæ jam illuceſcit, *ut pares ſitis, & lux accreſcat æqualiter è tenebris: ibo, & ſubſequar Mercurium.*

ANNOTATIONES.

44. *Nunquid vis?*] Diſcedentium & valedicentium formula, quaſi ſit ellipſis horum verborum, Num quid vis *mandare?* Num quid vis *ampliùs?* Ellipſes etiam in ſalutationibus noſtris & diſceſſu urbano crebræ occurrunt. *Bon jour*, au lieu de dire, *Je vous donne le bon jour: Adieu*, au lieu de dire, *Je vous recommande à Dieu; Allez à Dieu.*

50. *Atque quanto nox.*] Ut planus fiat locus hic, comparandum herculeum trinoctium cum nocte quæ id anteceſſit, & die quæ inter noctem illam & hoc trinoctium interceſſit. Mandat autem Jupiter diei quæ illuceſcit poſt trinoctium, ut tantùm diſtet longitudine à die quæ anteceſſit trinoctium, quantum abſuit trinoctium à nocte ſupremâ quæ anteceſſit trinoctium, ut æquè ſint diſparia & trinoctium quod præceſſit, & trihemerum quod illuceſcit. Uno verbo, ut fiat unus dies ex duobus diebus & unâ nocte mediâ, ſicut fuerat una nox ex duabus noctibus & uno die medio.

ACTUS SECUNDUS.

ARGUMENTUM.

CONTINET turbas, quibus jactatur univerſa Amphitryonis familia; ut nec ſervus dominum, nec conjux conjugem agnoſcere poſſit..

ACTUS SECUNDUS. SCENA PRIMA.

ARGUMENTUM.

EST altercatio inter Amphitryonem & Soſiam. Nimirum repulſus à Mercurio falſo Soſiâ verus, cogitur repetere portum, ubi narrat Amphitryoni quid ſibi contigerit. In qua narratione tot ſunt perplexationes ingenioſæ, natæ ex veri & falſi Soſiæ ſimilitudine, ut Soſiæ orationem Amphitryo capere nullo modo poſſit. Verſibus 43. & 44. calamitas ſervitutis hoc notatur, quòd ſervis liberè loqui, quod verum eſt, non liceat; ſed ab arbitrium dominorum, non veritatis normam, accommodare cogantur orationem.

AMPHITRUO. SOSIA.

AMPHITRUO.

AGE, i tu ſecundùm. *SO.* ſequor, ſubſequor te.
AM. Sceleſtiſſimum te arbitror. *SO.* nam quamobrem?
AM. Quia id quod neque eſt, neque fuit, neque futurum eſt,
Mihi prædicas. *SO.* eccere! jam tuatim
Facis, ut tuis nulla apud te ſit fides.
AM. Quid eſt? quo modo? jam quidem herclè ego tibi iſtam
Sceleſtam, ſcelus, linguam abſcindam. *SO.* tuus ſum:

INTERPRETATIO.

AMP. *Age tu, veni poſt me.* SO. *ſequor, te ſubſequor* AMP. *Exiſtimo te eſſe nequiſſimum* omnium mortalium. SO. *Quare?* AMP. *Quoniam mihi narras id quod nec eſt, nec fuit, nec eſt futurum.* SO. *Per Cererem, agis nunc tuo more, ut nullam habeas fidem tuis ſervis.* AMP. *Quid? quo pacto? Per Herculem, ò nequam! ego tibi amputabo modò iſtam nefariam linguam.* SO. *Sum tuus:*

ANNOTATIONES.

2. *Nam quamobrem?*] Ob quamnam rem.

4. *Tuatim.*] Adverbium à tu, *ipſatim* ab *ipſe*: *tuo more*, *ipſius more*.

Proinde ut commodum eſt & lubet, quidque facias :
Tamen, quin loquar hæc uti facta ſunt hîc,
Nunquam ullo modo me potes deterrere.
AM. Sceleſtiſſime ! audes mihi prædicare id,
Domi te eſſe nunc, qui hîc ades ? *SO.* vera dico.
AM. Malum ! quod tibi dii dabunt, atque ego hodie dabo.
SO. Iſtuc tibi eſt in manu : nam tuus ſum.
AM. Tun' me, verbero, audes herum ludificari ?
Tun', id dicere audes, quod nemo unquam homo antehàc
Vidit, nec poteſt fieri ; tempore uno
Homo idem duobus locis ut ſimul ſit ?
SO. Profectò, ut loquor, res ita eſt. *AM.* Juppiter te perdat.
SO. Quid mali ſum, here, tuâ ex re promeritus ?
AM. Rogáſne improbe etiam, qui ludos facis me ?
SO. Meritò maledicas mihi, ſi id ita factum eſt.
Verùm haud mentior, réſque uti facta, dico.
AM. Homo hic ebrius eſt, ut opinor. *SO.* utinam ita eſſem !
AM. Optas quæ facta. *SO.* egóne ? *AM.* tu iſtic. ubi bibiſti ?
SO. Nuſquam equidem bibi. *AM.* quid hoc ſit hominis !
SO. Equidem decies dixi :
Domi ego ſum, inquam,
(Ecquid audis ?) & apud te aſſum Soſia idem.
Satin' hoc planè,
Satin' diſertè, here, nunc videor tibi locutus

INTERPRETATIO.

idcirco age quid vis, ſicut eſt opportunum, & placet. Nihilominus nunquam potes me impedire quominùs referam hæc, quemadmodum ſunt geſta illic. AMP. *Impuriſſime, audes mihi affirmare id,* nempe *te eſſe nunc domi, tu qui ades hìc?* SO. *Loquor verè.* AMP. *Malum! quod dii tibi infligent, & ego infligam hodie.* SO. *Iſtud eſt in tuâ poteſtate : etenim ſum tuus.* AMP. *Audéſne tu, flagrio, illudere mihi, qui ſum tuus herus ? Audéſne tu affirmare id quod nullus unquam homo conſpexit hactenus, neque poteſt eſſe, ut idem exiſtat uno tempore unà in duobus locis.* SO. *Profectò res ſe habet ſicut dico.* AMP. *Jupiter te perdat.* SO. *Quam pœnam promerui, ô here, quam adhibeas jam in* me. AMP. *A méne poſtulas adhuc id, ſceleſte, qui illudis mihi?* SO. *Compreceris malè mihi, ſi id eſt geſtum ſic : ſed minimè mentior, & aperio quemadmodum res, ô here, eſt acta.* AMP. *Hic homo eſt temulentus ſicut arbitror.* SO. *Utinam eſſem ejuſmodi.* AMP. *Optas ea quæ ſunt acta,* SO. *Egóne ?* AMP. *Tu ipſe. Ubi potaſti ?* SO. *Profectò ego nullibi potavi.* AMP. *Qualis homo eſt hic?* SO. *Profectò ego tibi repetivi decies. Ego ſum in tuis ædibus, inquam : audiſne? & aſſum apud te idem Soſia ego ipſe. Tibine videor nunc, here, dixiſſe id ſatis apertè, ſatis manifeſtè ?*

ANNOTATIONES.

20. *Tuâ ex re.*] Hoc loco loquitur Soſia, quaſi ſit penes Amphitryonem theſaurus pœnarum, de quo depromat quod quiſque ſervorum promeruerit : & hoc eſt quod appellat Soſia *è tuâ re*, id eſt, *è theſauro tuo.*

27. *Decies.*] Numerus certus pro incerto, ideſt *ſæpiùs*; aliàs *ſexcenties* : quod nos reddimus vernaculè, *mille fois.*

Eſſe ?

Eſſe? *AM.* vah! apage te à me. *SO.* quid eſt negotii?
AM. Peſtis te tenet. *SO.* nam cur iſtuc dicis?
Equidem valeo, & ſalvus ſum rectè, Amphitruo.
AM. At te ego faciam hodie, proinde ac meritus es,
Ut minùs valeas, & miſer ſis,
Salvus domum ſi rediero. jam
Sequere ſis, herum qui ludificas dictis delirantibus:
Qui queniam herus quod imperavit, neglexiſti perſequi,
Nunc venis etiam ultro irriſum dominum. quæ neque fieri
Poſſunt, neque fando unquam accepit quiſquam, profers carnifex.
Quojus ego hodie in tergo faxo iſta expetant mendacia.
SO. Amphitruo! MISERRIMA iſthæc miſeria eſt ſervo bono,
Apud herum qui vera loquitur, ſi id vi verum vincitur.
AM. Quo id, malùm, pacto poteſt (nam mecum argumentis puta)
Fieri, nunc uti tu hîc ſis & domi? id dici volo.
SO. Sum profectò & hîc & illic. hoc cuivis mirari licet.
Neque tibi iſtuc mirum magis videtur, quàm mihi.
AM. Quo modo? *SO.* nihilo inquam mirum magis tibi iſtuc quàm mihi.
Neque, ita me dii ament, credebam primò mihimet Soſiæ,
Donec Soſia ille egomet fecit ſibi uti crederem.
Ordine omne uti quidque actum eſt, dum apud hoſtes ſedimus,

INTERPRETATIO.

AMP. *Vah! abi à me.* SO. *Quare?* AMP. *Intemperiæ te agitant.* SO. *Quamobrem dicis id? Profectò ego valeo, & ſum ſalvus benè. Amphitryo.* AMP. *At ego dabo operam hodie, ut tu valeas minùs, & ut ſis infælix, ſi repetivero domum incolumis. Sequere me nunc, ſi vis, tu qui illudis hero tuis deliramentis, qui venis nunc etiam ultrò ludificatum herum; quia neglexiſti implere id quod dominus mandavit. Dicis, furcifer, ea quæ neque poſſunt fieri, neque ullus unquam audivit fando. Ego curabo hodie ut hæc mendacia recidant in tergum tuum.* SO. *Amphitryo, eſt hæc calamitas* ſumma *boni ſervi, qui vera loquitur apud dominum, quando veritas opprimitur vi* autoritatis herilis. AMP. *Quo pacto id poteſt fieri? malum! Nam diſputa mecum rationibus. Volo à* te mihi *aperiri id quemadmodum tu ſis hic* in viâ *& in meis ædibus.* SO. *Sanè ſum, & hic & illic. Licet cuivis mirari id; & illud non tibi apparet magis ſtupendum, quàm mihi, Amphitryo.* AMP. *Quo pacto?* SO. *Iſtud, inquam, nihilo tibi* videtur *magis admirabile quàm mihi. Et initio non habebam fidem mihimet Soſiæ. Ita me dii ament uſque eodum egomet Soſia me coëgit ut ſibi fidem haberem. Expoſui ſigillatim univerſa quæ ſunt geſta interea dum commorati ſumus apud hoſtes;*

ANNOTATIONES.

41. *Fando.*] Paſſivè accipitur, id eſt, quod nunquam audivi quemquam fari: Virgilius, *Cantando rumpitur anguis:* non quòd cantet anguis, ſed quòd incantetur: *uritque videndo fœmina*, non quòd videat, ſed quòd videatur: activè apud eundem:

Quis talia fando temperet à lacrymis?

Ediſſertavit : tum formam unà abſtulit cum nomine.
Neque lac lacti magis eſt ſimile , quàm ille ego ſimilis eſt mei.
Nam ut dudum ante lucem à portu me præmiſiſti domum.
AM. Quid igitur? *SO.* priùs multò ante ædis ſtabam quàm illò adveneram.
AM. Quas , malûm , nugas! ſatin' tu ſanus es? *SO.* ſic ſum , ut vides.
AM. Huic homini neſcio quid eſt mali malâ objectum manu,
Poſtquam à me abiit. *SO.* fateor. nam ſum obtuſus pugnis peſſimè.
AM. Quis te verberavit? *SO.* Egomet memet , qui nunc ſum domi.
AM. Cave quicquam , niſi quod rogabo te , mihi reſponderis.
Omnium primum iſte qui ſit Soſia , hoc dici volo.
SO. Tuus eſt ſervus. *AM.* mihi quidem uno te plus etiam eſt quàm volo ,
Neque poſtquam ſum natus , habui niſi te ſervum Soſiam.
SO. At ego nunc , Amphitruo , dico ; Soſiam ſervum tuum
Præter me alterum , inquam , adveniens faciam ut offendas domi,
Davo prognatum ; patre eodem quo ego ſum : formâ , ætate item
Quâ ego ſum. quid opu' ſt verbis? geminus Soſia hic factu' ſt tibi.
AM. Nimia memoras mira. ſed vidiſtin' uxorem meam?

INTERPRETATIO.

tum abſtulit ſpeciem ſimul eum nomine , & lac non eſt ſimilius lacti , quàm ego , qui eſt ille , eſt ſimilis mihi. Nam ſtatim atque me dimiſiſti à portu ad tuas ædes multùm ante lucem. AMP. *Quid igitur!* SO. *Stabam ante tuas ædes diu antequam adveneram illuc.* AMP. *Malum! quæ nugæ! eſne tu ſatis ſapiens?* SO. *Sum ita ut vides.* AMP. *Neſcio quid veneni eſt injectum huic homini malâ manu. ex quo diſceſſit à me.* SO. *Fateor ; nam ſum peſſimè exceptus pugnis.* AMP. *Quis te pulſavit?* SO. *Egomet memet qui ſum nunc in tuis ædibus.* AMP. *Vide ne mihi reſpondeas quidquam , niſi id quod à te petam. Primum omnium volo dici id, quis ſit iſte Soſia?* SO. *Eſt tuus ſervus.* AMP. *Profectò mihi eſt plus* ſervorum *quàm velim*, quamvis *te* haberem *unum; & ex quo ſum natus , non habui ſervum Soſiam niſi te.* SO. *Sed ego dico nunc. Amphitryo , quando venies , dabo operam ut reperias Soſiam tuum ſervum alium à me, inquam, procreatum* Davo *patre , eodem patre quo ego ſum natus , ſpecie , ætate quâ ego ſum. Quid opus eſt verbis? Tuus Soſia hic evaſit geminus.* AMP. *Narras nimis admirabilia. Sed vidiſtine meam uxorem?*

ANNOTATIONES.

55. *Præmiſiſti domum.*] Intereadum Soſia loquitur , & hæc verba connectit continuo ſpiritu cum his , *priùs multò.* & Amphitryo iratus loquitur dicitque: *Quid igitur!*

58. *Mala objectum manu.*] Venena ſagæ objiciunt ſæpiùs manu quàm cantu & verbis , licet plerumque in ſpargendis venenis verba adhibeant ad decipiendos incautos. Virgilius utrumque notat:

Spargere qui ſomnos cantu manúque ſolebat.

SO. Quin introire in ædis nunquam licitum eſt. *AM.* quis te prohibuit?
SO. Soſia ille, quem jamdudum dico; is qui me contudit.
AM. Quis iſtic Soſia eſt? *SO.* ego, inquam! quoties dicendum eſt tibi?
AM. Sed quid ais? num obdormiſti dudum? *SO.* nuſquam gentium.
AM. Ibi fortè iſtum ſi vidiſſes quendam in ſomnis Soſiam.
SO. Non ſoleo ego ſomniculoſè heri imperia perſequi.
Vigilans vidi, vigilans nunc *te* video, vigilans fabulor,
Vigilantem ille me jamdudum vigilans pugnis contudit.
AM. Quis homo? *SO.* Soſia, inquam, ego ille. quæſo nonne intellegis?
AM. Quî, malùm! intelligere quiſquam potis eſt? ita nugas blatis.
SO. Verùm actutum noſces. *AM.* quem? *SO.* Illum noſces ſervum Soſiam.
AM. Sequere hàc igitur me: nam mi iſtuc primùm exquiſito eſt opus.
Sed vide ex navi efferantur, quæ jam imperavi omnia.
SO. Et memor ſum & diligens, ut quæ imperes compareant.
Non ego cum vino ſimitu ebibi imperium tuum.
AM. Utinam di faxint, infecta dicta re eveniant tuâ!

INTERPRETATIO.

SO. *Quin nunquam fuit conceſſum ingredi domum.* AMP. *Quis te impedivit?* SO. *Ille Soſia quem dico jampridem, ille qui me contudit pugnis.* AMP. *Quis eſt ille Soſia?* SO. *Ego, inquam; quoties tibi dicendum eſt?* AMP. *Sed quid ais? Nonne mox obdormiviſti?* SO. *Nullo modo.* AMP. Hoc à te peto, ut videam utrum *forſan vidiſſes in ſomniis illum neſcio-quem Soſiam.* SO. *Ego non aſſuevi obire ſomniando mandata domini; conſpexi vigilans, ſicut te conſpicio nunc vigilans, fabulor vigilans, ille me pulſavit jampridem, pugnis vigilantem.* AMP. *Quis homo?* SO. *Ego, inquam, ille Soſia. Obſecro, nonne capis?* AMP. *Eſtne aliquis, malum! qui poſſit capere? Adeò effutis nugas.* SO. *Verùm capies modò.* AMP. *Quem!* SO. *Neſces illum ſervum Soſiam.* AMP. *Sequere me igitur hàc; nam primùm mihi eſt opus ut inſtituam quæſtionem de hâc re. Sed cura ut exportentur è navi univerſa quæ mandavi modo.* SO. *Et ſum memor & ſollicitus ne pereant quæ mandas. Ego minimè hauſi cum vino tuum mandatum.* AMP. *Utinam dii faciant ut tua verba ſint infecta in tuum commodum.*

ANNOTATIONES.

75. *Somniculoſè heri imperia perſequi.*] David. *Neque dormitet qui cuſtodit te.*

ACTUS SECUNDUS. SCENA SECUNDA.

ARGUMENTUM.

INGRAVESCUNT turbæ in Amphitryonis familiâ. Videlicet diſcuſſo trinoctio Herculeo, revertitur à portu in ædes ſuas Amphitruo, ſibi pollicitus infinitæ lætitiæ teſtimonia ab Alcmenâ, utpote cariſſimâ conjuge, à quâ non fuerat viſus à decem menſibus totis. Sed non ſolùm frigidè ab eâ, verum etiam iracundè excipitur, rata nimirum fidem conjugalem Amphitryoni eſſe ſuſpectam, quòd mox profectus (ſumpſerat enim Jovem, qui mox ab eâ diſceſſerat, pro Amphitryone) ſtatim revertatur. Amphitryo conatur lenire iracundiam Alcmenæ, & jurat ſe non attigiſſe ſuum limen ex quo profectus eſt ad bellum Teleboïcum. Contrà Alcmena dictitat eum mox eſſe reverſum: & quò dictis faciant fidem, veniunt ad argumenta. Alcmena profert pateram Pterelæ regis à falſo Amphitryone dono datam. Quod eò majorem vero Amphitryoni movet admirationem, quòd ciſtella in quâ incluſa fuerat, ſalvis ſigillis, vacua invenitur. Amphitryo verò teſtem laudat Naucratem Alcmenæ cognatum, & repetit naves, ut adducat hominem, & Alcmenæ ſiſtat. Ars hujus Scenæ in eo poſita eſt, quòd exponat quid in poſtſcenio ab Alcmenâ & Jove geſtum ſit in trinoctio. Sex primis verſibus bonorum malorúmque viciſſitudo notatur, & quæ ſit ejus origo, nempe Deus. Verſu 17 & ſequentibus quatuor, eſt inſignis prædicatio virtutis: 71, Leniendæ iracundiæ muliebris ars: 206, Conſtantiæ in calumniis origo: 209 & ſequentibus, vera dos conjugatæ in corporis & animi dotibus poſita.

ALCMENA, AMPHITRUO, SOSIA, THESSALA.

ALCMENA.

,, SATIN' parva res eſt voluptatum in vitâ,
,, Atque in ætate agundâ,
,, Præ quàm quod moleſtum eſt! ita cuique comparatum
,, Eſt in ætate hominum:
,, Ita dîs eſt placitum, voluptatem ut mœror comes conſequatur:

INTERPRETATIO.

ALC. *Non ne voluptates sũt res admodũ exiguæ in vitâ, ſi comparentur cum iis quæ sũt acerbæ? In eâ nimirum Dii ſic ſtatuerũt, ut dolor comitetur voluptatem.*

ANNOTATIONES.

1. *Res voluptatum.*] id eſt *voluptates*, phraſis Græca, χρῆμα τῶν ἡδονῶν. Ariſtophanes, τὸ χρῆμα τῶν νυκτῶν, *noctes*. David. *verba fraudum*, i. *fraudes*.

5. *Voluptatem.*] Lucret.

Medio de fonte leporum ſurgit amari aliquid.

Manilius:

Et ſubtexta malis bona ſunt! lacrymaque ſequuntur
Vota, nec in cunctis ſervat fortuna tenorem.

„ Quin incommodi plus maliqué illicò aſſit, boni ſi obtigit quid.
Nam ego id nunc experior domo, atque ipſa de me ſcio; cui voluptas
Parumper data'ſt; dum viri mei mihi poteſtas videndi fuit
Noctem unam modò: atque is repentè abiit à me hinc ante lucem.
Sola hîc mihi nunc videor, quia ille hinc abeſt, quem ego amo præter omnes.
Plus ægri ex abitu viri, quàm ex adventu voluptatis cepi.
Sed hoc me beat ſaltem, quòd perduelles vicit, & domum
Laudis compos revenit: id ſolatio eſt. Abſit; dummodò
Laude partâ domum recipiat ſe. feram & perferam uſque
Abitum ejus animo forti atque obſirmato; id modò ſi mercedis
Datur mihi, ut meus victor vir belli clueat; ſatis
„ Mihi eſſe ducam. VIRTUS præmium eſt optimum,
„ Virtus omnibus rebus anteit profectò.
„ Libertas, ſalus, vita, res, parentes,
„ Patria, & prognati tutantur, ſervantur:
Virtus omnia in ſe habet: omnia aſſunt bona, quem penes eſt virtus.
AM. Edepol me uxori exoptatum credo adventurum domum,
Quæ me amat: quam contrà amo, præſertim re geſtâ benè,

INTERPRETATIO.

Quod ſi contigit nonnihil jucunditati, ſtatim ſuccedit plus moleſtiæ & acerbitatis. Facio periculum hujus rei domi, & ipſa intelligo ex meipſâ. Nam quàm brevis eſt voluptas quæ mihi contigit! Mihi licuit modò videre meum maritum per unam noctem, & is diſceſſit hinc repentè à me ante lucem. Mihi videor nunc eſſe ſola hic; quia ille quem ego amo ſupra omnes mortales, *abeſt hinc. Hauſi animo plus doloris ex ejus diſceſſu, quàm ſenſeram voluptatis ex ejus adventu. Sed ſaltem id me reddit felicem, quòd debellavit hoſtes, & repetivit domum cumulatus gloriâ, id me conſolatur. Abſit; dummodò ſe recipiat domum quæſitâ gloriâ, patiar & perpetiar ſemper mente conſtanti atque infractâ ejus diſceſſum. Dummodò mihi contingat id præmii, ut meus conjux prædicetur ſuperior in bello, arbitrabor eſſe ſatis mihi. Virtus eſt optima merces, virtus antecellit omnibus rebus. Libertas, ſalus, vita, divitiæ, parentes, civitas, filii defenduntur, propugnantur. Virtus continet univerſa in ſe. Univerſa bona adſunt ei in quo eſt virtus.* AMP. *Per ædem Pollucis, confido me adventurum domum expectatum conjugi; nam & illa me amat, & ego illam amo viciſſim, Potiſſimùm præclarè geſtâ re,*

ANNOTATIONES.

7. *Experior domo.*] id eſt *domi.* Hujus rei exemplum, *dómo* οἴκοθεν, ut dicitur οἴκοθεν ὁ μάρτυς *domeſticus teſtis.* id eſt, *vocatus domi.*

16. *Clueat.*] *Cluo* à κλύω *audio, habeor.*

18. *Virtus omnibus rebus anteit.*] Cicero: *Ea enim hominem jungit Deo, & ejus tanta vis eſt, ut omnia ſi ex alterâ parte ponantur, vix appareant quidem.*

20. *Tutantur.*] paſſivè.

21. *Virtus omnia in ſe habet.*] Salluſtius: *Quæ homines arant, navigant, ædificant, virtuti omnia parent.*

Victis hoſtibus, quos nemo poſſe ſuperari ratu' ſt:
Eos auſpicio meo atque ductu, primo cœtu vicimus.
Certè enim me illi expectatum optatò venturum ſcio.
SO. Quid me non rere expectatum amicæ venturum meæ?
AL. Meus vir hîc quidem eſt. *AM.* ſequere hàc tu me. *AL.* nam quid ille revertitur,
Qui dudum properare ſeſe ajebat! an ille me tentat ſciens?
Atque id ſi vult experiri, ſuum abitum ut deſiderem,
Ecaſtor med haud invitâ ſe domum recipit ſuam.
SO. Amphitruo, redire ad navem meliuſt nos. *AM.* quâ gratiâ?
SO. Quia domi daturus nemo eſt prandium advenientibus.
AM. Quî tibi nunc iſtuc in mentem venit? *SO.* quia enim ſerò advenimus.
AM. Quî? *SO.* quia Alcumenam ante ædis ſtare ſaturam intellego.
AM. Gravidam ego illanc hîc reliqui quom abeo. *SO.* hei perii miſer!
AM. Quid tibi eſt? *SO.* ad aquam præbendam commodùm adveni domum,
Decumo pòſt menſe, ut rationem te dictare intellego.
AM. Bono animo es. *SO.* ſcin' quàm bono animo ſim? ſi ſitulam cepero,

INTERPRETATIO.

triumphatis hoſtibus, quos nullus exiſtimavit poſſe profligari: eos ſuperavimus primo congreſſu meis auſpiciis atque imperiis. Equidem habeo pro certo, me venturum expectatum cupidè ab illâ. SO. *Quid! non arbitraris me venturum expectatum meæ amicæ?* ALC. *Profectò hic eſt meus vir.* AMP. *Tu ſequere me hàc.* ALC. *Quare revenit ille? Ille dicebat modò ſeſe accelerare. Mène tentat ille ultrò; aut vult experiri quemadmodum exoptem ejus diſceſſum? Per Caſtorem ſeſe recipit in ſuas ædes, me minimè repugnante.* SO. *Eſt ſatius nos repetere naves.* AMP. *Quâ de causâ?* SO. *Quia nemo appoſiturus eſt cibum in ædibus, nobis advenientibus.* AMP. *Quare id tibi venit in animum?* SO. *Quoniam advenimus ſerò.* AMP. *Quare?* SO. *Quoniam video Alcmenam pranſam ſtare ante ædes.* AMP. *Ego illam reliqui hic gravidam, quando profectus ſum.* SO. *Hei! interii infœlix!* AMP. *Quid eſt tibi?* SO. *Adveni tempeſtivè domum ad miniſtrandam aquā decimo menſe exacto, ſicut audio ex te.* AMP. *Eſto æquo animo?* SO. *Sciſne quàm ſim æquo animo? Si ſumpſero ſitulam.*

ANNOTATIONES.

25. *Auſpicio meo.*] Ethnici olim nihil niſi auſpicatò ſuſcipiebant, ac præſertim in bellis. Idcirco in eorum caſtris erat ſemper *augurale*, ſeu locus in quo ſumebantur auguria.

Ibid. *Primo cœtu.*] id eſt *primo coitu, primâ coitione, primo congreſſu* utriuſque exercitus, *cœtus* & *coitus* ab eâdem origine.

37. *Ad aquam præbendam.*] Suæ partes erant ſervis ſingulis, Soſia miniſtrabat aquam familiæ Amphitryonis.

38. *Decimo pòſt menſe.*] Lunaris menſis eſt octo & viginti dierum: partus eſt decimo menſe quidem, non perfecto, ſed incœpto. Tertullianus: *Legitima nativitas ferme decimi menſis ingreſſus eſt.*

Ibid. *Ut rationem te dictare intelligo.*] *A voſtre compte,*

Nunquam edepol tu mihi divini quicquam creduis poſt hunc diem,
Ni ego illi puteo, ſi occepſo, animam omnem intertraxero.
AM. Sequere hàc me modò. alium ego iſti rei allegabo, ne time.
AL. Magis nunc meum officium facere; ſi huic eam adverſum, arbitror.
AM. Amphitruo uxorem ſalutat lætus ſperatam ſuam,
Quam omnium Thebis vir unam eſſe optimam dijudicat,
Quamque adeò cives Thebani vero rumificant probam.
Valuiſtin' uſque? expectatuſne advenio? *SO.* haud vidi magis
Expectatum: eum ſalutat magis haud quiſquam, quàm canem.
AM. Et cùm te gravidam, & cùm pulchrè plenam aſpicio, gaudeo.
AL. Obſecro ecaſtor, quid tu me deridiculi gratiâ
Sic ſalutas, atque appellas quaſi dudum non videris,
Quaſique nunc primùm recipias te domum huc ex hoſtibus,
Atque me nunc proinde appellas, quaſi multò pòſt videris?
AM. Imò equidem te, niſi nunc, hodie nuſquam vidi gentium.
,, *AL.* Cur negas? *AM.* quia vera didici dicere. *AL.* HAUD ÆQUUM facit,
,, Qui quod didicit, id dediſcit. an periclitamini
Quid animi habeam? ſed quid huc vos revortimini tam citò?
An te auſpicium commoratum eſt? an tempeſtas continet?

INTERPRETATIO.

Per ædem Pollucis, nunquam mihi tu committas quidquam ſacri ex hac die, niſi ego eduxero omnem aquam ex illo puteo, ſi incœpero ſemel. AMP. *Sequere hàc modo, ego demandabo iſtam provinciam alii ſervo, ne formida.* ALC. *Exiſtimo me facturam eſſe nunc melius meum officium, ſi eam obviàm huic.* AMP. *Amphitryo lætus ſalutat ſuam conjugem exoptatam, quam maritus arbitratur eſſe unam optimam omnium mulierum quæ ſunt Thebis, & quam cives Thebani prædicant eſſe verè bonam. Semperne valuiſti? Reverterne exoptatus?* SO. *Non animadverti expectationem; nemo enim ſalutat magis quàm canem.* AMP. *Gaudeo quando te conſpicio, & gravidam & fœtam pulchrè.* ALC. *Quæſo per ædem Caſtoris, quare me ſalutas tu ita ad ludificandum me; & me compellas, quaſi non conſpexeris à longo tempore, & quaſi advenias huc domum nunc primùm ab hoſtibus?* AMP. *Immo profectò ego non te conſpexi uſquam terrarum, niſi nunc hodie.* ALC. *Quare negas?* AMP. *Quoniam ſcio loqui vera.* ALC. *Qui oblivìſcitur eorum quæ novit, non facit rectè. Facitiſne periculum meæ mentis? Quare vos repetitis huc tam celeriter? Nonne auſpicia te retardarunt, aut tempeſtas retinet?*

ANNOTATIONES.

40. *Divini.*] Alibi: *Neque divini, neque mihi humani poſthàc accreduas.* Alibi: *Neque Bellona mihi unquam neque Mars creduat.* Alibi: *Nunquam edepol quidquam homo mortalis poſthàc duarum rerum creduit.* Duarum rerum eſt idem quod diuini & humani, ut ſuprà.

Ibid. *Creduis.*] *credideris,* phraſis Plautina: quaſi dicat, *ne in divinis quidem mihi fidem habueris.*

41. *Occepſo.*] *occepero.*

Quî non abiiſti ad legiones, ita uti dudum dixeras?
AM. Dudum! quàm *dudum* iſtuc factum eſt? *AL.* tentas. jamdudum, pridem, modò.
AM. Quî iſtuc potis eſt fieri quæſo, ut dicis, *jamdudum, modò?*
AL. Quid enim cenſes? te ut deludam contrà luſorem meum,
Qui nunc primùm te adveniſſe dicas, modò qui hinc abieris?
AM. Hæc quidem deliramenta loquitur. *SO.* paulisper mane,
Dum edormiſcat unum ſomnum. *AM.* quæ ne vigilans ſomniat.
AL. Equidem ecaſtor vigilo, & vigilans id quod factum eſt fabulor.
Nam dudum ante lucem & iſtunc & te vidi. *AM.* quo in loco?
AL. Hîc in ædibus, ubi tu habitas. *AM.* nunquam factum eſt.
SO. non taces?
Quid ſi è portu navis huc nos dormientes detulit?
AM. Etiam tu quoque aſſentaris huic? *SO.* quid vis fieri?
„ Non tu ſcis, BACCHÆ BACCHANTI ſi velis adverſarier,
„ Ex inſanâ inſaniorem facies; feriet ſæpiùs?
„ Si obſequare, unâ reſolvas plagâ. *AM.* at pol quin certa res
Hanc eſt objurgare, quæ me hodie advenientem domum
Noluerit ſalutare. *SO.* irritabis crabrones. *AM.* tace.

INTERPRETATIO.

Quare non profectus es ad legiones, ſicut dixeras pridem? AMP. *Dicis me dixiſſe pridem! ex quo tempore dixeram illud.* Dies, *Illud eſt geſtum.* ALC. *Me tentas.* jampridem. AMP. *Quomodo id poteſt fieri, obſecro, ſicut affirmas quòd te viderim* jamdudum *&* mox? ALC. *Quiduam exiſtimas? Putáſne te à me ludificari viciſſim, qui me ludificas, quando affirmas te adveniſſe nunc primùm, qui profectus es hinc mox?* AMP. *Hae profectò narrat deliramenta.* SO. *Quieſce parumper uſque eodum edormiſcat unum ſomnum.* AMP. *Nonne ea ſomniat vigilans?* ALC. *Per ædem Caſtoris vigilo, & loquor vigilans id quod eſt actum. nam te vidi & iſtum multò ante lucem.* AMP. *In quo loco?* ALC. *Hic in ædibus in quibus tu manes.* AMP. *Nunquam eſt actum.* SO. *Non ſiles? quid ſi navis nos detulit huc à portu dormientes?* AMP. *Tu quoque huic aſſentiris?* SO. *Quid vis fieri? Ignoráſne tu id adagii;* Quòd ſi contendas obluctari Bacchæ Bacchanti, ex amente facies amentiorem, nos pulſabit acriùs; ſi cedas, eam vinces, uno ictu accepto. AMP. *Verùm per Pollucem eſt conſtitutum hanc increpare quæ noluit me ſalutare advenientem domum.* SO. *Exaſperabis crabrones.* AMP. *Sile.*

ANNOTATIONES.

65. *Quæ ne vigilans ſomniat.*] Relativum pro demonſtrativo pronomine, *quæne vigilans ſomniat*, pro *hæcne vigilans ſomniat?* Lucret.

Et vigilans ſtertis.

75. *Irritabis crabrones.*] *Alcmenam ex amente reddes amentiorem. ex irata furioſam*: nimirum crabrones irritati ſæviunt magis. Plinius: *Crabrones ſylveſtres in arborum cavernis degunt, hyeme conduntur, vita bimatum non tranſit. Ictus eorum haud temerè ſine febri eſt. Auctores ſunt ter novem punctis interfici hominem.*

Alcumena,

Alcumena, unum rogare te volo. *AL.* quid vis rogare? roga.
AM. Num tibi aut ſtultitia acceſſit, aut ſuperat ſuperbia?
AL. Qui iſtuc in mente eſt tibi, mi vir, percontarier?
AM. Quia ſalutare advenientem me ſolebas antidhac:
Appellare itidem ut pudicæ ſuos viros quæ ſunt, ſolent.
Eo more expertem te factam adveniens offendi domi.
AL. Ecaſtor equidem te certò heri advenientem illicò
Et ſalutavi, &, Valuiſſéſne uſque, exquiſivi ſimul,
Mi vir: & manum prehendi, & oſculum tetuli tibi.
SO. Tun' heri hunc ſalutaviſti? *AL.* & te quoque etiam, Sòſia.
SO. Amphitruo, ſperavi ego iſtam tibi parituram filium.
Verùm non eſt puero gravida. *AM.* quid igitur? *SO.* inſaniâ.
AL. Equidem ſana ſum, & deos quæſo ut ſalva pariam filium.
Verùm tu magnum malum habebis, ſi hic ſuum officium facit,
Ob iſtuc omen, ominator, capies quod te condecet!
SO. Enimverò prægnanti oportet & malum & malum dari?
Ut quod obrodat ſit, animo ſi malè eſſe occœperit.
AM. Tu me heri hìc vidiſti? *AL.* ego, inquam, ſi vis decies dicere.
AM. In ſomnis fortaſſe. *AL.* imò vigilans vigilantem. *AM.* væ miſero mihi!

INTERPRETATIO.

Alcmena, volo à te percontari unum. ALC. *Quid vis percontari? percontare.* AMP. *Nonnè aut amentia te invaſit, aut ſuperbia effert?* ALC. *Quid tibi verſatur in animo, ut roges illud, mi marite?* AMP. *Quia conſueveras anteà me ſalutare advenientem, méque compellare quoque, ut conſueverunt compellare ſuos maritos uxores quæ ſunt pudicæ. In meo adventu te reperi alienam ab iſto more.* ALC. *Per ædem Caſtoris ego & te ſalutavi heri hìc illico ſtatim atque adveniſti, & unà percontata ſum utrùm ſemper rectè valuiſſes, mi marite, & comprehendi manum, & tibi tuli oſculum.* SO. *Tune ſalutaviſti hunc heri?* ALC. *Et te quoque etiam, Soſia.* SO. *Amphitryo, ego ſperavi iſtam tibi parituram filium, verùm non eſt prægnans puero.* ALC. *Quâ re ſum gravida?* SO. *Amentiâ.* ALC. *Sine dubio ego ſum ſana, & rogo deos ut pariam filium ſalva; ſed tu dabis magnas pœnas. Si hic fungatur ſuo officio, accipies quod tu commereris, ob iſtud omen, ô ominator!* SO. *Proculdubio oportet dari prægnanti & dolorem & malum, ut ei ſit quod obrodat, ſi incœperit deficere animo.* AMP. *Tu me vidiſti heri?* ALC. *Ego, inquam, ſi vis me repetere decies.* AMP. *In ſomnis forſitan.* ALC. *Immo ego vigilans* vidi *vigilantem.* AMP. *Væ mihi infelici!*

ANNOTATIONES.

76 *Quid vis rogare? roga,*] Alii, *quid vis roga, reroga*: id eſt, *quid vis interroga, & redinterroga.* Meurſius Sabiniſmum eſſe dicit, & Sabinorum fuiſſe attentionem in interrogando ſic exprimere, ut eſt in Propheta, *manda, remanda, expecta, reexpecta.*

84. *Tetuli,*] à *tulo* antiquo *tetuli* & *tuli*, quod *fero* quaſi mutuum accipit in præterito.

90. *Ominator.*] Qui dicis me eſſe fœtam inſaniâ.

91. *Prægnanti.*] Alii *prægnati*. Olim *prægnas, infas, animas, damnas*, pro *prægnans, infans, animans, damnans.*

Ibid. *Malum & malum.*] Unum malum de doloribus partus; alterum de malo punico accipiendum. Malum enim punicum, abigendis prægnantium faſtidiis, bonum.

SO. Quid tibi eſt? *AM.* delirat uxor. *SO.* atrâ bili percita eſt.
Nulla res tam delirantis homines concinnat citò.
AM. Ubi primùm tibi ſenſiſti, mulier, impliciſcier?
AL. equidem ecaſtor ſana & ſalva ſum. *AM.* cur igitur prædicas,
Te heri me vidiſſe, qui hâc noctu in portum advecti ſumus?
Ibi cœnavi, atque ibi quievi in navi noctem perpetem:
Neque meum pedem huc intuli etiam in ædis, ut cum exercitu
Hinc profectus ſum ad Teleboas hoſtis, eóſque ut vicimus.
AL. Imò mecum cœnaviſti, & mecum cubuiſti. *AM.* quid id eſt?
AL. Vera dico. *AM.* non quidem hercle de hâc re; de aliis neſcio.
AL. Primulo diluculo abiviſti ad legiones. *AM.* quomodo?
SO. Rectè dicit, ut commeminit, ſomnium narrat tibi.
Sed, mulier, poſtquam experrecta es, prodigiali Jovi
Aut molâ ſalsâ hodie, aut thure comprecatam oportuit.
AL. Væ capiti tuo! *SO.* tuâ iſtuc refert, ſi curaveris.
AL. Iterùm jam hîc in me inclementer dicit, atque id ſine malo.
AM. Tace tu: tu dic. egóne abs te abii hinc hodie cum diluculo?

INTERPRETATIO.

SO. *Quid eſt tibi?* AMP. *Uxor deſipit.* SO. *Incitata eſt atrâ bile, nulla res efficit tam celeriter homines delires.* AMP. *Quando animadvertiſti primùm* bilem atram *te implicare, mulier?* ALC. *Per Caſtorem ego ſum ſana & ſalva.* AMP. *Quare igitur dicis te me vidiſſe heri, qui ſumus advecti hâc nocte in portum? Cœnavi ibi, & quievi ibi in navi totâ nocte, neque intuli adhuc huc pedem in ædes, ex quo diſceſſi hinc cum exercitu ad Teleboas hoſtes, & ex quo eos debellavimus.* ALC. *Immo cœnaviſti mecum & cubuiſti mecum.* AMP. *Quid eſt id?* ALC. *Dico vera.* AMP. *Per Herculem non dicis vera de hâc re, neſcio de aliis.* ALC. *Profectus es ad exercitum primo diluculo.* AMP. *Quo modo?* SO. *Dicit rectè; ſicut commeminit. Sed, mulier, quia excitata es, oportebat à te placatum hodie Jovem prodigialem aut molâ ſalsâ aut thure.* ALC. *Væ tuo capiti.* SO. *Tua intereſt curare iſtud.* ALC. *Hic mihi obloquitur iterum, atque id impunè.* AMP. *Sile tu. Tu dic. Nonne exceſſi hinc à te hodie cum diluculo?*

ANNOTATIONES.

96. *Homines delirantes concinnat.*] Lucret.
Conſuetudo concinnat amorem.

107. *Prodigiali Jovi.*] Prodigiorum depulſori: Græci ἀποτρόπαιον, τεράσιον appellant.

108. *Mola ſalſa.*] id eſt, *molitura ſalſa.* Nomen molæ quâ franguntur fruges, pro *molitis frugibus.* Mola autem ſalſa dicitur quòd frugibus molitis ſal admiſceretur: frugibus molitis, ſale admixtis, aſpergebantur victimæ. Græci frugibus integris & minimè molitis ſale admixtis, ut memoriam tuerentur rudium illorum temporum quibus homines veſcebantur frugibus integris, arte nondum excogitatâ, & frangendarum earum, & in panem compingendarum, Græci fruges illas integras οὐλὰς & οὐλοχύτας appellabant. Porrò à *mola* eſt *immolare*, i. *ſacrificare.*

AL. Quis igitur niſi vos narravit mihi, illî ut fuerit prælium?
AM. An etiam id tu ſcis? *AL.* quippe quæ ex te audivi: ut urbem maximam
Expugnaviſſes, regémque Pterelam túte occideris.
AM. Egóne iſtuc dixi? *AL.* túte iſtic, etiam aſtante hoc Soſiâ.
AM. Audiviſtin' tu me narrare hoc hodie? *SO.* ubi ego audiverim?
AM. Hanc roga. *SO.* me quidem præſente, nunquam factum eſt, quod ſciam.
AL. Mirum quin te adverſus dicat. *AM.* Soſia age! me huc aſpice.
SO. Specto. *AM.* vera volo loqui te: nolo aſſentari mihi.
Audiviſtin' tu hodie me illi dicere ea, quæ illa autumat?
SO. Quæſo edepol num tu quoque etiam inſanis, cùm id me interrogas?
Qui ipſus equidem nunc primùm iſtanc tecum conſpicio ſimul.
AM. Quin nunc, mulier, audin' illum? *AL.* ego verò, ac falſum dicere.
AM. Neque tu illi, neque mî viro ipſi credis. *AL.* eò fit, quia mihi
Plurimùm credo, & ſcio iſta hæc facta, proinde ut proloquor.
AM. Tun' me heri adveniſſe dicis? *AL.* tun' te abiſſe hodie hinc negas?
AM. Nego enimverò; & me advenire nunc primùm aio ad te domum.
AL. Obſecro, etiámne hoc negabis, te auream pateram mihi
Dediſſe dono hodie, quâ te illic donatum eſſe dixeras?
AM. Neque edepol dedi, neque dixi: verùm ita animatus fui,

INTERPRETATIO.

ALC. *Quis igitur mihi retulit niſi vos, ut certamen fuerit illic?* AMP. *Sciſne tu quoque id?* ALC. *Utpote quæ accepi à te ſicut expugnaviſti maximam urbem, & tu interfeceris regem Pterelam.* AMP. *An ego dixi iſtud?* ALC. *Tu dixiſti, hîc aſtante quoque hoc Soſiâ.* AMP. *An tu audiviſti hodie me illi dixiſſe ea quæ illa affirmat?* SO. *Ubi ego audiverim?* AMP. *Pete ab Alcmenâ.* SO. *Ego non recordor à te unquam narratum eſſe* bellum Teleboicum, *me præſente.* ALC. *Non miror ſi* Soſia *nihil dicat contra te* ſuum herum. AMP. *Age, Soſia! aſpice me huc.* SO. *Specto.* AMP. *Volo te loqui vera: nolo te mihi adulari. Túne audiviſti hodie me illi dicere quæ illa arbitratur?* SO. *Obſecro, per ædem Pollucis, num tu inſanis etiam quando me interrogas de hâc re, qui quidem ipſe conſpicio iſtam nunc primùm unà tecum.* AMP. *Illúmne audis tu, mulier?* ALC. *Ego verò* audio *& loqui falſum.* AMP. *Tu non illi fidem habes, neque ipſi mihi marito.* ALC. Non illi credo, neque tibi, *quia mihi fidem habeo plurimùm, & ſcio iſta eſſe geſta perinde atque ego refero.* AMP. *An tu dicis me reverſum eſſe heri?* ALC. *An tu negas te exceſſiſſe hodie hinc?* AMP. *Nego enimvero, & dico me accedere domum ad te nunc primùm.* ALC. *Quæſo, negabíſne quoque hoc, te mihi dono dediſſe hodie pateram auream, quâ dixiſti te donatum eſſe illic?* AMP. *Per ædem Pollucis, neque dedi neque dixi, ſed fui ſic paratus,*

Itaque nunc ſum, ut eâ te paterâ donem, Sed quis iſtuc tibi
Dixit? *AL.* ego quidem ex te audivi, & ex tuâ accepi manu
Pateram. *AM.* Mane, mane obſecro te. nimis demiror, Soſia,
Quî illæc illîc me donatum eſſe aureâ paterâ ſciat,
Niſi tu dudum hanc conveniſti, & narraviſti hæc omnia.
SO. Neque edepol ego dixi, neque iſtam vidi, niſi tecum ſimul.
AM. Quid hoc ſit hominis! *AL.* vin' proferri pateram? *AM.* proferri volo.
AL. Fiat! tu te Theſſala intùs pateram proferto foras,
Quâ hodie meus vir donavit me. *AM.* ſecede huc tu, Soſia.
Enimverò illud præter alia mira miror maximè,
Si hæc habet pateram illam. *SO.* an etiam id credis, quæ in hac ciſtellulâ
Tuo ſigno obſignata fertur? *AM.* ſalvum ſignum eſt? *SO.* inſpice.
AM. Rectè, ita eſt ut obſignavi. *SO.* quæſo quin tu iſtanc jubes
Pro cerritâ circumferri? *AM.* edepol quin facto eſt opus.
Nam hæc quidem edepol larvarum plena eſt. *AL.* quid verbis opu' ſt?

INTERPRETATIO.

& ſum ita nunc, ut te donem eâ paterâ? Sed quis tibi dixit id? ALC. *Equidem audivi ex te, & accepi pateram ex tuâ manu.* AMP. *Mane, mane, te rogo, Soſia. Valde demiror quomodo hæc ſciat me eſſe donatum paterâ aureâ, niſi tu non adiviſti hanc, & retuliſti univerſa hæc.* SO. *Per ædem Pollucis, neque dixi, neque hanc vidi, niſi unà tecum.* AMP. *Quæ mulier eſt hæc?* ALC. *Viſne proferri pateram!* AMP. *Volo proferri.* ALC. *Fiat; tu Theſſala, ingredere, affer huc pateram quâ meus maritus me affecit hodie.* AMP. *Secede huc tu, Soſia; enimverò miror valde illud inter cætera admirabilia, ſi hæc habet illam pateram.* SO. *An credis adhuc hoc? Hanc porto in hâc ciſtellâ obſignatâ tuo ſigillo.* AMP. *Signum eſtne integrum?* SO. *Aſpice.* AMP. *Eſt rectè ſicut obſignavi.* SO. *Obſecro, quare tu non mandas iſtam luſtrari, utpote jactatam Cerere iratâ.* AMP. *Per ædem Pollucis, eſt faciendum illud. Nam per ædem Pollucis, eſt plena intemperiarum.* ALC. *Quid eſt opus verbis?*

ANNOTATIONES.

137. *Quid hoc ſit hominis.*] *Homo* pro *muliere.*

138. *Intus pateram proferto.*] *quæ intus eſt*, τὸ ἐντὸς ποτήριον.

144. *Pro cerritâ*] *Cerrita* pro *Cererita*, ex trito e medio: Δημητείακοι appellantur à Græcis. Nonius. *Cerriti & Larvati, malè ſani, aut Cereris irâ & larvarum incurſione animo vexati.* Cicero ſumit pro *inſano* ad Atticum: *Nunquam autem cerritior fuit quàm in hoc negotio*, id eſt *inſanior.*

Ibid. *Circumferri.*] Eſt verbum pontificale, pro *luſtrare.* Luſtratio autem fiebat, circumlatis & tædâ & ſulphure.

Ibid. *Quin facto eſt opus.*] Baptiſta Pius habet *farto. Fartum* autem erat genus ſacrificii in luſtrationibus adhiberi ſoliti: unde *Struſartarii* dicti, qui illud ferebant.

145. *Larvarum plena.*] A Laribus larvæ dicuntur: ſed duo ferme genera putabant eſſe Larium; aliud benignum ac beneficum; aliud noxium & peſtiferum: quod alio nomine Lemures appellabant. Lemures autem erant Manes & Umbræ eorum qui exceſſiſſent è vitâ, quodam crimine contaminatæ, quæ etiam poſt mortem genus hominum vexarent, noctu ſeſe efferrent, & ex ſanâ mente obvios dejicerent.

Hem tibi pateram! eccam. *AM.* cedò mihi. *AL.* age, aſpice huc ſis nunc jam
Tu, qui, quæ facta, inficiare: quem ego jam hîc convincam palàm.
Eſtne hæc paterâ. quâ donatus illi? *AM.* ſumme Jupiter,
Quid ego video! hæc ea eſt profectò patera. perii, Soſia!
SO. Aut pol hæcce præſtigiatrix mulier multò maxima eſt,
Aut pateram hîc ineſſe oportet. *AM.* agedum eam ſolve ciſtulam.
SO. Quid ego iſtam exolvam? obſignata 'ſt rectè: res geſta eſt benè!
Tu peperiſti Amphitruonem; ego alium peperi Soſiam:
Nunc ſi pateram patera peperit, omnes congeminavimus.
AM. Certum eſt aperire, atque inſpicere. *SO.* vide ſis ſigni quid ſiet:
Ne poſteriùs in me culpam conferas. *AM.* aperi modò.
Nam hæc quidem nos delirantes facere dictis poſtulat.
AL. Unde hæc igitur eſt niſi abs te, quæ mihi dono data eſt?
AM. Opus mî eſt iſtuc exquiſito. *SO.* Juppiter! proh Juppiter!
AM. Quid tibi eſt? *SO.* hic patera nulla in ciſtula eſt. *AM.* quid ego audio?
SO. Id quod verum eſt. *AM.* at cum cruciatu jam, ni apparet, tuo.
AL. Hæc quidem apparet. *AM.* quis igitur tibi dedit? *AL.* qui me rogat.
SO. Me captas! quia tute ab navi clanculùm huc aliâ viâ
Præcurriſti: atque hinc pateram tute exemiſti, atque eam
Huic dediſti, poſthac rurſum obſignaſti clanculùm.

INTERPRETATIO.

Hem tibi pateram: ecce. AMP. *Da mihi.* ALC. *Age, intuere tu qui negas à te geſta; ego te convincam jam hic apertè, eſtne hæc patera quâ fuiſti affectus in bello?* AMP. *Summe Jupiter! quid ego aſpicio? Sine dubio eſt eadem patera. Occidi. Soſia!* SO. *Aut certè hæc fœmina eſt multò maxima venefica. aut oportet hanc pateram ineſſe hic.* AMP. *Agedum aperi iſtam ciſtellam.* SO. *Quid iſtam reſignabo ego? Eſt rectè obſignata; benè eſt. Tu peperiſti Amphitryonem, ego peperi alium Soſiam: nunc ſi patera peperit pateram, ſumus cuncti congeminati.* AMP. *Stat aperire & inſpicere.* SO. *Vide ſi vis, quale eſt ſigillum, ne poſtea refundas crimen in me.* AMP. *Reſigna modò; nam hæc conatur nos reddere deliros ſuis verbis?* ALC. *Unde eſt igitur hæc patera quæ mihi data eſt niſi à te?* AMP. *Eſt mihi opus exquiſito hoc.* SO. *Jupiter! proh Jupiter!* AMP. *Quid eſt tibi?* SO. *Nulla eſt patera in ciſtellâ.* AMP. *Quid ego audio?* SO. *Id quod eſt verum.* AMP. *Sed cum tuo cruciatu, niſi adſit jam.* ALC. *Sanè hæc* patera *apparet.* AMP. *Quis igitur tibi dedit?* ALC. *Ille qui me rogat.* SO. *Tentas me capere* verbo, *quia tu præcucurriſti huc occultè ab navi aliâ viâ. & deprompſiſti pateram ex iſtâ ciſtulâ, & eam dediſti huic, poſtea obſignaſti rurſus occultè.*

AM. Hei mihi! jam tu quoque hujus adjuvas inſaniam.
Ain' heri nos adveniſſe huc? *AL.* aio, adveniénſque illicò
Me ſalutaviſti, & ego te, & oſculum tetuli tibi.
AM. Jam illuc non placet principium de oſculo. pergam exequi.
AL. Laviſti. *AM.* quid, poſtquam lavi? *AL.* accubuiſti. *SO.* euge optimè!
Nunc exquire. *AM.* ne interpella: perge portò dicere.
AL. Cœna appoſita eſt: cœnaviſti mecum: ego accubui ſimul.
AM. In eodem lecto? *AL.* in eodem. *SO.* hei! non placet convivium.
AM. Sine, modò argumenta dicat. quid, poſtquam cœnavimus?
AL Te dormitare aiebas. menſa ablata eſt. cubitum hinc abiimus.
AM. Ubi tu cubuiſti? *AL.* in eodem lecto tecum unà in cubiculo.
AM. Perdidiſti! *SO.* quid tibi eſt? *AM.* hæc me modò ad mortem dedit.
AL. Quid jam, amabo? *AM.* ne me appella. *SO.* quid tibi eſt?
AM. petii miſer!
Quia pudicitiæ hujus vitium, me hîc abſente, eſt additum.
AL. Obſecro ecaſtor, cur iſtuc, mi vir, ex te audio?
AM. Vir ego tuus ſim? ne me appella falsò falſo nomine.
SO. Hæret hæc res: ſiquidem hæc jam mulier facta 'ſt ex viro.
AL. Quid ego feci, qua iſtæc propter dicta dicantur mihi?
AM. Tute edictas facta tua, ex me quæris quid deliqueris?
AL. Quid ego tibi deliqui, ſi cui nupta ſum, tecum fui?
AM. Tun' mecum fueris? quid illâc impudente audacius?

INTERPRETATIO.

AMP. *Hei mihi! tu opitularis nunc quoque hujus amentiæ. Dicisne verò nos adveniſſe heri huc?* ALC. *Dico, & me ſalutaſti adveniens ſtatim, & ego te, & tibi tuli oſculum.* AMP. *Illud principium de oſculo non placet jam. Pergam te proſequi narrantem.* ALC. *Laviſti.* AMP. *Quid feci poſtquam lavi?* ALC. *Accubuiſti.* SO. *Euge, optimè: exquire jam plura.* AMP. *Ne interturba; proſequere præterea narrare.* ALC. *Appoſita eſt cœna: cœnaviſti mecum: ego accubui ſimul.* AMP. *In eodem lecto?* ALC. *In eodem.* SO. *Hei! hoc convivium non placet.* AMP. *Patere jam ut afferat ſigna eorum quæ affirmat. Quid poſtquam cœnavimus?* ALC. *Dicebas te dormitare. Remota eſt menſa, abivimus hinc cubitum.* AMP. *Ubi cubuiſti?* ALC. *In eodem lecto tecum unà in cubiculo.* AMP. *Perdidiſti.* SO. *Quid tibi eſt?* AMP. *Hæc me tradidit jam morti.* ALC. *Quid jam, quæſo?* AMP. *Ne me alloquare.* SO. *Quid eſt tibi?* AMP. *Interii infœlix! quoniam eſt illatum vitium ejus caſtitati, me abſente.* ALC. *Quæſo per Caſtorem, marite, quare audio illud ex te?* AMP. *Ego ſum tuus maritus? Ne me appella falsò falſo nomine.* SO. *Hæc res non ſibi conſtat, ſiquidem fœmina evaſit fœmina ex viro.* ALC. *Quid ego commiſi quocirca hæc mihi dicantur?* AMP. *Tu ipſa aperis tua facta. Quæris à me quid peccaveris.* ALC. *Quid ego peccavi in te? Fui tecum, cui ſum nupta.* AMP. *Túne fuiſti mecum? Quid audacius illâ impudente?*

ANNOTATIONES.

182. *Hæc jam mulier.*] Quia Amphitryo negat eſſe virum Alcmenæ, captat inde jocum Soſia, & concludit Amphitryonem eſſe mulierem, ſi non eſt vir.

Saltem tute ſi pudoris egeas, ſumas mutuum.
AL. Iſtuc facinus, quod tu inſimulas, noſtro generi non decet.
Tu ſi me impudicitiæ captas, non potes capere.
AM. Proh dî immortales, cognoſcin' tu me ſaltem, Soſia?
SO. Propemodum. *AM.* cœnavin' ego heri in navi in portu Perſico?
AL. Mihi quoque aſſunt teſtes, qui illud quod ego dicam aſſentiant. [uno ſat eſt.
AM. Qui teſtes? *AL.* teſtes. *AM.* quid teſticulâre? *AL.* enim
Nec nobis præſente aliquis niſi ſervus Soſia affuit.
SO. Neſcio quid iſtuc negotii dicam, niſi ſi quiſpiam eſt
Amphitruo alius, qui fortè te hîc abſente tamen
Tuam rem curet, téque abſente hîc munus fungatur tuum.
Nanque de illo ſubditivo Soſia mirum nimis eſt.
Certè de iſtoc Amphitruone jam alterum mirum eſt magis.
Neſcio-quis præſtigiator hanc fruſtratur mulierem.
AL. Per ſupremi regis regnum juro, & matremfamilias
Junonem, quam me vereri & metuere eſt par maximè,
Ut, mî extra unum te mortalis nemo corpus corpore
Contigit, quo me impudicam faceret. *AM.* vera iſthæc velim!
„ *AL.* VERA DICO, ſed necquiquam: quoniam non vis credere.
„ *AM.* Mulier es, audacter juras. *AL.* Quæ non deliquit, decet

INTERPRETATIO.

Si careas pudore, ſaltem ſume mutuum ab aliquo. ALC. *Illud ſcelus quo tu arguis noſtrum genus, non convenit noſtro ſexui; ſi tu mihi inſidiaris ut deprehendas ream impudicitiæ, non poteris me invenire ream.* AMP. *Proh! dii immortales! cognoſciſne tu me ſaltem, ô Soſia!* SO. *Propemodum.* AMP. *Cœnavine ego heri in portu Perſico?* ALC. *Adſunt quoque mihi teſtes qui confirment illud quod ego dicam.* AMP. *Qui ſunt* illi *teſtes?* ALC. Adſunt, inquam, *teſtes.* AMP. *Quid teſtes prædicas?* ALC. Reverà *unus ſufficit. Neque ullus adfuit, niſi Soſia, nobis præſentibus.* SO *Neſcio quid rei iſtud dicam, niſi eſt aliquis alius Amphitryo, qui forſitan curet tuas res te abſente, & obeat tuum munus; nam eſt nimis ſuſpiciendum quod pertinet ad illum Soſiam ſubdititium; nunc ſanè eſt alterum magis ſuſpiciendum id quod pertinet ad iſtum Amphitryonem. Neſcio-quis veneficus ludificatur hanc mulierem.* ALC. *Juro per regnum Regis ſupremi & Junonem matremfamilias quam eſt æquum me vereri & timere, ut nemo mortalis extra te ſolùm contigit corpus corpore, quo me redderet impudicam.* AMP. *Optarem iſthæc vera.* ALC. *Dico vera, ſed incaſſum, quia non vis credere.* AMP. *Es mulier, juras audacter.* ALC. *Decet eam quæ non peccavit,*

ANNOTATIONES.

194. *Nobis præſente.*] *Præſente & abſente*, ſunt præpoſitiones duæ, ad mentem Donati, & ſignificant idem ac *coram* & *ſine*; vel adverbia, ad mentem aliorum. Fiunt autem duo illa adverbia à ſexto caſu, ſicut hæc, *raro* à *rarus*. *modo* à *modus*. *aſſiduò* ab *aſſiduus*: ſic *præſente* à *præſens*. *abſente* ab *abſens*; & in Catullo, *inſpiranti nobis*, prò *inſpirantibus nobis*.

206. *Mulier es.*] Tibullus:
Ne jurare time: Veneris perjuria venti
Irrita per terras & freta ſumma ferunt.

Ibid. *Quæ non deliquit.*] Phædrus: *Excedit animus quem propoſuit terminum. Sed difficulter continetur ſpiritus Integritatis. qui ſincerè conſcius, à noxiorum premitur inſolentiis.*

„ Audacem eſſe, confidenter pro ſe & protervè loqui.
AM. Satis audacter. *AL.* ut pudicam decet. *AM.* tu verbis probas.
„ *AL.* Non ego illam mihi dotem duco eſſe, quæ dos dicitur:
„ Sed pudicitiam & pudorem, & ſedatum cupidinem,
„ Deûm metum, parentum amorem, & cognatûm concordiam:
„ Tibi morigera, atque ut munifica ſim bonis, proſim probis.
SO. Næ iſta edepol, ſi hæc vera loquitur, examuſſim eſt optima.
AM. Delinitus ſum profectò ita, ut me qui ſim neſciam.
SO. Amphitruo es profectò! cave ſis ne tu te uſu perduis:
Ita nunc homines immutantur, poſtquam peregrè advenimus.
AM. Mulier, iſtam rem inquiſitam certum eſt non amittere.
AL. Edepol me libente facies. *AM.* quid ais? reſponde mihi.
Quid ſi adduco tuum cognatum huc à navi Naucratem,
Qui mecum unà vectus eſt unâ navi: atque is ſi denegat
Facta, quæ tu facta dicis, quid tibi æquum eſt fieri?
Nunquid cauſſam dicis, quin te hoc multem matrimonio?
AL. Si deliqui, nulla cauſſa eſt. *AM.* convenit! tu, Soſia,
Duc hos intrò. ego huc ab navi mecum abducam Naucratem.
SO. Nunc quidem præter nos nemo eſt: dic mihi verum ſeriò,

Interpretatio.

eſſe audacem, & loqui pro ſe confidenter & conſtanter. AMP. *Satis audacter.* ALC. *Ut decet caſtam.* AMP. *Tu probas te eſſe caſtam verbis.* ALC. *Ego non exiſtimo illam eſſe mihi dotem quæ dicitur dos; ſed pudicitiam & pudorem, & moderationem cupiditatis, metum deorum, amorem parentum, & concordiam cognatorum, ut tibi ſim obſequens, & larga in probos, proſim probis.* SO. *Profectò iſta per ædem Pollucis eſt recta ad unguem, ſi hæc loquitur vera.* AMP. *Profectò ita ſum mente abalienatus, ut ignorem qui ſim.* SO. *Profectò es, Amphitryo. Vide ſi vis, ne tu te amiſeris uſu; ſic homines immutantur jam ex quo advenimus peregrè.* AMP. *Mulier, conſtitutum eſt animo non prætermittere hanc rem inquiſitam.* ALC. *Per ædem Pollucis facies me lubente.* AMP. *Quid dicis? Reſponde mihi. Quid, ſi adducam huc è navi Naucratem tuum cognatum, qui vectus eſt unà navi ſimul mecum, atque ſi ille negat ea accidiſſe quæ tu loqueris accidiſſe, quid eſt par tibi fieri? Numquid habebis cauſam quæ impediat quominus te repudiem?* ALC. *Si deliqui, nulla eſt cauſa.* AMP. *Convenit inter nos: tu, Soſia, duc hos intro, ego adducam mecum Naucratem è navi.* SO. *Nunc profectò eſt hic nemo præter nos, dic mihi verum ſeriò.*

Annotationes.

108. *Tu verbis probas.*] Gruterus. *Tu? verbis proba es.*

214. *Delinitus ſum.*] *Deceptus ſum carminibus magicis.* Videlicet veneficorum eſt offerre exitium in poculo melle condito, & cantu aures tenere dum vita peritur.

215. *Cave ſis.*] Donatus. *Quia imperativa verba ſunt contumelioſa, addebant Veteres ſis, quod ſignificat,* ſi vis: & id urbanitatis gratiâ.

Ibid. *Uſuperduis.*] *Uſuperdas: uſuperdere* autem reſpondet *uſucapere & uſufacere ſuum.*

224. *Duc hos.*] Fortè captivos quos de Teebois cœperat Amphitryo.

Ecquis

Ecquis alius Soſia intu'ſt qui mei ſimilis ſiet?
AL. Abin' hinc à me dignus domino ſervus. *SO.* abeo, ſi jubes.
AL. Nimis ecaſtor facinus mirum eſt, quî illi collibitum ſiet
Meo viro ſic me inſimulare falſum facinus tam malum.
Quicquid eſt, jam ex Naucrate cognato id cognoſcam meo.

INTERPRETATIO.

Ecquis eſt alius Soſia in ædibus, qui eſt ſimilis mihi? ALC. *Abiſne hinc à me ſervus dignus domino.* SO. *Abeo, ſi mandas.* ALC. *Per ædem Caſtoris, eſt res valde mira, quomodo venerit in mentem meo viro ſic me accuſare falſo crimine tam malo; quicquid eſt jam, accipiam à Naucrate meo cognato.*

ACTUS TERTIUS.

ARGVMENTVM.

JUPITER ſumptâ Amphitryonis formâ, intereadum Amphitryo pergit ad navem, ut teſtem eorum quæ Alcmenæ aperuit, adducat Naucratem, adit Alcmenam, ſe purgat apud eam dictis, mox interpoſito jurejurando, & paratur ludificatio Amphitryoni à Mercurio ſub ſpecie Soſiæ.

ACTUS TERTIUS. SCENA PRIMA.

ARGVMENTVM.

JUPITER in hâc Scenâ docet quid deinceps in reliqua Fabula ſit præſtandum, ídque ſummâ arte Poëtæ. Nam quod dixit in Prologo, repetivit Actu primo, Scenâ ſecundâ, id in hac Scena veluti ad refricandam Spectatorum memoriam, tertiò inculcat. Verſibus undecimo & duodecimo, & adulterum ſe, & æquum profitetur Jupiter.

IVPITER.

EGo ſum ille Amphitruo, cui eſt ſervus Soſia,
Idem Mercurius qui fit, quando commodum 'ſt,
In ſuperiore qui habito cœnaculo,
Qui interdum fio Juppiter, quando lubet.
Huc autem quom extemplò adventum apporto, illicò
Amphitruo fio, & veſtitum immuto meum.
Nunc huc honoris veſtri venio gratiâ,
Ne hanc inchoatam tranſigam Comœdiam;
Simul Alcumenæ, quam vir inſontem probri
Amphitruo accuſat, veni ut auxilium feram:
Nam mea ſit culpa, quod egomet contraxerim;
Si id Alcumenæ innocenti expetat.
Nunc Amphitruonem memet, ut occepi ſemel,
Eſſe aſſimilabo, atque in horum familiam
Fruſtrationem hodie injiciam maximam.
Pòſt igitur demum faciam res fiat palàm:
Atque Alcumenæ in tempore auxilium feram.
Faciámque ut uno fœtu, & quod gravida eſt viro,
Et me quod gravida 'ſt, pariat ſine doloribus.
Mercurium juſſi me continuò conſequi,
Si quid vellem imperare. nunc hanc alloquar.

INTERPRETATIO.

JUP. *EGo ſum ille Amphitryo, cujus ſervus eſt Soſia, qui eſt ipſe Mercurius, quando mihi conducit: habito in cœnaculo ſupremo, & evado nonnunquam Jupiter quando placet; ubi primùm me confero huc, evado ſtatim Amphitryo, & commuto meam veſtem. Nunc prodeo huc ad vos honore proſequendos, ne relinquam hanc Comœdiam imperfectam. Uno tempore veni ut feram opem Alcmenæ, quam Amphitryo ejus maritus accuſat ſtupri innocentem. Nam ſi crimen quod ego commiſi recidat in Alcmenam innoxiam, id mihi vertatur vitio: nunc capiam ſimilitudinem Amphitryonis, ut feci unâ vice, & immittam huc hodie maximos errores in horum familiam; ſed deinceps curabo ut res pateat, & opitulabor Alcmenæ tempeſtivè, & providebo ut pariat ſine dolore, uno partu, &* Iphiclum *quo eſt gravida ex* Amphitryone, & Herculem *quo eſt gravida ex me. Mandavi Mercurio ut me conſequatur è veſtigio, ut ei præcipiam ſi quid velim. Nunc hanc alloquar.*

ANNOTATIONES.

3. *In ſuperiore qui habito cœnaculo.*] *Cœnaculum* erat locus tegulis proximus, in quo tenuiores perſonæ habitare ſolent, quæ appellabantur olim *cœnacularii* à *cœnaculo*. Feſtus dicit in cœnacula non gradibus; ut in inferiores contignationes, ſed ſcalis eſſe aſcenſum. Græcis ὑπερῷον, & Evangeliſtæ Marco cap. ult. ἀνώγεον. Porrò luſus eſt in hoc vocabulo: nam ſi Plautus intelligit de vero Jove, ſignificat *cœlum*, quod eſt, ut ita dicam, *cœnaculum Dei*; ſi de hiſtrione, eſt ſuprema domûs pars.

8. *Ne hanc inchoatam tranſigam.*] id eſt, *relinquam imperfectam.*

ACTUS TERTIUS. SCENA SECUNDA.

ARGUMENTUM.

JUPITER ſumptâ Amphitryonis formâ, ludificatur denuò Alcmenam, quæ arbitratur eſſe ſuum maritum Amphitryonem. Placat iratam & offenſam iis quæ à vero Amphitryone dicta fuerant: 57 verſu & ſequentibus crebræ mutationes animorum in amicitiâ notantur.

ALCMENA, IUPPITER.

ALCMENA.

DURARE nequeo in ædibus: ita me probri,
Stupri, dedecoris à viro argutam meo!
Ea quæ ſunt facta, infecta refert, ac clamitat.
Quæ neque ſunt facta, neque ego in me admiſi, arguit:
Atque id me ſuſque deque habiturum putat.
Non edepol faciam; neque me perpetiar probri
Falsò inſimulatam: quin ego illum aut deſeram,
Aut ſatisfaciat mihi ille, atque adjuret inſuper
Nolle eſſe dicta quæ in me inſontem protulit.
IVP. Faciundum eſt mihi illud, fieri quod illæc poſtulat,
Si me illam amantem ad ſeſe ſtudeam recipere:
Quando ego quod feci, factum id Amphitruoni obfuit.

INTERPRETATIO.

ALC. *Non poſſum manere in ædibus: oportetne me ſic inſimulari à meo viro, flagitii, impudicitiæ, infamiæ. Narrat ea non eſſe acta quæ ſunt acta, & vociferatur; reprehendit in me quæ neque ſunt perpetrata, neque commiſſa à me; & arbitratur me eſſe laturam id non ita graviter. Per ædem Pollucis non committam neque feram me accuſari falsò ſtupri. Sanè aut ego eum relinquam, aut ſe purgabit apud me; & adjurabit prætereà ſe nolle dixiſſe ea quæ protulit in me innocentem.* JUP. *Oportet me implere id quod illa optat fieri, ſi ego velim recipi ab illâ amans, quoniam id quod ego commiſi, nocuit Amphitryoni;*

ANNOTATIONES.

1. *Probri.*] id eſt *adulterii.* Genus pro ſpecie. Neque enim gravius in mulierem probrum cadere poteſt, quàm adulterium.

2. *A viro argutam meo.*] Supple *patiar, feram.* Omiſſa vox ad exprimendum affectum animi graviorem.

5. *Suſque deque.*] Idem quod Græcis ἀδιαφορεῖν, *ne faire pas grand eſtat de quelque choſe.*

8. *Satisfaciat mihi.*] Duplex erat purgandi mo'us, aut jusjurandum, aut palinodia. Jurisjurandi exemplum eſt paucis pòſt verſibus. Palinodia erat, quando coram teſtibus qui læſerat injuriâ, dictitabat ſe nolle dictum aut factum.

Atque ille dudum meus amor negotium
Inſonti exhibuit: nunc autem inſonti mihi
Illius ira in hanc & maledicta expetent.
AL. Et eccum video qui me miſeram arguit
Stupri, dedecoris. *IVP.* te volo, uxor, colloqui.
Quò te avertiſti? *AL.* ita ingenium meum eſt,
Inimicos ſemper oſa ſum obtuerier.
IVP. Heia autem inimicos! *AL.* ſic eſt. vera prædico,
Niſi etiam hoc falſò dici inſimulaturus es.
IVP. Nimis verecunda es. *AL.* potin' es ut abſtineas manum?
Nam certò ſi ſis ſanus, aut ſapias ſatis,
„ QUAM TU impudicam eſſe arbitrere & prædices,
„ Cum eâ tu ſermonem nec joco, nec ſerio
„ Tibi habeas, niſi ſi ſis ſtultior ſtultiſſimo.
IVP. Si dixi, nihilo magis es, neque ego eſſe arbitror.
Et id huc revorti, uti me purgarem tibi.
Nam nunquam quicquam meo animo fuit ægrius,
Quàm poſtquam audivi te eſſe iratam mihi.
Cur dixiſti? inquies. ego expediam tibi,
Non edepol quò te eſſe impudicam crederem:
Verùm periclitatus animum ſum tuum,
Quid faceres, & quo pacto id ferre induceres.
Equidem joco illa dixeram dudum tibi,
Ridiculi cauſsâ: vel hunc rogato Soſiam.

INTERPRETATIO.

& ille meus amor movit jampridem lites huic innocenti. Nunc verò ejus iracundia & convitia conjecta in illam, recident in me minimè reum illorum. ALC. *Sed ecce conſpicor illum qui me accuſat infœlicem probri & dedecoris.* JUP. *Volo te alloqui, ô conjux! quare te avertiſti à me.* ALC. *Meus animus eſt perinde averſus: odi ſemper contueri meos inimicos.* JUP. *Eia verò dicis inimicos.* ALC. *Eſt ſic: pronuntio quòd res eſt, niſi es dicturus etiam hoc eſſe falſum.* JUP. *Es nimiùm pudica.* ALC. *Abſtinebiſne manum? etenim procul dubio ſi ſis ſanus, & ſatis ſapias, tu non inſtitue ſermonem, neque ſeriò, neque joco, cum eâ quam tu putas & clamas eſſe corruptam, niſi ſis amentior amentiſſimo.* JUP. *Si dixi, nihilo es magis, neque puto eſſe. & ideirco reverſus ſum huc, ut me excuſarem apud te. Nam nihil unquam tuli animo iniquiori quàm poſtquam intellexi te eſſe iratam mihi. Quare dixiſti? inquies: ego tibi aperiam. Per ædem Pollucis non dixi id quo crederem te eſſe impudicam, ſed feci periculum tui animi; quid ageres, & quâ ratione induceres in animum id perpeti; porrò ego tibi dixeram dudum joco ad ridendum, vel roga id ab hoc Soſia.*

ANNOTATIONES.

20. *Heia autem inimicos.*] Viros à quibus divortio diſceſſiſſent uxores, *inimicos* appellabant.

22. *Nimis verecunda es.*] Seneca: *Ferat jacentes in terram oculos: adverſus officioſum ſalutatorem inhumana potiùs quàm inverecunda ſit.*

AL. Quin huc adducis meum cognatum Naucratem,
Teſtem quem dudum te adducturum dixeras
„ Te huc non veniſſe? *IVP.* SI QUID dictum eſt per jocum,
„ Non æquum eſt id te ſeriò prævortier.
AL. Ego illud ſcio quàm doluerit cordi meo.
IVP. Per dexteram tuam te, Alcumena, oro, obſecro,
Da mihi hanc veniam: ignoſce; irata ne ſies.
AL. Ego iſtæc feci verba virtute irrita:
Nunc quando factis me impudicis abſtines,
Ab impudicis dictis avorti volo.
Valeas, tibi habeas res tuas, reddas meas.
Juben' mî ire comites? *IVP.* ſanan' es?? *AL.* ſi non jubes,
Ibi egomet comitem Pudicitiam duxero.
IVP. Mane, arbitratu tuo jusjurandum dabo,
Me meam pudicam eſſe uxorem arbitrarier.
Id ego ſi fallo, tum te, ſumme Juppiter,
Quæſo, Amphitruoni ut ſemper iratus ſies.
AL. Ah! propitius ſit potiùs. *IVP.* confide fore.
Nam jusjurandum verum te adverſum dedi.
Jam nunc irata non es? *AL.* non ſum. *IVP.* benè facis.
„ Nam IN HOMINUM ætate multa eveniunt hujuſmodi;

INTERPRETATIO.

ALC. *Quare tu non adducis huc meum cognatum Naucratem, quem dixeras dudum te adducturum teſtem, te non veniſſe huc.* JUP. *Si dictum eſt aliquid per jocum, non eſt par te accipere ſeriò.* ALC. *Ego ſenſi quantum mihi fuerit grave.* JUP. *Te obteſtor per tuam dexteram, Alcmena, da mihi hanc veniam; parce, ne ſis irata.* ALC. *Ego feci hæc, confutavi hæc verba virtute; nunc quoniam confiteris me non eſſe ream factorum impudicorum, volo me præſtare immunem à verbis impudicis, Vale, habe tibi tuas res, redde meas. Viſne mihi adjungere comites?* JUP. *Eſne ſana?* ALC. *Si non adjungis, proficiſcar, ibo egomet ſola, ducam Pudicitiam comitem.* JUP. *Ne abi, interponam jusjurandum tuo arbitratu, Me cenſere meam conjugem eſſe caſtam Niſi id dicam verè, tum te obſecro, ſumme Jupiter, ut ſis ſemper iratus Amphitryoni.* ALC. *Ah! ſit potiùs propitius.* JUP. *Crede fore; nam miſi verum jusjurandum pro te. non es jam irata?* ALC. *Non ſum.* JUP. *Agis rectè; nam complura accidunt ejuſmodi in vitâ hominum;*

ANNOTATIONES.

47. *Valeas, tibi habeas tuas res,*] Formula ſolvendi matrimonii ex XII. Tabb. *Si vir ab uxore divertit, uxori ſuas res ſibi habere jubeto, eíque claves adimito.* Cic. Philip. 2. *Mimam illam ſuam ſuas res ſibi habere juſſit:* ex XII. Tabb. *claves ademit, exegit.*

48. *Juben' ire comites.*] Moris ſemper fuit, ut ſummo genere Matronæ nunquam incomitatæ proceſſerint in publicum, non ſolùm quia id facit ad earum amplitudinem, verum etiam quia non deſunt teſtes vitæ & morum.

,, Capiunt voluptates, capiunt rurſum miſerias.
,, Iræ interveniunt, redeunt rurſum in gratiam.
,, Verùm iræ ſi quæ fortè eveniunt hujuſmodi
,, Inter eos; rurſum ſi reventum in gratiam eſt,
,, Bis tanto amici ſunt inter ſe quàm priùs.
AL. Primùm caviſſe oportuit ne diceres,
Verùm eadem ſi iſdem purgas, mihi patiunda ſunt.
IUP. Jube verò vaſa pura adornari mihi,
Ut, quæ apud legionem vota vovi, ſi domum
Rediſſem ſalvus, ea ego exſolvam omnia.
AL. Ego iſtuc curabo. *IUP.* evocate huc Soſiam;
Gubernatorem qui in meâ navi fuit
Blepharonem arceſſat, qui nobiſcum prandeat.
Is adeò impranſus ludificabitur:
Quum ego Amphitruonem collo hinc obſtricto traham.
AL. Mirum quid ſolus ſecum ſecretò ille agat!
Atque aperiuntur ædes. exit Soſia.

INTERPRETATIO.

capiunt voluptates, capiunt rurſus dolorem; iræ ingruunt, redeunt rurſus in gratiam: ſed ſi aliqua ira ejuſmodi contingunt fortaſſe inter eos, ſi redeunt in gratiam, ſunt iterum amici inter ſe altero tanto quanto anteà. ALC. *Primùm oportuit videre ne diceres; ſed ſi idem eadem excuſes, mihi ferenda ſunt* JUP. *Manda verò mihi comparari vaſa pura, ut ego perſolvam omnia illa vota quæ nuncupavi in bello, ſi repeterem domum incolumis.* ALC. *Ego curabo illud.* JUP. *Evocate huc Soſiam, accerſat Blepharonem gubernatorem qui fuit in meâ navi, qui prandeat nobiſcum. Huic adeò illudetur incœnato, quando ego abducam hinc Amphitryonem obtorto collo.* ALC. *Mirum quid ille dicat ſolus ſeorſum. Sed aperiuntur ædes: Soſia prodit.*

ANNOTATIONES.

62. *Bis tanto.*] Idem quod *altero tanto*. Hinc Terent. in Andr. *Amantium iræ, amoris redintegratio eſt.*

65. *Vaſa pura.*] quæ in alios quàm ſacrificiorum uſus non adhibentur. *Purum* interdum *ſimplex* accipitur, ut argentum *purum* eſt oppoſitum *cælato*.

ACTUS TERTIUS. SCENA TERTIA.

ARGUMENTUM.

LÆTATUR Soſia quòd herus falſus redierit in gratiam cum herâ. Jubet accerſere Blepharonem gubernatorem navis ad prandium Jupiter, & comparari quæ ſunt ad rem ſacram neceſſaria. Demum deluſis ac dimiſſis & Alcmenâ & Soſiâ, imperat Mercurio, abſens abſenti, ut arceat ab oſtio advenientem à portu Amphitryonem. Verſu 48 & ſequentibus innuitur eſſe ſervorum ſeſe accommodare ad mentem

dominorum. Verſibus 21 & 22, deos audire ea quæ illis dicuntur, etiam abſentes & longiſſimè remotos.

IVPITER, ALCMENA, SOSIA.

SOSIA.

AMPHITRUO, aſſum : ſi quid opus eſt, impera ; imperium exequar.
IVP. Optimè advenis. *SO.* jam pax eſt inter vos duos?
Nam quia vos tranquillos video, gaudeo & volupe eſt mihi.
„ Atque ITA SERVUM par videtur frugi ſeſe inſtituere ;
„ Proinde heri ut ſint, ipſe item ſit, vultum è vultu comparet :
„ Triſtis ſit, ſi heri ſint triſtes : hilarus ſit, ſi gaudeant.
Sed agè reſponde. jam vos rediſtis in concordiam ?
IVP. Derides, qui ſcis hæc jamdudum me dixiſſe per jocum.
SO. An id joco dixiſti ? equidem ſeriò ac verò ratus.
IVP. Habui expurgationem ; facta pax eſt. *SO.* Optimè eſt.
IVP. Ego rem divinam intus faciam, vota quæ ſunt. *SO.* cenſeo.
IVP. Tu gubernatorem à navi huc evoca verbis meis
Blepharonem, ut re divinâ factâ mecum prandeat.
SO. Jam hîc ero, cùm illîc cenſebis eſſe me. *IVP.* actutum huc redi.
AL. Nunquid vis quin abeam jam intrò, ut apparentur quibus opus ?
IVP. I, ſanè ! & quantum poteſt, parata fac ſint omnia.

INTERPRETATIO.

SO. *Praſto ſum, Amphitryo ; ſi* tibi *eſt opus* quopiam, *manda, implebo mandatum.* JUP. *Advenis opportunè.* SO. *Pax interceditne inter vos duos, obſecro ? Nam vos cerno quietos ; idcirco lætor, & id mihi eſt jucundiſſimum ; & videtur æquum ut bonus ſervus ſeſe ſic componat, ut ſit ipſe perinde atque eſt herus ; componat ſuum vultum ex ejus vultu ; ſit mœſtus, ſi heri ſint mœſti ; ſi ſint læti, lætetur. Sed age, reſponde, voſne rediiſtis in concordiam ?* JUP. *Derides me, qui ſcis me dixiſſe hoc per jocum.* SO. *An dixiſti hæc joco ? Equidem arbitrabar* te dicere *ſeriò ac verè.* JUP. *Me excuſavi, pax integrata eſt.* SO. *Benè eſt.* JUP. *Ego faciam intrò rem divinam, ſicut vovi.* SO. *Ita ſentio.* JUP. *Tu voca huc meis verbis Blepharonem gubernatorem navis, ut epuletur mecum, peractâ re divinâ.* SO. *Jam ero hic quando putabis me eſſe illic.* JUP. *Revertere huc ſtatim.* ALC. *Eſtne aliquid quod impediat quominus ingrediar, ut inſtruantur quæ ſunt neceſſaria.* JUP. *I certè, & quantum in te erit, fac univerſa ſint comparata.*

ANNOTATIONES.

11. *Vota quæ ſunt.*] *Votus, vota, votum,* adject. *res quæ ſunt vota.*

13. *Ut re divinâ factâ mecum prandeat.*] Moris erat religioſi apud Veteres, ut ex ipſis victimis quas diis immolaſſent, partes quaſdam ſecum domum aſportarent, vocatiſque propinquis & amicis, quaſi in ſignum communionis & amicitiæ ex iis conveſcerentur.

AL. Quin venis quando vis intrò: faxo haud quicquam ſit moræ.
IVP. Rectè loquere, & proinde diligentem ut uxorem decet.
Jam hi ambo & ſervus & hera fruſtrà ſunt duo,
Qui me Amphitruonem rentur eſſe: errant probè.
Nunc tu divine huc fac aſſis Soſia.
Audis quæ dico, tametſi præſens non ades:
Fac Amphitruonem advenientem ab ædibus
Ut abigas quovis pacto, fac commentus ſies.
Volo deludi illum, dum cum hâc uſurariâ
Uxore nunc mihi morigero, hæc curata ſint
Fac ſis: proinde adeò, ut me velle intellegis,
Atque ut miniſtres mihi, cùm mihi ſacrificem.

INTERPRETATIO.

ALC. *Quin venis intro quando voles. dabo operam ut nihil ſit mora.* JUP. *Dicis rectè, & perinde atque decet uxorem diligentem quæ diligit virum. Jam hi ambo & ſervus & hera ſunt deluſi, qui arbitrantur me eſſe Amphitryonem: errant inſigniter. Nunc tu, cœleſtis Soſia, aſſis huc, audis quæ dico, quamvis non ades præſens: fac quâvis arte ut arceas ab ædibus Amphitryonem jamjam adventantem: fac ut comminiſcaris fallaciam. Volo te illum ludificari. Da operam ut hæc fiant interadum mihi morem gero cum hâc uxore uſurariâ: præſta id ſicut intelligis me velle, & ut mihi miniſtres, quando mihi ſacrificabo.*

ANNOTATIONES.

21. *Divine Soſia.*] id eſt, *Mercuri:* ad differentiam terreſtris Soſiæ, id eſt veri.

26. *Morem gero mihi.*] *genio meo obſequor.*

ACTUS TERTIUS. SCENA QUARTA.

ARGUMENTUM.

SESE accingit Mercurius ſub formâ Soſiæ ſervi, ad arcendum à ſuis ædibus redeuntem à portu Amphitryonem. Verſu nono & ſequentibus dicit Mercurius, quàm morigerum eſſe oporteat patri filium; ſed id contra mores bonos, perinde atque id quod proximè ſequitur de voluptatibus uſurpandis, quando commodum eſt, ne homine quidem ſano & mediocriter verecundo digna utraque oratio, quæ Deo tribuitur. Sed hæc accommodata ſunt ad ſtoliditatem vulgi, præſertim ethnici.

MERCVRIVS.

MERCVRIVS.

CONCEDITE atque abſcedite, omnes de viâ decedite,
Nec quiſquam tam audax fuat homo, qui obviam obſiſtat mihi.
Nam mihi quidem hercle quî minùs liceat deo minitarier
Populo, nî decedat mihi, quàm ſervulo in Comœdiis?
Ille navem ſalvam nunciat, aut irati adventum ſenis:
Ego ſum Jovis dicto audiens, ejus juſſu nunc huc me affero.
Quamobrem mî magis par eſt viâ decedere, & concedere.
Pater vocat me, eum ſequor, ejus dicto imperio ſum audiens:
Ut filium bonum patri eſſe oportet, itidem ego ſum patri.
Amanti ſupparaſitor, hortor, aſto, admoneo, gaudeo.
Si quid patri volup' ſt, voluptas ea mihi multò maxima eſt.
Amat? ſapit, rectè facit, animo quando obſequitur ſuo:
Quod omnes homines facere oportet, dum id modo fiat bono.
Nunc Amphitruonem vult deludi meus pater. faxo probè!

INTERPRETATIO.

MER. *SEcedite univerſi unà, & abſiſtite; deſiſtite de viâ, neque ullus homo ſit jam adeò temerarius, ut obſtet obviam mihi. Etenim per Herculem quare non mihi perinde concedatur Numini minari plebi, niſi mihi faciat viam quam mancipiolo in Comœdiis? Hic refert aut ratem incolumem, aut adventum ſenis irati. Ego obtempero Jovi; me confero nunc huc illius imperio; quapropter eſt æquius abſiſtere de viâ, & unà cedere. Pater me accerſit, eum comitor, obtempero illius mandato, ſicut decet natum eſſe obſequentem patri; ego ſum ejuſmodi ergà patrem. Obeo vices paraſiti pro patre amante, impello, aſſum, commonefacio, lætor: ſi quid affert voluptatem patri, ea voluptas mihi eſt jucundiſſima, dat operam amori, ſapit. Facit benè, quando morem gerit ſuæ libidini: neceſſe eſt eum facere id quod univerſi mortales faciunt, dummodò id fiat rectâ ratione: nunc meus pater optat ludificari Amphitryonem: præſtabo id naviter.*

ANNOTATIONES.

2. *Fuat.*] *Fuam, fuas, fuat, ſit* vel *fiat*; unde *fui*, præterit. & quæ ab eo enaſcuntur tempora.

3. *Hercule.*] Riſum captat Comicus uſurpato jurejurando in eum qui nondum natus eſt. Neque enim eſt hiſtrionis tantam adhibere diligentiam in ratione temporum & judicio.

4. *Servulo in Comœdiis.*] Patet ex hoc verſu & ſequenti, Amphitryonem, Comœdiam non eſſe primam exhibitam à Plauto, ſed ad minimum quartam. Nam & Mercatorem, & Stichum, & Moſtellariam hoc loco notat eſſe exhibitas. Nam Acanthio currit *in Mercatore* ad herum Charinum, ut nunciet Paſicompſam Charini amicam à patre Demiphone eſſe viſam in navi. Dinacium ſervus nuntiat Panegyri heræ ſuæ *in Sticho* Epignomum Panegyris maritum ex Aſiâ reverſum, in anchoris eſſe in portu. Et Tranio *in Moſtellariâ* nuntiat Theuropidis ſenis adventum inexpectatum.

13. *Dum id modo fiat bono.*] Dum in eo nihil committatur contra leges.

Jam hic deludetur, ſpectatores, vobis ſpectantibus.
Capiam coronam mihi in caput; aſſimulabo me eſſe ebrium:
Atque illuc ſurſum eſcendero? inde optimè ciſpellam virum.
De ſupero, quum huc acceſſerit, faciam ut ſit madidus ſobrius.
Deinde illi actutum ſufferet ſuus ſervus pœnas Soſia,
Eum feciſſe ille hodie arguet, quæ ego fecero hîc. quid *id* meâ?
Meo me æquum eſt morigerum patri, ejus ſtudio ſervire addecet.
Sed eccum Amphitruonem! advenit. jam ille hic deludetur probè;
Siquidem vos vultis auſcultando operam dare,
Ibo intrò, ornatum capiam qui potiùs decet.
Dein ſurſum aſcendam in tectum, ut illum hinc prohibeam.

INTERPRETATIO.

ille ludificabitur mox, ſpectatores, vobis cernentibus. Mihi imponam coronam in caput. Simulabo me eſſe temulentum, & aſcendam in illa tecta ſurſum. Ita diſpellam illinc egregiè hominem. Quando advenerit huc, efficiam ut ſiccus ſit madidus ab alto. Poſteà ille Soſia ejus mancipium dabit modò pœnas. Ille eum reprehendet hodie eum perpetraſſe quæ ego perpetravero hic. Eſt par me eſſe obſequentem meo patri, oportet me obtemperare ejus voluntati. Sed adeſt Amphitryo, advenit, illum ludificabor mox egregiè. Si deſideratis navare operam audiendo, ingrediar, induam veſtem quæ eſt convenientior, deinde aſcendam ſurſum, ut illum arceam hinc.

ANNOTATIONES.

16. *Capiam coronam.*] Coronam floream geſtabant potentes & Græci & Romani; rati videlicet odoribus retundi ebrietatem. Athenæus pluribus in locis de illis coronis.

17. *Ciſpellam.*] *Diſpellam*, quaſi *citra pellam* & *diſpellam*.

18. *Madidus ſobrius.*] Luſus in verbo *madidus*; *madidus* enim aquâ extùs aſperſum, & vino intùs plenum ſignificat. Hîc extùs tantùm futurus eſt Amphitryo, aſperſâ ab alto per Mercurium aquâ, intùs ſiccus & jejunus futurus.

ACTUS QUARTUS.

ARGUMENTUM.

RECRUDESCUNT turbæ, fruſtrationes, errores, in familiâ Amphitryonis: ludificatur Soſia Amphitryonem reverſum à portu, Naucrate minimè invento, idque Jovis imperio: ludificatur ipſe Jupiter & Amphitryonem & Blepharonem gubernatorem navis.

ACTUS QUARTUS. SCENA PRIMA.

ARGUMENTUM.

NAUCRATE minimè invento ad portum, revertitur Amphitryo feſſus in eo quæritando, & multò magis æger animi ſuſpicionibus graviſſimis contra fidem conjugalem Alcmenæ conceptis. Quæſtionem de iis inſtituere ſibi proponit. Nono & decimo verſibus violatæ fidei conjugalis atrocitas notatur.

AMPHITRUO.

NAUCRATEM, quem convenire volui, in navi non erat.
Neque domi, neque in urbe invenio quemquam qui illum viderit.
Nam omnis plateas perreptavi, gymnaſia & myropolia:
Apud emporium, atque in macello, in palæſtrâ atque in foro,
In medicinis, in tonſtrinis, apud omnis ædis ſacras.
Sum defeſſus quæritando: nuſquam invenio Naucratem.
Nunc domum ibo, atque ex uxore hanc rem pergam exquirere,
Quis fuerit, quem propter corpus ſuum ſtupri compleverit.
Nam me, quàm illam quæſtionem inquiſitam hodie amittere,
Mortuum ſatius eſt. ſed ædis occluſerunt. eugepæ!
Pariter hoc fit, atque ut alia facta ſunt. feriam foris.
Aperite hoc. heus ecquis hîc eſt? ecquis hoc aperit oſtium?

INTERPRETATIO.

AMP. *NAucrates quem volebam adire, non erat in navi; invenio neminem neque in ædibus neque in civitate, qui eum conſpexerit. Etenim vagatus ſum per cuncta compita, gymnaſia, tabernas unguentarias; apud mercatum, & in macello, in palæſtrâ atque in foro, in medicinis, in tonſtrinis, apud omnes ædes ſacras. Sum defatigatus perveſtigando, mihi occurrit nullibi Naucrates. Nunc pergo ad ædes, & perſequar percontari à conjuge hanc rem, quis extiterit juxta quem ſeſe contaminaverit ſtupro. Etenim præſtat mortem oppetere, quàm prætermittere hodie illam quæſtionem ſine examine. Verùm occluſerunt domum. Eugepæ! hoc fit perinde atque cætera jam facta ſunt. Pulſabo januam. Patefacite hoc, heus! ecquis eſt hîc? ecquis patefacit hanc januam?*

ANNOTATIONES.

1. *Naucratem.*] pro *Naucrates.* Helleniſmus. Virgilius:

Urbem quam ſtatuo, veſtra eſt.

pro *urbs quam ſtatuo*, aut *quam urbem ſtatuo.*

3. *Gymnaſia.*] Palæſtræ in quibus nudi exercebantur.

Ibid. *Myropolia.*] à μυρὸν *unguentum*, & πωλέω *vendo*, id eſt, *taberna unguentaria*, *Parfumeurs & Apoticaires*,

4. *Macellum.*] Sic dictus Romæ locus in quem edulia omnis generis conferebantur, & venalia proponebantur.

Ibid. *Palæſtra.*] Locus, in quo curſu, luctâ, & aliis ludis adoleſcentes exercebantur.

Ibid. *Foro.*] Hîc de Curiâ & locis in quibus judicia ferebantur.

10. *Eugepæ.*] id eſt, *optimè*. Interjectio adhortantis, hîc ironicè dicta.

ACTUS QUARTUS. SCENA SECUNDA.

ARGUMENTUM.

AMPHITRYO defeſſus, & mœrore confectus, tandem pervenit ad ædes ſuas, quas reperit clauſas; & ad cumulum contumeliarum Mercurius ex edito introitum negat, eumque & aquâ & maledictis aſpergit. A decimo quarto verſu hujus Scenæ ad primum ſextæ patet ſupplementum Amphitryonis Plautinæ. Quod ne ex hac Fabula expungatur, ut indignum filo & ſtilo Plautino, vetant nonnulli verſus quibus interpolatur:

> *Purpureus latè qui ſplendeat unus, & alter*
> *Aſſuitur pannus.*

ut cum Horatio loquar. Quæ quoniam laciniæ Plauto aſſutæ dignoſci vix poſſunt, quidquid Plauti inſit in hoc Supplemento, viſum eſt imprimendum caracteribus aliis ab iis quæ ſunt Plauti fœtus germani, conſentientibus eruditionis antiquæ proceribus.

MERCURIUS, AMPHITRUO.

MERCURIUS.

QUIS ad fores eſt? *AM.* ego ſum. *ME.* quid ego ſum?
AM. ita loquor. *ME.* tibi Juppiter
Dîque omnes irati certò ſunt, qui ſic frangas fores.
AM. Quo modo? *ME.* eo modo, ut profectò vivas ætatem miſer.
AM. Soſia. *ME.* ita ſum Soſia, niſi me eſſe oblitum exiſtimas.
Quid nunc vis? *AM.* ſceleſte! at etiam quid velim, id tu me rogas.
ME. Ita rogo. penè effregiſti, fatue, foribus cardines.
An foris cenſebas nobis publicitùs præberier?
Quid me aſpectas, ſtolide? quid nunc vis tibi? aut quis tu es homo?
AM. Verbero! etiam quis ego ſim me rogitas? ulmorum acheruns,

INTERPRETATIO.

MER. *QUis ſtat ad oſtium?* AMP. *Ego ſum.* MER. *Quid? ego ſum.* AMP. *Ita dico.* MER. *Jupiter & cuncti dii ſunt ſine dubio infenſi tibi, qui frangis ſic januam.* AMP. *Quo modo?* MER. *Eo modo, ut proculdubio degas vitam infœlicem.* AMP. *Soſia.* MER. *Ita ſum Soſia, niſi arbitraris me mei eſſe oblitum. Quid vis jam?* AMP. *Improbe, tu à me poſtulas quoque quid petam?* MER. *Etiam peto. Propemodum comminuiſti cardines oſtii, amens. Nonne exiſtimabas nobis eſſe ſuppeditandas de publico? Quid me aſpicis, ſtulte? Quid tibi vis nunc? aut quis es tù homo?* AMP. *Flagrio, à me ſciſcitaris etiam quis ego ſim? Mors virgarum,*

ANNOTATIONES.

9. *Ulmorum acheruns,*] id eſt, *vorago ulmearum virgarum,* ſervus qui adeò nequam eſt, ut in eo cædendo condendæ ſint ulmi integræ in ejus tergo. *Acheruns* & *Achero* eſt mortis mortuorûmque domicilium, ab α privativo, & χαίρω *gaudeo*. quia infernus eſt ubi *habitat luctus,* ut ait Virgil.

Quem pol ego hodie ob iſthæc dicta faciam ferventem flagris.
ME. Prodigum te fuiſſe oportet olim in adoleſcentiâ.
AM. Quî dum? *ME.* quia ſenectâ ætate à me mendicas malum.
AM. Cum cruciatu tuo iſthæc hodie, verna, verba funditas.
ME. Sacrufico ego tibi. *AM.* Qui? *ME.* quia enim te macto infortunio.
AM. *Tun' me mactes, carnufex? niſi formam dii hodie meam perduint.*
Faxo ut bubulis coriis onuſtus ſis Saturni hoſtia.
Ita ego te certò cruce & cruciatu mactabo. exi foras
Maſtigia. ME. *larva umbratilis, tu me nimis territas?*
Niſi hinc actutum fugias: ſi denuò pultaveris:
Si minuſculo digito increpuerint fores, hâc tegulâ
Tuum deminuam caput, ut cum dentibus linguam exſcrees.
AM. *Tun', furcifer, meis me procul prohibes ſis ædibus?*
Tun' meas pultare foreis? haſce illicò toto demoliar cardines.

INTERPRETATIO,

quem per Pollucem ego reddam hodie excandeſcentem verberibus, propter iſta verba. MER. *Eſt neceſſe te extitiſſe quondam profuſum in juventute.* AMP. *Quare?* MER. *Quia à me rogas infortunium in ſenili ætate.* AMP. *Verna, profers hodie iſta dicta.* MER. *Ego tibi lito.* AMP. *Quo pacto?* MER. *Quia te macto infortunio.* AMP. *Mihine ſacrificas ſic, furcifer? niſi dii mihi adimant* hanc *formam* quam præfero, *curabo ut obruaris ſcuticis bubulis, ô hoſtia Saturni. Sic ſine dubio ego te conficiam cruce & cruciatu. Egredere foras, verbero.* MER. *Larva nocturna, tu mihi vis timorem injicere tuis minis? Niſi abſiſtas hinc velociter: ſi pulſaveris* fores *iterum: ſi impuleris fores vel extremo digito; tibi comminuam caput hac tegulâ* quam teneo, *ut expuas linguam cum dentibus.* AM. *Furcifer! tu me ſummoves à meis tectis? Tu me vetas pulſare fores? Ego ſtatim earum convellam omnes cardines.*

ANNOTATIONES,

13. *Verna.*] Servus domi, à domeſticis ſervis natus.

14. *Sacrifico ego tibi.*] Offenſus Amphitryo quòd inurbaniùs loquatur ſervus ejus Soſia, ſicut exiſtimabat, hic quaſi inurbanitatis deprecatus invidiam, ſe ſacrificare ait Amphitryoni: qui honos cæteros omnes antecellit: ſed verbum interpretatus, ad riſum concitandum ſe ſacrificare ait infortunium pro victima.

Ibid. *Macto.*] *macte deos*, pro *macto diis*. dicebant Antiqui. Unde Plautinus jocus, *te macto infortunio*, pro, *tibi macto*.

15. *Formam dii perduint.*] Alludit ad fabulas, in quibus homines in ipſo æſtu aut iracundiæ aut doloris aut amoris formam exuunt humanam, alienam induunt. Innuitque Amphitryo daturum ſibi pœnas Soſiam, niſi repente deorum potentia mutetur.

16. *Saturni hoſtia.*] Carthaginenſes iratum ſibi Saturnum placabant humanis hoſtiis & ſuis liberis; ſed tandem victi vi naturæ furtivos pueros educabant ſuorum loco, & gladiis impiæ Religionis pro ſuis ſubjiciebant. Interminatur exitium Amphitryo Soſiæ, quaſi domi ad id educato; idque in convitium Carthaginenſium dicitur, utpote cum quibus bellum erat Romanis, quando exhibita eſt Amphitryo.

18. *Larva umbratilis.*] Apuleius: *Larvalis forma*, id eſt, *larva & umbra*, vel *umbra larva*, quæ per ſeſe *umbra eſt*, quaſi dicas *umbram umbra*, aut *larvam larva*. Ad contemptum Amphitryonis jam ſenis, & noctu occurſantis, ut vulgo occurſant & *umbra* & *larva*.

ME. *Pergin'?* AM. *Pergo.* ME. *Accipe.* AM. *ſceleſte, in herum?*
ſi te hodie apprehendero,
Ad id redigam miſeriarum, ut ſemper ſis miſer.
ME. *Bacchanal te exercuiſſe oportuit, ſenex.* AM. *quî dum?*
ME. *Quando tu me tuum ſervum cenſes.* AM. *quid, cenſeo?*
ME. *Malum tibi: præter Amphitruonem, herum novi neminem.*
AM. *Num formam perdidi? mirum quin me norit Soſia.*
Scrutabor: eho dic mihi, quis videor? Num ſatis Amphitruo?
ME. *Amphitruo? ſanuſne es? nonne tibi prædictum ſenex,*
Bacchanal te exercuiſſe, quom qui ſis, alium rogites?
Abſcede, moneo: moleſtus ne ſies, dum Amphitruo
Cum uxore modò ex hoſtibus adveniens voluptatem capit.
AM. *Quâ uxore?* ME. *Alcmenâ.* AM. *quis homo?* ME. *quotiens*
vis dictum? Amphitruo
Herus meus: moleſtus ne ſies. AM. *quî cum cubat?*
ME. *Vide ne infortunium quæras, qui me ſic ludifices?*
AM. *Dic, quæſo, mi Soſia.* ME. *blandiùs cum Alcumenâ.* AM. *in*
eodémne
Cubiculo? ME. *imò, ut arbitror, corpore corpus incubat.* AM. *væ*
miſero mihi!
ME. *Lucri 'ſt quod miſeriam deputat. nam uxorem uſurariam*
Perinde eſt præbere, ac ſi agrum ſterilem fodiendum loces.

INTERPRETATIO.

ME. *Pergiſne pulſare fores?* AM. *Pergo.* ME. *Accipe* aquam quâ te aſpergo. AM. *Nequam.* conjicis aquam *in herum; ſi te tenuero hodie, te redigam eò miſeriarum, ut ſis futurus perpetuò miſer.* ME. *Oportet Bacchum te agitaſſe hodie, ô ſenex!* AM. *Quare?* ME. *Quia tu putas me eſſe tuum ſervum.* AM. *Quid? cenſeo te eſſe meum ſervum?* ME. *Infortunium tibi accidat: ego non novi alium herum quàm Amphitryonem.* AM. *An amiſi formam! Mirum eſt Soſiam non me noſcere. Me ſcrutabor. Heus tu, Soſia. Dic mihi* ſi non ſum Amphitryo? *Quis* tibi *videor* eſſe? *Nonne ſum ſatis Amphitryo?* ME. *Es Amphitryo? Eſne ſanus? Nonne tibi dixi, ô ſenex, te eſſe jactatum à Baccho, quando petis ab alio qui ſis? Abſcede, crede mihi: ne ſis moleſtus, interea dum Amphitryo reverſus à Telebois capit voluptatem cum uxore.* AM. Cum *quâ uxore?* ME. Cum *Alcmenâ.* AM. *Quis Amphitryo?* ME. *Quoties vis dici? Amphitryo, meus herus, ne ſis moleſtus.* AM. *Cum quâ cubat?* ME. *Vide ne tibi accerſas infortunium, tu qui illudis mihi ſic?* AM. *Dic amabo, mi Soſia.* ME. Tu loqueris jam blandiùs? Cubat *cum Alcmenâ.* AM. *Cubatne in eodem cubiculo?* ME. *Imo, ut exiſtimo, contingit corpus corpore.* AM. *Væ mihi infortunato!* ME. *Eſt res fructuoſa, quam arbitratur eſſe damnoſam. Nam commodare uxorem uſurariam eſt perinde ac ſi loces fodiendum agrum ſterilem.*

ANNOTATIONES.

24. *Accipe.*] Verſu 17. Act. 3. Scen. 4. non tegulâ appetitum, ſed aquâ aſperſum conjicere eſt, ubi ſic ait Mercurius:
——— *faciam ut ſit madidus ſobrius:*
Accipe, id eſt, *accipe aquam quâ te aſpergo.*

27. *Bacchanal,*] *Bacchanal* erat locus in quo vulgo commorabantur *Bacchantes*, id eſt, *furoribus à Baccho immiſſis incitatæ fœminæ.* Nam Veteres exiſtimabant immitti furorem in homines à *Baccho, Cerere, & Luna:* à *Baccho* incitati, *Bacchi*; à *Cerere, Cereriti, Cerriti, Ceriti;* à *Luna, Lunatici dicebantur.*

AM. *Soſia.* ME. *quid (malùm) Soſia?* AM. *non me noviſti, verbero?*
ME. *Novi te hominem moleſtum, quine emas litigium.* AM. *adhuc*
Amplius: Nonne ego herus ſum tuus Amphitruo? ME. *tu Bacchus*
es,
Haud Amphitruo. quoties tibi dictum vis? num denuò?
Meus Amphitruo uno cubiculo Alcmenam complexu tenet.
Si pergas, eum hîc ſiſtam, neque ſine tuo magno malo.
AM. *Cupio accerſi. utinam ne pro benefactis hodie patriam,*
Ædeis, uxorem, familiam, cum formâ unà perduam!
ME. *Accerſam equidem: ſed de foribus tu interea ſis vide.*
** Credo jam quæ volebat ſacrificia, ad epulum conduxit: **
Si moleſtus ſis, evades nunquam quin te ſacruficem.

INTERPRETATIO.

AM. *Soſia.* ME. *Quid* vis, *malum*, interpellato tam ſæpè *Soſiâ?* AM. *Tu non me noſti, carnifex?* ME. *Te novi hominem moleſtum qui moves litem ultrò.* AM. Pergis *porrò* maledicere: *nonne ſum Amphitryo tuus herus?* ME. *Tu es Bacchus, non Amphitryo. Quoties vis tibi* id *repeti?* *Num vis iterum idem* repeti? *Meus Amphitryo tenet Alcmenam in ſuo cubiculo. Si pergas* eſſe moleſtus, *ſiſtam eum hic, neque* faciam *citra tuum magnum damnum.* AM. *Velim vocari* illum Amphitryonem. *Utinam perdam hodie patriam, penates, uxorem, familiam, & formam, in premium rectè factorum.* ME. *Accerſam equidem Amphitryonem. Sed vide ut* diſcedas quamprimum *à foribus*, interea dum accerſo Amphitryonem. *Credo* Jovem *jam perduxiſſe uſque ad epulum ſacrificia, quæ* dixerat *velle ſibi fieri. Si pergis eſſe moleſtus, nunquam evades quin te mactem.*

ANNOTATIONES.

44. *Tu Bacchus es.*] id eſt, *non ſolùm Bacchans es, verum etiam Bacchus.* Et ipſe furor Bacchicus.

51. *Credo jam*] Soſia ſecum hunc verſum profert, cujus ſenſus pendet à verſu 13. Act. 3. Scen. 3.

——*Ut re divinâ factâ* (Blepharo)
mecum prandeat.

quaſi dicat: *Jam puto patrem Jovem ſibi ſacrificaſſe, & jam epulatum eſſe cum Blepharone.* Quod dicit jocando Mercurius, quia Act. 3. Scen. 3. Jupiter ſumptâ formâ Amphitryonis, mandaverat Soſiæ ut accerſeret Blepharonem, ſacrificia & epulas pararet, interim cum Alcmenâ in ædes ingreditur, ut indulgeat amoribus, quos ſibi unos proponebat Jupiter, quibus quando ſatis Mercurio indulſiſſe videtur, dicit ipſe Mercurius: *Credo jam Jovem ſacrificia obtuliſſe quæ habebat offerenda, & eſſe epulatum, ſicut epulari ſibi propoſuerat, potitus videlicet amoribus Alcmenæ, quæ ſacrificia ſola, quas unas epulas ſibi in hac fraude propoſuit.*

ACTUS QUARTUS. SCENA TERTIA.

ARGUMENTUM.

SOSIA miſſus à Jove, quem arbitrabatur eſſe herum ſuum Amphitryonem, ad accerſendum Blepharonem à navi quæ erat in anchoris in portu Perſico; revertitur cum Blepharone, excluſumque à

Mercurio invenit Amphitryonem ante ædes ſuas ambulantem. Eum excipit admodum iracundè Amphitryo, utpote à quo ſe,aſpersâ aquâ, ſummotum eſſe à limine exiſtimat. Nam ut arceret Amphitryonem, Mercurius,formam induerat Soſiæ. Ut leniat iracundiam Amphitryonis, Blepharo monet etiam atque etiam videndum eſſe ne veneficus aliquis convellat quietem & pacem familiæ Amphitryonianæ.

AMPHITRYO, BLEPHARO, SOSIA.

AMPHITRYO.

DI voſtram fidem! quæ intemperiæ noſtram agunt familiam? quæ mira
Video, poſtquam advenio peregrè! nam veru'ſt, quod olim eſt auditum
Fabularier, mutatos Atticos in Arcadiâ homines,
Et ſævas belluas manſitaſſe, nec unquam denuò parentibus
Cognitos. BL *quid illud, Soſia? magna ſunt, quæ mira prædicas.*
Ain' tu alterum te reperiſſe domi conſimilem Soſiam?
SO. *Aio. ſed heus tu, quum ego Soſiam, Amphitruonem Amphitruo; quid ſcis an,*
Tu fortè alium Blepharonem parias? ô dî faciant, ut tu quoque
Conciſus pugnis, & illiſis dentibus, id impranſus creduas.
Nam ego ille alter Soſia, qui illic ſum, me malis mulcavit modis.
BL. *Mira profectò. ſed gradûs condecet grandire: nam ut video,*

INTERPRETATIO.

AM. O Dii, teſtor *veſtram fidem! quæ furiæ vexant noſtram familiam? Quæ portenta conſpicio, reverſus peregrè? Profectò id quod quondam dictum eſt in Fabulis, eſt verum, Homines Atticos fuiſſe mutatos in Arcadiâ, & exinde fuiſſe belluas crudeles, neque poſteà unquam fuiſſe cognitos ſuis parentibus.* BL. *Quid eſt id, ô Soſia! prodigia quæ tu prædicas ſunt ſtupenda. Dicis,ne te inveniſſe* ante januam Amphitryonis *alterum Soſiam tibi ſimilem.* SO. *Aio: ſed heus tu quandoquidem* ego Soſia peperi alterum *Soſiam, & Amphitryo* peperit *alterum Amphitryonem: quis ſcit an tu Blepharo non parias alium* Blepharonem? O *dii faciant ut credas id incœnatus perinde ac ego, contuſus pugnis* alterius Blepharonis, *& illiſis dentibus: nam alter Soſia, ille qui eſt idem ac ego, me afflixit peſſimè.* BL. *Prædicas admirabilia ſine dubio. Sed oportet accelerare gradũ: nam Amphitryo expectat, ſicut video.*

ANNOTATIONES.

3. *Mutatos Atticos in Arcadiâ.*] Græcia & Græciæ regio non ignobilis Arcadia, fuit veluti theatrum quoddam ampliſſimum à Poëtis conſtitutum metamorphoſewn, ſeu mutationum fabuloſarum: tamen Autor Plautini Supplementi non de mutationibus fabuloſis, ſed de veris loquitur, quas frequentes in Arcadiâ contigiſſe Autor eſt Evanthes apud Plinium lib. 8. cap. 2. de Lycanthropis, qui induunt lupinam pellem, depoſitâ formâ humanâ, ad certum tempus. Innuit hoc loco illis Lycanthropis ſe eſſe ſimilem Amphitryo, utpote ignotum ſuis familiaribus ab ædibus extorrem.

Exſpectat Amphitruo, & vacuus mihi venter crepitat. AM. *& quid aliena*
Fabulor? in noſtro olim Thebano genere pluſquam mira memorant.
Martigenam ille aggreſſus belluam magnus Europæ quæſtor, anguineo
Repente hoſteis peperit ſeminio: & pugnatâ illac pugnâ
Frater trudebat fratrem haſtâ, & galeâ. & noſtra auctorem gentis
Cum Veneris filiâ anguis repſiſſe tellus Epirotica
Vidit. de ſummo ſummus Iuppiter ſic ſtatuit, ſic fatum habet.
Optumi omnes noſtrates pro claris factis diris aguntur malis.
Fata iſthæc me premunt, pertolerarem vim tantam, cladéſque
Exanclarem impatibiles. SO. *Blepharo.* BL. *quid eſt?* SO. *neſcio quid mali ſuſpicor.*

INTERPRETATIO.

præterea venter vacuus mihi crepat. AMP. *Sed quid cõmemoro externa: Referunt* contigiſſe *pluſquam ſtupenda in noſtris Thebis.* Cadmus *ille magnus inveſtigator ſuæ ſororis Europæ adortus ſerpentem genitorem* hominum *Martiorum ſemine illitus* dentium *procreavit hoſtes, & frater incurrebat in fratrẽ haſtatus & galeatus in certamine repente commiſſo. Et Epirus vidit* eundem Cadmũ *conditorem gentis noſtræ Thebanæ ſerpere* humi *cum* Hermionâ ſuâ conjuge, *filiâ Veneris,* mutatum *in ſerpentem* cum uxore. *Summus Jupiter ſic decrevit in cælo; ſic fata voluerunt.* Omnes *Thebani* etiam *optimi afficiuntur crudelibus ſuppliciis pro rectè factis. Illa fata* communia *me urgent. Perferrem tantam vim malorum, & exanthlarem clades intolerandas,* ſi pudor conjugis eſſet ſalvus. SO. Heus tu, *Blepharo.* BL. *Quid vis?* SO. *Auguror neſcio quid incommodi.*

ANNOTATIONES.

12. *Quid aliena fabulor?*] Hîc Autor Supplementi non ſatis attendiſſe videtur Amphitryonem non eſſe Thebanum, ſed Arcadem & Arcadici generis.

14. *Martigenam.*] Serpens Thebanus, cujus è dentibus à Cadmo ſeminatis nati ſunt milites, dicitur *Martigena,* non quòd procreatus ſit à Marte, ſed quòd ab eo procreati ſint milites; quaſi dicas, *Martiorum hominum genitorem.* Porrò quo pertineat hæc Fabula hoc loco ab Autore Supplementi allata, non video. Nimirum conqueritur Amphitryo quòd ignotus ſit ſuis. Non malè igitur Soſiam cum Lycanthropis confert; at malè cum dentibus ſerpentinis, qui evadunt homines.

16. *Noſtra autorem gentis.*] Cadmus miſſus ab Agenore ut Europam ſororem quæreret, condidit Thebas: tandem mutatus eſt cum Hermiona conjuge in ſerpentem.

18. *Vidit Jupiter, ſic ſtatuit.*] Agnoſcit Amphitryo nutum voluntatis divinæ, à quo pendent univerſa, & cui decet hominem & hominum principem, qualis erat Amphitryo, ultrò ſubjici, etiam cùm adverſa & gravia immittit immerentibus.

Ibid. *Sic fatum habet.*] Veteres vim fatorum eſſe tantam exiſtimabant, ut deos etiam, deorumque principem Jovem, eorum eſſe legibus adſtrictos crederent.

19. *Optimi omnes.*] Reverà apud Thebanos finguntur à Poëtis unà & calamitoſi Heroës extitiſſe & innocentes: quia virtus attrita malis magis magiſque ſpleſcit.

21. *Exanclarem.*] pro *exanthlarem.* Nonius in verbo *exanclare* ſeu *exanthlare* laudat hunc verſum ut Plautinum: ſed cum aut Nonius à quodam Grammatico accepit ut Plautinum, aut Autor Supplementi ante tempora Nonii illum ſuppoſuit.

BL. *Quid?* SO. *vide ſis, herus ſalutator oppeſſulatas ante foreis graditur.*
BL. *Nihil eſt, famem exſpectat obambulans.* SO. *curioſè quidem: foreis enim*
Clauſit, ne prævorteretur foras. BL. *oggannis.* SO. *nec gannio, nec latro.*
Si me audias, obſerves. neſcio quid ſecum ſolus, puto
Rationes colligit: quid memoret, hinc excipiam, ne propera.
AM. *Ut metuo, ne victis hoſtibus dî partam expungant gloriam:*
Totam miris modis noſtram video turbatam familiam.
Tum verò uxor vitio, ſtupro, dedecore me plena enicat.
Sed de paterâ miru' ſt: erat tamen ſignum obſignatum probè.
Quid enim? pugnas pugnatas prolocuta, & Pterelam oppugnatum,
Noſtris occiſum manibus fortiter. atat novi jam ludum!
Id Soſiæ factu 'ſt operâ, qui me hodie quoque præſentem auſit
Indignè prævortier. SO. *de me locutus, & quæ velim minùs.*
Hominem ne congrediamur, quæſo, priuſquam ſtomachum detexerit.
BL. *Ut lubet.* AM. *ſin illum datur hodie maſtigiam apprehendere, oſtendam quid ſit*
Herum fallere, minis & dolis inceſſere. SO. *audin' tu illum?* BL. *audio.*

INTERPRETATIO.

BL. *Quid* auguraris? SO. *Vide ſi placet:* Ecce *herus* Amphitryo *obambulat ante ſuas fores occluſas*, ſicut *ſalutator* potentiorum. BL. *Nihil eſt. obambulat expectando famem.* SO. *Diligenter quidem* facit: *nam fores junxit, ne fames anteverteret* egreſſa *foras.* BL. *Oggannis.* SO. *Nec oggannio, nec oblatro. Obſerva Amphitryonem, ſi mihi credis: meditatur ſecum neſcio-quid ſolus: puto eum ſubducere aliquas rationes: auſcultabo hinc quid dicat. mane.* AMP. *Quàm metuo, ne dii præripiant gloriam quam mihi peperi, debellatis hoſtibus. Video univerſam noſtram familiam turbatam mirum in modum. tum vel maximè uxorem quæ me enecat. plena vitio, ſtupro, dedecore. Sed ſatis mirari non poſſum* quomodo *patera* in ejus manus venerit. *Nam erat optimè obſignata: quid enim* adeò ſtupendum eſt, *quàm quando recenſuit pugnas à nobis commiſſas, & Pterelam oppugnatum & interfectum noſtris manibus fortiter. Sed novi jam fraudem. Id geſtum eſt fraude Soſiæ, qui auſus eſt hodie me antevertere,* & ingreſſus domum, juncto oſtio, me arcere ab ædibus *indigniſſimè.* SO. *Verba facit de me:* ſed dicit *quæ nolim dici* ab eo. *Obſecro ne congrediamur cum homine illo antequam detexerit quid habeat in animo.* BL. *Faciam ut lubet.* AMP. *Si hodie invenero illum furciferum oſtendam illi quid ſit decipere herum, dolis & minis proſequi.* SO. *Audiſne tu Amphitryonem?* BL. *audio.*

ANNOTATIONES.

22. *Herus ſalutator.*] Salutatores erant, qui fores potentiorum obſidebant, & ut diligentiam ſignificarent, multò ante lucem ad limina veniebant, expectabantque uſque eo dum paterent, & interea obambulabant.

23. *Famem expectat.*] Cicero: *Socratem ferunt, quum uſque ad veſperam contentiùs ambularet, quæſitumque eſſet ex eo, quare id faceret, reſpondiſſe, ſe, quo meliùs cœnaret, obſonare ambulando famem.*

SO. *Illac machina meas onerat ſcapulas. compellemus ſis hominem.*
Scin' quid volgò dici ſolet? BL. *quid dicturus ſis, neſcio:*
Quid tibi patiundum, ferè hariolor. SO. *vetu' ſt adagium, Fames & mora*
Bilem in naſum conciunt. BL. *verùm quidem è loco compellemus*
Alacrè. Amphitruo. AM. *Blepharonem audio, mirum quid ad me veniat.*
Opportunè tamen ſe offert, ut uxoris facta convincam turpia.
Quid huc ad me Blepharo? BL. *oblitus tam citò, quàm diluculo*
Miſiſti ad navim Soſiam, ut hodie tecum conviverem?
AM. *Nuſquam factum gentium. ſed ubi illic ſceleſtus?* BL. *quis?* AM. *Soſia.*
BL. *Eccum illum.* AM. *ubi?* BL. *ante oculos, non vides?* AM. *vix video præ irâ, adeò me iſtic*
Hodie delirum fecit. ne te ſacruficem, nunquam evades.
Sine me, Blepharo. BL. *auſculta, precor.* AM. *dic, auſculto. tu vapula.*
SO. *Quâ de re? num ſatis tempori? non ocyùs quivi, ſi me*
Dædaleis tuliſſem remigiis. BL. *abſtine, quæſo. non potuimus*

INTERPRETATIO.

SO. *Illa tempeſtas impendet meis cervicibus: conveniamus, ſi placet, hominem. Sciſne quod vulgò ſolet dici?* BL. *Neſcio quid dicturus ſis: auguror fermè quid tibi ferendum eſt.* SO. *Fames & mora bilem in naſo concitant.* BL. *Compellamus eum alacriter ac læti ex hoc loco. Heus tu, Amphitryo.* AMP. *Audio Blepharonem. Quare venit ad me? Profectò advenit opportunè, ut deprehendam turpitudinem uxoris* Alcmenæ. *Quare venis huc ad me, Blepharo?* BL. *Oblituſne es tam citò te miſiſſe Soſiam ad navem primo diluculo, ut tecum hodie epularer?* AMP. Non miſi Soſiam *uſquam gentium. Sed ubi eſt ille nefarius?* BL. *Quis?* AMP. *Soſia.* BL. *Ecce hominem.* AMP. *Ubi eſt?* BL. Non cum *vides ante oculos?* AMP. *Non video præ iracundiâ; adeò ille me dejecit à ſanâ mente. Nunquam effugies quin te mactem infortunio. Sine me* jugulare hominem, *Blepharo.* BL. *Auſculta, obſecro.* AMP. *Dic, auſculto. Tu da pœnas.* SO. *De quo peccato? Nonne ſum reverſus ſatis velociter. Non potuiſſem iter conficere celeriùs, ſi habuiſſem alas Dædali.* BL. *Abſtine* manum à Soſia, Amphitryo, *obteſtor. nequivimus*

ANNOTATIONES.

40. *Fames & mora bilem in naſum conciunt.*] Bilis motus eſt iracundia: unde *bilem movere.* Iracundia autem ideò in naribus deprehenditur, quia quando *difficili bile tumet jecur*, ut optimus Poëta loquitur; calore intimo fervet pectus, ad quem ventilandum & refrigerandum ducitur ſpiritus copioſior, diductis naribus & ore. Igitur hoc adagio Autor Supplementi dicit famem & moram allatam cœnæ, bilem Amphitryoni movere. Seneca: *Vetus dictum eſt*, A laſſo rixam quæri: *æquè autem & ab eſuriente, & à ſitiente, & ab omni homine quem aliqua res urit.*

51. *Dædaleis tuliſſem remigiis.*] id eſt, *alis.* Virgilius:

——— *Volat, ille per aëra magnum*
Remigio *alarum.*

Vera hiſtoria eſſe creditur, quòd velis, non alis fugerit Minois Cretenſium Regis iracundiam Dædalus. *Remigium* dicitur *alarum* à principe Poëta; quia ſicut remis mare Nautæ, ſic aves aërem alis verberant & pergunt.

Noſtros grandiùs grandire gradus. AM. *ſive gralatorius, ſive*
Teſtudineus fuerit, certum 'ſt mihi hunc ſceleſtum perdere.
En tectum! en tegulas! en obductas fores! en ludificatum herum!
En verborum ſcelus! BL. *quid mali fecit tibi?* AM. *rogas? ex illo*
Tecto excluſum foribus, me deturbavit ædibus. SO. *egóne?*
AM. *Tu. quid minitabas te facturum, ſi iſtas pepuliſſem fores?*
Negas, ſceleſte? SO. *quin negem? en teſtis ampliter, quicum venio:*
Miſſus ſedulò, ut ad te vocatum ducerem. AM. *quis te miſit,*
Furcifer? SO. *qui me rogat.* AM. *quando gentium?* SO. *dudum, jam pridem, modò,*
Ubi cum uxore domi rediſti in gratiam. AM. *Bacchus te irritaſſit.*
SO. *Nec Bacchum ſalutem hodie, nec Cererem. tu purgari juſſeras*
Vaſa, ut rem divinam faceres: & hunc me accerſitum mittis,
Ut tecum prandeat. AM. *Blepharo, diſperеam, ſi aut intus adhuc fui,*
Aut ſi hunc miſerim. dic, ubi me liquiſti? SO. *domi cum Alcumenâ conjuge.*

INTERPRETATIO.

accelerare magis gradum. AMP. *Sive ejus* gradus fuerint tam grandes *quàm grallatorum, ſive teſtudines, decrevi perdere hunc nefarium. En tectum! en tegulas! en fores occluſas! en herum irriſum! en verba ſceleſta!* BL. *Quid mali tibi fecit?* AMP. *Rogas? Summovit ab illis ædibus, ab illo tecto.* SO. *Egone?* AMP. *Tu ipſe quid minitatus es te facturum, ſi attigiſſem illas fores? Negas, ſceleſte, te mihi eſſe minitatum?* SO. *Quare non negarem? En teſtis locuples* eorum quæ dico, *quocum revertor, miſſus modò ut vocarem, & ad te illum adducerem.* AMP. *Quis te miſit, ſceleſte?* SO. Idem *qui à me petit* à quo miſſus ſim. AMP. *Quando* te miſi? *Dudum, jampridem, modo, quando rediiſti in concordiam cum uxore in ædibus.* AMP. *Bacchicus furor te incitat.* SO *Non ſalutavi hodie Bacchum nec Cererem. Tu mandaveras purgari vaſa ut ſacrificares: tu me miſiſti ut hunc accerſerem ad cœnandum tecum.* AMP. *Blepharo, dii me perdant, ſi aut adhuc ingreſſus ſum domum, aut ſi hunc ad te miſerim. Dic, ubi me liquiſti?* SO. Te reliqui *domi cum Alcinenâ conjuge.*

ANNOTATIONES.

52. *Grallatorius.*] Feſtus: *Grallatores appellantur Pantomimi, qui ut in ſaltatione imitarentur Ægipanas, adjectu perticis, furculas habentibus; atque in his ſuperſtantes, ad ſimilitudinem crurum ejus generis gradiebantur utique, propter difficultatem conſiſtendi.* Audio in quibuſdam Galliæ urbibus, ac præſertim Campaniæ, quæ non ſunt ſtratæ lapidibus, uſum eſſe grallarum ad itandum per vicos, propter lutum dilatius & altiùs. *Grallatorius gradus* eſt grandis, *teſtudineus* tardus & brevis, à *teſtudinibus*, quarum tarditas cuivis cognita tranſit in adagium.

60. *Dudum, jampridem, modò.*] id eſt, *eſt modò, dudum, jampridem:* in quo *modò* eſt particula expletiva, & nihil fermè ſignificat. Itaque eſt *dudum, jampridem*, quaſi dicat id quod nos vernaculo noſtro, *il y a déja long-temps, qu'il y a long-temps.* Quod ad diuturnitatem temporis ſignificandam ab Autore Supplementi affertur, quam verè vel ex hoc apparet quòd de eadem die loquatur.

61. *Nec Bacchum ſalutem.*] quia Amphitryo dixit Soſiam furore Bacchico eſſe incitatum, reſpondet Soſia, idque à parte: *Si Bacchus aut Ceres ſic furorem immittunt hominibus, nolim eos ſalutare, adorare, colere, invocare,* utpote deos noxios & maleficos.

Ego à te abiens portum verſus volito, hunc tuis verbis voco.
Venimus, nec te niſi nunc video poſtea. AM. *ſceleſtum caput, cum uxore?*
Nunquam abis, quin vapules. SO. *Blepharo.* BL. *Amphitruo, mitte hunc meâ gratiâ,*
Et me audias. AM. *en mitto, quid vis, loquere.* BL. *iſtic jamdudum mihi*
Maxuma memoravit mira, præſtigiator fortè, aut veneficus
Hanc excantat tibi familiam: inquire aliunde, vide quid ſiet.
Nec ante hunc excruciatum miſerum facias, quàm rem intelligas.
AM. *Rectè mones: eamus: te adverſum uxori etiam advocatum volo.*

INTERPRETATIO.

Ego dimiſſus à te, convolo ad portum. Invito Blepharonem tuis verbis. Venimus, neque te vidi ex illo tempore niſi nunc. AMP. *Sceleſtum caput, cum uxore reliquiſti? Non effugies quin des pœnas.* SO. *Blepharo.* BL. *Amphitryo, dimitte hominem meâ gratiâ, & me audi.* AMP. *Ecce dimitto. Loquere quidquid volueris.* BL. *Iſte mihi dixit ſtupenda* quæ contigerunt apud te. *Credo aliquis veneficus & præſtigiator incantat tuam familiam. Inquire aliunde. Vide quid ſit: neque excrucia hunc miſerum* Soſiam *antequam deprehenderis rem.* AMP. *Mones ſapienter. Volo etiam te eſſe in his advocatum adverſus uxorem Alcmenam.*

ACTUS QUARTUS. SCENA QUARTA.

ARGUMENTUM.

PRODIT ex ædibus Amphitryonis Jupiter, ſumptâ Amphitryonis forma. Soſia eum accipit pro vero Amphitryone. Rixa oritur inter utrumque Amphitryonem, uter ſit verus. Contentionis conſtituitur arbiter Blepharo. Rem expendit ex indiciis. Neuter neutrum ſuperat. Scena hæc mihi patere videtur ad verſum quintum ſequentis Scenæ, in quo relinquit Scenam Blepharo, ſoloſque Amphitryones.

IVPITER, AMPHITRVO, SOSIA, BLEPHARO.

IVPITER.

QVis tam vaſto impete has foreis toto convulſit cardine?
Quis ante adeis tantas tamdiu turbas concitat? quem ſi comperero,
Telebois ſacruficabo manibus. nihil eſt, ut dici ſolet,
Quod hodie bene ſuccedat mihi. deſerui Blepharonem, & Soſiam,
Ut cognatum Naucratem convenirem: hunc non reperi, illos perdidi.
Sed eos video: ibo advorſum, ut ſi quid habent, ſciſciter. SO. *Blepharo, illic qui*
Ex ædibus, herus eſt, hic verò veneficus. BL. *proh Iuppiter,*
Quid intueor? hic non eſt, ſed ille Amphitruo. iſtic ſi fuat,
Illum ſanè non' eſſe oportuit, niſi quidem ſit geminus.
JUP. *Eccum cum Blepharone Soſiam: compellabo hos priùs. Soſia,*
Tandem ad nos? eſurio. SO. *dixin' tibi hunc veneficum?*
AM. *Imò ego hunc, Thebani cives, qui domi uxorem meam*
Impudicitiâ impetivit, per quem teneo theſaurum ſtupri.
SO. *Here ſi tu nunc eſuris, ego ſatur' pugnis ad te volito.*
AM. *Pergin' maſtigia?* SO. *abi ad Acheruntem, venefice.* AM. *men' veneſicum?*

INTERPRETATIO.

JUP. *QVis convulſit noſtras fores totis cardinibus tanto impetu? Quis movet jamdudum tantas trubas ante ædes? Si hunc deprehendero, cum mactabo Manibus Telebearum. Nihil eſt quod mihi ſuccedat feliciter hodie. Deſerui Blepharonem & Soſiam, ut adirem meum cognatum Naucratem: non inveni hunc: illos perdidi: ſed eos cerno: Ibo obviam, ut petam ab eis ſi habent aliquid quod dicant.* SO. *Heus tu, Blepharo, ille qui prodiit ex ædibus eſt meus herus Amphitryo, hic verò eſt veneficus.* BL. *Proh Jupiter, quid video? Hic homo*, quem invenimus ante ædes, *non eſt Amphitryo: ſed ille* qui procedit ex ædibus. *Si hic eſt Amphitryo, profectò non eſt ille* qui prodit ex ædibus, *niſi ſit geminus.* JUP. *Ecce Soſiam cum Blepharone: compellabo hos prior. Soſia, tandem reverſus es? Eſurio.* SO. *Tibine dixi hunc*, quem ante ædes invenimus, *eſſe veneficum?* AMP. *Imo ego dico hunc eſſe veneficum, ô Thebani cives, qui implevit meam uxorem impudicitiâ, teneo autorem ſtupri.* SO. *Here, ſi tu eſurie nunc, ego venio ad te ſatur pugnis.* AMP. *Pergiſne maſtigia?* SO. *Abi, venefice, ad Acheruntem.* AM. Vocaſne *me veneficum?*

ANNOTATIONES.

3. *Telebois ſacrificabo Manibus.*] Hinc apparet, ſi Supplemento huic nonnulla autoritas & fides, victorum morem fuiſſe, placare hoſtiis Manes hoſtium qui in bello ceciderant: quod erat quaſi quoddam communis humanitatis officium.

13. *Impudicitiâ impetivit.*] alii *impedivit*: quam ſcripturam fulciunt autoritate Nonii, quo & id efficiunt, ut hanc Scenam eſſe Plautinam contendant; ſed reverâ ſtilus eſt Plautinus, non Plauti.

Theſaurum ſtupri.] Nonius: *Peſſima rei copia theſaurus dici poteſt.*

Vapula. JUP. *quæ hoſpes intemperia, ut tu meum verberes?* AM. *tuum*
JUP. *meum.*
AM. *Mentiris.* JUP. *Soſia, i intro: dum hunc ſacrufico, fac paretur prandium.*
SO. *Ibo. Amphitr onem (arbitror) ita comiter Amphitruo*
Accipiet, ut dudum memet ego ille alter Soſia Soſiam.
Interea dum iſti certant, in popinam devortundum 'ſt mihi:
Lances detergam omneis, omneiſque trullas hauriam. JUP. *tun' me*
Mentiri ais? AM. *mentiris, inquam, meæ corruptor familiæ.*
JUP. *Ob iſtuc indignum dictum, te obſtricto collo hac arripiam.*
AM. *Væ miſero mihi.* JUP. *at id præcaviſſe oportuit.* AM. *Blepharo, ſuppetias mihi.*
BL. *Conſimiles ſunt adeò, ut utri aſſim, neſciam: rixam tamen,*
Ut poteſt, dirimam. Amphitruo, noli Amphitruonem duello perdere.
Linque collum, precor. JUP. *hunc tu Amphitruonem dictitas?*
BL. *Quidni? unus olim, nunc verò partus eſt geminus.*
Dum tu vis eſſe, alter quoque eſſe formâ non deſinit.
Interea, quæſo, collum linquè. JUP. *linquo: ſed dic mihi, videturne tibi*
Iſtic Amphitruo? BL. *uterque quidem.* AM. *proh ſumme Iuppiter! ubi hodie*

INTERPRETATIO.

Vapula. JUP. *Quæ furiæ* te incitant, *ut tu verberes meum ſervum?* AMP. *Tuum?* JUP. *Meum.* AMP. *Mentiris.* JUP. *Soſia, ingredere: dum macto hunc, cura ut apponatur cœna.* SO. *Ibo: arbitror Amphitryonem*, qui erat ante ædes, *eſſe excipiendum tam urbaniter ab illo Amphitryone* qui prodit ex ædibus, *ut ego Soſia* qui eram ante ædes, *excepi alterum Soſiam* redeuntem è navibus. *Intereadum illi rixantur, eſt mihi comedendum aliquod in popinam: detergam omnes lances, & exhauriam omnes pateras.* JUP. *Dicisne me mentiri?* AMP. *Mentiris, inquam, contaminator meæ familiæ.* JUP. *Ego te hac rapiam, obtorto collo, ob iſtud verbum contumelioſum.* AMP. *Væ mihi infelici.* JUP. *At oportebat te cavere* ab iis *antea.* AMP. *Blepharo, auxiliare mihi.* BL. *Sunt adeò ſimiles, ut non poſſim ſtatuere utri adſim: tamen dirimam certamen ut potero. Amphitryo, noli perdere Amphitryonem pugna. Dimitte collum, precor.* JUP. *Dicis hunc eſſe Amphitryonem?* SO. *Quidni* dicam? *Antea erat unus Amphitryo, nunc alter procreatus eſt. Interea dum contendis te eſſe Amphitryonem, alter ille Amphitryo nihilominus præfert formam. Interea, quæſo, dimitte Amphitryonem.* JUP. *Dimitto. Sed dic mihi, Hicne tibi videtur eſſe Amphitryo?* BL. *Uterque* mihi videtur eſſe Amphitryo. AMP. *Proh ſumme Jupiter! ubi mihi adomiſti hodie*

ANNOTATIONES.

21. *Omnéſque trullas hauriam*] *Trulla* variè à variis accipitur; ſed in eo conſentiunt omnes, eſſe vas capiendis liquidis idoneum. Pro *poculi* genere Horatius:

Quæ Veientanum feſtis potare diebus
Campana ſolitus trulla.

pro *vaſe levando ventri aptum.* Juvenalis:

Si trulla inverſo crepitum dedit aurea fundo.

Nonius: *Pollubrum quod Græci, nos trullam vocamus.*

Mihi formam adimis? pergo quærere: tun' Amphitruo? JUP. *tu negas?*

AM. *Pernego, quando Thebis, præter me, nemo ſt' alter Amphitruo.*

JUP. *Imò, præter me, nemo; atque adeò tu, Blepharo, judex ſies.*

BL. *Faciam id ſi queo ſignis palàm. tu reſponde priùs.* AM *lubens.*

BL. *Antequam cum Taphiis à te pugna ſit inita, quid mandaſti mihi?*

AM. *Paratâ navi clavo hæreres ſedulò.*

JUP. *Ut ſi noſtri fugam facerent, illuc me tutò reciperem.*

AM. *Item aliud. ut benè nummatum ſervaretur marſupium.*

JUP. *Quæ pecuniæ?* BL. *tace ſis tu, meum' ſt quærere. ſciſti numerum?*

JUP. *Talenta quinquaginta Attica.* BL. *hic examuſſim rem enarrat, & tu.*

Quot Philippei? AM. *duo millia.* JUP. *oboli verò bis totidem.* SO. *uterque*

Rem tenet probè. intus in crumenâ clauſum alterum eſſe oportuit.

JUP. *Attende ſis, hâc dexterâ (ut noſti) regem mactavi Pterelam,*

Spolia ademi, & pateram, quâ ille potare ſolitus eſt, in ciſtellâ

Pertuli: dono uxori meæ dedi, quicum hodie lavi,

INTERPRETATIO.

priſtinam formam? Pergo interrogare. Eſne tu Amphitryo? JUP. *Negaſne?* AMP. *Pernego, quandoquidem eſt nullus Amphitryo Thebis, præter me.* JUP. *Imò eſt nullus Amphitryo Thebis, præter me: atque adeo tu, Blepharo, eſto noſter* amborum *arbiter.* BL. *Aperiam id, ſi poſſum, indiciis. Tu* qui eras ante januam, *reſponde prior.* AMP. Faciam *libenter.* BL. *Quid mihi imperaſti antequam certamen commiſiſti cum Taphiis?* AMP. *Ut teneres ſedulò gubernaculum navis.* JUP. *Ut ſi noſtri capeſſerent fugam, me reciperem illuc tutò.* AMP. *Mandavit etiã alterum, nempe ut ſervaretur marſupium nummis plenum.* JUP. *Quæ pecuniæ inerant in marſupio?* BL. *Tace, ſi vis, tu; meum eſt interrogare: Sciſne numerum?* JUP. *Erant quinquaginta talenta Attica.* BL. *Hic narrat rem adamuſſim: tu verò dic quot erant Philippei?* AMP. *Erant duo millia Philippeorum.* JUP. *Totidem oboli erant bis totidem.* SO. *Uterque tenet probè rem. Oportet alterum fuiſſe incluſum in crumenâ.* JUP. *Expecta, ſi vis: interfeci regem Pterelam hâc dextrâ, ut noviſti, ademi ſpolia, & attuli in ciſtellâ pateram quâ ille ſolitus eſt bibere: dono dedi meæ uxori, cum quâ lavi hodie.*

ANNOTATIONES.

32. *Mihi formam adimis.*] Non ademit formam Amphitryoni Jupiter, quia nihilominus habet formam Amphitryonis Amphitryo, etſi ſimilem ſumpſerit Jupiter. Sed ideò id dicit Amphitryo, quia ſic à ſuis excluditur, quaſi metamorphoſi aliquâ & mutatione priſtinæ formæ factus eſſet aut bellua aut quidvis aliud.

41. *Talenta quinquaginta Attica.*] *Talentum* dicitur *Atticum*, ab Atticâ regione in quâ in uſu erat, ad differentiam talenti Euboici, cujus erat uſus in Eubœa potiſſimus, ac præſertim Thebis. Porrò duplex erat talentum Atticum, unum *magnum*, alterum *parvum*: de ejus pondere multi multa: quando enim majores noſtri plurimùm deſudarunt, ut cui pecuniæ noſtræ reſponderet, demonſtrarent, vix eorum ætate elapsâ, pretium pecuniæ noſtræ mutatum retento nomine novæ pecuniæ, ſemper quæſtioni locus fuit. Hîc Autor Supplementi de magnóne an de parvo talento loquatur, non notat.

Sacrificavi, cubui. AM. *hei mihi, quid audio? vix apud me ſum:*
Vigilans quippe dormio: vigilans ſomnio, vivus & ſanus intereo.
Ego idem ille ſum Amphitruo, Gorgophones nepos, imperator Thebanorum,
Et Creontis unicus, Teleboarum perduellis, qui Acarnanes
Et Taphios vi vici, & ſummâ regem virtute bellicâ.
Illiſce præfeci Cephalum, magni Deionei filium.
JUP. *Ego idem latrones hoſtes bllo & virtute contudi.*
Electryonem perdiderant, noſtræ & germanos conjugis,
Achaiam, Ætoliam, Phocidem. per freta Ionium, & Ægæum, & Creticum
Vagati, vi vortebant piraticâ. AM. *dî immortales, mihimet*
Non credo. ita omnia, quæ facta illic, examuſſim loquitur. vide
Blepharo. BL. *unum ſupereſt: id ſi fuat, Amphitruones ſitote gemini.*
JUP. *Quid dicas, novi: cicatricem in dextro muſculo ex illoc volnere*
Quod mihi impegit Pterela. BL. *eam quidem.* AM. *appoſite.* JUP. *viden'? en, aſpice.*
BL. *Detegite, aſpiciam.* JUP. *deteximus, vide.* BL. *ſupreme Iuppiter,*
Quid intueor! utrique in muſculo dextero, eodem in loco,
Signo eodem apparet probè, ut primùm coivit cicatrix rufula,
Sublurida. Rationes jacent, judicium ſilet, quid agam, neſcio.

INTERPRETATIO.

ſacrificavi, cubui. AMP. *Hei mihi! quid audio? Vix ſum apud me: nam dormio vigilans: ſomnio vigilans; pereo vivus & ſanus. Ego ſum idem Amphitryo ille, nepos Gorgophones, dux Thebanorum, amiciſſimus Creontis Regis Thebanorum, hoſtis Teleboarum, qui ſuperavi Acarnanes & Taphios mea virtute, & Regem eximiâ fortitudine militari. Præfeci Cephalum Deionei filium*, Telebois à me victis. JUP. *Ego idem coërcui latrocinia hoſtium virtute bellicâ. Perdiderant Electryonem & fratres noſtræ uxoris. Vaſtabant Achaiam, Ætoliam, Phocidem vagati per mare Ionium, Ægeum, & Creticum, crudelitate piraticâ.* AMP. *Dii immortales! non confido mihi ipſi: adeo commemorat accuratè omnia quæ ſunt geſta illic: vide, Blepharo.* BL. *Unum reſtat ut id ſit, Eſtote duo Amphitryones.* JUP. *Novi quid dicas: nimirum loqueris de illâ cicatrice quam habeo in muſculo* brachii *dextri, ex illo vulnere quod Pterela mihi inflixit.* BL. *Loquor de eâ.* AMP. *Loqueris commodè.* JUP. *Eamne vides? Ecce illam, aſpice.* BL. *Detegite eam, ut eam aſpiciam.* JUP. *Deteximus, conſpice.* BL. *Supreme Jupiter, quid intueor!* Cicatrix *apparet clarè in muſculo* brachii *dextri utriuſque, eodem in loco, eodem ſigno, quemadmodum incipit obduci ſubrufa & ſublivida. Rationes hærent, judicium eſt anceps, neſcio quid ſtatuam.*

ANNOTATIONES.

49. *Gorgophones nepos.*] *Nepos* hoc loco non ita propriè: Gorgophone enim erat amita Amphitruonis, Perſei & Andromedæ filia. Porrò *nepos* dicitur de prole, quæ rectâ lineâ ab alio deſcendit.

ACTUS QUARTUS. SCENA QUINTA.

ARGUMENTUM.

BLEPHARO in hac Scena, quæ eſt aliàs tertia hujus Actus, detrectata Provincia dijudicandæ contentionis inter Jovem & Amphitryonem motæ, Scenam deſerit. Jupiter & ipſe ſtatim, deſerta Scena, Jupiter demigrat ad partum Alcmenæ. Relictus in Scena Amphitryo, deplorat vicem ſuam, & ultionem parat, non illam comicam, ſed verè tragicam. Itaque finis adeſt Epitaſeos & turbarum.

BLEPHARO, AMPHITRYO, JUPITER.

BLEPHARO.

VOs inter vos partite; ego abeo, mihi negotium eſt.
Neque ego unquam uſquam tanta mira me vidiſſe cenſeo.
AM. Blepharo! quæſo, ut advocatus mihi aſſis, néve abeas.
BL. vale.
Quid opus me advocato, qui utri ſim advocatus neſcio?
JUP. Intrò ego hinc eo. Alcumena parturit. *AM.* Perii miſer!
Quid ego, quem advocati jam atque amici deſerunt?
Nunquam edepol me inultus iſtic ludificabit, quiſquis eſt.
Nam jam ad regem rectà me ducam, réſque ut facta eſt eloquar!
Ego pol illum ulciſcar hodie Theſſalum veneficum,

INTERPRETATIO.

BLE. *Vos diſceptate rem inter vos; ego abeo, mihi eſt negotium. Neque ego puto me vidiſſe unquam uſpiam tam ſtupenda.* AMP. *Blepharo, obſecro ut mihi ſis patronus, & ne abeas.* BLE. *Vale. Quid opus eſt me patrono? Non video utri ſim patronus.* JUP. *Vado hinc in ædes: Alcmena parturit.* AMP. *Interii infœlix! quid ago, quem patroni atque neceſſarii relinquunt. Per ædem Pollucis, iſte quicumque tandem eſt, nullo modo illudet mihi impunè. Etenim me conferam rectà ad Regem* Creontem, *& edicam ſicut res eſt geſta. Per ædem Pollucis, ego repetam ultionem de illo præſtigiatore Theſſalo.*

ANNOTATIONES.

1. *Partite.*] *Componite.* De controverſia quam in poſtremo inter utrumque Amphitryonem fingit motam, id dicit.

5. *Intrò hinc eo.*] Jupiter ſic, quaſi probaſſet ſe eſſe verum Amphitryonem, officiis mariti occupatis, ad Alcmenam parturientem ingreditur.

8. *Regem.*] Creontem Thebanorum Regem.

9. *Theſſalum.*] Theſſali veneficiis diti, niſi ſit hic nomen proprium.

Qui perverſè perturbavit familiæ mentem meæ.
Sed ubi ille eſt? intrò edepol abiit, credo, ad uxorem meam.
Qui me Thebis alter vivit miſerior? quid nunc agam?
Quem omnis mortales ignorant, & ludificant, ut lubet.
Certum eſt, intrò rumpam in ædibus, ubi quemque hominem aſpexero,
Sive ancillam, ſive ſervum, ſive uxorem, ſeu adulterum;
Seu patrem, ſive avum videbo, obtruncabo in ædibus.
Neque me Juppiter, neque dî omnes id prohibebunt, ſi volent;
Quin ſic faciam uti conſtitui. pergam in ædibus nunc jam.

INTERPRETATIO.

qui evertit funditùs mentem meæ familiæ. Sed ubi eſt ille? Per ædem Pollucis, ingreſſus eſt in ædes, puto, ad conjugem. Quis eſt alius Thebis infortunatior me? Quid moliar nunc, quem cuncti homines ignorant & irrident, ut placet? Eſt certum irrumpere in ædes, in quibus quemcumque animadvertero, ſive ſervum, ſive famulam, ſive conjugem, ſive mœchum, ſive patrem, ſive avum deprehendam, obtruncabo; neque Jupiter, neque univerſi dii impedient, ſi volent, quominùs id perpetrem ſicut propoſui. Vado nunc in ædes.

ACTUS QUINTUS.

ARGUMENTUM.

IN quinto Actu eſt cataſtrophe, ſeu ſolutio Fabulæ, in qua ipſe Jupiter aperit ſe fuiſſe eum à quo ludificata eſt univerſa Amphitryonis familia ſub ſpecie Amphitryonis, ſuumque eſſe filium Herculem recens natum.

ACTUS QUINTUS. SCENA PRIMA.

ARGUMENTUM.

NASCENTE Hercule Jupiter tonat, quaſi ad audientiam faciendam, ut aperiat qui ſit, & finem faciat fruſtrationum errorumque in familia Amphitryonis. Tonitru perterrefactâ totâ Amphitryonis familiâ, concidit ipſe Amphitryo, & in Scena jacet exanimatus metu. Bromia prodit in Scenam, excitat Amphitryonem, erigit, narrat quod in poſtſcenio geſtum eſt. Agnoſcit demum Amphitryo amores Jovis cum ſua uxore, & eſſe cum illo deo dividendam prolem nuper editam.

BROMIA ancilla, AMPHITRVO.

BROMIA.

SPes atque opes vitæ meæ jacent ſepultæ in pectore,
Neque ulla 'ſt confidentia jam meo in corde quin amiſerim;
Ita mihi videntur omnia, mare, terra, cælum conſequi,
Jam ut opprimar, ut enecer. me miſeram! quid agam neſcio.
Ita tanta mira in ædibus ſunt facta. væ miſeræ mihi!
Animo malè' ſt. aquam velim! corrupta ſum atque abſumpta ſum.
Caput dolet, neque audio, neque oculis proſpicio ſatis,
Nec me miſerior fœmina eſt, neque ulla videatur magis.
Ita heræ meæ hodie contigit. nam ubi parturit, deos ſibi invocat.
Strepitus, crepitus, ſonitus, tonitrus: ut ſubitò, ut properè, ut validè tonuit!
Ubi quiſque inſtiterat, concidit crepitu. ibi neſcio-quis maximâ
Voce exclamat: Alcumena! adeſt auxilium: ne time:
Et tibi, & tuis propitius, cæli cultor advenit.
Exſurgite, inquit, qui terrore meo occidiſtis præ metu.
Ut jacui, exurgo. ardere cenſui ædis; ita tum confulgebant.
Ibi me inclamat Alcumena: jam ea res me horrore afficit.
Herilis prævertit metus. ocyus accurro, ut ſciſcam quid velit:

INTERPRETATIO.

BRO. *SPes & præſidia meæ vitæ jacent extincta in animo, neque eſt ulla fiducia jam in meâ mente quam non perdiderim. Univerſa, mare, terra, cælum videntur me oppugnare, ut me obruant, ut me extinguant infœlicem! Neſcio quid moliar, adeò multa ſunt geſta ſtupenda in ædibus. Væ mihi miſeræ! animus deficit. Velim aquam. Sum perdita atque confecta. Caput dolet, neque audio, neque video ſatis oculis, nec eſt mulier calamitoſior me; neque ulla eſt magis infœlix. Hoc contigit hodie meæ heræ. Nam quando parit, implorat deos ſibi; auditur ſtrepitus, crepitus, tumultus; tonitru quàm repente, quàm celeriter, quàm vehementer detonuit! Ubi quivis ſteterat, corruit ſtrepitu afflictus. Tum* „ *Neſcio-quis inclamat ita altâ voce:* Alc„mena, adeſt auxilium, ne formida; Rex „Olympi deſcendit & pro te & pro tuis. „Expergiſcite, ait, qui corruiſtis à me per„terrefacti. *Exurge de loco in quo afflicta erâ. Putavi tecta cõflagrare; adeò ſplendida erant tunc temporis. Ibi Alcmena me vocat, tum id me perculit terrore, metus herilis prævalet, accurro velociter ut reſciâ quid velit.*

ANNOTATIONES.

6. *Animo malè eſt.*] id eſt, *deliquium animi ſentio, animus deficit.* Donatus: *Animo malè fieri dicitur, cùm ictu alicujus mœroris perculſus animus non ſuſtinet corpus, ſequitúrque ruina membrorum.* Addere potuiſſet Donatus, ad ictum mœroris graviorem; quemvis animi affectum; imo & cor malè affectum, ex motu aliquo noxii humoris.

Ibid. *Aquam velim.*] Aſperſâ aquâ recreatur animus deliquio laborans.

9. *Deos ſibi invocat.*] In puerperio Juno Lucina invocari ſolita.

Atque illam geminos filios pueros peperiſſe conſpicor:
Neque noſtrûm quiſquam ſenſimus quum pepetit: neque prævidimus.
Sed quid hoc? quis hic eſt ſenex,
Qui ante ædis noſtras ſic jacet? numnam hunc percuſſit Juppiter?
Credo edepol! nam proh Juppiter, ſepultu'ſt, quaſi ſit mortuus.
Ibo, & cognoſcam quiſquis eſt. Amphitruo hic quidem herus meus.
Amphitruo! *AM.* perii. *BR.* ſurge! *AM.* interii. *BR.* cedo manum. *AM.* quis me tenet?
BR. Tua Bromia ancilla. *AM.* totus timeo, ita me increpuit Juppiter.
Nec ſecus eſt, quàm ſi ab Acherunte veniam. ſed quid tu foras
Egreſſa es? *BR.* eadem nos formido timidas terrore impulit
In ædibus, ubi tu habitas, nimia mira vidi. væ mihi
Amphitruo! ita mihi animus etiam nunc abeſt. *AM.* agedum expedi.
Scin' me tuum eſſe herum Amphitruonem? *BR.* ſcio. *AM.* vide etiam nunc? *BR.* ſcio!
AM. Hæc ſola ſanam mentem geſtat meorum familiarium.
BR. Imò omnes ſani ſunt profectò. *AM.* at me uxor inſanum facit
Suis fœdis factis. *BR.* at ego faciam, tu idem ut aliter prædices,
Amphitruo; piam & pudicam eſſe tuam uxorem ut ſcias.
De eâ re ſigna atque argumenta paucis verbis eloquar.
Omnium primùm Alcumena geminos pepetit filios.

INTERPRETATIO.

At video illam ediđiſſe in lucem duos geminos pueros filios. neque quiſquam noſtrûm ſenſit quando edit, neque prævidimus. Sed quid hoc? quis eſt hic ſenex qui ſic ſternitur ante noſtras ades? An Jupiter hunc perculit? Credo per ædem Pollucis, inam proh Jupiter! eſt fuſus quaſi ſit mortuus. Accedam, & videbo quis ſit. Profectò ille eſt meus herus Amphitryo. AMP. *Perii.* BRO. *Expergiſce.* AMP. *Occidi.* BRO. *Cedo manum.* AMP. *Quis me comprehendit?* BRO. *Tua ancilla Bromia.* AMP. *Totus perhorreſco, adeò Jupiter me perterrefecit. Non eſt ſecus quàm ſi revertar ab inferis. Sed quare exiſti foras?* BRO. *Idem terror nos labefactavit trepidas terrore. Vidi prodigia ſtupenda in ædibus in quibus tu habitas. Væ mihi Amphitryo! mens deficit etiamnum.* AMP. *Agedum explica rem. Cognoſcis me eſſe Amphitryonem tuum herum?* BRO. *Cognoſco.* AMP *Vidé ne etiamnum?* BRO. *Video.* AMP. *Hæc ſola meorum domeſticorum habet mentem ſanam.* BRO. *Imò cuncti ſapiunt proculdubio.* AMP. *Sed conjux me adigit ad inſaniam ſuis obſcœnis facinoribus.* BRO. *At ego aſſequar ut ipſe dicas aliter Amphitryo, ut cognoſcas tuam conjugem eſſe ſanctã, caſtam, edicam indicia atque teſtimonia de eâ re breviter. Primùm omnium Alcmena protulit geminos filios.*

ANNOTATIONES.

36. *Geminos.*] Tacitus: *Nulli Romanorum ſummi faſtigii viro ante Druſum gemina ſtirps ſimul edita.*

AM. Ain' tu geminos? *BR.* geminos. *AM.* dî me ſervant. *BR.* ſine me dicere,
Ut ſcias tibi tuæque uxori deos eſſe omnes propitios.
AM. Loquere. *BRO.* poſtquam parturire hodie uxor occœpit tua,
Ibi utero exorti dolores, ut ſolent puerperæ:
Invocat deos immortalis, ut ſibi auxilium ferant,
Manibus puris, capite operto. ibi continuò contonat
Sonitu maximo. ædes primò ruere rebamur tuas.
Ædes totæ confulgebant tuæ, quaſi eſſent aureæ.
AM. Quæſo abſolvito hinc me extemplò, quando ſatis deluſeris.
Quid fit deinde? *BRO.* dum hæc aguntur, interea uxorem tuam
Neque gementem, neque plorantem noſtrûm quiſquam audivimus,
Ita profectò ſine dolore peperit. *AM.* jam iſtuc gaudeo,
Utut erga me eſt merita. *BRO.* iſtæc mitte, atque hæc quæ dicam accipe:
Poſtquam peperit pueros, lavare juſſit nos. occœpimus.
Sed puer ille quem ego lavi, ut magnus eſt, & multum valet?
Neque eum quiſquam colligare quivit incunabulis.

INTERPRETATIO.

AMP. *Diciſne tu geminos?* BRO. *Geminos.* AMP. *Dii mihi favent.* BRO. *Sine me dicere, ut intelligas omnes deos tibi eſſe amicos, & tuæ conjugi.* AMP. *Loquere.* BRO. *Poſtquam tua conjux cœpit hodie parturire, ibi dolores egreſſi utero, ut conſueverunt puerperæ, implorat deos immortales manibus lotis, capite involuto, ut ſibi præbeant opem. Ibi ſtatim tonat ingenti ſtrepitu. Primò arbitrabamur tuam domum concidere, univerſa tua ædes collucebant quaſi eſſent aurea.* AMP. *Obſecro, dimitte me hinc celeriter, quando ſatis deriſeris. Quid actum eſt poſtea?* BRO. *Interim dum hæc aguntur, nemo noſtrûm audivit tuam conjugem aut ejulantem aut lacrymantem: ſic profectò edidit partum ſine dolore.* AMP. *Jam lætor de illo, quidquid ſit de me commerita.* BRO. *Prætermitte iſta, atque audi hæc quæ loquar. Poſtquam edidit pueros, nos imperavit lavare; ſumus obſecuti: Sed quàm infans ille quem ablui eſt magnus! quàm validus! nullus potuit illum colligare incunabulis.*

ANNOTATIONES.

41. *Puris manibus.*] Illotis & pedibus & *manibus*, ad aras & ſacra accedere nefas erat. *Puræ* autem *manus* dicebantur, quæ flumine vivo abluebantur. Virgilius:

Donec me flumine vivo —— Abluero.

Puras à ſcelere *manus* in oratione Chriſtianâ Paulus appellat, *levantes puras manus.*

Ibid. *Capite operto.*] Hic adorantium erat ritus. Accedebant ad ſigna deorum, capite operto, mox à dextris convertebant ſeſe in gyrum, deinde procumbebant ſeu in genua, ſeu toto corpore, ſeu in genua & vultum, poſteà manum dextram ori admovebant. tum oſculum imprimebant ori Numinis: denique conſidebant. Ab oſculo manus & ſigni dicta eſt præſertim *adoratio.* Aperto verò capite diis tribus Saturno, Herculi, Honori, ſupplicabant.

52. *Incunabulis.*] Hoc differunt *cunæ* ab *incunabulis*, quòd *cunæ* lectus ſit puerilis; *incunabula* ſtrata, involucra, faſciæ, operimenta, promiſcuè tamen nonnunquam accipiuntur. Idem Plautus in Truculento,

Faſciis opus eſt, pulvinis, cunis, incunabulis;

ubi *cunæ* & *incunabula* ſeorſim.

AM. Nimia mira memoras! ſi iſthæc vera ſunt, divinitus
Non metuo quin meæ uxori latæ ſuppetiæ ſient.
BRO. Magis jam faxo mira dices. poſtquam in cunas conditu 'ſt,
Devolant angues jubati deorſum in impluvium duo
Maximi: continuò extollunt ambo capita. *AM.* hei mihi!
BRO. Ne pave. ſed angues oculis omnis circumviſere,
Poſtquam pueros conſpicati, pergunt ad cunas citi.
Ego cunas receſſim rurſum vorſum trahere & ducere,
Metuens pueris, mihi formidans: tantóque angues actiùs
Perſequi. poſtquam conſpexit angues ille alter puer,
Citus è cunis exilit, facit rectâ in anguis impetum:
Alterum alterâ apprehendit eos manu perniciter.
AM. Mira memoras! nimis formidoloſum facinus prædicas!
Nam mihi horror membra miſero percipit dictis tuis.
Quid fit deinde? porrò loquere. *BRO.* puer ambo angues enicat.
Dum hæc aguntur, voce clarâ exclamat uxorem tuam.
AM. Quis homo? *BRO.* ſummus imperator divûm atque hominum Juppiter.
Is ſe dixit cum Alcumenâ clàm conſuetum cubilibus,
Eúmque filium ſuum eſſe qui illos angues vicerit:
Alterum tuum eſſe dixit puerum. *AM.* pol me haud pœnitet
Scilicet boni dimidium mihi dividere cum Jove.
Abi domum, jube vaſa pura actutum adornari mihi,
Ut Jovis ſupremi multis hoſtiis pacem expetam.

INTERPRETATIO.

AMP. *Commemoras nimis ſtupenda. Si hæc ſunt vera, non timeo ne non latum ſit auxilium conjugi* BRO *Efficiam mox ut fatearis eſſe magis ſuſpicienda, poſtquam poſitus eſt in cunis: duo ſerpentes immanes deſcenduntab alto per impluvium; continuò erigunt ambo caput.* AMP. *Hei mihi!* BRO. *Poſtquam ſunt intuiti pueros, contendunt citò ad incunabula. Ego amovere & abducere cunas retrò ultrò citróque metuens pueris, formidans mihi, ſerpentes incurrere tantò ardentiùs. Poſtquam ille alter puer vidit ſerpentes, exilit ſtatim è cunis, facit impetum rectà in ſerpentes, invaſit velociter eos alterum alterâ manu,* AMP. *Refers ſtupenda! dicis factum nimis metuendum; nam horror mihi percellit artus ad tua verba. Quid fit deinde? Dic præterea.* BRO. *Puer elidit duos ſerpentes. Dum hæc geruntur, inclamat tuam conjugem voce clarâ.* AMP. *Quis homo?* BRO. *Jupiter ſummus princeps deorum atque hominum. Is aperuit ſe habuiſſe conſuetudinem furtivam cum Alcmenâ, eúmque puerum eſſe ſuam prolem qui jugulavit illos ſerpentes. Dixit alterum puerum eſſe tuum.* AMP. *Per Pollucem haud me pœnitet, nimirum partiri cum Jove bona ex æquo. Proficiſcere domum. Impera mihi adornari ſtatim vaſa pura, ut placem ſupremum Jovem cum pluribus victimis.*

ANNOTATIONES.

56. *Impluvium.*] qua deorſum area domûs lumen admittebat, atque adeò pluviam, *impluvium* dicebatur.

Ego Tireſiam conjectorem advocabo, & conſulam,
Quid faciendum cenſeat, ſimul hanc rem ut facta eſt eloquar.
Sed quid hoc? quàm validè tonuit! dî obſecro veſtram fidem!

INTERPRETATIO.

Ego accerſam Tireſiam vatem, & percontabor quid exiſtimet eſſe agendum. Uno tempore prædicabo hanc rem, ut eſt facta. *Sed quid hoc? ô quàm tonuit validè! dii obteſtor veſtram fidem.*

ANNOTATIONES.

76. *Ego Tireſiam advocabo.*] Species pro genere, quaſi dicat, *Tireſiam aliquem advocabo, divinandi arte apprimè inſtructum.* In quo & id notandum, quòd Thebanus quidem Tireſias vates fuit, ſed longè poſt tempora nati Herculis, videlicet bello Trojano floruit. Itaque & hic anachroniſmus eſt.

ACTUS QUINTUS. SCENA SECUNDA.

ARGUMENTUM.

SILENTIO per tonitru facto, rem enodat univerſam ipſe Jupiter. Fata Herculis aperit, & in antiquam concordiam cum Amphitryone reducit Alcmenam.

IUPITER.

BONO animo! aſſum auxilio, Amphitruo, tibi & tuis.
Nihil eſt quod timeas. hariolos, haruſpices
Mitte omnis: quæ futura & quæ facta, eloquar.
Multò adeò melius, quàm illi, quum ſim Juppiter.
Primùm omnium Alcumenæ uſuram corporis
Cepi, & concubitu gravidam feci filio.
Tu gravidam item feciſti, quum in exercitum
Profectus, uno partu duos peperit ſimul.
Eorum alter, noſtro qui eſt ſuſceptus ſemine,

INTERPRETATIO.

JUP. *Eſto æquo animo. Præſto ſum auxilio, Amphitryo, tibi & tuis. Eſt nihil quod pertimeſcas. Noli vocare ullos hariolos aut haruſpices: aperiam quæ ſunt futura, & quæ facta; multò adeò diſertiùs quàm illi; quandoquidem ſum Jupiter.* *Primùm omnium habui conſuetudinem cum Alcmenâ, & conſuetudine eſt facta prægnans puero; eſt facta etiam gravida ex te, quando iviſti ad bellum, edidit geminos unà uno partu, alter eorum qui procreatus eſt noſtro ſanguine,*

ANNOTATIONES.

2. *Hariolos.*] dictus *hariolus*, quaſi *fariolus* à *fando*, ſeu *aperiendo res occultas.*

Ibid. *Haruſpices.*] Donatus: *Haruſpex ab* haruga *derivatur, quæ eſt hoſtia, ab* hara, *in quâ concluditur & ſervatur.*

3. *Mitte omnes hariolos.*] id eſt, *omitte vocare*, ſeu *ne voca:* neque enim vocaverat ut dimittere poſſet.

Suis

Suis factis te immortali afficiet gloriâ.
Tu cum Alcumenâ uxore antiquam in gratiam
Redi. haud promeruit, quamobrem vitio vorteres.
Meâ vi ſubacta eſt facere. ego in cælum migro.

INTERPRETATIO.

te cumulabit ſempiternâ gloriâ ſuis factis. Tu revertere in priſtinam concordiam cum Alcmenâ conjuge. Haud digna fuit, quamobrem tribueres crimini quod fecit : *eſt coacta facere meâ vi : ego repeto cælum.*

ANNOTATIONES.

13. *Meâ vi.*] Mentitur hîc Jupiter in gratiam Alcmenæ ; neque enim coacta eſt, ſed deluſa imagine Amphitryonis ; quam Jupiter aſſumpſit.

ACTUS QUINTUS. SCENA TERTIA.

ARGUMENTUM.

ACcipit omen Amphitryo, & finem adeſſe turbarum, fruſtrationum, errorum, malorum omnium lætatus, redit in gratiam cum Alcmenâ.

AMPHITRUO.

FACIAM ita ut jubes, & te oro promiſſa ut ſerves tua.
Ibo ad uxorem intrò. miſſum facio Tireſiam ſenem.
Nunc ſpectatores Jovis ſummi cauſsâ clarè plaudite.

INTERPRETATIO.

AMP. *FAciam ſicut præcipis, & te obſecro, ut ſtes tuis pollicitationibus. Ingrediar ad conjugem, non vocabo ſenem Tireſiam. Tandem, Spectatores, edite magnum plauſum ſummi Jovis gratiâ.*

ANNOTATIONES.

2. *Miſſum facio Tireſiam ſenem.*] id eſt *omitto vocare, non vocabo.*

3. *Plaudite.*] Solemne verbum ab eo cujus erat Scenam claudere, dici ſolitum.

FINIS AMPHITRYONIS.

M. ACCII PLAUTI
ASINARIA.

ARGUMENTUM.

DEMÆNETUS Athenienſis, Stratonis filius, Artemonam, luculentæ dotis fœminam, habuit uxorem. Hoc autem erat in more poſitum apud Veteres, ut uxores quibus erat dos amplior, haberent peculiarem ſervum, quem peculiari nomine *Dotalem* appellabant, ad eam adminiſtrandam, citra viri arbitrium. Saurea erat Atrienſis ſervus Artemonæ, moribus dominæ ſuæ ſimillimus, id eſt intolerandis. Demæneti & Artemonæ filius unus fuit Argyrippus: ſervi duo, Libanus & Leonida. Argyrippus amabat Philenium meretricem, Cleæretæ lenæ alumnam ac diſcipulam. Quamdiu eſt pecunia Argyrippo, liber eſt ei ad Philenium aditus; ſed eâ exhauſtâ, à Cleæreta lena intercluditur uſque eò dum minas viginti afferat, ut ſolus Philenium in annum integrum habeat. Itaque omnem lapidem movet Argyrippus, ut eam pecuniam quoquomodo comparet. Ad auxilium vocat Libanum & Leonidam, ſervos duos longè fraudulentiſſimos, & ipſi patri Demæneto & amores ſuos detegit, & mercedem minarum viginti cum Cleæreta pactam ab eo rogat. Demænetus, communicato cum Libano conſilio, quoniam de ſua re non poteſt ab uxore accipere hanc mercedem, ſtatuit, & quia alia nulla ratione poteſt, dolo intercipere, aggreditur. Libanus circumveniendi Saureæ Provinciam in ſeſe recipit: quod eò facilius aſſequitur, quod idem Saurea vendiderat aliquot aſinos mercatori Pellæo minis viginti. Is cùm non eſſet otium, miſit juvenem à Pella urbe ad Sauream ad minas viginti diſſolvendas: qui quidem Mercatoris ſervus cùm non noſſet Sauream ex vultu, ſed Demænetum quem Saureæ herum exiſtimabat, incidit fortè fortuna in Leonidam, cui cùm cauſam adventus ſui indicaſſet, ſe eſſe Sauream profitetur. Negat Mercator ſe noſſe Sauream, & ſe daturum pecuniam, niſi aut Demæneto quem noſſet, aut cui mandaret Demænetus. Interim adeſt Demænetus, qui quidem Mercatori confirmat Leonidam eſſe Sauream. Itaque minæ viginti Leonidæ numerantur, ſed ea conditione dandæ, ut in præmium mendacii &

fraudis Demæneto, & cœnare cum Philenio, & una nocte eſſe cum Philenio liceat. Conditionem accipit Argyrippus: ſed libidinoſi ſenis & edentuli amatoris ſpes fallitur. Nam intereadum excluſus fuit à Cleæretâ Argyrippus, nec ſpes eſſet ulla minarum viginti pactarum inveniendarum, Diabolus Glauci filius, & ipſe captus amore Philenii, pacta eadem mercede à Cleæreta admittitur. Quod ut firmius ſit, in ſyngrapham referuntur leges & conditiones hujus pacti à Paraſito Diaboli; quibus ſcriptis quidem, ſed nondum ſubſignatis, accipit Diabolus quidquid geſtum eſt à Demæneto, pactam cœnam, pactam noctem. Diabolus, ad perturbandos Demæneti amores, ſuumque dolorem ulciſcendum, adempta Philenio amica, mandat Paraſito ut nuntiet Artemonæ quæ gerantur, & in ipſum luſtrum Artemonam deducat, ubi Artemonam, Demænetum, Philenium, Argyrippum, & Cleæretam cœnantes deprehendit, maledictis inceſſit, fugat.

Hæc Fabula vocatur *Aſinaria*, à pretio aſinorum; quæ merces facta eſt meretricia. Demophilus ſcripſit Græcè, & appellavit Ὀναγὸν ſeu Ὀνηγὸν, *Ductorem aſinorum*, quia quatuor conſpirant ad defraudandum juvenem Pellæum, qui pretium aſinorum Saureæ afferebat; Demænetus, Argyrippus, Libanus, Leonida. Plautus vertit Latinè è Demophilo, Græcè periit. Ab initio Fabulæ ad Scenam ſecundam Actus ſecundi, patet *Protaſis*; à Scena ſecunda Actus ſecundi ad Scenam ſecundam Actus quarti, eſt *Epitaſis*; à Scena ſecunda Actus quarti ad finem, eſt *Cataſtrophe*.

In hac Fabula Argyrippus præbet dorſum ſervis ſuis, quaſi equus, ut pecuniam utriuſque fraudibus ab Atrienſi Saurea ſurreptam, ab iis accipiat: & inde putavi nomen ejus eſſe à Poëta confectum: ἀπὸ τοῦ ἀργυρείου ϗ ἵππου. *Mores* hujus Fabulæ ſunt, quòd LIBIDO DE HOMINIBUS BELLUAS FACIT.

SCENA EST ATHENIS.

PERSONÆ.

PROLOGUS.

DEMÆNETUS, ſenex Athenienſis.

ARTEMONA, Uxor Demæneti.

ARGYRIPPUS, Adoleſcens, filius Demæneti & Artemonæ.

LIBANUS, }
LEONIDA, } Servi Dæmeneti.

MERCATOR aſinorum Pellæus anonymus.

CLEÆRETA, Lena.

PHILENIUM, Meretrix.

DIABOLUS, Adoleſcens, Glauci filius, Rivalis Argyrippi.

PARASITUS Diaboli, anonymus.

GREX.

PERIOCHA ACROSTICHA.

AMANTI argento filio auxiliarier
Sub imperio vivens volt ſenex uxorio.
Itaque ob aſinos relatum precium Saureæ
Numerarier juſſit ſervolo Leonidæ.
Ad amicam id fertur. cedit noctem filius
Rivinus amens ob præreptam mulierem;
Is rem omnem uxori per Paraſitum nuntiat.
Accurrit uxor, ac virum è luſtris rapit.

INTERPRETATIO.

SEnex Demænetus *vivens ſub legibus uxoris* Artemonæ, *optat favere amoribus* Argyrippi *filii data pecunia. Itaque* Demænetus *mandat ſervo Pellao, qui afferebat precium aſinorum Saurea*, à quo illos emerat, *numerari illam* pecuniam *Leonida* ſuo *ſervo. Illa pecunia defertur ad* Philenium *amicam* Argyrippi. *Conſentit* Argyrippus Philenium eſſe unà *nocte* cum Demæneto patre. Diabolus *rivalis* & patris & filii, *iratus ob præreptam amicam* Philenium, *detegit omnem rem* Artemonæ *uxori* Demæneti *per ſuum paraſitum. Artemona advolat, ac trahit Demænetum maritum è luſtro.*

ANNOTATIONES.

2. *Sub imperio uxorio.*] γυναικοκρατούμενος.

5. *Cedit noctem.*] Sic honeſtè res turpis obvelatur.

6. *Rivinus.*] *Rivalis*, ἀντίζηλος. Propriè dicuntur *rivales*, agricolæ quorum agros aquæ intermediæ rivus dividit & rigat: & ut ferme rixa eſt illis uter derivet in ſuas ſegetes aquam, inde nata metaphora. Cicero: O *dii! quàm ineptus! quàm ſeipſum amans ſine rivali!*

7. *Is rem omnem.*] Alii, *it, rem omnem nuntiat.*

PROLOGUS.

ARGUMENTUM.

IN Prologo attentionem rogat Poëta, idque voce præconis, & Argumentum *Aſinariæ* breviter proponit.

HOc agite, ſultis, ſpectatores, nunc iam,
Quæ quidem mihi atque vobis res vertat benè,
Gregíque huic & dominis, atque conductoribus,
Face jam nunc tu, præco, omnem auritum poplum.
Age nunc reſide: cave modò ne gratiis.
Nunc quid proceſſerim huc, & quid mihi voluerim,
Dicam; ut ſciretis nomen hujus Fabulæ.
Nam quod ad argumentum attinet, ſatis breve 'ſt.
Nunc quod me dixi velle vobis dicere,
Dicam: Huic nomen Græcè Onagos (Onagoſt) Fabulæ.
Demophilus ſcripſit, MARCUS vortit barbarè.

INTERPRETATIO.

ATtendite hac modò, ſpectatores, ſi placet, quod quidem mihi cedat feliciter, & vobis, & huic cœtui Scenicorum, *& dominis & conductoribus* hiſtrionum, *Tu, præco, fac modò univerſam plebem attentam. Age jam*, factis ſpectatoribus attentis: *conſede, vide nunc ne* taceas & reſideas *ſine mercede. Jam apertum quamobrem prodierim huc, & quid mihi propoſuerim.* Huc proceſſi, *ut teneretis nomen hujus Comœdiæ. Etenim quod ſpectat ad argumentum, ſanè eſt contractum. Jam patefaciam id quod dixi me velle vobis patefacere nomen hujus Comœdiæ eſt* DUCTOR ASINORUM. *Demophilus compoſuit, Plautus interpretatus eſt linguâ Romanâ.*

ANNOTATIONES.

1. *Hoc agite.*] id eſt, *Ad hanc Comœdiam animos attentos præbete.* Loquendi formula quâ uti ſolebant qui ſeſe ad ſacrificandum accingebant apud Ethnicos, ad imperandam attentionem: hinc à ſacris ad ſeria & attentione digna tranſlatum dictum, *Hoc age, hoc agite*, id eſt, *ad ea quæ aguntur nunc animos advertite. Aliud agere* eſt contrarium.

Jam.] *Jam* diſſolutione poëtica pronuntiandum ut ſit *i* vocalis & pes iambus; nam verſus eſt ſenarius.

Sultis.] *Si vultis*, eſt forma loquendi quâ lenitur imperandi modus, *agite*, in quo eſt nonnihil autoritatis, quod repugnat urbanitati.

3. *Gregique.*] *hiſtrico*, id eſt, *Comœdis.*

Dominis & conductoribus.] *Ædilibus*, quorum erat cura ſcenicorum ſpectaculorum, & iis qui ludos è ſuâ re exhibent; *qui donnoient la Comedie au peuple.*

4. *Face.*] Alii *exci*, id eſt, *excita*: alii, *ecce*, ſed *ecce* propagatum à veterum codicum & manuſcriptorum errore, in quibus *ence* pro *face*, mutato F majuſculo in E; quod *ence* eſt perperam emendatum, *ecce.*

5. *Reſide, cave modò ne gratiis.*] id eſt, *gratis.* Jubet modò ſilere præconem, & uno tempore hominis notat cupiditatem, quaſi dicat: *Vos, præcones, nec gratis clamatis, nec gratis tacetis.* Quo alludit Cic. *Nec mirum ſi is qui vocem venalem habuerat, ea, qua voce quæſierat, magno ſibi quæſtui fore putabat.* Hîc verò admonet Comicus, ne præco mercedem expectet ut taceat. Martialis:

——— *Vis, garrule, quantum*
Accipis ut clames, accipere ut taceas?

Alii legunt *graxis* à *graxo*, quod à κϱάζω *clamo.* Lucret.

Aut morbo delirantes procraxe feruntur.

10. *Onagos.*] ὄναγος & ὀνηγός, *aſinarum ductor. Onagoſt*, id eſt, *Onagos eſt.*

11. *Barbarè.*] Latinè. Græcis, apud quos eſſe Scena fingitur, erant *barbari* Romani, & Romanis Græci. *Barbarus* autem hoc loco ſignificat *un étranger.*

Asinariam volt eſſe, ſi per vos licet.
Ineſt lepos, ludúſque in hâc Comœdiâ.
Ridicula res eſt, date benignè operam mihi,
Ut vos item aliàs, pariter nunc Mars adjuvet.

INTERPRETATIO.

Vult appellari Asinariam, *ſi per vos illi concedatur. Eſt in hác Fabulá feſtivitas & ludus, eſt res riſu digna. Attendite hanc benignè. Oro Martem ut vobis ſit præſidio nunc, ſicut fuit aliàs.*

ANNOTATIONES.

15. *Ut vos Mars adjuvet.*] Eſt adjuratio religioſa, quaſi dicat: *Sicut vos dabitis operam, ſeu attentè audietis, precor ut vos etiam Mars adjuvet. Ut* pro *ſic.*

ACTUS PRIMUS.

ARGUMENTUM.

IN Actu primo eſt tota ferme *Protaſis* Fabulæ: nam in eo & Cleæreta convenit cum Argyrippo de minis viginti accipiendis pro Philenio in annum, & Demænetus cum Libano de circumveniendo Saurea Atrienſi Artemonæ iiſdem minis viginti, & quod in *Protaſi* Dramatici præſtare ſtudent, conſilium Operis breviter proponitur.

ACTUS PRIMUS. SCENA PRIMA.

ARGUMENTUM.

ARGYRIPPUS rejectus à Cleæreta detexerat Demæneto patri acceptam contumeliam & pactum cum lena initam, ut eſſe cum Philenio liceret per annum integrum. Demænetus pollicitus fuerat filio minas viginti, & ad circumveniendum eâ pecuniâ Sauream, jam præmiſerat ſervum fraudulentiſſimum Leonidam. Hæc in poſtſcenio. In hac Scena Demænetus idem cum Libano & deliberat & ſtatuit. Provinciam ſtruendæ fraudis in ſeſe recipit Libanus. Ab 8 verſu eſt religio adjurationum, etiam apud Ethnicos. Ab 49 in Demæneto adumbratur pater longè flagitioſiſſimus. 74. Calamitas virorum quorum uxores conſciæ ſunt dotis uberioris.

DEMÆNETUS, LIBANUS.

LIBANUS.

SIcut tuum vis unicum gnatum tuæ
Supereſſe vitæ, ſoſpitem & ſuperſtitem;
Ita te obteſtor, per ſenectutem tuam,
Perque illam quam tu metuis uxorem tuam,
Si quid med erga tu hodie falſum dixeris,
Ut tibi ſuperſtes uxor ætatem ſiet:
Atque illâ vivâ vivus ut peſtem oppetas!
DE. Per deum Fidium quæris: jurato mihi
Video neceſſe eſt eloqui, quicquid roges,
Ita me obſtinatè aggreſſus, ut non audeam
Profectò, percunctanti quin promam omnia.
Proinde actutum iſtud quid ſit, quod ſcire expetis,
Eloquere: ut ipſe ſcibo, te faciam ut ſcias.

INTERPRETATIO.

LIB. *SIcut exoptas tuum filium unicum tibi eſſe ſuperſtitem, ſalvum & incolumem, ſic te obſecro* per deum Fidium, *per tuam ſenectutem, & per illam conjugem quam tu formidas* adeò, ut mihi verum dicas; *ſi mihi protuleris hodie quidpiam falſi, precor ut uxor tibi ſit ſuperſtes diu, & ut vivus diſpereas illâ vivâ.*

DE. *Rogas per deum* Fidium: *animadverto mihi, tanquam interpoſito ſacramento, aperiendum eſſe quidquid poſtulaveris.* Tu *me aggreſſus es adeò pertinaciter, ut non audeam non* tibi *efferre univerſa quæ flagitas. Atque adeo dicito ſtatim quid ſit id quod noſſe exoptas: eximar ut tu teneas, ſicut ipſe teneo.*

ANNOTATIONES.

1. *Sicut tuum.*] Fingit Poëta inchoatam orationem in poſtſcenio, & venire in Scenam herum & ſervum colloquentes. Hoc patet ex verbis Demæneti, qui teſtatur ſe adjuratum à Libano per deum Fidium, verſu 8.

2. *Superſtitem.*] Cicero: *Qui totos dies precabantur & immolabant, ut ſui liberi ſibi ſuperſtites eſſent, ſuperſtitioſi ſunt appellati: quod nomen poſtea latiùs patuit.*

3. *Ita te obteſtor.*] Ellipſis phraſeos integræ, *ut mihi verum dicas.* Ellipſis verò hæc eſt accommodata ſervili timori exprimendo Libani ſibi à piſtrino metuentis.

5. *Med erga.*] *Erga me,* id eſt *mecum.* In *med erga* eſt expletiva ad fugiendam eliſionem vocalis, ut nos dicimus, *a-t-il dit*, eſt expletiva pronunciationis ergò poſita, ad fugiendum hiatum, *a-il dit.*

6. *Ut tibi.*] Ellipſis, pro *precor ut tibi.*

Ætatem.] Nonius, *ætatem*, id eſt, *diutiſſimè*, *æternùm* adverbialiter poſitum. Donatus: *tamdiu quàm longa eſt ætas.*

7. *Peſtem.*] *Mortem crudelem.*

8. *Per deum Fidium.*] Hac præmiſſa adjuratione nefas erat fallere cuivis tanquam jurato. *Fidius* autem erat Jovis filius, Διὸς υἱὸς Ἡρακλῆς, quia interdum apud Græcos, υ ſonabat ut digamma Æolicum, & ut *v* conſonum apud Latinos: hinc ὑδιὸς ut φιδιὸς: hinc *Fides.* Simulacrum *Fidii* dei erat ejuſmodi. Erat Amor puerilii vultu, qui habebat ad dextram Honorem, à lævâ Veritatem, Romanâ veſte. Aſpiciebant ſe invicem Honor & Veritas, & junctas habebant dextras.

10. *Aggreſſus.*] Ellipſis, *es.*

LI. Dic, obſecro, hercle ſeriò, quod te rogem.
Cave mihi mendacii quicquam. *DE.* quin tu ergo rogas?
LI. Num me illuc ducis ubi lapis lapidem terit?
DE. Quid iſtuc eſt? aut ubi eſt iſtuc terrarum loci!
LI. Ubi flent nequam homines, qui polentam pranſitant.
DE. Quid iſtuc ſit, aut ubi iſtuc ſit, nequeo noſcere,
Ubi flent nequam homines, qui polentam pranſitant.
LI. Apud fuſtitudinas ferricrepinas inſulas,
Ubi vivos homines mortui incurſant boves.
DE. Modò pol percepi, Libane, quid iſtuc ſit loci,
Ubi ſit polenta, te fortaſſe dicere. *LI.* ah!
Neque hercle ego iſtuc dico, nec dictum volo.
Teque obſecro hercle, ut quæ locutus, deſpuas.
DE. Fiat: geratur mos tibi. *LI.* age age uſque exſcrea.
DE. Etiamne? *LI.* quæſo hercle uſque ex penitis faucibus.

INTERPRETATIO.

LIB. *Eloquere ſeriò, quæſo, per Herculem, id quod te rogo. Vide ne mihi* admiſceas *aliquod mendacium.* DEM. *Cur non poſtulas tu igitur?* LIB. *Nonne me deducis illuc ubi lapis premit lapidem?* DEM. *Quid eſt illud, aut ubinam gentium eſt illud?* LIB. *Ubi nequam homines qui edunt polentam, lugent.* DEM. *Non poſſum concipere quid ſit id, aut in quo loco ſit illud, ubi lugent homines improbi qui edunt polentam.* LIB. *In inſulis fuſtium* ictibus *& crepitatione ferri ſonantes, ubi lora boum mortuorum concidunt homines viventes.* DEM. *Per Pollucem novi jam, Libane, quis ſit ille locus, & te intelligere forſitan locum in quo ſit polenta.* LIB. *Ah per Herculem neque ego dico id, neque volo dictum: & te obteſtor per Herculem ut perſpuas ea quæ dixiſti.* DEM. *Perſpuo; tibi obtempero.* LIB. *Age perſpue continuo.* DEM. *Adhucne?* LIB. *Obſecro per Herculem continuò ex imis faucibus.*

ANNOTATIONES.

15. *Mendacii.*] Ellip. *dicas.*

16. *Lapis terit lapidem*] Piſtrinum ſignificat, in quo mola molæ ſubjecta eſt: ut in piſtrinis noſtris quorum immobilis eſt quæ ſubjicitur; ſed ea quæ imponitur, movetur: Plauti temporibus nonniſi lacertorum viribus vertebantur molæ, nunc aut vento aut aquâ.

18. *Polentam.*] Servile edulium factum ex farinâ hordaceâ, aquâ ſubactâ, & igne concoctâ & induratâ.

Pranſitant.] Alii *pinſitant.*

21. *Fuſtitudinas.*] Verbum à Plauto factum ex *fuſtis*, idque ad riſum movendum.

Ferricrepinas.] A *ferro* & *crepo*, quia ferreæ ſervorum compedes & catenæ crepant, & ſonitum edunt. Verbum item in Plautina officina cuſum.

Inſulas.] Molas intelligit quæ in medio piſtrino poſitæ, ſpeciem quandam præbent inſularum. Præterea alludit ad deportationem reorum, quæ ferme in inſulas fiebat. *Fuſtitudinas inſulas* appellari putavero, quòd fuſte graviori ſeu vecte mola ſuperior illigata converteretur ab iis qui ad piſtrinum damnati eſſent.

22. *Mortui boves.*] Enigma. Ubi loris corio bubulo accìſis cæduntur terga ſervorum.

26. *Deſpuas.*] In ſignum odii ac contemptus etiamnum deſpuimus.

28. *Penitis.*] id eſt, *imis* Vocabant Veteres penitum quod intimum eſſet. Unde & *penum* & *penates* dicebant. Catullus; *Flamina penita.*

Etiam ampliùs? *DE.* nam quouſque? *LI.* uſque ad mortem
volo.
DE. Cave ſis malam rem. *LI.* uxoris dico, non tuam.
DE. Dono te ob iſtuc dictum, ut expers ſis metu.
LI. Dî tibi dent quæcunque optes. *DE.* redde operam mihi;
Cur hoc ego ex te quæram? aut cur miniter tibi,
Propterea quòd me non ſcientem feceris?
Aut cur poſtremò filio ſuccenſeam,
Patres ut faciunt cæteri? *LI.* quid iſtuc novi eſt?
DE. Equidem ſcio jam filius quòd amet meus
Iſtanc meretricem è proximo Philenium.
Eſtne hoc ut dico, Libane? *LI.* rectam inſtas viam.
Ea res eſt. ſed eum morbus invaſit gravis.
DE. Quid morbi eſt? *LI.* quia non ſuppetunt dictis data.
Túne es adjutor nunc amanti filio?
LI. Sum verò, & alter noſter eſt Leonida.
DE. Benè herclè facitis, & à me initis gratiam.
Verùm meam uxorem, Libane, neſcis qualis ſiet.
LI. Tu primus ſentis, nos tamen prænoſcimus.

INTERPRETATIO.

DEM. *Adhuc?* LIB. *Ampliùs.* DEM. *Sed quouſque deſpuam?* LIB. *Volo uſque ad interitum.* DEM. *Cave, ſi placet,* ne tibi contingat *infortunium.* LIB. *Intelligo* INTERITUM *conjugis, non tuum.* DEM. *Propter id verbum, tibi concedo ut ſis immunis à timore* piſtrini. LIB. *Dii tibi præbeant quidquid exoptes.* DEM. *Audi me viciſſim. Quid eſt quod à te petam* Utrum meus filius amet, quandoquidem ſcio? *aut quare tibi iratus ſim, propterea quod non mi detexiſti* ejus amores? *Demum quid increpabo meum natum, ſicut increpant alii patres?* LIB. *Quid eſt illud novi?* DEM. *Profecto ego ſcio meum filium amare nunc Philenium, illam meretricem vicinam: idne eſt ſicut loquor, Libane?* LIB. *Ingrederis rectam viam, id eſt ita. ſed gravis morbus eum invaſit.* DEM. *Quis morbus eſt?* LIB. *Quia munera non reſpondent promiſſis.* DEM. *Eſne tu nunc opitulator filio amanti?* LIB. *Sum verò & alter ſocius noſter Leonida.* DEM. *Agitis rectè per Herculem, & benè meremini de me: ſed ignoras qualis ſit mea uxor.* LIB. *Tu ſentis primus, tamen nos conjicimus.*

ANNOTATIONES.

30. *Malam rem,*] id eſt, *piſtrinum vel lora arceſſere.*

32. *Di tibi.*] Horat. Sat. 2.

Tibi di quæcumque preceris, Commoda dent.

Redde operam.] Vicem poſtulat Demænetus à Libano in auſcultando, & reſpondendo rogatis.

33. *Hoc cur quæram?*] Paralipſis: *Utrum filius meus amet.*

41. *Non ſuppetunt dictis data.*] *non reſpondent.*

45. *Meam uxorem.*] pro *mea uxor.* Helleniſmus Comicis familiaris.

46. *Prænoſcimus.*] Alius legit in veteribus exemplaribus, *ponoſcimus*, pro *poſtnoſcimus*, ut eſt *pomeridianum, pomarium*: id eſt, *tu primus ſentis, nos poſtea ſentimus.* Alii codices habent; *Nos tamen in pretio ſcimus*: quaſi dicat: *Tu in primo pretio ſentis qualis ſit uxor tua; nos tamen ipſi aliquo in pretio, ſive loco & tempore, id ſentimus.* Nam quum dicitur *primo, ſecundo, tertio*, intelligitur *pretio, loco, numero, ordine.* In Pœnulo: *Primum prima ſalva ſis, & ſecunda tu: ſecundo ſalve in pretio, tertia ſalve extra pretium.*

DE. Fateor eam eſſe importunam atque incommodam.
LI. Poſteriùs iſtuc dicis, quàm credo tibi.
DE. Omnes parentes, Libane, liberis ſuis,
Qui mihi auſcultabunt, facient obſequelam jam:
Quippe qui mage amico utantur gnato & benevolo:
Atque ego me id facere ſtudeo. volo amari à meis,
Volo me patris mei ſimilem: qui cauſsâ meâ
Nauclero ipſe ornatu per fallaciam,
Quam amabam abduxit ab lenone mulierem.
Neque puduit eum id ætatis ſycophantias
Struere, & beneficiis me emere gnatum ſuum ſibi.
Eos me decretum eſt perſequi mores patris.
Nam me hodie oravit Argyrippus filius,
Uti ſibi amanti facerem argenti copiam:
Et id ego percupio obſequi gnato meo.
Volo amori obſecutum illius, volo amet me patrem.
Quamquam illum mater arctè contentèque habet,
Patres ut conſueverunt: ego mitto omnia hæc.
Præſertim quum is me dignum, quoi concrederet,

INTERPRETATIO.

DEM. *Confiteor eam eſſe moleſtam atque intolerandam.* LIB. *Loqueris id ſeriùs quàm credidi.* DEM. *Univerſi parentes, Libane, qui me audient, morem gerent nunc ſuis liberis. Nam hac ratione habebunt filios magis amicos & benevolos: atque ego ſtudeo facere id. Volo diligi à meis: volo eſſe ſimilis meo patri. qui ipſe mei gratiâ veſtimentis amatoriis abduxit à lenone per dolum fœminam quam deperibam. Neque eum puduit eâ ætate* quâ erat provectus, *adornare ſycophantias* in meam gratiam, *& me emere ſibi ſuum filium beneficiis. Statui inſiſtere iis moribus mei patris. Nam Argyrippus me rogavit hodie ut ſibi darem pecuniam amanti: & ego exopto in hoc morem gerere meo filio. Volo obtemperare illius amori, volo ut me amet patrem, tametſi mater tenet illum ſtrictè contentèque, ſicut patres ſoliti ſunt. Ego prætereo univerſa hæc, quoniam præſertim ille me judicavit dignum cui confideret,*

ANNOTATIONES.

54. *Ornatu nauclero.* Mil. Glor. Act. 4. Scen 4. *Paleſtrio* dicit *Pleuſippo. Facito ut venias huc habitu nauclerico, cauſiam habeas ferrugineam culcitam ob oculos laneam, palliolum habeas ferrugineum* (nam is colos thalaſſicu' ſt) *id connexum in humero lævo, exaffilato bracchio, præcinctus aliqui aſſimulato quaſi gubernator ſies. Exaffilato brachio*, id eſt, *exerto & explicato pallio.*

62. *Obſecutum.*] ſub. *eſſe.* Paſſivè pro *obſecundatum eſſe.*

63. *Arctè contentèque habet.*] *Contenta vita*, id eſt, *attenta, minimè remiſſa; parcè & duriter agere cum filio, tractare, educare, alere filium.*

64. *Patres ut conſueverunt.*] Seneca: *Non vides quanto aliter patres, aliter matres indulgeant: illi exercitari jubent liberos ob ſtudia obeunda maturè; feriatis quoque diebus non patiuntur eſſe otioſos. & ſudorem illis interdum lacrymas excutiunt, & matres fovere in ſinu, continere in umbrâ volunt.*

Habuit, me habere honorem ejus ingenio decet:
Quum me adiit, ut pudentem gnatum æquum eſt, patrem;
Cupio eſſe amicæ quòd det argentum ſuæ.
LI. Demiror quid ſit, & quò evadat, ſum in metu.
DE. Equidem ſcio jam filius quòd amet meus.
LI. Cupis id, quod cupere te nequiquam intellego.
Dotalem ſervum Sauream uxor tua
Adduxit, cui plus in manu ſit quàm tibi.
„ *DE.* ARGENTUM accepi, dote imperium vendidi.
Nunc verba in pauca conferam, quid te velim.
Viginti jam uſu 'ſt filio argenti minis.
Face id ut paratum jam ſit. *LI.* unde gentium?
DE. Me defraudato. *LI.* maximas nugas agis.
Nudo detrahere veſtimenta me jubes.
Defrudem te ego? age ſis tu ſine pennis vola.
Téne ego defrudem, cui ipſi nihil eſt in manu?
Niſi quid tu porrò uxorem defraudaveris.
DE. Quà me, quà uxorem, quà tu ſervum Sauream
Potes, circumduce, aufer. promitto tibi

INTERPRETATIO.

non poſſum non laudare ejus ingenium: quando me convenit patrem, ſicut eſt par facere filium ingenuum; opto illi eſſe pecuniam quam deferat ſua amica, LIB. *Neſcio quid ſit hoc, & pertimeſco ne id vertat male.* DEM. *Profectò ego novi jam meum filium amare.* LIB. *Optas id quod intelligo te optare incaſſum. Tua uxor adduxit Sauream ſervum adminiſtrum ſua dotis.* DEM. *Accepi pecuniam* ab uxore, *vendidi autoritatem* maritalem *dote; Nunc contraham paucis quid velim te. Meo filio eſt opus nunc viginti minis argenti. Fac ut id ſit jam numeratum.* LIB. *Unde gentium?* DEM. *Decipe me.* LIB. *Dicis magnas nugas. Mandas me adimere veſtes nudo. Te ne defraudem ego, age ſi placet; vola ſine alis. Cui nihil eſt, nihil ipſi in poteſtate, niſi tu ademeris prius aliquam pecuniam uxori.* DEM. *Tu circumveni me quacumque ratione potueris, quacumque uxorem, quacumque Sauream ſervum. Auſer, tibi polliceor*

ANNOTATIONES.

70. *Equidem.*] Idem verſus eſt 37. Gruterus idcirco cenſet expungendum. Quidni repetere pater potuit?

72. *Servus dotalis.*] Erat ſervus qui in mariti poteſtate non erat, ſed uxoris tantùm, & tractandæ doti peculiari præpoſitus. Aulo Gellio *receptitius.* Dotalis ſervus dabatur uxori ad adminiſtrandam dotem: in eum maritus nullum exercebat imperium, neque in pecuniam uxoris dotalem. *Servus* ille *dotalis* vocabatur *exceptus*, quia quum in cæteros ſervos uxoris imperium haberet maritus, in *dotalem* minimè habebat.

76. *Minis.*] Mina erat librarum Turonenſium ſeptemdecim cum ſemiſſe. Petebat ab Argyrippo Lena viginti minas: nolebat polliceri Argyrippus: demum victus amore Philenii, Argyrippus in tertiâ Scenâ pollicetur.

80. *Defrudem.*] Nonius: *Defrudare eſt fructum minuere, vel per fraudem aliquid eximere.*

83. *Quà me.*] *quà*, id eſt, *partim*: ut *quà mares, quà fœminæ*; *partim mares, partim fœminæ.*

Non offuturum, ſi id hodie effeceris.
LI. Jubeas unâ operâ me piſcari in aëre,
Venari autem rete jaculo in medio mari.
DE. Tibi optionem ſumito Leonidam,
Fabricare quidvis, quidvis comminiſcere.
Perficito argentum hodie ut habeat filius,
Amicæ quod det. *LI.* quid agis tu, Demænete?
Quid ſi fortè in inſidias devenero?
Tu redimes me, ſi me hoſtes interceperint?
DE. Redimam. *LI.* tum tu igitur aliud cura quid lubet.
DE. Ego eo ad forum, niſi quid vis? *LI.* i, etiámne ambulas?
DE. Atque audin' etiam? *LI.* ecce. *DE.* ſi quid te volam, ubi eris?
Ubicunque libitum erit animo meo.
Profectò nemo eſt, quem jam dehinc metuam mihi,
Ne quid nocere poſſit: cùm mihi tuâ
Oratione omnem animum oſtendiſti tuum.
Quin te quoque ipſum facio haud magni, ſi hoc patro.
Pergam quò occœpi, atque ibi conſilia exordiar.

INTERPRETATIO.

me non tibi obfuturum, ſi perfeceris id hodie. LIB. *Mandes eodem pacto me piſcari in aëre, venari verò reti jaculo in alto mari. Sumito tibi Leonidam adjutorem; architectare quidlibet, excogita. Perfice hodie ut filius habeat pecuniam quam det amicæ.* LIB. *Quid dicis tu, Demænete? Quid, ſi incidero fortè in laqueum? Si hoſtes me deprehenderint, tu me redimes?* DEM. *Redimam.* LIB. *Tum tu ergo cura aliud quid vis.* DEM. *Ego proficiſcor ad forum, niſi vis aliquid præterea.* LIB. *Perge, quin pergis?* DEM. *Audiſne adhuc?* LIB. *Ecce audio.* DEM. *Si cupiam te facere aliquid, ubi eris?* LIB. *Ubicumque placebit meo amico: certè eſt nemo quem timeam nunc dehinc ne poſſit mihi nocere in ullâ re: quando mihi oſtendiſti omnem tuam mentem tuo ſermone: ſi perpetravero id, non faciam quoque magni te. Pergam quò inſtitui, atque inibo ibi concilia.*

ANNOTATIONES.

87. *Venari autem.*] Dan. Heinſius: *venari avem,* expuncto *t.*

Rete-jaculum.] *Une Fonde, ſorte de filet de Peſcheur.*

88. *Optionem.*] Feſtus. *Optio qui nunc dicitur, antea appellabatur Accenſus. Is adjutor dabatur Centurioni à Tribuno militum.* Vegetius: *Optiones ab optando appellati, quod antecedentibus ægritudine præpeditis, hi tanquam adoptati eorum atque vicarii ſolent univerſa curare.* Livius *adjutorem*, item *ſubcenturionem* vocat, *un ſubſtitut.*

95. *Etiamne ambulas.*] *Quin ambulas.* In Curcul *Etiam tu taces, quin tu taces.* Gruterus, *Ei, ei, ne ambula,* id eſt, *I, i, ne ambula.* Increpat ſenilem tarditatem; *ambulare* enim eſt ferme remiſſè euntis, *ire* eſt contento curſu pergentis.

DE. Audin' tu? apud Archibulum ego ero argentarium.
LI. Nempe in foro? *DE.* ibi. ſi quid opus fuerit. *LI.* meminero.
DE. Non eſſe ſervus pejor hoc quiſquam poteſt.
Nec magis verſutus, nec quo ab caveas ægriùs.
Eidem homini, ſi quid rectè curatum velis,
Mandes. mori ſeſe miſerè mavolet,
Quàm non perfectum reddat quod promiſerit.
Nam ego illud argentum tam paratum filio
Scio eſſe, quàm me hunc ſcipionem contui.
Sed quid ego ceſſo ire ad forum, quod incœperam?
Atque ibi manebo apud argentarium.

INTERPRETATIO.

DEM. *Audiſne tu? Ego ero apud Archibulum argentarium.* LIB. *Nempe in foro?* DEM. *Ibi. ſi quid opus fuerit.* LIB. *Meminero.* DEM. *Nequit eſſe ſervus ullus nequior hoc, nec verſutior, nec à quo difficiliùs caveas. Si optes aliquid procurari, manda id illi. Mallet ſeſe perire miſerè, quàm non reddat abſolutum quod pollicitus ſit. Nam ego certò ſcio illud argentum tam paratum filio, quàm me conſpicere hunc baculum* quem teneo in manu. *Sed quid ego ceſſo pergere ad forum quod inſtitueram? Ibo, & manebo ibi apud trapezitam.*

ANNOTATIONES.

103. *Argentarium.*] Cujacius officium Argentariorum ſic deſcribit: *Fuit olim in civitatibus certum corpus, ſive σύστημα Argentariorum, quorum erat publicum officium: tabernas & menſas cum are in foro poſitas habebant. Apud menſas pecuniæ deponebantur, permutabantur, emebantur, vendebantur. Quod eſt Latinè* cambire, *Græcè ἀνταμείβεσθαι. Per eos plerique pecuniam credebant, & fœnori occupabant, emebant, vendebant, auctionem, & omnia negotia exercebant, deque his omnibus rationes conficiebant. Ex eorum ſcriptura naſcebatur obligatio omnium ſine ſtipulatione. Uſura eis debentur ex ſolâ præſcriptione; & quidem beſſes eorum munia, quæ varia ſunt, variis quoque appellationibus deſignantur: nam & Menſarii dicuntur, & Menſularii; & Nummularii, & Argentarii, & argentariæ menſæ Exercitores, & ἀργυροπράται, ſive argenti Diſtractores, Collybiſtæ, Cermatiſtæ, Coactores, ſive Collectarii.*

104. *Si quid opus.*] Eſt formula offerendæ ac ſpondendæ operæ. Cicero: *Erat enim, ſi meminiſti, in Conſulatus petitione per te mihi pollicitus ſi quid opus eſſet.* Quò & alludit Martialis:

Si quis opus fuerit, ſcis me non eſſe rogandum.

ACTUS PRIMUS. SCENA SECUNDA.

ARGUMENTUM.

EXPOSTULATIO eſt Argyrippi excluſi per Clearetam lenam ab amoribus Philenii, deficiente pecuniâ; & quò magis appareat lenæ nequitia, commemorat Argyrippus beneficia Clearetæ Philenióque exhibita. Hinc meditatur ultionem.

ARGYRIPPUS.

SICCINE hoc fit? foras ædibus me ejici?
Promerenti optumè hoccine precii redditur?
Benè merenti mala es, malè merenti bona es,
At malo cum tuo! nam jam ex hoc loco
Ibo ego ad Tresviros, veſtráque ibi nomina
Faxo erunt: capitis te perdam ego & filiam,
Perlecebræ, pernicies, adoleſcentum exitium.
Nam mare haud eſt mare, vos mare acerrimum.
Nam in mari repperi, hîc elavi bonis.
Ingrata atque irrita eſſe omnia intellego
Quæ dedi, & quod benefeci: at poſthac tibi,
Malè quod potero facere, faciam, meritóque id faciam tuo.
Ego pol te redigam eôdem unde orta es, ad egeſtatis terminos.

INTERPRETATIO.

ARG. *Itane verò mecum agitur? Itane ego ejiciar ex ædibus? Hæcne gratia refertur benè merito? Es mala benè merito; es bona malè merito. At es mala cum tuo damno. Etenim nunc ex hoc loco ego pergam ad Tresviros, & faciam ut veſtra nomina ſint ibi ſcri*pra inter nomina reorum: *ego te accuſabo crimine capitali, & perdam & te & natam Philenium, pellices, labes, exitium juventutis. Nam pelagus non eſt tam pelagus, quàm vos eſtis pelagus profundum. Nam inveni in pelago divitias, hic feci naufragium. Animadverto univerſa* munera *quæ dedi, & beneficia quæ contuli, collata ingratis, & perdita: ſed deinceps tibi faciam id quod potero facere malè, & preſtabo id tuo merito. Ego per Pollucem te redigam eò unde es orta, nempe ad ultimos terminos inopiæ.*

ANNOTATIONES.

4. *At malo cum tuo.*] Phraſis obvia iis qui denuntiarent alicui non laturos impunè quæ perpetrarent: quaſi dicat, *ſed non impunè fores.*

Ex hoc loco.] *è veſtigio.*

5. *Ibo ego ad Tresviros.*] Erant pœnæ conſtitutæ in meretrices & lenas aliquæ, ut patet ex hoc loco, quarum arbitri erant Tresviri, de quibus ſuprà: quod & hoc pater Truculenti Act. 4. Scen. 2.

Adverſum legem accepiſti à plurimis pecuniam.

Veſtraque nomina.] Moris erat ut qui alium deferret ad Judicem, antea rei nomen apud ipſum Judicem ſcriberet.

7. *Perlecebra.*] *Pellices*. unde in quibuſdam Exemplaribus eſt *pellecebra. a. per. & illecebra; pellices. a per & illices.* Feſtus; *Pellicere eſt in fraudem ſenſim perducere. Pellicere* eſt à *lacio*, & *lacio* à *lax*, id eſt *fraus.*

8. *Vos mare.*] Horatius:

——— *fretis acrior Adria.*

Idem:

——————— *Ah miſer,*
Quanta laboras in Charybdi.

Cicero: *Syrtis* patrimonii, & *Charybdis* bonorum.

9. *In mari.*] *In mercatura facienda.*

Elavi bonis.] Ellipſis, *me*, id eſt, *Nihil mihi reliqui factum eſt. Eluere* eſt *decoquere ſubſtantiam.* In Sticho: *Eluamus hodie peregrina omnia*: id eſt, *abſumamus, liguriamus. Eluere* dicebantur qui in balneis in quibus erant ſtabula nequitiæ & voluptatum, divitias profundebant. Hîc de tempeſtate intelligi vult.

Ego edepol te faciam, ut quæ ſis nunc, & quæ fueris, ſcias.
Quæ priuſquam iſtam adii, atque amans ego animum meum iſti dedi,
Sordido vitam oblectabas pane, in pannis inopiâ. * *
Atque ea ſi erant, magnas habebas omnibus dîs gratias.
Eadem nunc, quum eſt melius, me, cujus opera eſt, ignoras, mala.
Reddam ego te ex ferâ, fame manſuetem. me ſpecta modò!
Nam iſti quod ſuccenſeam ipſi, nihil eſt: nihil quicquam meret.
Tuo facit juſſu, tuo imperio paret; mater tu, eadem hera es.
Te ego ulciſcar, te ego ut digna es, perdam, atque ut de me meres.
At ſceleſta viden' ut ne id quidem me dignum eſſe exiſtumat,
Quem adeat, quem colloquatur, cuique irato ſupplicet.
Atque eccam, illecebra exit. tandem opinor hîc ante oſtium
Meo modo loquar quæ volam, quoniam intùs non licitum eſt mihi.

INTERPRETATIO.

Ego per Pollucem dabò operam ut ſcias quæ ſis nunc, & quæ fueris: antequam ego adii iſtam, atque adjeci meam mentem iſti, tolerabas vitam pane atro, pannis laceris induta *præ egeſtate. & ſi erant illa, habebas magnas gratias omnibus diis. Nunc ex quo es facta fortunatior, ipſa mei obliviſceris, beneficio cujus tibi ſunt omnia. O nequam, ego efficiam ut ſis ex feroci lenis fame. Aſpice me modò; nam non eſt cur iraſcar iſti ipſi Philenio. Nihil meretur, fecit tuo mandato, obſequitur tuo imperio. Tu es mater & eadem domina. Ego ulciſcar te, ego perdam te ut es digna, & ut mereris de me. Sed videſne ut nefaria ne putat quidem me eſſe dignum quem conveniat, cum quo ſermonem inſtituat, & cui ſe præbeat ſupplicem irato. Atque ecce illa inſidioſa prodit tandem: arbitror fore ut verbo faciam hic ante januam arbitratu meo quæ optem, quoniam mihi non licet facere in ædibus.*

ANNOTATIONES.

16. *Sordido pane.*] panem illum caninum appellat Juvenalis:

Et farris ſordes mordere canini.

Terentius appellat *panem atrum.*

In pannis.] Nonnulli legunt *inpannis.* uno verbo: vocat autem *inpannem, veſte carentem.*

28. *Ignoras*] *Simulas me tibi eſſe ignotum.*

19. *Manſuetem.*] Virgil. *manus patientem:* quaſi dicat, *aſſuetum manui.*

26. *Meo modo.*] *Meo arbitratu.*

ACTUS PRIMUS. SCENA TERTIA.

ARGUMENTUM.

CLÆERETA lena quæ penitiſſimè noſſet Argyrippum, & quantum deperiret Philenium, auditis ejus expoſtulationibus, feſtivè eum ludificatur. In ipſis ejus minis exiſtit lenocinii vis, qua rejiciendo miſerum amatorem allicit. De ſeipſa confitetur quidquid dici poteſt

poteſt in univerſam lenoniam artem, idque ad conſilium Argyrippi emungendi appoſitiſſimè; diſciplinam meretriciam & ipſam totam explicat non minùs ad propoſitum. Uno verbo tota hæc Scena illecebrarum meretriciarum, quaſi quandam neceſſitatem hoc ineluctabiliorem, quòd blandiorem continet: & hoc juventutem Chriſtianam ad fugam magis adhortatur.

CLEÆRETA, ARGYRIPPUS.

CLEÆRETA.

UNUMQUODQUE iſtorum verbûm nummis Philippeis aureis
Non poteſt auferre hinc à me, ſi quis emptor venerit.
Nec rectè quæ tu in nos dicis, aurum atque argentum merum 'ſt.
Fixus hîc apud nos eſt animus tuus clavo Cupidinis.
Remigio velóque quantum poteris, feſtina & fuge.
Quàm magis te in altum capeſſis, tam æſtus te in portum refert.
AR. Ego pol iſtum portitorem privabo portorio.
Ego te dehinc, ut merita es de me & meâ re, tractare exequar:

INTERPRETATIO.

CL. *SI quis mercator veneris* & voluerit emere à me, totidem numeratis *aureis Philippeis ſingula iſta verba* quæ à te dicta ſunt, ô Argyrippe! *non auferat. Ea verba quæ tu profers adverſum nos ſunt purum aurum & argentum. Tua mens eſt hic defixa apud nos clavo amoris. Propera & fuge quantũ valebis remis veliſque, quò magis proveheris in altum, eò magis æſtus te refert in portum.* ARG. *Ego per Pollucem non dabo portoriũ iſti portitori. Ego pergam tecũ agere deinceps*, *ut mereris de me & meis rebus.*

ANNOTATIONES.

1. *Nummis Philippeis.*] Philippeorum nummorum cujuſvis metalli magnus uſus fuit apud Veteres, etiam Romanos, ad Plauti tempora. Dicti ſunt Philippei à Philippo, quod in alterâ parte eſſet imago Philippi Macedonum Regis impreſſa, ut nos jam Ludovicos habemus, quia imago Ludovici Regis, aut Carolos, quia Caroli item Regis eſt inſcripta, & nomen.

3. *Nec rectè quæ in nos dicis.*] id eſt, *quæ in nos maledicis.*

4. *Clavo Cupidinis.*] Neceſſitatem peccandi notat conſuetudine inolitam. Horatius *jugum aheneum* appellat:

Sic viſum Veneri, cui placet impares
Formas, atque animos, ſub juga ahenea
Sævo mittere cum joco.

5 *Remigio veloque.*] Synonymum proverbium, *remis veliſque.* Et apud Ciceronem, *ventis remiſque*, id eſt *ſummâ velocitate.* Horatius:

———— ——. navibus atque
Quadrigis petimus benè vivere.

Cicero: *velis equiſque decertare.*

6. *Quàm magis.*] Particula cui reſpondere debet *tam magis.* Igitur eſt Ellipſis *magis* inter *tam* & *æſtus*, *tam magis æſtus.*

In altum.] id eſt *in altum mare*, *en haute mer, en pleine mer.*

Capeſſis.] Nonius, *immittis, provehis.*

Æſtus.] Motus creſcentis decreſcentiſque maris, quia eſt inſtar ferventis.

7. *Portitorem.*] Cicero, *Publicanus. Un Traitant.*

Portorium.] Cicero, *Vectigal quod exigit Publicanus. La Taille.* Hîc eſt pretium vecturæ in aquis, & dicitur Græcè φόρετρον, ναῦλον.

8. *Tractare exequar.*] *Pergam tecum agere, Je te traiteray à l'avenir.*

Quom tu me ut meritus ſum, non tractas, quæ ejicis domo.
CL. Magis iſtuc percipimus linguâ dici, quàm factis fore.
AR. Solus ſolitudine ego ted atque ab egeſtate abſtuli:
Solus ſi ductem, referre gratiam nunquam potes.
CL. Solus ductato, ſi ſemper ſolus quæ poſcam dabis,
Semper tibi promiſſum habeto hâc lege, dum ſuperes datis.
AR. Qui modus dandi? nam nunquam tu quidem expleri potes.
Modò quod accepiſti, haud multò poſt aliquid quod poſcas, paras.
CL. Quid modi 'ſt? ductando, amando, nunquamne expleri potes?
Modò remiſiſti, continuò jam ut remittam ad te rogas.
AR. Dedi equidem quod mecum egiſti. *CL.* & tibi ego miſi mulierem.
Par pari datum hoſtimentu 'ſt; opera pro pecuniâ.
AR. Malè agis mecum. *CL.* quid me accuſas, ſi facio officium meum?
„ Nam NEQUE fictum uſquam, neque pictum, neque ſcriptum in poëmatis,
„ Ubi lena benè agat cum quîquam amante, quæ frugi eſſe volt.
AR. Mihi quidem te parcere æquum eſt tandem, ut tibi durem diu.

INTERPRETATIO.

Quandoquidem tu non agis mecum ſicut ſum meritus, quæ ejicis ex ædibus. CL. *Scimus te proferre illud magis ore quàm pectore.* ARG. *Ego unus te vindicavi ab ſolitudine & inopiâ. Si te habeam unus nequis unquam rependere grates.* CL. *Habebis unus, ſi præbeas unus ſemper quæ à te petam. Habe ſemper id quod tibi polliceor eâ conditione, ut vincas alios muneribus.* ARG. *Quis eſt finis præbendi? Nunquam enim tu potes ſatiari. Si aliquid accepiſti, ſtatim quæris quod petas.* CL. *Quis eſt modus? Ductando, amando, nunquam potes ſatiari! Miſiſti modò, ſtatim flagitas ut ad te remittam.* ARG. *Præbui ſane id quod à me petiviſti.* CL. *Et ego tibi miſi Philenium; remenſa ſum beneficium beneficio, par pari, opera pro pecuniâ.* ARG. *Agis malè mecum.* CL. *Quid me accuſas, ſi fungor meo officio? Nam neque ullo in loco fictum neque adumbratum, neque litteris mandatum in carminibus, ubi lena quæ cupit eſſe bona, agat benè cum quoquam amatore.* ARG. *Demum eſt profectò par te mecum agere indulgentiùs, ut tibi durem diu.*

ANNOTATIONES.

12. *Ductem.*] amatorium vocabulum. Salluſtius tamen ait, *ductare exercitum.*

20. *Hoſtimentum.*] Feſtus. *Eſt beneficii penſatio; red'hoſtire eſt, gratiam referre; nam & hoſtire pro æquare poſuerunt.* Nonius. *Hoſtimentum eſt æquamentum: unde hoſtes dicti, qui ex æquâ causâ pugnam ineunt; & hoſtia victima eſt, quia eâ dii hoſtiantur, id eſt, æqui & propitii fiunt.*

Par pari.] Proverbialis formula, *Tu dediſti pecuniam, ego Philenium.*

Opera pro pecunia.] *Labor pro magnitudine mercedis. On vous en donne pour voſtre argent.* *Da operam* ſignificat *audi. auſculta:* quaſi dicat, *collabora mecum,* in dicendo, *ne turba.*

23. *Quæ frugi eſſe vult*] *quæ ſuis utilitatibus conſulit.*

24. *Durem diu.*] inter trita adagia.

CL. Non tu ſcis, quæ amanti parcet, eadem ſibi parcet parum.
Quaſi piſcis, itidem eſt amator lenæ: nequam eſt niſi recens.
Is habet ſuccum; is ſuavitatem; eum quovis pacto condias;
Vel patinarium vel aſſum: verſes quo pacto lubet.
Is dare volt, is ſe aliquid poſci. nam ubi de pleno promitur,
Neque ille ſcit quid det, quid damni faciat; illi rei ſtudet:
Volt placere ſeſe amicæ, volt mihi, volt pediſſequæ,
Volt famulis, volt etiam ancillis: & quoque catulo meo
Subblanditur novus amator, ſe ut quum videat, gaudeat.
» Vera dico. AD SUUM quemque hominem quæſtum eſſe æquum eſt callidum.
AR. Perdidici iſthæc eſſe vera, damno cum magno meo.
CL. Si ecaſtor nunc habeas quod des, alia verba perhibeas:
Nunc quia nihil habes, maledictis te eam ductare poſtulas.
AR. Non meum eſt. *CL.* nec meum quidem edepol, ad te ut mittam gratiis.
Verùm ætatis atque honoris gratiâ hoc fiet tui:
Quia nobis lucro fuiſti potiùs, quàm decori tibi.
Si mihi dantur duo talenta argenti numerata in manum,
Hanc tibi noctem honoris cauſſâ gratiis dono dabo.
AR. Quid, ſi non eſt? *CL.* tibi non eſſe credam. illa aliò ibit tamen.
AR. Ubi illæc quæ dedi antè? *CL.* abuſa. nam ſi ea durarent mihi,

INTERPRETATIO.

CL. *Ignoras eam lenam quæ indulget amanti eandem parum ſibi indulgere? Amator lenæ eſt ſimilis piſci, eſt nequam, niſi ſit recens* eductus aquâ. *Is habet ſuccum, is ſuavitatem: quovis pacto eum condias; ſive in patinâ coctum, ſive toſtum, amatorem verſes quomodo voles. Ille vult dare munera, ille vult ut à ſe petatur aliquid. Nam quando depromitur de divite, neſcit neque quid det, neque quam jacturam faciat, incumbit in eam rem unam: optat placere amicæ, vult mihi pla*cere, *vult* placere *pediſſequæ, vult* placere *ſervis, vult* placere *etiam ancillis. Novus amator blanditur etiam meo catulo, ut quando* catulus amatorem *videat, geſtiat. Dico vera. par eſt quemque hominem eſſe aſtutum ad ſuas utilitates.* ARG. *Didici hæc eſſe vera cum meo magno damno.* CL. *Per ædem Caſtoris, ſi habeas jam quod des, dicas alia verba; nunc quia nihil habes, vis ductare amicam pro maledictis.* ARG. *Non eſt meus mos,* CL. *Nec meus mos, per ædem Pollucis, ut ad te mittam Philenium ſine mercede. Sed hoc fiet cauſa tuæ ætatis & honoris, quoniàm nobis fuiſti lucro potiùs quàm honori tibi. Tibi donabo ſine mercede hanc noctem honoris gratia, ſi mihi numerentur in manum duo talenta argenti, præſente* pecuniâ. ARG. *Quid ſi non eſt pecunia?* CL. *Credam tibi non eſſe, tamen illa aliò ibit.* ARG. *Ubi ſunt illa quæ dedi antea?* CL. *Uſu conſumpta ſunt: nam ſi illa durarent,*

ANNOTATIONES.

25. *Quæ amanti parcet.*] *quæ veretur ne nimis petat ab amatore ſuo.*

34. *Eſſe callidum ad ſuum quæſtum.*] Item parœmia quam nos vernaculo noſtro reddimus, *il ne s'oublie pas.*

Mulier mitteretur ad te? nunquam quicquam poſcerem.
Diem, aquam, ſolem, lunam, noctem, hæc argento non emo;
Cætera quæque volumus uti, Græcâ mercamur fide.
Quum à piſtore panem petimus, vinum ex œnopolio,
Si æs habent, dant mercem. eâdem nos diſciplinâ utimur.
Semper oculatæ manus ſunt noſtræ, credunt quod vident.
Vetus eſt, Nihili cocio eſt: ſcis cujus? non dico ampliùs.
AR. Aliam nunc mihi orationem deſpoliato prædicas:
Longè aliam, inquam, præbes, nunc atque olim quom dabam;
Aliam atque olim quom illiciebas me ad te blandè ac benedicè:
Tum mihi ædes quoque arridebant, cùm ad te veniebam, tuæ.
Me unicè unum ex omnibus te, atque illam amare, aiebas mihi,
Ubi quid dederam, quaſi columbæ pulli in ore ambæ meo
Uſque eratis: meo de ſtudio ſtudia erant veſtra omnia.

INTERPRETATIO.

mulier mitteretur ad te, à te poſtularem nihil. Non emo hæc pecuniâ, diem, aquam, ſolem, lunam, noctem. Emimus, præſente pecuniâ, cætera quibus volumus uti: quando petimus panem à piſtore, vinum ex œnopolio, dant mercem ſi argentum illis *datur: non utimur eâdem ratione agendi. Noſtræ manus ſunt ſemper oculatæ, credunt quod vident. Eſt vetus dictum, Tardus dator eſt nihili* faciendus: *Scis cujus* rei datorem intelligo, *non dico ampliùs.* ARG. *Apud me habes nunc alium ſermonem poſtquam ſum deſpoliatus; habes, inquam, longè alium nunc quàm quondam quando dabam, alium quàm aliàs quando me pelliciebas ad te blandis ac bonis verbis: tum tuæ ædes mihi arridebant quoque. Quando veniebam ad te, mihi dicebas, te me amare unicè unum ex cunctis, & illam Philenium. Ubi dederam nonnihil, utraque pendebatis ſemper à meo ore, quaſi pulli columbæ. Univerſa veſtra ſtudia pendebant à meo ſtudio,*

ANNOTATIONES.

47. *Fide Græca.*] Fluxæ fuerunt olim admodum fidei Græci: idcirco Græcus Græco non fidebat, niſi præſenti & numeratâ pecuniâ: Tamen id dicitur à Plauto in laudem fidei Græcæ, quia fingitur Scena hujus Comœdiæ eſſe apud Græcos. Unde Auſonius: *Nobiſcum invenias κατπώματα, ſi libet uti non Pœnâ, ſed Græcâ fide.*

51. *Nihili cocio.*] Pendet hujus adagii vis ab iis quæ antecedunt & ſubſequuntur. Sic autem Muretus: *quaſi dicat lena: Vetus dictum eſſe, Nihili cautionem ſive ſyngrapham aut chirographum, multoq; tutiùs ac cautiùs agere eos, qui numeratam pecuniam ſibi in manum dari volunt. Cocio* pro *cautio*, ut *aula* pro *olla*. Gloſſaria, *μεταβολή*, eſt *cocio* · *μετάβολος* & *μετάπολος*, *Dardanarius, cociator, arillator.* Feſtus: *Cocitiones dicuntur à cunctatione, quod in emendis vendendiſque mercibus tardè veniant ad juſti pretii finem: Barguigneurs. Arilator* ſive *arrilator* eſt qui arrâ datâ empturit, & præſente caret pecuniâ. A *cunctando cunctio*, hoc à *cuctio* veteri, unde per alias aliaſque mutationes fit *cocio cocionis.* Alii legunt *Nihili coactio*, id eſt, *Nihili facio pecuniam, ad quam ſolvendam aliquis cogendus eſt.* Alii *cocio*, à *coquo*: quaſi dicat: *Si nihil habemus quo veſcamur, non indigemus ad coquendum & condiendum.*

52. *Scis cujus.*] Lambinus: *Si cæcus eſt. Cocio cæcus, Cautor cæcus*; fruſtra enim cavet.

54. *Benedicè.*] *adulationibus.*

57. *Columbæ pulli.*] Columbæ non roſtro ad pullos ſuos eſcam deferunt, ſed voratam in os ſuorum pullorum regerunt.

Uſque adhærebatis : quod ego juſſeram, quod volueram
Faciebatis : quod nolebam ac vetueram, de induſtriâ
Fugiebatis, neque conari id facere audebatis priùs,
Nunc neque quid velim, neque nolim, facitis magni, peſſumæ.
CL. Non tu ſcis? hic noſter quæſtus aucupii ſimillimu 'ſt.
Auceps quando concinnavit aream, offundit cibum :
„ Aves aſſueſcunt. NECESSE eſt facere ſumptum, qui quærit lucrum.
„ Sæpè edunt : ſemel ſi captæ ſunt, rem ſolvunt aucupi :
„ Itidem hîc apud nos. ædis nobis area eſt; auceps ſum ego;
„ Eſca eſt meretrix; lectus illix eſt; amatores, aves :
Benè ſalutando conſueſcunt, compellando blanditer,
Oſculando, oratione vinnulâ venuſtulâ.
Si papillam pertractavit; haud eſt ab re aucupis.
Savium ſi ſumpſit, ſumere cum licet ſine retibus.
Hæccine te eſſe oblitum, in ludo qui fuiſti tamdiu?
AR. Tua iſta culpa eſt, quæ diſcipulum ſemidoctum abs te amoves.
CL. Remeato audacter, mercedem ſi eris nactus : nunc abi.

INTERPRETATIO.

Semper adhærebatis, præſtabatis id quod ego mandaveram, quod volueram; declinabatis, datâ operâ, ea quæ nolebam ac vetabam. Neque audebatis conari id facere antea: nunc facitis magni, peſſimæ, aut quid velim, aut quid nolim. CL. *Tu neſcis. Noſtrum lucrum eſt ſimillimum aucupii: quando auceps comparavit aream, objicit eſcam: aſſueſcunt. Eſt neceſſe eum qui quærit quæſtum, facere ſumptum. Aves ſæpè edunt: ſi ſemel ſunt captæ, reſarciunt ſumptum aucupis. Idem evenit apud nos. Noſtræ ædes ſunt area, ego ſum auceps, meretrix eſt eſca, lectus eſt illicium, amatores ſunt aves: conſueſcunt ſalutando benè, compellando blandè, oſculando, oratione illecebroſa, jucunda: ſi contrectavit papillam, id non eſt longè ab officio aucupis: ſi libavit oſculum, licet eum ſumere ſine retibus. Hoccine te eſſe oblitum, qui fuiſti tandiu in ludo?* ARG. *Eſt iſta tua culpa, quæ amandus à te diſcipulum ſemi inſtitutum.* CL. *Revertare audacter, ſi eris nactus mercedem: jam abi.*

ANNOTATIONES.

65. *Neceſſe eſt facere ſumptus, qui quæris lucrum.*] Ludovicus XII. Rex Gallorum hoc ſemper in ore habebat, & quibuſvis inculcabat, autore Arnaldo Ferrono Burdigal. de Rebus geſtis Gallorum lib. 3. Cæterùm, nullus unquam Rex tam magnificus fuit, ne dicam profuſus, tam benignus adverſus ſubditos, ut PATER POPULI mereretur appellari. Habuit & illud Curculionis:

Qui homo maturè quæſivit pecuniam,
Niſi eam maturè parſit, maturè eſurit.

68. *Illix eſt.*] Nonius: *Illix & illex ſic diſcernuntur. Ab illiciendo fit illix: illex verò eſt à quo lex non ſervatur.*

69. *Benè ſalutando.*] Paſſivè, *bene ſalutati.*

70. *Vinnulæ.*] A *vinno*, id eſt, *cincinno, molliter flexo.* Iſidorus: *Vinnulata vox eſt lenis & mollis, atque flexibilis: & vinnulata dicta à vinno, id eſt cincinno, molliter flexo.* Porrò *vinnula* à *vieo* cingo, unde *vimen*, *de l'oſier.*

71. *Haud eſt abs re aucupis.*] *utile eſt aucupi.*

AR. Mane, mane, audi: dic quid me æquum cenſes pro illâ tibi dare,
Annum hunc ne cum quîquam alio ſit. *CL.* téne? viginti minas.
Atque eâ lege, ſi alius ad me priùs attulerit, tu vale.
AR. At ego: eſt etiam, priuſquam abis, quod volo loqui. *CL.* dic quod lubet.
AR. Non omnino jam perii: eſt réliquum quo peteam magis.
Habeo, unde iſtuc tibi quod poſcis dem: ſed in leges meas
Dabo, ut ſcire poſſis perpetuum annum hunc mihi uti ſerviat,
Nec quenquam interea alium admittat prorſus, quàm me, ad ſe virum.
CL. Quin ſi tu voles, domi ſervi qui ſunt caſtrabo viros.
Poſtremò ut voles nos eſſe, ſyngrapham facito afferas.
Ut voles, ut tibi lubebit, nobis legem imponito:
Modò tecum unà argentum afferto; facilè patiar cætera.
„ PORTITORUM ſimillimæ ſunt januæ lenoniæ?
„ Si affers, tum patent: ſi non eſt quod des, ædes non patent.
AR. Interii, ſi non invenio ego illas viginti minas.
Et profectò, niſi illud perdo argentum, pereundum eſt mihi.
Nunc pergam ad forum, atque experiar opibus, omni copiâ:
Supplicabo, exobſecrabo, ut quemque amicum videro:
Dignos, indignos adire, atque experiri, certum eſt mihi.
Nam ſi mutuas non potero, certum eſt ſumam fœnore.

INTERPRETATIO.

ARG. *Mane, mane, au culta: loquere quid putas æquum me tibi dare pro illâ, ne ſit cum quoquam alio* per annum. CL. *Nonne vis eſſe tecum? viginti minas* compara, *& eâ conditione, ut ſi alius ad me attulerit priùs. tu vale.* ARG. *At eſt adhuc aliquod quod ego volo tibi dicere, priuſquam abis.* CL. *Loquere quod placet.* ARG. *Non perii planè, ſupereſt aliquid quo peream magis, habeo unde dem quod poſcis; ſed dabo in meas conditiones, ut poſſis ſcire ut mihi ſerviat totum hunc annum. Nec interea admittat prorſus quemquam alium virum ad ſeſe quàm me.* CL. *Quin, ſi tu voles, caſtrabo viros qui ſunt ſervi domi. Denique ſicut cupies nos agere, refer in ſyngrapham. Præſcribe nobis leges quas voles, ut tibi placebit. Afferto modò tecum pecuniam, ſinam facilè reliqua. Januæ lenoniæ ſunt ſimillimæ portitorum: ſi affers, tum ædes patent; ſi non eſt quod des, ædes non patent.* ARG. *Perii, niſi ego invenio illas viginti minas; & ſanè niſi amitto illam pecuniam, eſt mihi pereundum. Pergam nunc ad forum, & conabor quærere pecuniam omni ope & induſtriâ. Obteſtabor, precabor ut videro quemque amicum. Mihi propoſitum eſt adire dignos indignoſque, atque experiri. Nam niſi potero invenire mutuas, eſt certum ſumere fœnore.*

ANNOTATIONES.

81. *In leges meas dabo.*] *meis conditionibus & pactis, ad meum arbitrium.*

82. *Perpetuum annum.*] id eſt, *anno integro.*

85. *Syngrapham.*] Tabulas utriuſque manu conſignatas.

94. *Experiri.*] id eſt, *adire cum periculo repulſa.* Virgilius:

— *rurſuſque procos irriſa priores*
Experiar.

95. *Mutuas.*] Mutuum eſt quod ſine fœnore datur. Fœnus dicitur Græcè *τόκος*, unde Cicero, *Non habebam te in tocullionibus. à τοκυλλίων, id eſt fœneratorculus, à τόκος.*

ACTUS SECUNDUS.

ARGUMENTUM.

IN Scenis duabus prioribus proſequitur & claudit explicarionem protaſeos, ratione propoſitâ Saureæ circumveniendi. In reliquo Actu, Mercatore aſinorum fraudibus & Demæneti & ſervorum duorum Libani & Leonidæ, decepto, minæ viginti intercipiuntur.

ACTUS SECUNDUS. SCENA PRIMA.

ARGUMENTUM.

LIBANUS ſeſe accingit ad fraudendum Sauream, etiam cum aperto virgarum periculo.

LIBANUS.

HERCLE verò, Libane, nunc te meliuſt' expergiſcier,
Atque argento comparando fingere fallaciam.
Jam diu eſt factum quom diſceſti ab hero, atque abiiſti ad forum.
Igitur inveniundo argento ut fingeres fallaciam.
Ibi tu ad hoc diei tempus dormitaſti in otio.
Quin tu abs te ſocordiam omnem reice, & ſegnitiem amove,
Atque ad ingenium vetus verſutum te recipis tuum!
Serva herum! cave tu idem faxis, alii quod ſervi ſolent,
Qui ad heri fraudationem callidum ingenium gerunt.
Unde ſumam? quem intervortam? quò hânc celocem conferam?

INTERPRETATIO.

LIB. *PEr Herculem, Libane, eſt ſatius te excitari jam, & comminiſci dolum ad comparandam pecuniam Jampridem abiiſti ab hero, atque veniſti ad forum, ut comminiſcereris fraudem ad reperiendam pecuniam. Tu dormitaſti ibi ad hanc horam dies otioſus. Quin tu, amove à te & repelle ſocordiam, atque repete tuam veterem mentem. Conſerva herum: tu facias id quod alii ſervi conſueverunt, qui habent animum verſipellem ad decipiendum herum. Unde accipiam? Quem circumveniam? Quò conferam hanc navim?*

ANNOTATIONES.

4. *Igitur.*] id eſt, *idcirco, eâ gratiâ.*

6. *Segnitiem, ſocordiam.*] Donatus *Segnitia ad agendum, ſocordia ad conſiderandum.*

10. *Celox.*] Navigium velocius, quod à celeritate *celox* dicitur, quodque annectitur navibus grandioribus. *Celoc m conferam*, id eſt, *rem ad optatum exitum perducere conabor. Celox* Græcè κέλης, ητος.

Impetritum ; inauguratum 'ſt , quôvis admittunt avês.
Picus & cornix eſt ab lævâ; corvus porrò ab dexterâ.
Conſuadent ! certum hercle eſt veſtram conſequi ſententiam.
Sed quid hoc , quòd picus ulmum tundit ? non temerarium 'ſt :
Certè hercle ego quantum ex augurio auſpicii intellego ,
Aut mihi in mundo ſunt virgæ , aut atrienſi Saureæ.
Sed quid illuc , quòd exanimatus currit huc Leonida ?
Metuo , quod illic obſcævavit meæ falſæ fallaciæ.

INTERPRETATIO.

Eſt ratum & conſultum. Aves mittunt quòvis garritum. Picus & Cornix eſt à ſiniſtrâ, Corvus præterea à dextrâ: Conſuadent: Per Herculem eſt conſtitutum ſequi veſtram ſententiam. Sed quid eſt hoc? Quare Picus tundit roſtro ulmum? Non eſt fortuitum: Per Herculem, quantum ego intelligo ex auſpicio, aut mihi erunt virgæ, aut Saureæ Atrienſi. Sed quare hic Leonida contendit illuc exhauſto ſpiritu? Timeo ne ille afferat malum omen meis dolis.

ANNOTATIONES.

11. *Impetritum.*] id eſt, *imoetratum.* Firmum ac ſecurum; verbum eſt auſpiciorum. Valerius Maximus: *Priſco etiam inſtituto rebus divinis opera datur, cùm aliquid commendandum eſt, precatione: cùm expoſcendum, voto: cùm ſolvendum, gratulatione: cum inquirendum vel extis vel ſortibus, impetrito: cùm ſolenni ritu peragendum, ſacrificio. Quo etiam oſtentorum ac fulgurum denunciationes procurantur. Impetritum*, id eſt *impetratum.* Sic *artitum* pro *artatum*, *dolitum* pro *dolatum.*

Inauguratum.] id eſt, *augurium actum eſt & conſultum, res conſulta eſt.*

Admittunt aves.] id eſt, *conſilium approbant, & ratum faciunt ſuo garritu. Admittere, addicere, impetrire,* auguralia verba. Feſtus: *Aves admiſſivæ dicebantur, quæ conſulentem juvarent.*

15. *Ex augurio auſpicii.*] *Augurium* ab avium garritu, *auſpicium* ab avium aſpectu dictum, inde rei deſerendæ vel ineundæ conſilium captabant.

16. *Atrienſis.*] *Æditimus* etiam dictus *atrienſis*, ab *atrio* in quo cœnabant Veteres, libabant diis, & cenſum reponebant. Primus erat ſervorum, *Atriarius* ferme ultimus.

18. *Obſcævavit.*] à *ſcæva*, id eſt *omen.* *Scæva* autem eſt bona vel mala. Nonius: *Scæva autem & bona & mala dicitur: bona ſcæva, bonum omen; mala ſcæva, malum omen.* *Obſcævare* eſt *malo eſſe omini.*

ACTUS SECUNDUS. SCENA SECUNDA.

ARGVMENTVM.

MERCATOR Pellæus venit à Pella urbe Macedoniæ ad diſſolvendas Saureæ atrienſi Artemonæ minas viginti pro aſinis. Verùm cùm nec noſſet ubi Demænetus, atque adeò Saurea maneret, nec quo vultu eſſet ipſe Saurea, incidit in Leonidam, cui cauſam itineris aperit. Leonida nactus anſam fallendi, & indicat domum Demæneti, & ſe Sauream eſſe profitetur, numerandáſque eſſe ſibi minas viginti contendit; recuſat facere Mercator, cauſatus ſe non noſſe Sauream; ſed Demæneto paratum eſſe ſe diſſolvere pecuniam affirmat.

aſſirmat. Hæc in poſtſcenio. In Scena Libanus & Leonida rationem fraudis univerſam comminiſcuntur.

LEONIDA, LIBANVS.

LEONIDA.

UBi ego nunc Libanum requiram, aut familiarem filium?
Uti ego illos lubentiores faciam, quàm Lubentia 'ſt?
Maximam prædam & triumphum eis adfero adventu meo.
Quando mecum pariter potant, pariter ſcortari ſolent,
Hanc quidem quam nactus prædam, pariter cum illis partiam.
LI. Illic homo ædis compilavit, more ſi fecit ſuo.
Væ illi, qui tam indiligenter obſervavit januam.
LE. Ætatem velim ſervire, Libanum ut conveniam modò!
LI. Meâ quidem hercle operâ liber nunquam fies ocyùs.
LE. Etiam de tergo ducentas plagas prægnantis dabo.
LI. Largitur peculium: omnem in tergo theſaurum gerit.
LE. Nam ſi huic occaſioni tempus ſeſe ſubterduxerit,
Nunquam edepol quadrigis albis indipiſcet poſtea.
Herum in obſidione linquet, inimicûm animos auxerit.
Sed ſi mecum occaſionem opprimere hanc, quæ obvenit, ſtudet,
Maximas opimitates gaudio effertiſſimas
Suis heris ille unà mecum pariet, gnatóque & patri:

INTERPRETATIO.

LE. *VBi ego inveniam Libanum aut filiumfamiliæ, ut ego illos reddam lætiores lætitiâ ipsa; eis apporto meo adventu maximam prædam & triumphum, quandoquidem potant mecum unà, ſolent ſcortari unà. Dividā perfectò unà cum illis hanc prædam quam reperi.* LIB. *Ille homo compilavit ædes, ſi fecit ſuo more. Væ illi qui obſervavit tam negligenter oſtium.* LE. *Velim ſervire longam ſervitutem, ut alloquar modò Libanum.* LIB. *Per Herculem, nunquam eris liber celeriùs meo adjumento.* LE. *Numerabo etiam ducentas plagas tumidas de tergo* ſumptas. LIB. *Prodigit peculium, fert omnem theſaurum in tergo.* LE. *Nam ſi occaſio elapſa ſit è manibus, per ædem Pollucis nunquam aſſequetur poſteà quadrigis albis. Deſeret herum in obſidione, eriget animos hoſtium. Sed ſi velit occupare hanc occaſionem quæ oblata eſt, ille afferet mecum maximas divitias conjunctas cum ſummo gaudio & filio & patri, ſuis heris:*

ANNOTATIONES.

7. *Obſervavit.*] Ad januam civium lautiorum collocabantur cuſtodes ſervi, quemadmodum etiamnum Helvetii.

8. *Ætatem.*] Ellip. præpoſitionis, *per*, aut Helleniſmus. Donatus: *Ætatem*, pro *tandiu quàm longa eſt ætas.*

10. *Plagas prægnantes.*] Plagæ prægnantes ſunt plagæ tumentes, ſeu vibices: porrò optat Leonida Libanum convenire, paratus redimere hanc voluptatem & ſervitute, & ſervitutis quaſi quodam vectigali, plagis nimirum de tergo numeratis. Servilis jocus.

13. *Quadrigis albis.*] Jovis & Solis quadrigæ, albæ & citæ. Hyperbole

14. *In obſidione linquet.*] Allegoria à re militari, id eſt, *in diſcrimine linquet Argyrippum perdenda*, videlicet, *Philenii.* Auxerit *inimicorum* Clearetæ & Diaboli *animos.*

Adeò ut ætatem ambo ambobus nobis ſint obnoxii,
Noſtro devincti beneficio. *LI.* vinctos neſcio quos ait.
Non placet. metuo, in commune ne quam fraudem frauſus ſiet.
LE. Perii ego oppidò, niſi Libanum invenio jam, ubi ubi eſt gentium?
LI. Illic homo ſocium ad malam rem quærit, quem adjungat ſibi.
Non placet. pro monſtro extemplò eſt, quando qui ſudat tremit.
LE. Sed quid ego hîc properans conceſſo pedibus, linguâ largior?
Quin ego hanc jubeo tacere, quæ loquens lacerat diem?
LI. Edepol hominem infelicem, qui patronam comprimat:
Nam ſi quid ſceleſtè fecit, lingua pro illo pejerat.
LE. Approperabo, ne poſt tempus prædæ præſidium parem.
LI. Quæ illæc præda eſt? ibo advorſum atque electabo quicquid eſt.
Jubeo te ſalvere voce ſummâ, quoad vires valent.
LE. Gymnaſium flagri, ſalveto. *LI.* quid agis, cuſtos carceris?
LE. O catenarum colone! *LI.* ô virgarum laſcivia!
LE. Quot pondo ted eſſe cenſes nudum? *LI.* non edepol ſcio.
LE. Scibam ego te neſcire: at pol ego qui te expendi ſcio.
Nudus vinctus centum pondo es, quando pendes per pedes.

INTERPRETATIO.

adeo ut ambo nobis ſint futuri obſtricti ambobus in æternum, quando affecerimus hoc beneficio. LIB. *Commemorat neſcio quos ligatos, non placet: metuo ne commiſerit aliquam fallaciam quæ* nos involvat ambos pœnâ *communi.* LE. *Ego occidi planè, niſi invenio jam Libanum: ubi ubi ſit terrarum?* LIB. *Ille homo quærit ſodalem quem ſibi adjungat ad pœnam, non placet: eſt ſtupendum, quando ille qui ſudat, tremit.* LE. *At quid ego hic tardus ſum pedibus, velox verbis? Quin ego præcipio* linguam *tacere, & minimè conſumere diem garriendo.* LIB. *Heu, per ædem Pollucis, infelicem hominem qui opprimat patronam! Nam ſi fecit aliquid malè, lingua pejerat pro illo.* LE. *Accelerabo ne poſt tempus prædæ comparem præſidium.* LIB. *Quæ eſt illa præda? Ibo obviam atque eliciam* ab eo *quidquid eſt. Jubeo te ſalvere,* Leonida, *magnâ voce, quoad vires poſſunt.* LE. *Salve, gymnaſium flagri.* LIB. *Quid facis, cuſtos carceris?* LE. *O civis colonia catenarum!* LIB. O cujus feriendo tergo *verbera delectantur adeo.* LE. *Quo pondere putas tu te eſſe, quando es nudus?* LIB. *Per ædem Pollucis, neſcio.* LE. *Ego ſciebam te ignorare: ſed per Pollucem ego ſcio, qui te expendi. Es centum librarum, quando nudus & vinctus pendes per pedes.*

ANNOTATIONES.

20. *Fraudem frauſus.*] Feſtus, *fraudem commiſerit.*

28. *Poſt tempus prædæ.*] id eſt, *poſt bellum ſuppetias.*

29. *Electabo.*] *eliciam.*

LI. Quo argumento iſtuc? *LE.* ego dicam, quo argumento & quo modo.
Ad pedes quando alligatus es æquum centupondium,
Ubi manus manicæ complexæ ſunt, atque adductæ ad trabem,
Nec dependis, nec propendis, quin malus nequamque ſis.
LI. Væ tibi. *LE.* hoc teſtamento Servitus legat tibi.
LI. Verbis velitationem fieri compendi volo.
Quid iſtuc negotii eſt? *LE.* certum eſt credere? *LI.* audacter licet.
LE. Sis amanti ſubvenire familiari filio,
Tantùm adeſt boni improviſo, verùm commixtum malo;
Omnes de nobis carnificum concelebrabuntur dies.
Libane, nunc audaciâ uſus eſt nobis inventâ & dolis.
Tantum facinus modò inveni ego, ut nos dicamur duo
Omnium digniſſimi eſſe, quò cruciatûs confluant.
LI. Ergo mirabar, quòd dudum ſcapulæ geſtibant mihi,
Hariolari quæ occœperunt ſibi eſſe in mundo malum.
Quicquid eſt eloquere. *LE.* magna eſt præda cum magno malo.
LI. Siquidem omnes conjurati cruciamenta conferant,
Habeo opinor familiarem tergum, ne quæram foris.
LE. Si iſtam firmitudinem animi obtines, ſalvi ſumus.
LI. Quin ſi tergo res ſolvenda eſt: rapere cupio publicum.

INTERPRETATIO.

LIB. *Quo ſigno arguis id?* LE. *Ego dicam quo ſigno & quo pacto, quando es alligatus pedibus, ei centum librarum juſtarum, ubi manicæ complectuntur manus, & adſtrictæ ſunt ad trabem, nullum habes momentum niſi mali viri & improbi.* LIB. *Dii te perdant.* LE. *Servitus tibi legat teſtamento* perditionem quam mihi optas. LIB. *Volo contrahi paucis verbis velitationem. Quid eſt id?* LE. *Decrevi committere tuæ fidei.* LIB. *Potes credere securè.* LE. *Si vis ſuccurrere filiofamilias amanti. Summum bonum ſeſe offert nobis ex improviſo: ſed* bonum illud *delutum eſt malo. Carnifices erunt ſemper celebres ſupplicio ſumpto de nobis. Libane, nunc nobis opus eſt comparatâ audaciâ & dolis. ego commentus ſum modò tantum facinus, ut ſimus dicendi ambo digniſſimi omnium in quos cruciatus omnes ingruant.* LIB. *Profectò admirabar quòd jampridem ſcapulæ mihi pruriebant. Nimirum illa divinabant eſſe malum ſibi paratum. Narra quidquid eſt.* LE. *Eſt ingens præda cum ingenti malo.* LIB. *Si universi conjurati conferant cruciamenta, habeo, ut ego arbitror, tergum domi* proprium, *ne quæram foris* mutuum. LE. *Si habes illam conſtantiam animi, ſumus ſalvi.* LIB. *Quin ſi res eſt pendenda tergo, cupio habere publicum* tergum.

ANNOTATIONES.

38. *Manicæ.*] Nonius: *Manicæ ſunt vincula quibus manus vinciuntur: Manoses, menostos.*

39. *Nec dependis, nec propendis,*] id eſt, *nullam unciam habes viri probi.*

40. *Væ.*] id eſt, *illud væ.*

41. *Velitationem.*] Græcè λογομαχίαν, *à velitibus*, id eſt *armaturæ levis militibus*, quaſi *velites à levitate.* Feſtus: *Advelitatio, jactatio quædam verborum, figurata ab haſtis velitaribus.* Nonnulli *verbis-velitationem* unam vocem faciunt.

53. *Familiarem tergum.*] *Tergus tergi*, olim maſculinum.

43. *Sis.*] *ſi vis.*

Pernegabo atque obdurabo, perjurabo denique.
„ *LE.* Hem! Iſta virtus eſt, quando uſu 'ſt, qui malum fert fortiter.
„ Fortiter malum qui patitur, idem pòſt patitur bonum.
LI. Quin rem actutum ediſſeris? cupio malum nanciſcier,
LE. Placidè ergo unumquidque derogita, ut acquieſcam. non vides
Me ex curſurâ anhelitum etiam ducere? *LI.* age, age, manſero
Tuo arbitratu, vel adeò uſque dum peris. *LE.* ubinam eſt herus?
LI. Major apud forum 'ſt, minor hîc eſt intus. *LE.* jam ſatis eſt mihi.
LI. Tum igitur tu dives es factus? *LE.* mitte ridicularia.
LI. Mitto. iſtud quod affers aures exſpectant meæ.
LE. Animum adverte, ut æquè mecum hæc ſcias. *LI.* taceo. *LE.* beas.
Meminiſtin' aſinos Arcadicos mercatori Pelleo
Noſtrum vendere arrienſem? *LI.* memini. quid tum poſtea?
LE. Hem! ergo is argentum huc remiſit, quod daretur Saureæ
Pro aſinis. adoleſcens venit modò, qui id argentum attulit.
LI. Ubi is homo 'ſt? *LE.* jam devorandum cenſes, ſi conſpexeris.
LI. Ita enimverò, ſed tamen tu nempe eos aſinos prædicas.

Interpretatio.

Pernegabo atque obdurabo, perjurabo denique. LE. *Hem eſt illa virtus quæ, quando opus eſt, fert conſtanter malum: qui fert conſtanter malum, idem poſtea fert bonum.* LIB. *Quin enarras rem continuò? volo invenire malum.* LE. *Itaque pete ſigillatim omnia ut obſequar: nonne animadvertis me ægrè trahere animam ex curſu.* LIB. *Dic, dic, expectavero ut volueris, etiam uſque eò dum animam effles.* LE. *Ubinam eſt herus?* LIB. *Major natu eſt in foro, minor eſt hic domi.* LE. *Eſt ſatis nunc mihi.* LIB. *Jam tu es ergo factus locuples.* LE. *Omitte jocum.* LIB. *Omitto. Meæ aures auſcultant id quod renuntias.* LE. *Adhibe mentem, ut intelligas hæc pariter mecum.* LIB. *Sileo.* LE. *Gratiſſimum mihi facis. Recordarisne noſtrum atrienſem vendidiſſe aſinos Arcadicos Mercatori Pellæo,* LIB. *Recordor. quid deinceps?* LE. *Hem! itaque idem remiſit huc pecuniam, ut numeraretur Saureæ pro aſinis. Mox adoleſcens venit, qui attulit eam pecuniam.* LIB. *Ubi eſt is homo?* LE. *Jam exiſtimas devorandum, ſi in conſpectum venerit.* LIB. *Ita ſanè, attamen ſcilicet tu loqueris de his aſinis.*

Annotationes.

57. *Hem eſt illa virtus.*] Cicero: *Sapientis eſt quidquid homini accidere poſſit, id præmeditari: ferendum modicè eſſe ſi advenerit. Majoris omnino eſt conſilii providere, ne quid tale accidat: ſed animi non minoris fortiter ferre, ſi venerit.* Sic Pittacus: συνετῶν ἀνδρῶν ἐστὶ, πρὶν γενέσθαι τὰ δυσχερῆ προνοῆσαι, μὴ γένηται, ἀνδρείων δὲ γενόμενα εὖ θέσθαι: *Intelligentium virorum eſt, priuſquam adveniunt incommoda, providere ne eveniant; fortium, ſi evenerint, compoſitè & moderatè ferre.*

67. *Pellæo.*] A Pella urbe Macedoniæ, celebri natalibus Alexandri Magni, à quo *Pellæus juvenis* dicitur à Juvenali.

Vetulos, claudos, quibus ſubtritæ adfemina jam erant ungulæ.
LE. Ipſos, qui tibi ſubvectabant rure huc virgas ulmeas.
LI. Teneo: atque iidem te hinc vexerunt vinctum rus. *LE.* memor es probè.
Verùm in tonſtrinâ ut ſedebam, me infit percontarier;
Ecquem filium Stratonis noverim Demænetum?
Dico me noviſſe extemplò, & me ejus ſervum prædico
Eſſe, & ædis demonſtravi noſtras. *LI.* quid tum poſtea?
LE. Ait ſe ob aſinos ferre argentum atrienſi Saureæ,
Viginti minas. ſed eum ſeſe non noviſſe hominem qui ſiet:
Ipſum verò ſe noviſſe callidè Demænetum:
Quoniam ille elocutus hæc ſic. *LI.* quid tum? *LE.* auſculta ergo, ſcies.
Extemplò facio facetum me, atque magnificum virum,
Dico me eſſe atrienſem. ſic hoc reſpondit mihi:
Ego pol Sauream non novi, neque quâ facie ſit ſcio:
Te non æquum eſt ſuccenſere. ſi herum vis Demænetum,
Quem ego novi, adduce: argentum non morabor quin feras.
Ego me dixeram adducturum, & me domi præſtò fore;
Ille in balineas iturus eſt, inde huc veniet poſtea.
Quid nunc conſilii captandum cenſes? dic. *LI.* hem iſtuc ago,
Quomodo argentum intervortam, & adventorem, & Sauream.
Jam hoc opus eſt exaſciatum. nam ſi ille argentum prius
Hoſpes huc adfert, continuò nos ambo excluſi ſumus.

INTERPRETATIO.

vetuſtis, claudis, quorum ungues ſunt jam ſubtritæ ad femora. LE. *Eoſdem qui pro te afferebant huc rure flagella ulmea.* LIB. *Recordor: & ipſi te tulerunt conſtrictum hinc rus.* LE. *Recordaris benè: ſed cùm ſederem in tonſtrina, incipit me percontari: numnam cognoſcam filium Stratonis Demænetum? Statim affirmo me noviſſe, & præ me fero me eſſe ejus famulum, & oſtendi noſtram domum.* LIB. *Quid deinceps?* LE. *Dicit ſe afferre atrienſi Saureæ pecuniam viginti minas pro aſinis; at ſeſe minimè noviſſe qualis ſit homo: ipſum autem ſe noviſſe optimè Demænetum: cum ille elocutus eſſet id...* LIB. *Quid tum?* LE. *Audi igitur, intelliges. Illico meme compono ut hominem ſcitum & lautum: aio me eſſe atrienſem. Ita mihi repoſuit: Equidem minimè novi Sauream, & neſcio quo vultu ſit. Non par eſt te iraſci mihi, ſi pecu*niam minimè numerem: *ſi placet, voca dominum Demænetum quem ego novi: non per me ſtabit quominus accipias pecuniam. Ego pollicitus eram me adducturum & me affuturum domi. Ille profectus eſt in balneas, poſtea revertetur illinc huc: quid conſilii exiſtimas capiendum jam? Eloquere.* LIB. *Hem id meditor, quâ ratione intervertam pecuniam, & advenientem, & Sauream. id negotii eſt jam inchoatum. Nam ſi ille hoſpes apportat huc primò pecuniam, ſtatim ejiciemur uterque.*

ANNOTATIONES.

91. *Iſtuc ago.*] Proverbialis formula, id eſt, *in eo ſum totus*, &c.

93. *Exaſciatum.*] id eſt, *rudiore operâ inceptum*: *Ebanché*.

Nam me hodie ſenex ſeduxit ſolum, ſeorſum ab ædibus,
Mihi, tibique interminatu 'ſt, nos futuros ulmeos,
Ni hodie Argyrippo eſſent viginti argenti minæ.
Juſſit vel nos atrienſem, vel nos uxorem ſuam
Defraudare: dixit ſeſe operam promiſſam dare.
Nunc tu abi ad forum ad herum, & narra, hæc ut nos acturi ſumus:
Te ex Leonidâ futurum eſſe atrienſem Sauream,
Dum argentum afferat Mercator pro aſinis. *LE.* faciam uti jubes.
LI. Ego illum interea hîc oblectabo. priùs ſi fortè advenerit.
LE. Quid ais? *LI.* quid vis? *LE.* pugno mâlam ſi tibi percuſſerô,
Mox cùm Sauream imitabor, caveto ne ſuccenſeas.
LI. Hercle verò tu cavebis, ne me attigas. ſi me tagis,
Næ hodie malo cum auſpicio nomen commutaveris.
LE. Quæſo, æquo animo patitor. *LI.* patitor tu item, cùm ego te referiam.
LE. Dico ut uſus fieri. *LI.* dico hercle ego quoque ut facturus ſum.
LE. Ne nega. *LI.* quin promitto, inquam, hoſtire contra, ut merueris.
LE. ego abeo. tu jam ſcio patiere. ſed quis hic eſt? is eſt,
Ille eſt ipſus. jam ego recurro huc. tu hunc interea hîc tene.
Volo ſeni narrare. *LI.* quin tuum officium facis ergo, ac fugis?

INTERPRETATIO.

Nam hodie ſenex me ſeorſum ab aliis duxit ab ædibus, mihi interminatus eſt tibique nos futuros ulmeos, niſi Argyrippo eſſent hodie viginti minæ argenti. Imperavit nos defraudare vel atrienſem, vel ſuam conjugem: dixit ſeſe daturum ſuam operam promiſſam. Jam tu proficiſcere ad forum & ad herum, & refer quomodo acturi ſumus illud. Te è Leonida futurum eſſe atrienſem Sauream, dum Mercator afferat pecuniam pro aſinis. LE. *Præſtabo ut jubes.* LIB. *Ego interim illum detinebo, ſi fortè advenerit priùs.* LE. *Quid ais?* LIB. *Quid vis?* LE. *Si te percuſſero malâ pugno, quando ſimulabo me mox Sauream, vide ne ægrè feras.* LIB. *Per Herculem tu videris, ne me tangas. Si me tetigeris, ne commutaveris hodie nomen cum ſiniſtro augurio,* & ne fias Saurea pro Leonida. LE. *Rogo, patere ultro.* LIB. *Patere tu, quando ego rurſus te viciſſim percutiam.* LE. *Doceo ut opus eſt fieri.* LIB. *Dico per Herculem etiam quemadmodum facturus ſum.* LE. *Ne recuſa.* LIB. *Quin polliceor, inquam, par pari referre ut merueris.* LE. *Ego proficiſcor: tu jam ut ſcio feres. Sed quis eſt hic? Eſt is, eſt ille ipſe. Jam ego revertor huc interim. Detine hominem hic: cupio recenſere ſeni.* LIB *Quin facis tu igitur officium, & abis.*

ANNOTATIONES.

96. *Ulmeos.*] *flagris ulmeis concidendi.*

ACTUS SECUNDUS. SCENA TERTIA.

ARGUMENTUM.

VENIT ad ædes Demæneti Mercator Pellæus, quas Leonida indicaverat. Sed abeſt Demænetus, abeſt & Saurea. Libanus verò hominem excipit, eique Leonidam pro Saurea depingit: idque ad eum in fraudem impellendum.

MERCATOR, LIBANUS.

MERCATOR.

UT demonſtratæ ſunt mihi, haſce ædis eſſe oportet,
Demænetus ubi dicitur habitare. I, puere, pulta,
Atque atrienſem Sauream, ſi eſt intus, evocato huc.
LI. Quis noſtras ſic frangit fores? Ohe! inquam, ſi quid audis.
ME. Nemo etiam tetigit: ſanúſne es? *LI.* at cenſebam attigiſſe,
Propterea, huc quia habebas iter. nolo ego fores conſervas meas
A te verberarier: ſanè ego ſum amicus noſtris ædibus.
ME. Pol haud periculum eſt, cardines ne foribus effringantur,
Si iſtoc exemplo tu omnibus qui quærunt, reſpondebis.
LI. Ita hæc morata eſt janua: extemplò janitorem
Clamat, procul ſi quem videt ire ad ſe calcitronem.
Sed quid venis? quid quæritas? *ME.* Demænetum volebam.
LI. Si ſit domi, dicam tibi. *ME.* quid? ejus atrienſis?
LI. Nihilo mage intus eſt. *ME.* ubi eſt? *LI.* ad tonſorem ire dixit.
ME. Quum veniſſet, pòſt non rediit? *LI.* non edepol. quid volebas?

INTERPRETATIO.

MER. *Neceſſe eſt ea ipſa eſſe tecta in quibus dicitur Demænetus manere. Nam mihi ſic indicata ſunt. Inveſtiga, ò puer, pulſa & acceſſe huc atrienſem Sauream, ſi eſt domi.* LIB. *Quis comminuit ſic noſtram januam? Ohe aio, ſi non es ſurdus.* MER. *Nullus certè pulſavit. inſaniſne?* LIB. *Exiſtimabam te pulſaſſe, quoniam hac faciebas viam. Ægrè fero à te pulſari noſtram januam, meam conſervam. Certè ego amo noſtras ædes.* MER. *Sanè non eſt verendum, ne convellantur cardines januarum, ſi tu reponas ſic cunctis, qui quærunt.* LIB. *Hæ fores ſic ſactæ ſunt. Acceſſunt janitorem ſtatim, ſi quem cernunt à longè calcibus infeſtis accedere ad ſeſe. At qua cauſa via? quid quæris?* MER. *Animus erat alloqui Demænetum.* LIB. Non eſt domi: *ſi eſſet, tibi dicerem.* MER. *Quid? Eſtne ejus atrienſis?* LIB. *Nihilo magis domi eſt.* MER. *Ubi eſt?* LIB. *Dixit ſe ire ad tonſorē.* MER. *Ex quo tempore ivit? annon reverſus eſt?* LIB. *Minimè profectò, quid cupiebas?*

ANNOTATIONES.

11. *Calcitronem.*] *calcibus infeſtum.*

ME. Argenti viginti minas, ſi adeſſet, accepiſſet.
LI. Quî pro iſtuc? *ME.* aſinos vendidit Pellæo mercatori
Mercatu. *LI.* ſcio. tu id nunc refers. jam hîc credo eum affuturum.
ME. Quâ facie veſter Saurea eſt? ſi is eſt, jam ſcire potero.
LI. Macilentis mâlis, rufulus, aliquantum ventrioſus,
Truculentis oculis, commodâ ſtaturâ, triſti fronte.
ME. Non potuit pictor rectiùs deſcribere ejus formam.
Atque hercle ipſum adeò contuor, quaſſanti capite incedit.
LI. Quiſque obviam huic occeſſerit irato, vapulabit.
Siquidem hercle Æacidinis minis animiſque expletus incedit,
Si me iratus tetigerìt, iratus vapulabit.

INTERPRETATIO.

MER. *Si adeſſet, numeraſſem viginti minas argenti.* LIB. *Pro quo iſtud?* MER. *Vendidit aſinos Pellæo Mercatori in foro pecuario.* LIB. *Intelligo: tu affers jam pecuniam: ſpero ipſum adventurum modo huc.* MER. *Quo vultu eſt veſter Saurea? Cognoſcere potero modò. ſi eſt is.* LIB. *Genis cavis, ſubrufus, aliquantulum prominente ventre, oculis infeſtis, fronte adductâ, commodâ proceritate.* MER. *Pictor nequiſ meliùs depingere ejus formam. Per Herculem, & ut ita dicam, ipſum ſpecto. Incedit capite nutante.* LIB. *Quicumque huic occurrerit, hic irato dabit pœnas. Siquidem per Herculem incedit elatus Herculeis minis & animis, ſi iratus me percuſſerit, iratus percutietur.*

ANNOTATIONES.

18. *Mercatu.*] Nonius. *Locus eſt in quo agitur mercatura.* Ellipſis, *in.*

21. *Commoda ſtatura.*] id eſt, *mediocris.* Senum erat pedum; vocabatur & *militaris*: quæ excedebat, vocata eſt à Spartiano *prolixa*, à Suetonio *eminens*, à Livio *eximia*: qui minore, *exiles, breves*, & *minore ſtaturá* dicti.

25. *Æacidinis minis.*] id eſt, *quamvis eſſet Achilles ipſe, ſi me tangat, vapulabit.* Horat.

Pelidæ ſtomacho cedere neſcio.

ACTUS SECUNDUS. SCENA QUARTA.

ARGVMENTVM.

LEONIDA falſus Saurea ſupervenit quaſi ex improviſo, qualem deſcripſerat Libanus. Mercator conſpicatus, Sauream eſſe verum arbitratur. Tumultuatur adventu ſuo, ſicut atrienſes ſolent paulò inſolentiores: alios pulſat, alios fugat, aliis minas intentat, omnibus eſt terrori, idque ad promovendam fallaciam: ſed nec ſic tamen decipi poteſt Mercator. agreſti homo diffidentiâ, negat dare pecuniam, niſi ei cui dixerit Demænetus quem noſſet.

LEONIDA,

LEONIDA, MERCATOR, LIBANUS.

LEONIDA.

QUID hoc eſt negotii? neminem meum dictum magnifacere.
Libanum in tonſtrinam, ut juſſeram, venire, is nullus venit.
Næ ille edepol tergo & cruribus conſuluit haud decorè.
ME. Nimis imperioſus eſt. *LI.* væ mihi hodie! *LE.* ſalvere juſſi
Libanum libertum! jam manu emiſſus? *LI.* obſecro te.
LE. Næ tu hercle cum magno malo mihi obviam occeſſiſti.
Cur non veniſti, ut juſſeram, in tonſtrinam? *LI.* hic me moratu 'ſt.
LE. Siquidem hercle nunc ſummum Jovem te dicas detinuiſſe,
Atque is precator aſſiet, malam rem effugies nunquam.
Tu, verbero, imperium meum contempſiſti? *LI.* perii, hoſpes.
ME. Quæſo hercle noli, Saurea, meâ cauſſâ hunc verberare.
LE. Utinam nunc ſtimulus in manu mihi ſit! *ME.* quieſce, quæſo.
LE. Quî latera conteram tua, quæ occalluêre plagis.
Abſcede, & ſine me hunc perdere, qui ſemper me irâ incendit.

INTERPRETATIO.

LE. *Quid eſt hoc? Nemo paret meis mandatis. Imperaveram Libanum venire in tonſtrinam: is non venit, certè ille non benè conſuluit tergo & cruribus.* MER. *Eſt mirum in modum impotens.* LIB. *Me miſerum hodie!* LE. *Plurimam ſalutem dixi Libano liberto. Jamne manumiſſus?* LIB. *Obteſtor te.* LE. *Tu per Herculem mihi occurriſti cum magno infortunio. Quare non veniſti in tonſtrinam, ut imperaveram?* LIB. *Is me detinuit* LE. *Siquidem per Herculem jam dices ſummum Jovem te detinuiſſe, atque is ſi deprecator ſeſe offerat, declinabis nunquam peſtem. Tu, maſtigia, aſpernatus es meum imperium.* LIB. *Perii, hoſpes.* MER. *Rogo per Herculem ne verberes hominem meâ cauſâ.* LE. *Utinam mihi eſſet nunc fuſtis præ manibus!* MER. *Quieſce, rogo.* LE. *Quo contererem tua latera quæ occalluere virgis. Recede, & me patere hunc conficere, qui mihi creat ſemper iracundiam.*

ANNOTATIONES.

1. *Magnifacere.*] quia ſervus atrienſis quemdam in ſervos cæteros obtinebat principatum. Leonida pſeudo-Saurea denegatâ imperiis ſuis reverentiâ conqueritur.

2. *Nullus venit,*] Cic. *Philotimus nullus venit.*

5. *Libanum libertum.*] Exprobrantis eſt heri vox, quòd Libanus egerit, abſente hero, ſic, quaſi fuiſſet libertus, & non ſervus: eſt ficta iracundia pſeudo-Saureæ.

6. *Occeſſiſti.*] *obviam acceſſiſti.*

13. *Occalluere.*] Gruterus ſcribit *occaLuere* per unum *l*. ſed majuſculum: quod erat apud Veteres in uſu, ut in mediâ voce litteram majuſculam pro duplici litterâ ſcriberent.

Cui nunquam unam rem me licet ſemel præcipere furi,
Quin centies eadem imperem, atque ogganniam: itaque jam hercle
Clamore ac ſtomacho non queo labori ſuppeditare.
Juſſin' ſceleſte, ab januâ hoc ſtercus hinc auferri?
Juſſin' columnis dejici operas aranearum?
Juſſin' in ſplendorem dari bullas has foribus noſtris?
Nihil eſt: tanquam ſi claudus ſim, cum fuſti eſt ambulandum.
Quia triduum hoc unum modò foro operam aſſiduam dedi,
Dum reperiam qui quæritet argentum in fœnus, hîc vos
Dormitis interea domi: atque herus in harâ, haud ædibus habitat.
Hem ergo hoc tibi! *LI.* hoſpes, te obſecro, defende. *ME.* Saurea, oro
Meâ cauſſâ ut mittas. *LE.* eho, ecquis pro vecturâ olivi
Reſolvit? *LI.* reſolvit. *LE.* cui datum eſt? *LI.* Sticho vicario ipſi
Tuo. *LE.* vah! delenire apparas. ſcio mihi vicarium eſſe,
Neque eo eſſe ſervom in ædibus heri, qui ſit pluris, quàm ille ſit,
Sed vina quæ heri vendidi vinario Exaerambo,
Jam pro iis ſatisfecit Sticho? *LI.* feciſſe ſatis opinor:

INTERPRETATIO.

cui latroni nunquam contigit me præcepiſſe vel unum. quin centies jubeam, atque occinam eadem. Itaque nequeo jam per Herculem par eſſe moleſtia clamoris & ſtomachi. Imperavi tibi, ſceleſte. amoveri hinc hoc ſtercus ab aditu? Imperavi tibi decuti columnis telas aranearum? Imperavi perfricari hos clavos *bullatos valvarum noſtrarum? Nihil profuit: eſt mihi incedendum* ſemper *cum baculo* ad te cogendum ad laborem, *quaſi eſſem claudus: quia hoc uno verſatus ſum in foro, ut invenirem qui quærunt pecuniam in fœnus. Interim otiamini hic domi, atque herus veſter manet in ſtabulo, & non in ædibus. Hem igitur hoc tibi.* LIB. *Hoſpes, te obteſtor, defende.* MER. *Saurea, precor ut ponas iram meâ causâ.* LE. *Eho aliquis ſolvit pro vecto olivo.* LIB. *Reſolvit.* LE. *Cui datum eſt?* LIB. *Sticho ipſi tuo vicario.* LE. *Vah! incipis placare. Scio mihi eſſe vicarium, quo nullus eſt ſervus in ædibus heri, qui valeat pluris. Sed Exarambus vinarius numeravitne Sticho pecuniam pro vino quod vendidi heri?* LIB. *Exiſtimo feciſſe ſatis:*

ANNOTATIONES.

18. *Stercus.*] Servi erant ſcoparii, à *ſcopis.*

20. *Bullas.*] Capita clavorum, qualia cernuntur etiamnum ordine diſpoſita in valvis potentiorum, in ſplendorem dabantur à ſervis ſcopariis. *On les écuroit.* Veteres Romani ornabant & fores ſuas ſigillis deorum vel fictilibus vel æneis. Hæc ornamenta vocabantur *Antefixa. Antepegmenta.* In Kalendario ſuo Veteres fauſtos infauſtoſque dies *clavis* diſtinguebant in valvis, etiam annos & intervalla temporum *clavis* notabant, unde *Dictator clavo pangendo.*

30. *Sed vina quæ heri vendidi Exarambo vinario, jam ſatisfecit pro iis Sticho?*] pro, *Sed Exarambus vinarius ſatisfecitne Sticho pro vino quod ei vendidi heri.* Non abſimile eſt hoc vernaculi noſtri, *Noſtre vin, l'a-t-on payé.*

Nam vidi huc ipſum adducere trapezitam Exaerambum.
LE. Sic dedero. priùs quàm credidi, vix anno pòſt exegi.
Nunc ſatagit: adducit domum etiam ultrò, & ſcribit nummos.
Dromo mercedem rettulit? *LI.* dimidio minus opinor.
LE. Quid reliquom? *LI.* aiebat reddere quàm extemplò redditum eſſet:
Nam retineri, ut quod ſit ſibi operis locatum efficeret.
LE. Scyphos quos utendos dedi Philodamo, rettulitne?
LI. Non etiam. *LE.* hem! non? ſi velis, da, commoda homini amico.
ME. Perii hercle. jam hic me abegerit ſuo odio. *LI.* heus! jam ſatis tu.
Audin' quæ loquitur? *LE.* audio, & quieſco. *ME.* tandem opinor
Conticuit. nunc adeam optimum eſt, priuſquam incipit tinnire.
Quàm mox mihi operam das? *LE.* ehem, optume: quamdudum tu adveniſti?
Non hercle te provideram. quæſo, ne vitio vertas,
Ita iracundia obſtitit oculis. *ME.* non mirum factum eſt.

Interpretatio.

nam vidi ipſum Exarambum adducere huc argentarium. LE. *Utinam ſic dediſſem ſemper. Nam eorum quæ dedi antea, vix pretium tuli, anno integro exacto. Nunc ſatisfacit: adducit etiam ultrò domum* trapezitam Exærambum, *& ſpondet* apud eum tabulis conſignatis ſe pecuniam daturum intra tempus certum. *Dromo mercedemne retulit?* LIB. *Attulit dimidiam partem, ut puto.* LE. *Quando afferet alteram partem?* LIB. *Dicebat ſe redditurum illico eam quæ ſibi reddita eſſet: ſe verò retineri, ut faceret opus quod pro te faciendum ſuſceperit.* LE. *Scyphos quos commodavi Philodamo, reddiditne?* LIB. *Nondum.* LE. *Hem non retulit? Si velis, da, mutuum præbe amico.* MER. *Perii per Herculem! iſte me modò abiget ſuâ iracundiâ.* LIB. *Heu! capiſne tu jam ſatis quæ dicit?* LE. *Capio. & quieſco.* MER. *Denique, ut opinor, conticuit. Tempus eſt ut adeam nunc antequam incipit obſtrepere. Quam attentionem mihi jam præbes,* Saurea? LE. *Ehem, bene: quam dudum tu adveniſti? Per Herculem minimè te animadverteram, ita iræ obcæcavit oculos.* MER. *Non mirũ videtur.*

Annotationes.

34. *Scribit nummos.*] Trapezita debebat pecuniam Exærambo, Exærambus Saureæ. Exærambus adducit trapezitam ad Sauream. Trapezita pro nomine Exærambi, cui debet, ſcribit nomen Saureæ, & pollicetur ſeſe redditurum Saureæ debitam Exærambo pecuniam. *Exarambus transporte à Saurea ce que le Banquier luy doit, pour demeurer quitte à Saurea.*

35. *Mercedem.*] *Le loüage de quelque choſe.*

38. *Scyphos.*] Eadem orationis forma quæ ſupra.

45. *Obſtitit oculis.*] Alii *obſtit.* Veteres enim dicebant *obſtire* pro *obſtare*: *artire* pro *artare*: *impetrire* pro *impetrare*: *negire* pro *negare.* Ovidius:

——— *quæ pars admonet, abſtit.*

pro *abſtat*: *proſtitutum* pro *proſtatutum*: id eſt, *quæ ſtat ante lupanar,* ſeu *ſtationem meretriciam. Veſtibulum* pro *veſtabulum*, id eſt *grande ſtabulum,* ſeu *locus ad ſtandum. Metiri* & *metari* etiamnum in uſu.

Sed ſi domi eſt, Demænetum volebam. *LE.* negat eſſe intus.
Verùm iſtuc argentum tamen mihi ſi vis denumerare,
Repromittam iſtoc nomine ſolutam rem futuram.
ME. Sic potiùs, ut Demæneto tibi hero præſente reddam.
LI. Herus iſtunc novit, atque herum hic. *ME.* hero huic præſente reddam.
LI. Da modò meo periculò, rem ſalvam ego exhibebo:
Nam ſi ſciat noſter ſenex fidem non eſſe huic habitam,
Succenſeat, cui omnium rerum ipſus ſemper credit.
LE. Non magnipendo: ne duit, ſi non vult. ſic ſine aſtet.
LI. Da, inquam: vah formido miſer! ne hic me tibi arbitretur
Suaſiſſe, ſibi ne crederes. da, quæſo, ac ne formida:
Salvum hercle erit. *ME.* credam fore, dum quidem ipſe in manu habeo.
Peregrinus ego ſum; Sauream non novi. *LI.* at noſce ſanè.
ME. Sit, non ſit; non edepol ſcio. ſi is eſt, eum eſſe oportet.
Ego certè, me incerto, ſcio hoc daturum nemini homini.
LE. Hercle iſtum dî omnes perduint: verbo cave ſupplicaſſis.
Ferox eſt, viginti minas meas tractare ſeſe.
Nemo accipit: aufer te domum; abſcede hinc; moleſtus ne ſis.
ME. Nimis iracundè. NON DECET ſuperbum eſſe hominem ſervum.
LE. Malo hercle jam magno tuo nunc iſti nec rectè dicis.

INTERPRETATIO.

At Demænetum volebam alloqui. ſi domi eſt. LE. *Negat eſſe domi: attamen ſi vis numerare illam pecuniam, repromittam te ſolutum fore hac ſyngrapha.* MER. *Imo potiùs rogo ut tibi numerem coram hero Demæneto.* LIB. *Herus cognovit iſtum, & iſte herum.* MER. *Reddam huic, præſente hero.* LIB. *Da modò meo periculo, ego præſtabo rem ſalvam: nam ſi noſter ſenex reſciſcat non eſſe adhibitam fidem illi, cui ipſe credidit ſemper res omnes, iraſcatur.* LE. *Non magnifacio ſi minùs vult, linque hominem ſic ſtare.* LIB. *Cedo, inquam: vah vereor infelix! ne iſte exiſtimet me tibi autorem fuiſſe, ne ſibi crederes. Cedo, quæſo, ac ne time. Per Herculem in tuto erit?* MER. *Arbitrabor fore interea dum quidem teneo in manu. Peregrinus ego ſum, non novi Sauream.* LIB. *At noſce profectò.* MER. *Sit, non ſit, per ædem Pollucis neſcio. Si eſt is, oportet eſſe eum. Profectò ego unum ſcio, me non daturum homini ignoto.* LE. *Per Herculem omnes dii diſperdant iſtum. Cave, Libane, ei ſupplicaveris vel verbo. Inſoleſcit quòd tractet viginti minas quæ ad me pertinent? Non accipio, abi domum. Abſiſte longè, ne ſis importunus.* MER. *Facis nimis iracundè: dedecet hominem qui ſervus eſt, ſuperbire.* LIB. *Per Herculem tuo iſti maledicis magno damno.*

ANNOTATIONES.

48. *Repromitiam.*] *Je te donneray ma quittance. Pollicitus eras redditurum te pecuniam: reddis tabulas de quibus conſtet te mihi reddidiſſe debitam pecuniam. Tabulæ illæ ſunt repromiſſio, nempe quæ promittis non repetiturum.*

51. *Meo periculo,*] *à mes riſques.*

Exhibebo rem ſalvam.] *J'en ſuis garant.*

53. *Cui omnium rerum.*] Ellipſis vocis *ſummam.* Suetonius *Actores* vocat: alii *Procuratores, Diſpenſatores.*

65. *Nec rectè.*] Alii *ne rectè.* Salluſtius, *non jure, ne jure,* male.

LI. Impure, nihili, non vides iraſci? *LE.* perge porrò:
LI. Flagitium hominis. *LE.* da, obſecro, argentum huic, ne malè loquatur.
ME. Malum hercle vobis quæritis. *LE.* crura hercle diffringentur,
Ni iſtum impudicum percies. *LI.* perii hercle: age impudice,
Sceleſte, non audes mihi ſceleſto ſubvenire?
LE. Pergin' precari peſſimo? *ME.* quæ res? tun' libero homini
Malè ſervus loquere? *LE.* vapula. *ME.* id quidem tibi hercle fiet,
Ut vapules; Demænetum ſimul ac conſpexero hodie.
In jus voco te. *LE.* non eo. *ME.* non is? memento. *LE.* memini.
ME. Dabitur pol ſupplicium mihi de tergo veſtro. *LE.* væ! te.
Tibi quidem ſupplicium, carnifex, de nobis detur? *ME.* atque & jam
Pro veſtris dictis maledictis pœnæ pendentur mihi hodie.
LE. Quid, verbero, ain'? tu, furcifer, herum noſmet fugitare cenſes?
I nunc jam ad herum, quò vocas jamdudum, quò volebas.
ME. Nunc demum? tamen nunquam hinc feres argenti nummum, niſi me
Dare juſſerit Demænetus. *LE.* ita facito. age ambula ergo.
„ Tu contumeliam alteri facias, tibi non dicatur?
Tam ego homo ſum, quàm tu. *ME.* ſcilicet ita res eſt. *LE.* ſequere hàc ergo.
Præfiſcini hoc nunc dixerim, nemo etiam me accuſavit

INTERPRETATIO.

LIB. *Nequam, viliſſime, nòn animadvertis excandeſceret* LE. *Abi igitur.* LIB. *Flagitioſiſſime omnium hominum, rogo. numera pecuniam huic, ne maledicat.* MER. *Per Herculem vobis accerſitis peſtem.* LE. *Per Herculem comminuentur crura, niſi vocaveris iſtum impudicum.* LIB. *Actum eſt de me per Herculem. peſſime; non audes mihi auxiliari miſero!* LE. *Pergiſne ſupplicare nequiſſimo.* MER. *Quid hoc eſt? Túne ſervus maledicis homini libero?* LE. *Da pœnas.* MER. *Per Herculem id tibi accidet ut plectaris, ſtatim atque videro hodie Demænetum. Te voco in jus.* LE. *Non eo.* MER. *Non is! Recordare.* LE. *Recordor.* MER. *Per ædem Pollucis mihi dabit pœnas veſtrâ cute.* LE. *Dii te perdant: tibi luetur quidem ſupplicium, carnifex, de nobis?* MER. *Atque etiam pœnæ mihi perſolventur hodie pro veſtris dictis maledictis.* LE. *Quid, flagrio? Dicisne tu, ſceleſte? Exiſtimas nos declinare herum? I nunc ad herum ad quem vocas, jampridem ad quem volebas ire.* MER. *Nunc tandem. Tamen ne unum quidem efferes hinc nummum argenti, niſi Demænetus me imperarit dare.* LE. *Fac ita, age perge. tu facias contumeliam alteri, non tibi dicatur? Ego ſum tam homo quàm tu.* MER. *Scilicet res ita ſe habet.* LE. *Vade hàc igitur. Abſit verbo invidia: affirmarim id nunc, nemo etiã me accuſavit*

ANNOTATIONES.

84. *Præfiſcini.*] Adverbium deprecantis invidiam propriæ vel alienæ laudis nimiæ: quod nos vulgò; *Abſit, verbo invidia.* Sed cùm pudorem unum levamus hoc dicto, Veteres arbitrabantur arcere neſcio quod faſcinum à diis immiſſum in eos qui de ſe ſuperbiùs ſentirent & loquerentur. Faſcinum puto non aliud fuiſſe quam vanitatis & arrogantiæ.

Merito meo; neque me Athenis eſt alter hodie quiſquam,
Cui credi rectè æquè putent. *ME.* fortaſſis: ſed tamen me
Nunquam hodie induces, ut tibi credam hoc argentum ignoto.
„ LUPUS eſt homo homini, non homo, quom qualis ſit non novit.
LE. Jam nunc ſecundâ mihi facis. ſcibam huic te capitulo hodie
Facturum ſatis pro injuriâ. quanquam ego ſum ſordidatus,
Frugi tamen ſum, nec poteſt peculium enumerari.
ME. Fortaſſe. *LE.* etiam nunc dico: Periphanes Rhodo mercator
Dives, abſente hero, ſolus mihi talentum argenti
Soli annumeravit, & mihi credidit, neque deceptus in eo.
ME. Fortaſſe. *LE.* atque etiam tu quoque ipſe ſi eſſes percunctatus
Me ex aliis, ſcio pol crederes nunc quod fers. *ME.* haud negaſſim.

INTERPRETATIO.

merito meo, neque eſt Athenis nunc alter quiſquam cui exiſtiment dari æquè tutò. MER. *Forſitan: attamen nunquam aſſequeris hodie ut tibi credam id argentum ignoto. Homo eſt lupus homini, non homo, quando non intelligit qualis ſit.* LE. *Jam nunc mihi facis nova convitia: putabam te facturum ſatis hodie huic pro contumelia. Tametſi ego ſum veſte illotâ, nihilominus ſum frugi, quòd peculium non poteſt æſtimari ſatis.* MER. *Forſitan.* LE. *Etiam hoc addo: Periphanes Rhodius, Mercator locuples, ſolus numeravit ſoli, & mihi credidit, talentum argenti, abſente hero, neque eum fefellit ſua opinio.* MER. *Forſitan.* LIB. *Atque etiam tu ipſe quoque ſi eſſes à me percunctatus ex aliis, ſcio profectò crederes nunc quod geris.* MER. *Haud negaverim.*

ANNOTATIONES.

88. *Lupus eſt homo homini.*] Seneca: *Ab homine homini quotidianum periculum*

93. *Talentum argenti.*] *mille quinquaginta libras.* Quoties *talentum* ſine addito eſt, ſignificat *talentum parvum*: quoties *magnum talentum* dicitur, valet mille trecentas duodecim libras noſtras cum decem aſſibus.

ACTUS TERTIUS.

ARGUMENTUM.

QUA ratione circumventus Mercator Pellæus numerarit Leonidæ pecuniam, hoc Actu explicatur.

ACTUS TERTIUS. SCENA PRIMA.

ARGUMENTUM.

CLEÆRETA lena increpat Philenium, quòd ſit nimis in amore ſincera, & digna lena adjungit præcepta ex penitiſſimâ arte deſumpta.

CLEÆRETA, PHILENIUM.

CLEÆRETA.

NEQUEON' ego te interdictis facere manſuetam meis?
An ita tu es animata, ut qui expers matris imperii ſies?
PH. Ubi piem Pietatem, ſi iſto more moratam tibi
Poſtulem placere, mater, mihi quo pacto præcipis?
CL. An decorum eſt adverſari meis te præceptis? *PH.* quid eſt?
» *CL.* HOCCINE EST pietatem colere, matris imperium minuere?
PH. Neque quæ rectè faciunt, culpo; neque quæ delinquunt, amo.
CL. Satis dicacula es amatrix. *PH.* mater, is quæſtu 'ſt mihi:
Lingua poſcit, corpus quærit, animus orat, res monet.
CL. Ego te volui caſtigare, tu mî accuſatrix ades.

INTERPRETATIO.

CLE. *AN non poſſum ego te manſuefacere meis vetitis? An es tu ſic affecta. utpote quæ ſis immunis à regimine materno?* PHI. *Quomodo propitiam habeam pietatem, ſi orem eam ut tibi grata ſim informata iſtis moribus, qua ratione mihi imperas?* CLE. *Decetne te repugnare meis mandatis?* PHI. *In quo repugno?* CLE. *Hocne eſt venerari pietatem, labefactare autoritatem maternam?* PHI. *Neque condemno ea quæ matres rectè faciunt, neque approbo quæ malè.* CLE. *Es amatrix ſatis verboſa.* PHI. *Mater, in eo poſitus eſt meus quæſtus, lingua poſtulat, corpus quærit, mens rogat, occaſio invitat.* CLE. *Ego te volebā corrigere, tu me accuſas.*

ANN-OTATIONES.

1. *Manſuetam facere.*] *Manſuefacere, domare, cicurare*, metaphora ducta à feris animalibus, quæ arte feritatem dediſcunt. Eſt vox Cleæretæ lenæ, Philenium meretricem increpantis, quòd tam parum profecerit in meretriciis fraudibus condiſcendis.

2. *Ut qui expers.*] id eſt, *ut quæ.*

3. *Pietatem piem.*] *Piare Pietatem*, eſt *deam Pietatem placare*: Pietatem verò offenſam putat Philenium, ſi Argyrippo amatori ſuo iniquior fuerit & durior.

7. *Neque quæ delinquunt.*] id eſt *parentes.* Philenium non eſſe obtemperandum parentibus minimè recta præcipientibus dicit.

8. *Dicacula.*] Donatus. *Dicaces dicti, qui ſalibus jocoſis maledicunt.*

PH. Neque edepol te accuſo, neque id me facere fas exiſtimo.
Verùm ego meas queror fortunas, quum illo quem amo prohibeor.
CL. Ergo una pars orationis de die dabitur mihi.
PH. Et meam partem loquendi, & tuam trado tibi.
Ad loquendum, atque ad tacendum túte habeas portiſculum.
Quin pol ſi repoſivi remum, ſola ego in caſteriâ
Ubi quieſco, omnis familiæ cauſſa conſiſtit tibi.
CL. Quid ais tu, quam ego unam vidi mulierem audaciſſimam?
Quoties te vetui Argyrippum filium Demæneti
Compellare, aut contrectare, colloquive aut contuï?
Quid dedit? quid deportari juſſit ad nos? an tu tibi
Verba blanda eſſe aurum rere? dicta docta pro datis?
Ulrrò amas, ultrò expeteſſis, ultrò ad te arceſſi jubes.
Illos qui dant, eos derides: qui deludunt, deperis.
An te id exſpectare oportet, ſi quis promittat tibi
Te facturum divitem, ſi moriatur mater ſua?
Ecaſtor nobis periculum magnum & familiæ portenditur,
Dum ejus exſpectamus mortem, ne nos moriamur fame.
Nunc adeò niſi mihi huc argenti affert viginti minas,
Næ ille ecaſtor hinc trudetur largus lacrumarum foras.
Hic dies ſummu' ſt apud me inopiæ excuſatio.

INTERPRETATIO.

PHI. *Per ædem Pollucis neque te accuſo, neque puto æquum eſſe me exequi quod jubes, ſed doleo meam vicem, quandò prohibeor ejus conſuetudine quem depereo.* CLE. *Igitur mihi relinquetur unus locus dicendi in die.* PHI. *Tibi cedo meas partes in loquendo, & tuas. Tu habeas ſtimulum & principatum ad loquendum & ad ſilendum. Sanè ſi depoſuero & ego remum, ſola in caſteria quievero; omnes rationes domeſticæ fluere deſinent.* CLE. *Quid ais tu! quàm ego ſemper novi unam fœminam audaciæ ſingularis? Quoties prohibui ne vocitares, aut apprehenderes, aut confabulareris, aut aſpiceres Argyrippum filium Demæneti? Quid donavit? Quid mandavit ad nos afferri? An tu exiſtimas orationem ſuavem pro auro mero eſſe accipiendam, ſermonem accuratum pro muneribus? Ultrò diligis, ultrò proſequeris, imperas ultrò ut ad te veniat, illudis illis qui afferunt munera, perditè amas qui irrident. Si quis tibi polliceatur ſe facturum te locupletem, ſi ſua mater intereat, an juvat te id opperiri. Per ædem Caſtoris ingens periculum nobis impendet & familiæ, ne nos diſpereamus inopia, dum optamus ejus exitium. Itaque niſi* Argyrippus *mihi numeret viginti minas argenti, per ædem Caſtoris ille prodigus lacrymis ſolis excludetur hinc foras. Perinde facio excuſationem paupertatis, atque diem ſupremum.*

ANNOTATIONES.

15. *Portiſculum.*] Nónius. *Portiſculus propriè eſt hortator remigum, id eſt, qui eandem pergulam tenet quæ portiſculus dicitur, in qua excurſum & exhortamenta moderatur. Portiſculus* eſt & ſtimulus quo urget remiges magiſter triremis, & ipſe magiſter triremis, quem nos vernaculo noſtro, *Comite.* Philenium Clezretam portiſculo crudeli comparat.

16. *Caſteria.*] Nonius. *Caſteria, locus ubi quum navigatio conquieſcit, remi & gubernacula conquieſcunt.*

PH.

PH. Patiar, ſi cibo carere me jubeas, mater mea.
CL. Non vero ted amare qui dant quâ amentur gratiâ.
PH. Quid ſi hîc animus occupatu 'ſt, mater, quid faciam? mone.
CL. hem!
Meum caput contemples, ſi quidem ex re conſultas tuâ.
PH. Etiam opilio, qui paſcit, mater, alienas ovis,
Aliquam habet peculiarem, quî ſpem ſoletur ſuam.
Sine me amare unum Argyrippum animi cauſſâ, quem volo.
CL. Intrò abi: nam te quidem edepol nihil eſt impudentius.
PH. Audientem dicto mater produxiſti filiam.

INTERPRETATIO.

PHI. *Mea mater, ſi mandes me privari cibo, ſi fero.* CLE. *Minimè prohibeo te amare eos qui porrigunt ea quorum causâ diligantur.* PHI. *Quid ſi mens irretita eſt, mater? quid moliar? doce.* CLE. *Hem! aſpice meum caput: ſanè agitur de tuâ re.* PHI. *Cuſtos ovium etiam, ô mater, qui ducit gregem non ſuum, habet quandam ovem propriam quâ paſcat ſuam expectationem. Patere me diligere ſolum Argyrippum, quem amem animi gratiâ.* CLE. *Ingredere demum: nam per ædem Pollucis nihil eſt tam profligati pudoris quàm tu.* PHI. *Mater, habes filiam obſequentem.*

ANNOTATIONES.

37. *Peculiarem.*] Varro. *Peculatoriæ oves ſunt quæ ſervis aut filiisfamilias ſunt in peculio.*

40. *Produxiſti.*] matris eſt *producere*, ſeu *procreare*; lenæ eſt *producere*, ſeu *proſtituere*. Jocus Plautinus, in amphibologiâ poſitus.

ACTUS TERTIUS. SCENA SECUNDA.

ARGUMENTUM.

CUNCTANTI numerare pecuniam Mercatori Demænetus obtrudit Leonidam pro Saurea, cui erat pecunia numeranda, utpote è peculio & dote Artemonæ. Hæcce in poſtſcenio. In Scenâ idem, ut geſtum eſt, Libanus Leonidæ narrat.

LEONIDA, LIBANUS.

LEONIDA.

PERFIDIÆ laudes gratiáſque habemus meritò magnas,
Quum noſtris ſycophantiis, dolis, aſtutiiſque,
Scapularum confidentiâ, virtute ulmorum freti,
Qui advorſum ſtimulos, laminas, crucéſque, compedeſque,
Nervos, catenas, carceres, numellas, pedicas, boias,
Indoctoréſque acerrimos, gnaróſque noſtri tergi,
Qui ſæpè antè in noſtras ſcapulas cicatrices indiderunt:
Eæ nunc legiones, copiæ, exercitúſque eorum,
Vi pugnando perjuriis noſtris, euge, potiti.
Id virtute hujus collegæ, meâque comitate
Factum eſt. *LI.* qui me vir fortior eſt ad ſufferendas plagas?
LE. Edepol virtutes qui tuas nunc poſſis collaudare,
Sicut ego poſſim, quæ domi duellíque malè feciſti.
Næ illa ædepol pro merito nunc tuo memorari multa poſſunt:
Ubi fidentem fraudaveris, ubi hero infidelis fueris,

INTERPRETATIO.

LE. *Euge, debellavimus legiones, copias, & exercitus pædagogorum noſtrorum* Artemonæ, Saureæ, & Lorariorum *crudeliſſimorum, qui norunt* tam benè *noſtrum tergum, ut qui toties oneraverunt noſtros humeros plagis; nixi noſtris fraudibus, verſutiis, technis, perjuriis, fiduciáque humerorum induratorum verberibus dimicavimus fortiter contra virgas, laminas, cruces, compedes, nervos, catenas, carceres, numellas, pedicas, boias. Illud autem geſtum eſt fortitudine hujus ſocii, meáque urbanitate.* LIB. *Quis eſt conſtantior me ad toleranda verbera?* LE. *Per ædem Pollucis, qui valeat jam celebrare tuas virtutes, ſicut ego poſſim, & quæ malè feciſti in pace & bello. Per ædem Pollucis, poſſunt nunc enumerari illa pro tuo merito, videlicet ubi feſelleris confidentem* tibi, *ubi violaveris fidem datam hero,*

ANNOTATIONES.

1. *Perfidiæ laudes.*] ἀνακόλουθον de induſtriâ factum, ut exprimat affectum ſervi lætitiâ exultantis, quòd Mercatore luſo ſubduxerit viginti minas Saureæ. Sed ea eſt natura lætitiæ, & alius cujuſvis mentis affectus, ut quamvis in perturbata oratione erumpat, tamen attentiùs inſpicienti appareant nexus orationis aut latentes, aut expreſſi; id interpretationis eſt exequi.

3. *Virtute ulmorum.*] Alii *virtute humerorum:* alii *virtute armorum,* ab *armus. Virtute ulmorum:* quaſi dicat, *fiducia humerorum ulmis parta*, ſeu *ulmorum virtute.* Induratis enim humeris nata erat fiducia ad perferenda verbera, ſi fraus detegeretur.

6. *Indoctores.*] Præceptores moroſos ac plagoſos ſtrenuos virgatores notat, & ſub eorum nomine Lorarios, quorum erat heri imperio & judicio in facinoroſos ſervos & maſtigias animadvertere. Alii *indoctores:* alii *inductores*, fictum à Plauto vocabulum ἀπὸ τοῦ κλωγμοῦ, à ſtrepitu virgarum.

9. *Potiti.*] *potiti* paſſivè, id eſt, *in poteſtatem venerunt:* quaſi dicat, *potiti ſunt à nobis exercitus.*

Ubi verbis conceptis ſciens libenter perjuraris,
Ubi parietes perfoderis, in furto ubi ſis prehenſus,
Ubi ſæpè cauſſam dixeris pendens adverſus octo
Aſtutos, audacis viros, valentis virgatores.
LI. Fateor profectò ut prædicas, Leonida, eſſe vera.
Verùm edepol næ etiam tua quoque malefacta iterari multa
Et verò poſſunt. ubi ſciens fideli infidus fueris:
Ubi prenſus in furto ſies, & manifeſtò verberatus,
Ubi perjuraris, ubi ſacro manûs ſis admolitus,
Ubi heris dámno, moleſtiæ, & dedecori ſæpè fueris,
Ubi creditum quod ſit, tibi datum eſſe pernegaris,
Ubi amicæ, quàm amico tuo fueris magis fidelis,
Ubi ſæpè ad languorem tuâ duritiâ dederis octo
Validos lictores ulmeis affectos lentis virgis
Num malè relata eſt gratia? ut collegam collaudavi!
LE. Ut méque téque maximè atque ingenio noſtro decuit.
LI Jam omitte iſta, atque hoc quod rogo reſponde. *LE.* rogita quod vis.
LI. Argenti viginti minas habéſne? *LE.* ariolare.
Edepol ſenem Demænetum lepidum fuiſſe nobis.
Ut aſſimulabat Sauream med eſſe, quàm facetè!
Nimis ægrè riſum continui, ubi hoſpitem inclamavit,
Quòd ſe *ſe* abſente mihi fidem habere noluiſſet.

INTERPRETATIO.

ubi pejeraris ſciens verbis ſolemnibus ultro, ubi perfoderis parietes, ubi ſis interceptus in latrocinio, ubi ſapiùs defenderis cauſam pendens contra octo viros callidos, audaces, robuſtos, lorarios. LIB. *Confiteor ſanè, Leonida, eſſe vera quæ narras, verùm poſſunt etiam commemorari, & verè complura tua crimina, ubi ſciens fueris infidus fido, ubi ſis deprehenſus in furto, & publicè virgis ſubjectus, ubi pejeraveris, ubi admoveris manum ſacris, ubi fueris ſapiùs detrimento, moleſtiæ & pudori dominis, ubi pernegaveris tibi eſſe commiſſum quod ſit tibi datum, ubi fueris magis fidus amicæ quàm tuo amico, ubi reddideris duritia tergi languides perſapè octo ſtrenuos virgatores armatos virgis ulmeis flexilibus. An malè retuli gratiam? quàm appoſitè prædicavi collegam!* LE. *Sicut decet maximè méque teque, atque noſtros mores.* LIB. *Nunc prætermitte hæc, & reſponde his quæ poſtulo.* LE. *Poſtula quæ volueris.* LI. *habeſne viginti minas argenti?* LE. *Divinas. Per ædem Pollucis ſenem Demænetum nobis fuiſſe facetum! quomodo fingebat me eſſe Sauream! quàm feſtivè! ubi increpavit hoſpitem quòd renuiſſet mihi credere ſe abſente! nimis ægrè tenui riſum,*

ANNOTATIONES.

19. *Aſtutos.*] Alii *artitos*. Feſtus, *artibus inſtructus*. *Ars* primùm ſignificavit *robur corporis*, quòd in artibus ſeu artubus ſitum eſt, & oſtendebatur in ceſtu, pugna, pugilatu, curſu, ſaltu. *Artiti* igitur *virgatores* ſunt robuſti, arte cædendi inſtructiſſimi.

28. *Memoriter.*] id eſt *meditatè*, & non *ex tempore & tumultuariè*.

Ut memoriter me Sauream vocabat atrienſem !
LI. Manedum. *LE.* quid eſt ? *LI.* Philenium eſtne hæc quæ intus exit ?
Atque A gyrippus unà. *LE.* opprime os : is eſt. ſubauſcultemus.
Lacrimantem laciniâ tenet lacrimans. quidnam eſſe dicam ?
Tacitè auſcultemus. *LI.* attate ! modò hercle in mentem venit.
Nimis vellem habere perticam. *LE.* quoi rei ? *LI.* quî verberarem
Aſinos, ſi fortè occœperint clamare hinc ex cruminâ.

INTERPRETATIO.

Quomodo me appellabat memoriter Sauream atrienſem LIB. *Manedum.* LE. *Quid eſt?* LIB. *Eſtne hac Philenium qua domo exit cum Argyrippo ?* LE. *Contine linguam : is eſt : ſubauſcultemus. Lugens haret lugens lacinia. Quid eſt* quod luget ? *Audiamus taciti.* LI. *Attate! Per Herculem id venit jam in animum : utinam haberem perticam!* LE. *Cur.* LIB. *Ut pulſarem aſinos, ſi fortè cœperint rudere in erumenâ.*

ANNOTATIONES.

41. *Lacinia.*] eſt veſtis angulus, & pars inſignis togæ.
44. *Aſinos.*] Metonymia rei pro pretio.

ACTUS TERTIUS. SCENA TERTIA.

ARGUMENTUM.

LEONIDA & Libanus deferunt ad Argyrippum & Philenium pecuniam interceptam : ſed antequam viginti minas numerent, contumeliis mille ſuam operam vendunt utrique, adeò ut & Argyrippus mancipiis præbeat dorſum ad equitandum. Demum eâ lege pecunia numeratur Argyrippo, ut Demæneto patri & cœna præbeatur, & unâ nocte eſſe cum Philenio liceat.

ARGYRIPPUS, PHILENIUM, LIBANUS, LEONIDA.

ARGYRIPPUS.

CUR me retentas ? *PH.* quia tui amans abeuntis egeo.
AR. Vale. *PH.* aliquanto ampliùs valerem, ſi hîc maneres !
AR. Salve. *PH.* ſalvere me jubes, quoi tu abiens affers morbum,

INTERPRETATIO.

ARG. *Quare me retines modo?* PHI. *Quoniam amans indigeo, te proficiſcente.* ARG. *Valeas.* PHI. *Si non abires hinc, valerem aliquanto meliùs.* ARG. *Salve.* PHI. *Optas me ſalvam cui tu diſceſſu accerſis ægritudinem,*

AR. Mater ſupremum mihi tua dixit, domum ire juſſit.
PH. Acerbum funus filiæ faciet, ſi te carendum eſt.
LI. Homo hercle hinc excluſu' ſt foras. *LE.* ita res eſt. *AR.* mitto quæſo.
PH. Quò nunc abis? quin tu hîc manes? *AR.* nox ſi voles manebo.
LI. Audin' hunc? operâ ut largus eſt nocturnâ? nunc enim eſt
Negotioſus interdius. videlicet Solon eſt,
Leges ut conſcribat, quibus ſe populus teneat. gerræ.
Qui ſeſe parêre apparent hujus legibus, profectò
Nunquam bonæ frugi fient, dies noctéſque potent.
LE. Næ iſte hercle ab iſtâ non pedem diſcedat, ſi liceſſit,
Qui nunc feſtinat, atque ab hac minatur ſeſe abire.
LI. Sermoni jam finem face tuo: hujus ſermonem accipiam.
AR. Vale. *PH.* quò properas? *AR.* bene vale: apud Orcum te videbo.
Nam equidem me, jam quantum poteſt, à vitâ abjudicabo.

INTERPRETATIO.

ARG. *Tua mater mihi renuntiavit ultimum* vale. *Imperavit ut irem domum.* PHI. *Indices nata exequias acerbas. ſi oportet privari te.* LIB. *Per Herculem homo ejectus eſt foras.* LE. *Ita ſe res habet.* ARG. *Dimitte rogo.* PHI. *Quò proficiſceris jam? Quid tu non manes hic? Nocte ſi cupias, manebo.* LIB. *Intelligiſne tu hunc? Videſne quàm ſit profuſus laboris nocturni? Nam hic eſt occupatus nunc de die; nimirum eſt* alter *Solon, ut componat leges quibus plebs obtemperet. Nugæ. qui ſeſe accingant ad obſequendum placitis ejus, hi fuerint nunquam bonæ frugis, pergræcentur diebus & noctibus.* LE. *Certè hic non recedat ab hac vel pedem, ſi dimittatur, qui properat jam, & minitatur ſeſe diſcedere ab illâ.* LIB. *Fac jam finem tuæ orationi: hujus verba recipiam.* ARG. *Vale.* PHI. *Quò pergis?* ARG. *Benè vale: te videbo in inferis: etenim ego me ſejungam jam à vita ſtudio, quantum in me erit.*

ANNOTATIONES.

4. *Supremum.*] Cadavere in cineres redacto in funeribus Romanorum, & cæteris peractis, præfica alta voce inclamabat, *I, licet.* Virgilius vocat illud *I, licet, noviſſima verba.*

Luſtravitque viros, dixitque noviſſima verba.

Ad vocem illam, *I, licet,* omnes qui comitati fuerant funus, reſpondebant contentâ voce, *Vale:* & vocabatur illud *vale ſupremum.* Virgilius.

Condimus & magnâ ſupremum voce ciemus.

Supremum igitur ſignificat *ſupremum vale:* unde quadrat quod reponit Philenium, *faciet filia funus.*

7. *Nox manebo.*] *nocte* aut *noctu.*

9. *Solon eſt.*] Solon Legiſlator Athenienſis & ſuis legibus & ſuâ ipſius gravitate nobilis. Ironia eſt, quando cum eo confertur Argyrippus inſignis adoleſcens levitatis.

10. *Gerra.*] id eſt *nugæ.* Unde *gerrones. congerrones.* Propriè ſunt illæ crates quas pedibus ſuis ſupponunt qui ædificant domos, & quorum altiùs è terrâ ſurgit opus. Quæ crates, quoniam pellicidæ ſunt & tranſmittunt facilè aciem oculorum, inde ſermones futiles in quibus eſt nihil ferme ſolidi ac gravis, *gerræ* vocantur.

17. *Abjudicabo.*] id eſt *ſeparabo* Translatio à Judicum ſententiis, qui reos à vitâ *abjudicant*, id eſt *è vitâ ejiciendos* judicant, *& morti adjudicant.*

PH. Cur tu, obſecro, immerito meo me morti dedere optas?
AR. Ego te? quam ſi intellegam deficere vitâ, jam ipſe
Vitam meam tibi largiar, & de meâ ad tuam addam.
PH. Cur ego minitaris, tibi te vitam eſſe amiſſurum?
Nam quid me facturam putas, ſi iſtud quod dicis, faxis?
Mihi certum eſt, efficere in me omnia eadem quæ tu in te faxis.
AR. O melle dulci dulcior mihi tu es! *PH.* certè enim tu vita es
Mihi. complectere! *AR.* facio lubens. *PH.* Utinam ſic efferamur!
„ *LE.* O Libane, UT MISER eſt homo qui amat! *LI.* imò hercle verò
Qui pendet, multò eſt miſerior. *LE.* ſcio, qui periculum feci.
Circumſiſtamus! alter hinc, hinc alter appellemus.
LI. Here, ſalve. ſed num fumus eſt hæc mulier quam amplexare?
AR. Qui dum? *LI.* quia oculi ſunt tibi lacrimantes, eò rogavi.
AR. Patronus qui vobis fuit futurus, perdidiſtis.
LI. Equidem hercle nullum perdidi, ideo, quia nunquam ullum habui.
LE. Phiſenium, ſalve. *PH.* dabunt dî, quæ velitis, vobis.
LI. Noctem tuam & vini cadum velim, ſi optata fiant.

INTERPRETATIO.

PHI. *Quare, amabo, cupis tu me immeritam dedere morti?* ARG. *Ego te morti dedam? imò ſi videam carere luce, jam ipſe tibi impertiar meam vitam, & adjiciam tua de meâ.* PHI. *Quare ergo minitaris te tibi repturum eſſe vitam? Quidnam arbitraris me acturam, ſi egeris id quod commemoras? Statui in animo committere eadem quæ tu commiſeris in te.* ARG. *O tu mihi es ſuavior melle ſuaviſſimo.* PHI. *Enimverò tu mihi es vita. Amplexare.* ARG. *Facio lubens.* PHI. *Utinam ita ſepeliamur!* LE. *O Libane, quàm homo qui amat, eſt infelix!* LIB. *Imò verò per Herculem qui pendet, eſt longè infelicior.* LE. *Novi. Nam expertus ſum rem. Ambiamus! Unus hinc & alter illinc vocemus.* LIB. *Here, ſalve. At numquid iſta mulier quam amplecteris, eſt fumus?* ARG. *Quare?* LIB. *Ideò id rogavi, quia tu habes oculos lacrymis plenos.* ARG. *Amiſiſtis illum patronum quem vos eratis habituri.* LIB. *Ego per Herculem amiſi neminem, quia nunquam habui ullum.* LE. *Philenium, ave.* PHI. *Dii vobis donabunt quæ optatis.* LE. *Si vota ſint rata, cupiam dormire tecum unam noctem, & cadum vini.*

ANNOTATIONES.

25. *Efferamur.*] Pars funerum, pro toto apparatu: quaſi dicat, *ſic commoriamur, ſic efferamur, ſic condamur ſepulcro.* *Efferre* autem *mortuum*, erat, à limine domûs deferre ad ſepulcrum.

34. *Noctem tuam*] Propter affinitatem duarum ſyllabarum *le* & *li*, quibus incipiunt Leonidæ & Libani nomina, & quibus notantur eorum in hac Fabulâ perſonæ, permutationem perſonarum à Librariis irrepſiſſe putavero. Itaque hæc verba crediderim eſſe Leonidæ, non Libani, ut Leonidæ ſunt hæc superiora verſu 33. *Philenium ſalve*, quorum continuatio eſſe videtur illud 34. *Noctem tuam.* Nam ſubiraſcitur Leonidæ propter hæc verba Argyrippus. Leonida deprecatur à ſe invidiam temerarii voti: Libanus officii ergo & demerendi domini, minatur Leonidæ verbera, ita ut tamen jocando faciat quod animadvertit Argyrippus, ut patet ex iis quæ ſubjicit idem Argyrippus. Ut ut ſit, parum intereſt utrùm Libano an Leonidæ tribuas hæc verba, niſi ratio operis clamare videatur.

AR. Verbum cave ſaxis verbero. *LI.* tibi equidem, non mihi opto.
AR. Tum tu igitur loquere quod lubet. *LI.* hunc hercle verberare.
LE. Quiſnam iſtuc accredat tibi, cinæde calamiſtrate?
Tun' verberes, qui pro cibo habeas te verberari?
AR. Ut veſtræ fortunæ meis præcedunt, Libane, longè,
Qui hodie nunquam ad veſperum vivam! *LI.* quapropter, quæſo?
AR. Quia ego hanc amo, & hæc me amat: huic quod dem, nuſquam quicquam eſt.
Hinc med amantem ex ædibus delegit hujus mater.
Argenti viginti minæ me ad mortem appulerunt,
Quas hodie adoleſcens Diabolus ipſi daturus dixit:
Ut hanc ne quôquam mitteret, niſi ad ſe hunc annum totum.
Videtin' viginti minæ quid pollent, quidve poſſunt?
Ille, qui illas perdit, ſalvus eſt, ego, qui non perdo, pereo.
LI. Jam dedit argentum? *AR.* Non dedit. *LI.* Bono animo es, ne formida.
LE. Secede huc, Libane, te volo. *LI.* ſi quid vis. *AR.* obſecro vos:
Eâdem iſtac operâ ſuavius eſt complexos fabulari.
„ *LI.* NON OMNIA eadem æquè omnibus, here, ſuavia eſſe ſcito:
Vobis eſt ſuave amantibus complexos fabulari:
Ego complexum hujus nihil moror. *LE.* meum autem hæc aſpernatur.

INTERPRETATIO.

ARG. *Vide ne feceris verbum, flagrio.* LE. *Ego profectò non opto mihi, ſed tibi.* ARG. *Tum tu verba, fac ergo quæ voles.* LIB. *Per Herculem libet pulſare Leonidam.* LE. *Quis patiatur id, impudice, calamiſtrate? Méne excipies, tu cui ſunt pro cibo verbera.* ARG. *Quàm veſtra ſors longè præſtat mea, Libane, qui nullo modo vivam hodie ad veſperam.* LIB. *Quare, amabo?* ARG *Quia ego hanc depereo, & hæc me deperit, & nihil prorſus habeo quod ego huic offeram. Hinc hujus mater me excluſit amantem domo: viginti minæ argenti me adegerunt jam ad interitum, quas adoleſcens Diabolus affirmavit ipſi ſe daturum eſſe hodie, ut non hanc mitteret ad quemquam niſi ad ſe toto hoc anno. Animadvertiſti, ne quid valent & quid poſſunt viginti minæ? Ille qui illas amittit, eſt incolumis; ego, qui non amitto, intereo.* LIB. *Jam numeravit pecuniam?* ARG. *Non numeravit.* LIB. *Eſto æquo animo: noli metuere.* LE. *Secede huc, Libane, te volo huc.* LIB. Dic *ſi aliquid vis dicere.* ARG. *Profectò malim vos complexos confabulari, quàm ſic colloqui ut facitis.* LIB. *Diſce, here omnia eadem non eſſe omnibus perinde jucunda: vobis eſt jucundum, utpote amantibus complexos loqui. Ego non curo complexũ hujus.* LE. *Hæc verò* Philenium *contemnit meum.*

ANNOTATIONES.

36. *Verberare.*] Libet Leonidam propter temerarium ejus votum quo optat unam Philenii noctem verberare.

42. *Ex ædibus delegit.*] pro *delegavit*, id eſt *ablegavit, ejecit*.

Proinde iſtud facias ipſe, quod faciamus, nobis ſuades.
AR. Ego verò, & quidem edepol lubens. interea ſi videtur,
Concedite iſtuc. *LE.* vin' herum deludi? *LI.* dignu 'ſt ſanè:
LE. Vin' faciam ut me Philenium, præſente hoc, amplexetur?
LI. Cupio hercle. *LE.* ſequere hàc. *AR.* ecquid eſt ſalutis? ſatis locuti.
LE. Auſcultate, atque operam date, & mea dicta devorate.
Primum omnium ſervos tuos nos eſſe non negamus:
Sed ſi tibi viginti minæ argenti proferentur,
Quo nos vocabis nomine? *AR.* libertos. *LE.* non patronos?
AR. Id potiùs. *LE.* viginti minæ hîc inſunt in cruminâ:
Has ego, ſi vis, tibi dabo. *AR.* dî te ſervaſſint ſemper,
Cuſtos herilis, decus populi, theſaurus copiarum,
Salus interioris hominis, amoriſque imperator:
Hîc ponè, hîc iſtam colloca cruminam in collo planè.
LE. Nolo ego te, qui herus ſis mihi, onus iſtuc ſuſtinere.
AR. Quin tu labore liberas te, atque iſtam imponis in me.
LE. Ego bajulabo: tu, ut decet dominum, ante me ito inanis.
AR. Quid nunc? quid eſt? quin tradis huc cruminam preſſatum herum?
LE. Hanc, cui daturus hanc, jube petere atque orare mecum:
Nam iſtuc proclive eſt, quod jubes, me planè collocare.

INTERPRETATIO.

Itaque fac ipſe id quod nobis ſuades. ARG. *Ego verò facio, & quidem ultrò. Interim, ſi placet, concedite huc.* LE. *Viſne illudi hero?* LIB. *Meretur ſanè.* LE. *Viſne ut efficiam ut Philenium me complectatur coram eo?* LIB. *Volo ſanè.* LE. *Sequere me hàc.* ARG. *Quæ ſpes eſt ſalutis? Satis verborum.* LIB. *Audite, & adhibete mentem. Accipite avidè, mea verba. Primò, minimè negamus nos eſſe tuos famulos. Sed ſi tibi oſtendantur viginti minæ argenti, quo titulo nos ornabis?* ARG. *Libertos* ſalutabo. LE. *Non patronos?* ARG. *Id ſatius.* LE. *Viginti minæ inſunt hic in iſtâ crumenâ, ego tibi has dabo, ſi cupis,* ARG. *Dii te ſervent ſemper, præſidium heri, ornamentum populi, theſaurus opum, ſalus humanæ vitæ, & arbiter amoris. Depone hic, colloca hic planè iſtam crumenam in humeris.* LE. *Ego nolo te, utpote meum herum, ferre iſtud onus.* ARG. *Quare non tu te vendicas à labore, & imponis iſtam* crumenam *mihi?* LE. *Ego feram: tu, ut dignum eſt domino, i ante me ſine onere.* ARG. *Quid nunc? Quid eſt? Quin das crumenam quæ premat huc herum?* LE. *Manda hanc cui hanc exhibiturus poſtulare & exorare à me: etenim collum tuum eſt proclive, in quo mandas me collocare quaſi in plano.*

ANNOTATIONES.

63. *Crumina,*] Nonius. *Bulga eſt folliculus omnis, quam & crumenam Veteres appellarunt; & eſt ſacculus à brachio dependens.* Unde *crumena* videtur dici ἀπὸ τῶ κρεμᾶν, *pendere.*

70. *Ego bajulabo.*] *Bajulare* eſt, ferre humeris: *portare*, quæ jumento imponuntur.

73. *Proclivè.*] Oſtendit quàm parum tutum ſit dare pecuniam Argyrippo: nam quæ ſunt in *proclivi* poſita, vicina ſunt ruinæ.

PHI.

PHI. Da meus ocellus! mea roſa! mi anime! mea voluptas,
Leonida, argentum mihi! ne nos dejunge amantis.
LE. Dic igitur me tuum paſſerculum, gallinam, coturnicem,
Agnellum; hædillum me tuum dic eſſe, vel vitellum:
Prehende auriculis, compara labella cum labellis.
AR. Ten' oſculetur, verbero? *LE.* quàm verò indignum viſum eſt!
Atqui pol hodie non feres, ni genua confricantur.
» *AR.* Quidvis egeſtas imperat! fricentur. da nunc quod oro.
PHI. Age, mi Leonida, obſecro, fer amanti hero ſalutem.
Redime iſtoc beneficio te ab hoc, & tibi eme hunc iſto argento.
LE. Nimis bella es atque amabilis: & ſi hoc eſſet meum, hodie
Nunquam me orares quin darem: illum te orare meliu'ſt:
Illic hanc mihi ſervandam dedit. i ſanè bella bellè!
Cape hoc ſis, Libane. *AR.* furcifer, etiam me deluſiſti?
LE. Nunquam hercle facerem, genua ni tam nequiter fricares.
Age ſis tu, in partem nunc jam hunc delude, atque amplexare hanc.
LI. Taceas, me ſpectes. *AR.* quin ad hunc Philenium aggredimur.
Virum quidem pol optimum, & non ſimilem furis hujus.
LI. Inambulandum eſt: nunc mihi viciſſim ſupplicabunt,

Interpretatio.

PHI. *Da* mihi pecuniam, *mi ocelle*; da, *mea roſa*; da, *mi anime*; da, *mea voluptas*, *Leonida*. *ne nos dujunge amantes.* LE. *Dic ergo me tuum paſſerculum, gallinam, coturnicem, agnellum: apprehende auriculis, compone labra cum labris.* ARG. *Tene oſculetur maſtigia?* LE. *Quàm verò videtur indignum! Atqui per Pollucem non accipies hodie, niſi tenuerit genua.* ARG. *Inopia cogit facere quid vis: teneantur: da jam quod rogo.* PHI. *Age, mi Leonida, amabo, fer opem domino amanti, redime te ab hoc iſto pretio, & eme hunc iſtâ pecuniâ.* LE. *Es admodum pulchra, & amore digna: & ſi hoc ad me pertineret, nunquam me rogares hodie quin concederem. Jam eſt conducibilius tibi te hunc rogare. Hic mihi hanc dedit cuſtodiendam. I ſanè, pulchra pulchrè. Accipe id, ſi vis, Libane.* ARG. *Furcifer, me deluſiſti etiam?* LE. *Per Herculem non facerem, niſi confricares adeò malè genua? Age ſi vis tu, jam illude huic nunc tuâ vice, atque hanc complectere.* LIB. *Sile, me aſpice.* ARG. *Aggrediamur hunc Philenium. Virum ſanè bonum, & non ſimilem huic furi.* LIB. *Deambulandum eſt: jam me implorabunt meâ vice.*

Annotationes.

78. *Prehende auriculis.*] Solebant Veteres eum quem cariſſimum habebant, *auriculis* apprehenſis, deoſculari. Tibull.

Oſcula compreſſis auribus eripiet.

80. *Ni genua confricantur.*] Moris erat, & eſt etiamnum, ut quorum animos flectere aggrederentur, genibus provoluti, ipſi genua comprehenderent.

81. *Quidvis egeſtas imperat.*] Horatius:

Magnum pauperies opprobrium, jubet
Quidvis & facere & pati:
Virtutiſque viam deſerit arduæ.

AR. Quæſo hercle, Libane, ſis herum tuis factis ſoſpitari,
Da mihi iſtas viginti minas. vides me amantem egere.
LI. Videbitur, factum volo. redito huc conticinio,
Nunc iſtanc rantiſper jube ſis petere atque orare mecum.
PHI. Amandóne exorarier vis te, an oſculando?
LI. Enimverò utrunque. *PHI.* ego obſecro te, & tu utrunque noſtrum ſerva.
AR. O Libane, mi patrone! mihi trade iſtuc. magis decorum 'ſt
Libertum potiùs quàm patronum onus in viâ portare.
PHI. Mi Libane! ocellus aureus, donum decuſque amoris,
Amabo, faciam quod voles, da iſtuc argentum nobis.
LI. Dic igitur me anaticulam, columbam, vel catellum,
Hirundinem, monedulam, paſſerculum, putillum.
Fac proſerpentem beſtiam me, duplicem ut habeam linguam.
Circumdatóque me brachiis: meum collum circumplecte.
AR. Ten' complectatur, carnifex? *LI.* quàm verò indignus videór!
Ne iſtuc nequiquam dixeris tam indignum dictum in me:

INTERPRETATIO.

ARG. *Rogo per Herculem, Libane, ſi vis ſalvum eſſe herum tuis factis, da mihi iſtas viginti minas: cernis me indigere utpote amantem.* LIB. *Deliberabitur, fiat. Revertere huc cùm nocteſcet. Jam manda ſi lubet ut iſta pauliſper à me petat & oret.* PHI. *Placetne te rogari amando, an oſculando?* LIB. *Imò verò utrumque.* PHI. *Ego te rogo, & tu cuſtodi utrumque noſtrûm.* ARG. *O Libane, mi patrone, trade mihi iſtud: eſt æquius libertum bajulare onus in viâ, quàm patronum.* PHI. *O Libane, ocelle pretioſe, munus ornamentumque amoris, obſecro, faciam quod lubebit, da nobis iſtam pecuniam.* LIB. *Appella me ergo anaticulam, columbam vel catellum, hirundinem, monedulam, paſſerculum. Da ut ego ſim ſerpens, ut habeam duplicem linguam, & me cinge lacertis: complectere meum collum.* ARG. *Téne complectatur, furcifer?* LIB. *Quàm verò videor indignus! Túne miſeris hoc verbum tam indignum in me impunè,*

ANNOTATIONES.

94. *Viginti minas.*] *Mina*, ſeu *mna*, valet ſeptemdecim libras cum dimidia: itaque viginti minæ ſunt trecentæ quinquaginta libræ.

95. *Conticinio.*] *Conticinium*, prima pars noctis, à ſilentio dictum.

104. *Monedulam.*] In Neuſtria noſtra appellamus *Cornicem clitellariam*, *une Corneille bâtee*; quia videlicet ſupra utramque alam eſt amplior nota cinericia, ſimilis *clitellæ*. Olim vocabant Gallicè *Chucas*.

Putillum.] A *putus* aut *potus* dicitur, unde Gallis *petit*. Eſt & *putus* aut *potus* à πόσθη & πόσθις, *præputium*, pars illa corporis qua cenſetur ſexus uterque. A *putus* fit *putillus*, & *putilla*. Gallis *meretrix juvenis*. Arbitrati ſunt nonnulli *præputium* dici à *præputando*, quòd præputaretur Judæis. Sed perperàm quia *præputium* habet *pu* longum, deinde Latinis fuit nomen *præputii* antequam notum eſſet nomen Judæi. Igitur *præputium* eſt ἀκροπόσθιον Græcè, & Plautus nihil aliud ſignificat hoc loco, quàm, *voca me tuum amatorculum*.

105. *Fac proſerpentem beſtiam*] Eſt inſignis obſcœnitas in his & ſequentibus verbis: cùm enim optat habere duplicem linguam, inſtar ſerpentis, latet in his verbis virus turpiſſimæ libidinis ipſo ſerpentino veneno juventuti funeſtius. Ariſtoteles *duplicem linguam* tribuit ſerpentibus, *biſulcam* Plinius, *triſulcam* Virgilius.

Linguis micat ore triſulcis.

Veheſ pol hodie me; ſiquidem hoc argentum ferre ſperes.
AR. Ten' ego veham? *LI.* tun' hoc feras argentum hinc aliter à me?
AR. Perii hercle. ſi verum quidem eſt decorum, herum vehere ſervom,
Inſcende. *LI.* ſic iſti ſolent ſuperbi ſubdomari.
Aſta igitur, ut conſuetus es puer olim. ſcin' ut dicam?
Hem ſic! abi: laudo! nec te equo magis eſt equus ullus ſapiens.
AR. Inſcende actutum. *LI.* ego fecero. hem! quid iſtuc eſt? ut tu incedis?
Demam hercle jam hordeo, tolutim nî badizas.
AR. Amabo, Libane, jam ſat eſt. *LI.* nunquam hercle hodie exorabis.
Nam jam calcari quadrupedem agitabo advorſum clivum,
Poſteà ad piſtores dabo, ut ibi cruciere currens.
Aſta, ut deſcendam nunc jam in proclivi, quanquam nequam es.
AR. Quid nunc? quoniam ambo, ut eſt libitum, nos *ambo* deluſiſtis,
Datiſne argentum? *LI.* ſiquidem mihi ſtatuam & aram ſtatuis,
Atque ut Deo mihi hîc immolas bovem: nam ego tibi Salus ſum.
LE. Etiam tu, here, iſtunc amoves abs te, atque ipſe me aggredire?
Atque illa ſibi quæ hîc juſſerat, mihi ſtatuis, ſupplicáſque.

INTERPRETATIO.

Per Pollucem me portabis hodie. ſi tu ſperes hanc obtinere pecuniam. ARG. *Tene portabo ego?* LIB. *Tune obtinebis aliter à me hanc pecuniam?* ARG. *Nullus ſum ſanè. Si verum quidem & honeſtum ab hero portari ſervum, inſcende.* LIB. *Ita ſuperbia horum hominum frangitur: aſta ergo, ut ſolebas quondam cùm puer eras. Capiſne quæ dico: ſic ambula: benè eſt. Neque eſt ullus equus ſapientior te equo.* ARG. *Inſcende celeriter.* LIB. *Ego fecero. hem! quid iſtud eſt? Quomodo ambulas? Sanè modo de tuo auferam hordeo, niſi procedas ſublatis ad numerum pedibus.* ARG. *Obſecro, Libane, jam ſatis eſt.* LIB. *Per Herculem non id conſequeris hodie: etenim jam compellendus eſt mihi quadrupes admoto calcari adverſo clivo, deinde tradam ducendum ad piſtrinum, ut vexeris ibi currendo. Sta ut pedem ponam nunc jam in prono: tametſi es improbus.* ARG. *Quid nunc? Quoniam nobis ambobus illuſiſtis ad libitum, præbetis pecuniam?* LIB. *Dabo, ſi mihi erigitis imaginem & altare, & mihi mactatis bovem, ut Numini: nam ego ſum tua ſalus.* LE. *Quin arces iſtum à te, here, atq; ipſe me aggrederis? & mihi concedis illa quæ imperaverat pro ſe Libanus, & ſupplicas.*

ANNOTATIONES.

116. *Tolutim.*] *volutim* & *glomeratim.* Virgilius.

Inſultare ſolo & greſſus glomerare ſuperbos.

Badizas.] & proprium *tolutarii* & gradarii equi, *haquenée.* βαδίζω & βαδιστής, à βάδην.

118. *Quadrupedem agitabo.*] Virgilius,

Spumantémque agitabat equum.

Idem, *agitator aſelli*, id eſt *verberator.*

AR. Quem te autem deum nominem? *LE.* Fortunam, atque Obſequentem.
AR. Jam iſtoc es melior. *LI.* an quid eſt olim homini ſalute melius?
AR. Licet laudem Fortunam, tamen ut ne Salutem culpem.
PHI. Ecaſtor ambæ ſunt bonæ. *AR.* ſciam, ubi boni quid dederint.
LE. Opta id quod ut contingat tibi vis. *AR.* quid ſi optaro? *LE.* eveniet.
AR. Opto annum hunc perpetuum mihi hujus operas. *LE.* impetraſti
AR. Ain' verò? *LE.* certè, inquam. *LI.* ad me adi viciſſim atque experire.
Exopta id quod vis maximè tibi evenire, fiet.
AR. Quid ego aliud exoptem ampliùs, niſi illud cujus inopia 'ſt,
Viginti argenti commodas minas, hujus quas dem matri?
LI. Dabuntur: animo ſis bono face: exoptata obtingent.
„ *AR.* UT CONSUEVERE, homines ſalus fruſtratur & fortuna.
LE. Ego caput huic argento fui hodie reperiundo.
LI. Ego pes fui. *AR.* quin nec caput, nec pes ſermonum apparet.
Nec quid dicatis, nec me cur ludatis ſcire poſſum.
LI. Satis jam deluſum cenſeo: nunc rem eſt ut eloquamur.
Animum, Argyrippe, advorte ſis! pater nos ferre hoc juſſit
Argentum ad te. *AR.* ut tempore, opportunéque attuliſtis!

INTERPRETATIO.

ARG. *Quem verò Deum te appellabo?* LE. *Fortunam & Obſequentem.* ARG. *Jam melior es iſto.* LIB. *An eſt aliquid quod melius ſit homini ſalute:* ARG. *Tametſi ſic prædico fortunam, ut non vituperem ſalutem.* PHI. *Sanè utraque eſt bona* ARG. *Reſciſcam quando dederint aliquid boni.* LE. *Roga id quod cupis ut tibi contingat.* ARG. *Quod ſi optavero?* LE. *Continget.* ARG. *Mihi cupio operas hujus continuo hoc anno.* LE. *Obtinuiſti.* ARG. *Aiſne verò?* LE. *Aio enimverò.* LIB. *Veni ad me viciſſim, & periculum fac. Roga id quod volueris maximè tibi contingere.* ARG. *Quid ego exoptem aliud amplius, niſi id cujus inopiâ laboro? Præbes viginti minas argenti quas numerem hujus matri?* LIB. *Dabuntur, fac ſis æquo animo, exoptata contingent.* ARG. *Salus & Fortuna fallit homines, ut mos eſt.* LE. *Ego fui hodie autor reperiendæ hujus pecuniæ.* LIB. *Ego fui pes* ad eam quærendam. ARG. *Profectò non apparet aut caput aut pes in veſtrâ oratione: nec poſſum capere quid dicatis, nec cur me conveniatis.* LIB. *Exiſtimo jam ſatis irriſum: aperiamus nunc rem qualis eſt: Adhibe, ſi placet, animum, Argyrippe. Pater imperavit ut nos ad te deferremus hanc pecuniam.* AR. *Et advexiſtis tempeſtivè opportunéque.*

ANNOTATIONES.

138. *Ego caput.*] Donatus. *Caput origo & ſumma cujuſque rei eſt.* Propert.
Non ego nequitiæ dicerer eſſe caput,
id eſt, *dux, ſignifer, princeps ad nequitiam.*

139. *Ego pes fui.*] *baſis, fundamentum.*

LI. Hîc inerunt viginti minæ bonæ malâ operâ partæ?
Has tibi nos pactis legibus dare juſſit. *AR.* quid id eſt, quæſo?
LI. Noctem hujus & cœnam ſibi ut dares. *AR.* jube advenire, quæſo.
Meritiſſimo ejus quæ volet faciemus, qui hoſce amores
Noſtros diſpulſos compulit. *LE. patieris, Argyrippe,*
Patrem hanc amplexari tuum? *AR.* hæc facilè faciet ut patiar.
Leonida, curre, obſecro, patrem huc orato ut veniat.
LI. Jamdudum eſt intus. *AR.* hàc quidem non venit. *LI.* angiporto
Illac per hortum circuit clam, ne quis ſe videret
Huc ire familiarium: ne uxor reſciſcat, metuit.
De argento ſi mater tua ſciat ut ſit factum. *AR.* heia!
Benedicite. ite intrò citò, valete. *LE.* & vos amate.

INTERPRETATIO.

LIB. *Hìc inſunt viginti minæ, bonæ quidem, ſed partæ malis artibus: juſſit ut ad te deferrentur certâ lege.* ARG. *Quid id eſt, rogo?* LIB. *Ut ſibi des noctem hujus & cœnam.* ARG. *Manda ut veniat, rogo; agamus quod placebit merito, utpote qui inſtauravit noſtros hoſce amores depulſos.* LE. *Sines, Argyrippe, tuum patrem amplexari hanc?* ARG. *Hæc efficiet ut ſinam æquo animo. Leonida, propera, obſecro, ora patrem ut veniat huc.* LIB. *Jampridem eſt domi.* ARG. *Non quidem venit huc.* LIB. *Circuit clam illàc angiporto per hortum, ne à quopiam familiarium videatur quando huc venit: veretur ne uxor cognoſcat: ſi enim tua mater noverit quod ſit factum de argento.* ARG. *Heia benedicite. Ite domum velociter, valete.* LE. *Et vos amate.*

ANNOTATIONES.

147. *Meritiſſimo ejus.*] *Meritiſſimum* eſt ſubſtantivum, ut patet ex genitivo ſequenti *ejus.*

154. *Eia benedicite.*] εὐφημεῖτε: *contrarium, βλασφημεῖν, malè precari.* Reformidabant Veteres imprimis malas comprecationes, ne eas dii facerent ratas, & imprimis ſanguine & genere conjunctorum.

ACTUS QUARTUS.

ARGUMENTUM.

DIABOLUS, Glauci filius, Demæneti amores turbare aggreditur.

ACTUS QUARTUS. SCENA PRIMA.

ARGUMENTUM.

INTEREA DUM rejectus à Clearreta Argyrippus, minas viginti quærit, Diabolus pactâ eâdem mercede Philenium in annum à Clearreta obtinet. Scribuntur pacti leges à Paraſito. Hæc in poſtſcenio. In Scena leges pacti perleguntur.

DIABOLUS, PARASITUS.

DIABOLUS.

AGEDUM, iſtum oſtende quem conſcripſti ſyngraphum
Inter me, & amicam, & lænam. leges perlege.
Nam tu Poëta es prorſus ad eam rem unicus..
PA. Horreſcet ſaxo læna, leges quum audiet.
DI. Age, quæſo, mi hercle tranſlege. *PA.* audin'? *DI.* audio.
PA. Diabolus, Glauci filius, Clearetæ
Lænæ dedit dono argenti viginti minas,
Philenium ut ſecum eſſet noctes & dies
Hunc annum totum. *DI.* neque cum quiquam alio quidem.
PA. Addone? *DI.* adde: & ſcribas, vide, planè & probè.
PA. Alienum hominem intromittat neminem.
Quòd illa aut amicum aut patronum. *DI.* neminem.
PA. Aut quòd illa amicæ ſuæ amatorem prædicet:
Fores occluſæ omnibus ſient, niſi tibi.
In foribus ſcribat, OCCUPATAM ESSE SE,

INTERPRETATIO.

DIA. *AGedum depromo illum ſyngraphum quem conſcripſiſti inter me, & amicam, & lenam. Perlege leges. Etenim es artifex omnino unicus in iis rebus.* PAR. *Efficiam ut lena exanimetur quando accipiet leges.* DIA. *Age obſecro, perlege à capite ad calcem.* PAR. *Audiſne?* DIA. *Audio.* PAR. *Diabolus, filius Glauci, numeravit viginti minas argenti Clearetæ lenæ, ut Philenium ſit ſecum diebus & noctibus toto hoc anno.* DIA. *Neque cum quoquam alio.* PAR. *Adjiciamne?* DIA. *Adjice, & da operam ut ſcribas planè & probè.* PAR. *Inducat neminem alium hominem, quem hæc aut amicum aut patronum appellet.* DIA. *Neminem.* PAR. *Aut quem hæc dicat amatorem ſuæ amicæ. Fores ſint clauſæ omnibus, niſi tibi. Scribat in foribus hæc verba*, OCCUPATA SUM,

ANNOTATIONES.

1. *Syngraphum.*] *ſyngraphus* & *ſyngrapha*, eſt tabula quam plures ſubſcripſerunt. *Chirographum* eſt privata ſcriptura unius exarata manu & ſubſignata.

3. *Ad eam rem unicus.*] *Unicum* eſt *egregium, præclarum, ſingulare.* Feſtus. *Sardanapalus Rex Aſſyriorum fuit unica luxuria.* Cicero, *in quem illud Elogium unicum.*

Aut quòd illa dicat peregrè allatam epiſtolam,
Ne epiſtola quidem ulla ſit in ædibus,
Nec cerata adeò tabula. & ſi qua inutilis
Pictura ſit, eam vendat. ni quatriduo
Abalienarit, quo abs te argentum acceperit,
Tuus arbitratus ſit, comburas, ſi velis.
Ne illi ſit cera, ubi facere poſſit litteras.
Vocet convivam neminem illa; tu voces:
Ad eorum ne quem oculos adjiciat ſuos.
Si quem alium aſpexit, cæca continuò ſiet.
Tecum una poſtea æquè pocula potitet.
Abs ted accipiat, tibi propinet, tu bibas.
Ne illa minùs, aut plus quàm tu, ſapiat. *DI.* ſatis placet.
PA. Suſpiciones omnes abs ſe ſegreget,
Neque illæc ulli pede pedem homini premat,
Cùm ſurgat, neque in lectum inſcendat proximum,
Neque cùm deſcendat, inde det cuiquam manum:
Spectandum ne cui annulum det, neque roget.
Talos ne cuiquam homini admoveat, niſi tibi.
Cùm jaciat, Te, ne dicat: nomen nominet.

INTERPRETATIO.

ne hac dicat epiſtolam redditam à longè, ſit nulla epiſtola apud eam, neque tabula cerá obducta. Si ſit aliqua pictura inutilis, eam vendat, niſi abalienarit intra dies quatuor à quibus acceperit pecuniam abs te. Conjicies in ignem, ſi volueris. Ne illi ſit cera in qua poſſit ſcribere epiſtolas. Eadem invitet neminem convivam, tu invita. Ne conjiciat ſuos oculos in ullum eorum. Si viderit quempiam alium, ſit ſtatim oculis capta. Poſtea potet tecum pariter: pocula accipiat abs te, propinet tibi, tu bibas, ne illa minùs aut plus quàm tu. DIA. *Placet ſatis.* PAR. *Amoveat omnes ſuſpiciones à ſe, neque illa teras cuipiam homini pedem ſuum pede, cùm ſurget; non aſcendat in lectum vicinum; neque cùm deſcendet, inde prabeat cuiquam manum, ne det cuiquam annulum videndum, neque poſtulet* à quoquam homine, *neque admoveat cuiquã talos niſi tibi. Quando mittet manu* talos, *ne dicat, Te* invoco, *appellet nomen:*

ANNOTATIONES.

18. *Nec cerata.*] Propertius.

Me juvenem facies picta, me numina ladunt.

Veretur videlicet Deos habere rivales. Ovidius.

Si potes & ceras remove: quid imagine muta

Carperis? hoc periit Laodamia modo.

Habebat Sichæi viri ſui imaginem Dido, teſte Virgilio. Sic eorum quos impenſiùs amamus, imagine delectamur.

26. *Potitet.*] Alii malunt *poſcat. Poſcere* autem eſt vocabulum in conviviis adhibere ſolitum, & in potationibus. *Poſcere majoribus* ſubauditur *poculis potum. Simul* autem *poſcere potum, ſimul bibere,* ſunt indicia amoris.

30. *Pedem pede.*] Ovidius.

Velle latus digitis, & pede tange pedem.

Indicia ſunt amoris.

35. *Te ne dicat.*] Quando Antiqui *talos* jaciebant, ſolebant appellare nomen ejus quem plurimi facerent, ac potiſſimum amarent. Diabolus non veretur ne quemvis alium appellet in jaciendis talis: nimiùm enim fuerit impudens & profeſſi amoris, ſed ne jaciendo dicat tantùm TE, tacito nomine ejus quem invocet, ſed dicat *te Diabole invoco,* & non *te invoco* tantùm, ne lateat ſub illo, TE, nomen alius amatoris.

Deam invocet ſibi quam libebit propitiam;
Deum nullum. ſi magis religioſa fuerit,
Tibi dicat: tu pro illâ ores, ut ſit propitius.
Neque illa ulli homini nutet, nictet, annuat.
Poſt, ſi lucerna extincta eſt, ne quid ſui
Membri commoveat quicquam in tenebris. *DI.* optimum eſt:
Ita ſcilicet facturam. verùm in cubiculo
Deme iſtuc: equidem illam moveri geſtio.
Nolo habere illam cauſſam, & votitam dicere.
PA. Scio, captiones metuis. *DI.* verum. *PA.* ergo ut jubes,
Tollam. *DI.* quid nî? *PA.* audi reliqua. *DI.* loquere, audio.
PA. Neque ullum verbum faciat perplexabile,
Neque ullâ linguâ ſciat loqui niſi Atticâ.
Fortè ſi tuſſire occœpſit, ne ſic tuſſiat,
Ut cuiquam linguam in tuſſiendo proferat.
Quòd illa autem ſimulet quaſi gravedo profluat,
Hoc ne ſic faciat: tu labellum abſtergeas
Potiùs, quàm cuiquam ſavium faciat palàm.
Nec mater læna ad vinum accedat interim,
Nec ulli verbo malè dicat. ſi dixerit,

INTERPRETATIO.

invocet Deam quam velet ſibi propitiam, ſed nullum Deum. Si fuerit magis pia. tibi dicat ut tu pro illâ roges, ut faveat: neque hac nutet, ſternutet, connivcat ulli homini. Si lucerna extinguitur, ne ullum membrum moveat in tenebris. DIA. *Benè eſt ſi ita fecerit: ſed excipe illud, quando erit in cubiculo, nam volo moveri* ibi, *& nolo illam habere hunc pretextum, ut ſeſe dicat ream voti.* PAR. *Capio. Pertimeſcis fallacias* verborum. DIA. Dicis *verè.* PAR. *Ergo erudiam ut mandas.* DIA. *Cur non?* PAR. *Accipe catera.* DIA. *Dic. intelligo.* PAR. *Neque mittat ullum dictum anceps, neque noſcat loqui linguâ, niſi Attica: ſi forſitan tuſſire cœperit, ne ſic tuſſiat, ut oſtendat cuiquam linguam. Si verò illa fingat ſe gravedine laborare, hoc ne ſic faciat: tu abſterge potius labellum, quàm prabeat cuiquam oſculum: nec mater lena accedat interea ad vinum, nec convitium dicat ulli vel verbo, Si dixerit,*

ANNOTATIONES.

37. *Nullum deum.*] Propertius.
Rivalem poſſum non ego ferre Jovem.

39. *Nutet.*] *Nutare* capitis, *nictare* oculis, *indicare* digitis, *innuere* naribus, labiis, ſuperciliis dicitur.

44. *Votitam.*] id eſt, voto quo ſe obſtrinxit, & religione prohibitam; quia pollicita eſt futurum, ut non ſe loco moveat, id eſt, à cubiculo non diſcedat: inde per cavillationem negat Diabolus eſſe oportere Philenium ſine motu in cubiculo. Sunt ſordes verè hoc loco diabolicæ.

45. *Capsiones.*] Cic. *Captiones dialecticæ, captioſum genus interrogandi.*

47. *Verbum perplexabile.*] Nonius. *Figuratum, quod aliud audiatur, aliud ſentiatur.* Terentius, *perplexè loqui.* Plautus, *perplexim laceſſum oratione. Perplexus,* πολύπλοκος.

54. *Ad vinum accedat.*] *Nec intereadum compotabimus. ſi lena accedat ad nos, nec convitietur ulli.*

Hæc

Hæc multa ei eſto : vino viginti dies
Ut careat. *DI.* pulchrè ſcripſti : ſcitum ſyngraphum!
PA. Tum ſi coronas, ſerta, unguenta juſſerit
Ancillam ferre Veneri aut Cupidini,
Tuus ſervus ſervet, Veneri ne eas det an viro.
Si fortè purè velle habere dixerit,
Tot noctes reddat ſpurcas, quot puras habuerit.
Hæc ſunt non nugæ : non enim mortualia.
DI. Placent profectò leges. ſequere intrò. *PA.* ſequor.

INTERPRETATIO.

eſto pœna, ut abſtineat vino viginti dies. DIA. *Benè ſcripſiſti.* PAR. *Quàm elegans ſyngrapha!* PAR. *Tunc temporis ſi mandavit ancillæ ſuæ, ut offerat Veneri aut Cupidini coronas, ſerta, unguenta, tuus ſervus obſervet eas, ne det Veneri, an viro. Si dixerit fortè velle ſe caſtè vivere, ſpurca ſit tot noctibus, quot fuerit pura. Hæc non ſunt nugæ. Etenim non ſunt funeralia.* DIA *Certè leges mihi probantur. Sequere domum.* PAR. *Sequor.*

ANNOTATIONES.

61. *Si fortè purè.*] Matronæ & meretrices ſecubabant olim à viris & amatoribus per decem dies integros, antequam ad ſacrificandum aut Cereri aut Iſidi accederent. Id Latini *purè habere ſeſe* appellabant Græci *ἁγνεύειν ἁγνῶς ἔχειν.* Tibull.

——— *& puro ſecubuiſſe toro.*

62. *Tot noctes reddat ſpurcas.*] Paraſitus ſtatuit tot eſſe dependendas a meretrice Diabolo noctes, quot fuerunt puræ. Propertius.

Votivas noctes & mihi redde decem.

63. *Nugæ.*] *Nugæ* ſunt *Mortualia* ſeu *carmina præficarum* in funetibus : *nugæ* & *neniæ* idem ſunt : & *nugæ* dicuntur paſſim de rebus inutilibus, quales ſunt lacrymæ in funeribus : neceſſitati enim naturæ parendum eſt, & ſemel moriendum.

ACTUS QUARTUS. SCENA SECUNDA.

ARGUMENTUM.

APPROBATIS pacti legibus, quando de iis conſignandis agitur, redit in gratiam cum Clearæta & Philenio Argyrippus, numeratiſque minis viginti, cedit ei Philenium, fruſtrato Diabolo. Diabolus rationem pacti, conditionéſque, & præſertim conceſſæ Demæneto & cœnæ & noctis condiſcit. Hæc in poſtſcenio. In Scena Diabolus ſtatuit cum Paraſito amores furtivos Demæneti conturbare, & Paraſitus recipit in ſeſe provinciam eorum Artemonæ uxori aperiendorum. Hinc incipit cataſtrophe. Hæc Scena videtur eſſe ſequentis Actus.

DIABOLUS, PARASITUS.

DIABOLUS.

SEQUERE hàc : egon' hæc patiar ? aut taceam ? emori
Me malim, quàm hæc non ejus uxori indicem.
Ain' tu ? apud amicam munus adoleſcentuli
Fungare ? uxori excuſes te, & dicas ſenem ?
Præripias ſcortum amanti, atque argentum obicias
Lenæ ? ſuppiles clam domi uxorem tuam ?
Suſpendas potiùs me, quàm tacita tu hæc auferas.
Jam quidem hercle ad illam hinc ibo, quam tu propediem,
Niſi quidem illa antè occupaſſit te, effliges ſcio,
Luxuriæ ſumptûs ſuppeditare ut poſſies.
PA. Ego ſic faciundum cenſeo. me honeſtiu' ſt
Quàm te palàm hanc rem facere, ne illa exiſtimet
Amoris cauſſâ percitum id feciſſe te
Magis quàm ſuâ cauſſâ. *DI.* at pol qui dixti rectiùs.
Tu ergo fac ut illi turbas, lites concias,
Cum ſuo ſibi gnato unam ad amicam de die
Potare, illam expilare jam. *PA.* ne me mone.
Ego iſtud curabo. *DI.* at ego te opperiar domi.

INTERPRETATIO.

DIA. *VEni huc. Egone feram hæc, aut ſilebo? Diſperea potiùs, quàm non aperiam hæc ejus conjugi? Aiſne tu? Obeas pares juvenis cum amica? Excuſes te uxori* in mutuis officiis conjugalibus, *& dicas ſenem! Eripias ſcortum* filio *amanti? Atque offeras lenæ pecuniam? Spolies occultè tuam uxorem domi? Me ſuſpendas potiùs quàm tu feras hæc impunè. Modò per Herculem ibo hinc ad illam quam tu ad ſummam inopiam rediges brevi ut ſcio, niſi illa te anteverterit, ut poſſis facere ſatu ſumptibus luxuriæ.* PAR. *Ego exiſtimo ita agendum, honeſtius eſt me pervulgare publicè hanc rem quam te, ne ille putet te feciſſe id incitatum amore magis quàm ſuâ causâ.* DIA. *At per Pollucem cùm dixiſti meliùs, igitur tu perfice, ut illi concites tumultum, diſcordiam, quod potet cum ſuo ipſius filio juxta unam amicam, totâ die, illam expilare jam.* PAR. *Noli me admonere, ego curabo iſtud.* DIA. *At ego te expectabo domi.*

ANNOTATIONES.

7. *Tacita.*] paſſivè, *quàm hæc à me taceantur.* Alias activè : Cic. *tacita corporis figura* : id eſt, *quæ tacet.*

16. *De die.*] *En plein jour.* Qui de die convivabantur, habebant intemperantiores, ſolito cœnæ tempore minimè expectato. Nimirum legitima convivii hora apud Romanos erat poſt Solis occaſum. Itaque quia cœna fiebat veſpere, Plautus noſter in Milite dixit, *veſpere ſuo vivere,* id eſt *cœna veſpertina.* Veſpertinam illam horam, nonam notat fuiſſe Martialis.

Imperat extructos frangere nona toros.

id eſt *cœnare.* Saturnalibus diebus cœna incipiebat à multà luce, ut helluandi eſſet ſpatium.

ACTUS QUINTUS.

ARGUMENTUM.

ACTUS quintus continet cataſtrophes partem maximam, in qua fraudatur libido Demæneti.

ACTUS QUINTUS. SCENA PRIMA.

ARGUMENTUM.

ARGYRIPPUS ſuum dolorem in Demænetum patrem & rivalem diſſimulare non poteſt, proditque cum quà vultu triſti, quà etiam verbis.

ARGYRIPPUS, DEMÆNETUS.

ARGYRIPPUS.

AGEDUM, decumbamus, ſis, pater. *DE.* ut juſſeris,
Mi gnate, ita fiet. *AR.* pueri, menſam apponite.
DE. Nunquidnam tibi moleſtum eſt, gnate mi, ſi hæc mecum accubat?
AR. Pietas, pater, oculis dolorem prohibet. quanquam ego iſtanc amo,
Poſſum equidem animum inducere, ne ægrè patiar, quia tecum accubat?
,, *DE.* DECET verecundum eſſe adoleſcentem, Argyrippe. *AR.* edepol pater,

INTERPRETATIO.

ARG. *AGedum, Pater, accumbamus, ſi placet.* DE. *Sic fiet, mi fili, ut volueris.* ARG. *Servi, ſternite menſam.* DE. *Eſtne tibi durum, mi fili, ſi hæc accubat jam mihi.* ARG. *Pietas, pater, vetat lacrymas oculis: tametſi ego iſtam diligo. Poſſum certè à me impetrare, ne feram indignè quòd decumbat tecum.* DE. *Decet adoleſcentem eſſe verecundum. Argyrippe.* ARG. *Per ædem Pollucis, pater,*

ANNOTATIONES.

1. *Decumbamus.*] *Diſcumbere* eſt convivarum, *decumbere* ægrotorum.

4. *Oculis dolorem prohibet.*] Dolor ille non oculorum eſt, ſed animi ejus qui videt quod invidet. Terentius.

Vin' facere quòd tuo viro oculi doleant? id' eſt, *quod invito animo videas tuus vir.*

Merito tuo facere poſſum. *DE.* agè ergo, hoc agitemus convivium
Vino & ſermone ſuavi. nolo ego metui, amari mavolo,
Mi gnate, me abs te. *AR.* pol ego utrunque facio, ut æquum eſt filium.
DE. Credam iſtuc, ſi eſſe te hilarum videro. *AR.* an tu eſſe me triſtem putas?
DE. Putem ego? quem videam æquè eſſe mœſtum, ut quaſi dies ſi dicta ſit.
AR. Ne dixis iſtuc. *DE.* ne ſic fueris, illicò ego non dixero.
AR. Hem! aſpecta: rideo. *DE.* utinam malè qui mihi volunt, ſic rideant!
AR. Scio equidem quamobrem me, pater, tu triſtem credas nunc tibi;
Quia iſtæc eſt tecum. atque ego quidem hercle, ut verum tibi dicam, pater,
Ea res malè habet: ac non eò, quin tibi non cupiam quæ velis:
Verùm iſtam amo, aliam tecum eſſe equidem facilè poſſim perpeti.
DE. At ego hanc volo. *AR.* ergo ſunt quæ exoptas. mihi quæ ego exoptem volo.
DE. Unum hunc diem perpetere, quoniam tibi poteſtatem dedi,
Cum hâc annum ut eſſes, atque amanti argenti feci copiam.
AR. Hem iſtoc me facto tibi devinxti. *DE.* quin te ergo hilarum das mihi,

INTERPRETATIO.

poſſum concedere tuis meritis. DE. *Age igitur, celebremus hoc convivium vino & oratione feſtivâ. Ego nolo timeri abs te, mi fili, malo diligi.* ARG. *Per Pollucem ego præſto utrumque, ut par eſt natum.* DE. *Credam id, ſi conſpexero te lætum.* ARG. *Tune exiſtimas me eſſe mœſtum?* DE. *Ego arbitrabor, utpote quem videam eſſe perinde triſtem atque ſi cauſa tibi capitalis dicenda ſit.* ARG. *Ne dixeris id.* DE. *Ne ſic egeris, ſtatim ego dicere deſinam.* ARG. *Hem! vide: rideo.* DE. *Utinam qui mihi infenſi ſunt, ſic rideant!* ARG. *Video profectò, pater, quare tu exiſtimes me mœſtum eſſe nunc propter te, quia hæc eſt tecum, atque ego quidem per Herculem, ut tibi dicam verè, pater, ea res eſt indecora. ac non idcirco dico id, quòd non tibi exoptem quæ cupias, ſed depereo iſtam. Certè poſſim ferre æquo animo aliam quamvis eſſe tecum.* DE. *At ego volo hanc habere.* ARG. *Igitur tibi ſunt quæ exoptas: ego volo quæ mihi exoptem.* DE. *Concede mihi hunc diem unum. quia per me tibi licet ut ſis cum hâc totum annum, & ſuppeditavi pecuniam amanti.* ARG. *Ab me obſtrinxiſti tibi.* DE. *Cur igitur non te das mihi lætum & alacrem,*

ACTUS QUINTUS. SCENA SECUNDA.

ARGUMENTUM.

INTEREADUM Demænetus, Argyrippus, & Philenium unà diſcumbunt cœnantque, Paraſitus Diaboli adit Artemonam, detegit amores Demæneti viri, & eamdem occultè inducit in eum Triclinii locum, unde poſſet & quæ dicerentur, audire, & quæ fierent à convivis conſpicari. Hæc in poſtſcenio. Poſtquam Artemona benè multa & vidit, & audivit quæ eam incitarent, ex occultis inſidiis in medium erumpit, occupat incautos, bacchatur, educit è luſtro Demænetum edentulum amatorem.

DEMÆNETUS, ARGYRIPPUS, PHILENIUM, ARTEMONA, PARASITUS.

ARTEMONA.

AIN' tu, meum virum hîc potare, obſecro, cum filio;
Et ad amicam detuliſſe argenti viginti minas?
Meóque filio ſciente, id facere flagitium patrem?
PA. Neque divini, neque mî humani poſthac quicquam accreduas,
Artemona, ſi hujus rei me eſſe mendacem inveneris.
ART. At ſceleſta ego, præter alios, meum virum fui rata
Siccum, frugi, continentem, amantem uxoris maximè.
PA. At nunc dehinc ſcito illum ante omnes minimi mortalem precî,
Madidum, nihili, incontinentem, atque oſorem uxoris ſuæ.
ART. Pol ni vera iſta eſſent, nunquam faceret ea quæ nunc facit.
PA. Ego quoque hercle illum antehàc hominem ſemper ſum frugi ratus.
Verùm hoc facto ſeſe oſtendit, qui quidem cum filio
Potet vnà, atque unà amicam ductet decrepitus ſenex.

INTERPRETATIO.

ART. *An dicis, amabò, meum maritum bibere hic cum nato, & attuliſſe viginti minas argenti ad amicam, & patrem id perpetrare ſcelus, conſcio meo nato?* PA. *Deinceps me audias in re nullâ neque divinâ neque humanâ, Artemona, ſi deprehenderis me eſſe mendacem in hâc re.* ART. *At infelix ego, arbitrabar meum maritum præter cæteros mortales ſobrium, temperantem, pudicum.* PA. *At jam intellige deinceps eum hominem eſſe nihili, ſi quis maximè deditum vino, vilem, impudicum, & inimicum ſuæ conjugis.* ART. *Per Pollucem niſi hæc ita ſe haberent, nunquam committeret ea quæ committit nunc.* PA. *Ego etiam per Herculem ſemper exiſtimavi hucuſque eum virum eſſe moderatum; ſed qualis ſit, aperit hoc ſcelere, cùm bibit ſimul cum nato, & ductet ſimul amicam ſenex capularis.*

ART. Hoc ecaſtor eſt, quod ille it ad cœnam cotidie.
Ait ſeſe ire ad Archidemum, Chæream, Chereſtratum,
Cliniam, Chremem, Cratinum, Diniam, Demoſthenem;
Is apud ſcortum corruptelæ & liberis luſtris ſtudet.
PA. Quin tu illum jubes ancillas rapere ſublimem domum?
ART. Tace modò. næ illũ ecaſtor miſerũ habebo! *PA.* ego iſtuc ſcio
Ita fore illi, dum quidem cum illo nupta eris. *ART.* ego cenſeo
Eum etiam hominem in ſenatu dare operam, aut clientibus:
Ibi labore delaſſatum noctem totam ſtertere.
Ille opere foris faciendo laſſus noctu advenit:
Fundum alienum arat, incultum familiarem deſerit.
Is etiam corruptus, porrò ſuum corrumpit filium.
PA. Sequere hàc me modò, jam faxo ipſum hominem manifeſtò opprimas.
ART. Nihil ecaſtor eſt quod facere mavelim. *PA.* manedum. *ART.* quid eſt?
PA. Poſſis, ſi fortè accubantem tuum virum conſpexeris,
Cum coronâ amplexum amicam, ſi videas, cognoſcere?
ART. Poſſum ecaſtor. *PA.* hem tibi hominem. *ART.* perii. *PA.* pauliſper mane.
Aucupemus ex inſidiis clanculum quam rem gerant.
AR. Quid modi, pater, amplexandi facies! *DE.* fateor, gnate mi.
AR. Quid fatere? *DE.* me ex amore hujus corruptum oppidò.
PA. Audin' quid ait? *ART.* audio. *DE.* egon' ut non domo uxori meæ
Surripiam in deliciis pallam quam habet, atque ad te deferam?

INTERPRETATIO.

ART. *Idcircò per ædem Caſtoris eſt, quòd ille it ad cœnam ſingulis diebus. & ait ſeſe ire ad Archidamum, Chæream, Chereſtratum, Chereſteum, Chremem, Cratinum, Cliniam, Demoſthenem, & idem animum adhibet corruptelæ & publicis lupanaribus apud meretrices.* PAR. *Cur non tu imperas ancillas illum tollere ſublimem domum?* ART. *Sile jam: per ædem Caſtoris illum reddam infelicem.* PAR. *Ego noſco ita futurum, quandiu quidem eris nupta cum illo.* ART. *Ego exiſtimo eum etiam hominem aut ſtudere rebus forenſibus, aut clientibus, & defeſſum labore forenſi dormire totâ nocte. Ille laſſus in opere faciendo foris revertitur de nocte, colit agrum alienum, relinquit domeſticum inaratum. Is etiam corruptus deinde corrumpit ſuum natum.* PAR. *Sequere me hàc, jam efficiam modò ut occupes in flagranti delicto ipſum hominem.* ART. *Nihil eſt per ædem Caſtoris quod malim aſſequi.* PAR. *Manedum.* ART. *Quid eſt?* PAR. *Potes cognoſcere tuum maritum, ſi fortè videris accubantem cum coronâ, & amplectentem amicam, ſi intuearis?* ART. *Poſſum per ædem Caſtoris.* PAR. *Hem ecce hominem.* ART. *Nulla ſum.* PAR. *Sine paululum:* obſervemus clam ex inſidiis quid faciant. ARG. *Quouſque tandem, pater, amplexabere?* DE. *Fateor, fili.* ARG. *Quid fateris?* DE. *Me incenſum eſſe mirum in modum hujus amore.* PAR. *Audiſne quid dicit?* ART. *Audio.* DE. *Egone poſſim tenere manum, ut non ſuffurer domo ab uxore togam quam unicè amat, & ad te afferam?*

ANNOTATIONES.

23. *Opere foris.*] Agriculturæ allegoria ad obvelandas res amatorias.

Non edepol conduci poſſum vitâ uxoris annuâ.
PA. Cenſen' tu illum hodie primùm ire aſſuetum eſſe in ganeum?
ART. Ille ecaſtor ſuppilabat me, quòd ancillas meas
Suſpicabar, atque inſontis miſeras cruciabam. *AR*. pater!
Jube dare vinum: jamdudum factum eſt, quum primùm bibi.
DE. Da, puere, ab ſummo. age tu interibi, ab infimo da ſuavium.
ART. Perii miſera: ut oſculatur carnufex, capuli decus.
DE. Edepol animam ſuaviorem aliquantò quàm uxoris meæ.
PHI. Dic, amabo, an fœtet anima uxoris tuæ? *DE*. nauteam
Bibere malim, ſi neceſſum eſt, quàm illam oſcularier.
ART. Miſer ecaſtor es! *PA*. me caſtor dignus eſt. *AR*. quid ais, pater?
ART. Ain' tandem? edepol næ tu iſtuc cum malo magno tuo
Dixiſti in me? ſine! venias modò domum, faxo ut ſcias
Quid pericli ſit dotatæ uxori vitium dicere.
AR. Ecquid matrem amas? *DE*. egone? illam nunc amo, quia non adeſt.

INTERPRETATIO.

Per ædem Pollucis malim vitam meæ uxoris produci uno anno, quàm non ſurripere. PAR. *Exiſtimas tu illum nunc primùm ire ad lupanar?* ART. *Per ædem Caſtoris ille mihi ſurripiebat ea quæ putabam mihi ſurripi ab ancillis, & animadvertebam in infelices innocentes.* ARG. *Pater, manda propinari vinum: jampridem factum, cùm primùm potavi.* DE. *Da, ſerve, ab ſummo* lecto, *age interim tu das ſuavium ab imo* triclinio. ART. *Nulla ſum, infelix! quomodo furcifer capularis amplectitur.* DE. *Per ædem Pollucis ſpiritum multò amœniorem quàm ſpiritum meæ conjugis.* PHI. *Dic, obſecro, an ſpiritus tuæ conjugis grave olet?* DE. *Malim potare ſentinam, ſi neceſſe eſt, quàm illam oſculari.* ART. *Per ædem Caſtoris es infelix.* PAR. *Per Caſtorem meretur.* ARG. *Quid dicis, pater?* ART. *Ai'ne demum? Per ædem Pollucis certè tu dixiſti id adverſum me cum tuo magno periculo: Sine: revertere mox domum, efficiam ut intelligas quid periculi ſit convitium inferre conjugi amplioris dotis.* ARG. *Numquid diligis matrem?* DE. *Equidem illam amo nunc, quia non adeſt.*

ANNOTATIONES.

36. *Vitâ uxoris annuâ.*] *Si quis mihi ſpondeat fore ut mea uxor intra annum moriatur, ſi non ei ſuffuret pallam quam amat, nolim polliceri id, quamvis nihil mihi ſit optatius quàm mors uxoris.*

37. *Ganeum.*] Donatus. *Veteres ganeum tabernam meritoriam dixerunt* ἀπὸ τῆς γᾶς ἔστ' ὑπὸ γῆς, *quòd ea ſint in terra, non ut cœnacula ſupra terram.* *Ganeum* fornix γωνεῖον.

41. *Ab ſummo.*] Medius erat inter filium & Philenium Demænetus: mandat libari pocula ab Argyrippo, & oſcula ab Philenio.

42. *Capuli decus.*] Nonius. *Capulus à capiendo: nam ſarcophagum, id eſt ſepulcrum, Veteres capulum dici voluerunt, quòd corpora capiat.* Feſtus. *Capulum & manubrium gladii vocatur, & id quo mortui efferuntur, utrumque à capiendo dictum: ſanè à capulo ſit capularis.* Porrò *capuli decus* dicitur Demænetus, id eſt, *ornamentum implendo capulo aptum.*

44. *Nautea.*] Nonius. *Nautea eſt aqua de ſentina, à nautis dicta.* Feſtus. *Nautea herba eſt gravis nigris quâ Coriarii utuntur, dicta quaſi nauſea permutatione* t *in* ſ.

49. *Vitium dicere.*] id eſt *convitium.*

AR. Quid, cùm adeſt? *DE.* periiſſe cupio. *PA.* amat homo hic te, ut prædicat.
ART. Næ ille ecaſtor fœneratò funditat: nam ſi domum
Redierit hodie, oſculando ego ulciſcar potiſſimùm.
AR. Jace, pater, talos, ut porrò nos jaciamus. *DE.* maximè.
Te Philenium mihi, atque uxori mortem. hoc Venerium eſt.
Pueri, plaudite, & mihi ob jactum cantharo mulſum date.
ART. Non queo durare. *PA.* ſi non didiciſti fullonicam,
Non mirandum eſt. in oculos invadi *nunc* eſt optimum.
ART. Ego pol vivam, & tu iſthæc hodie cum tuo magno malo
Invocaviſti. *PA.* ecquis currit pollinctorem arceſſere?
AR. Mater ſalve. *ART.* ſat ſaluti 'ſt. *PA.* mortuu' ſt Demænetus.
Tempus eſt ſubducere hinc me! pulchrè hoc gliſcit prælium.
Ibo ad Diabolum, mandata dicam facta, ut voluerit.
Atque interea ut decumbamus ſuadebo, hi dum litigant.
Poſt eum demum huc cras adducam ad lænam, ut viginti minas
Ei det, in parte hâc amanti ut liceat ei potirier.

INTERPRETATIO.

ARG. *Quid, cùm adeſt?* DE. *Velim interiiſſe.* PAR. *Hic homo te amat ſicuti dicit.* ART. *Per ædem Caſtoris dicit hæc magno fœnore; nam ſi revertatur hodie domum, ego pœnas ſumam potiſſimùm fœtidis oſculis.* ARG. *Conjice, pater, talos luſorios, ut deinde mittamus.* DE. *Invoco plurimùm te mihi ut faveas, Philenium, & lethum conjugi. Hoc eſt Venerium. Servi, plauſum edite, & mihi fundite mulſum de canthare ob jactum felicem.* ART. *Non poſſum durare.* PAR. *Si non didiciſti artem durandarum veſtium fullonicam, non ita miror: eſt jam opportunum invadere in ejus oculos.* ART. *Per Pollucem ego vivam, & tu invocaſti hodie hanc meretricem cum tuo magno damno.* PAR. *Ecquis currit ad vocandum unguentarium feralem?* ARG. *Mater ave.* ART. *Sat ſaluti eſt.* PAR. *De Demæneto actum eſt, nunc me ſubducam hinc. Hæc pugna initur pulchrè, ibo ad Diabolum, nunciabo factum ſatis mandatis ſicut voluit, & interim autor ero ut prandeamus, interea dum hi rixantur. Tandem poſtea eum adducam ad lenam cras, ut ei numeret viginti minas, ut Diabolo concedatur amanti Philenio frui ex parte.*

ANNOTATIONES.

55. *Venerium.*] Quatuor tali erant, & quatuor jactus talorum. Primus jactus erat *Venerius*; ſecundus, *Canis*; tertius, *Baſilicus*, *Regius*, *Hercules*; & quartus, *Vulturius*. *Venerius* erat quando tali quatuor erant omnino diſſimiles. *Canis*, quando erant omnes ſimili facie. *Hercules*, quando duo tali unâ erant facie, & duo alterâ. *Vulturius*, quando unus erat unius faciei, & tres alterius.

57. *Nequeo durare.*] Paraſitus hæc verba Artemonæ rapit in alienum ſenſum: ſe enim impatientem moræ eſſe fœmina dictitat, hic, quaſi dicat non poſſe denſare pannos, reponit eam non didiciſſe fullonicam; quia fullonica *durandorum* pannorum eſt.

60. *Pollinctorem.*] Nonius. *Pollinctores ſunt qui mortuos curant: à veteri verbo pollincere, mortuum curare.* Quaſi dicat hoc loco Paraſitus, *periit, interiit Demænetus.*

Argyrippus

Argyrippus exorari ſpero poterit, ut ſinat
Seſe alternas cum illo noctes hâc frui. nam ni impetro,
Regem perdidi : ex amore tantum eſt homini incendium.
ART. Quid tibi huc receptio ad te eſt meum virum? *PHI.* pol quidem
Miſeram odio enicavit. *ART.* ſurge, amator! i domum!
DE. Nullus ſum. *ART.* imò es ; ne nega ; omnium pol nequiſſimus.
At etiam cubat cucúlus. ſurge, amator! i domum!
DE. Væ mihi! *ART.* vera ariolare. ſurge, amator! i domum!
DE. Abſcede ergo paululum iſtuc. *ART.* ſurge, amator! i domum!
DE. Jam obſecro, uxor! *ART.* nunc uxorem me eſſe meminiſti tuam!
Modò, quom dicta in me ingerebas, odium, non uxor, eram.
DE. Totus perii. *ART.* quid tandem, anima fœtetne uxoris tuæ?
DE. Murrham olet. *ART.* jam ſurripuiſti pallam, quam ſcorto dares?
AR. Ecaſtor quin ſurrepturum pallam promiſit tibi.
DE. Non taces? *AR.* ego diſſuadebam, mater. *ART.* bellum filium!
Iſtoſcine patrem æquum mores eſt liberis largirier?
Nihilne te putet? *DE.* pol ſi aliud nihil ſit, tui me uxor pudet.
ART. Cano capite te cucúlum uxor ex luſtris rapit.
DE. Non licet manere (cœna coquitur) dum cœnem modò?

INTERPRETATIO.

Spero fore ut Argyrippus poſſit exorari ut patiatur Diabolum eſſe cum Philenio alternis noctibus: nam niſi obtineo, perdam nutricium. tantus eſt ardor amoris in homine. ART. *Quare recipis huc meum virum apud te?* PHI. *Per Pollucem me enecat faſtidio.* ART. *Age ſurge, amator, i domum.* DE. *Sum perditus.* ART. *Imò es omnium ſceleſtiſſimus, ne nega? At cuculus jacet adhuc: i, ſurge, amator, i domum.* DE. *Væ mihi!* ART. *Vera divinas: expergiſce, amator, i domum.* DE. *Abſcede igitur pauliſper iſtinc.* ART. *Surge, amator, i domum.* DE. *Jam obſecro, uxor.* ART. *Nunc recordaris me eſſe tuam uxorem: quando inſerebas dicta injurioſa in me, eram mox odium, non conjux.* DE. *Totus perii.* ART. *Quid tandem? anima uxoris tuæ fœtetne?* DE. *Olet myrrham.* ART. *Tu ſurripuiſti pallam quam dares ſcorto?* ARG. *Per ædem Caſtoris quin minatus eſt ſe tibi ſurrepturum pallam.* DE. *Non taces?* ARG. *Ego diſſuadebam, mater.* ART. *Lepidum filium! eſtne æquum patrem communicare iſtos mores liberis? Nihilne te pudet?* DE. *Per Pollucem ſi nihil eſt aliud, me pudet tui, uxor.* ART. *Uxor te rapit ex luſtris cuculum capite cano.* DE. *Non potes modò abſtinere maledictis dum cœnem: coquitur cœna.*

ANNOTATIONES.

73. *Cuculus.*] Ex Ariſtotele, *eſt* avis quæ in nido alieno parit, ova ponit. *Demanctus in alieno cubili deprehenditur.*

ART Ecaſtor cœnabis hodie, ut dignum eſt, magnum malum.
DE. Malè cubandum eſt: judicatum me uxor adducit domum.
AR. Dicebam, pater, tibi, ne matri conſuleres malè.
PHI. De pallâ memento, amabo. *DE* Juben' hanc hinc abſcedere?
PHI. Imò intus potiùs: ſequere hàc me, mi anime. *DE.* ego verò ſequor.
ART. I domum. *PHI.* da ſavium etiam priuſquàm abis. *DE.* i in crucem.

INTERPRETATIO.

ART. *Per ædem Caſtoris cœnabis hodie magnum malum, ut eſt æquum.* DE. *Eſt cubandum malè; uxor me adducit domum condemnatum.* ARG. *Tibi dicebam, pater, ne afficeres injuriâ matrem.* PHI. *Recordare de pallâ, quæſo.* DE. *Mandáſne hanc abſcedere hinc?* PHI. *Imò potiùs intus: ſequere me hàc, mi anime.* DE. *Ego verò ſequor.* ART. *I domum.* PHI. *Da ſavium adhuc antequam abis.* DE. *I in crucem.*

GREX.

ARGVMENTVM.

CONTINET purum putúmque venenum Operis univerſi, tanquam in cauda meráque eſt corruptela.

HIc ſenex, ſi quid, clam uxorem, ſuo animo fecit volup,
Neque novum, neque mirum fecit, nec ſecus quàm alii ſolent.
„NEC QUISQUAM eſt tam ingenio duro, nec tam firmo pectore,
„Quin ubi quicquam occaſionis ſit, ſibi faciat benè.
Nunc ſi vultis deprecari huic ſeni ne vapulet,
Remur impetrari poſſe, ſi plauſum ſic clarum datis.

INTERPRETATIO.

GREX. SI *hic ſenex facit aliquid quod oblectet animum, clam uxorem, neque facit novum, neque mirum, neque ſecus quàm alii ſolent, nec eſt ullus animo tam duro, nec pectore tam firmo, quin ſibi benefaciat quando aliqua occaſio ſeſe effert: nam ſi vultis jam deprecari verbera ab hoc ſene, arbitramur poſſe impetrare, ſi datis plauſum perinde clarum*, atque ego.

ANNOTATIONES.

6. *Sic clarum.*] Videtur hoc loco Grex plauſum edidiſſe ipſe, ut ipſe præiret plauſui Spectatorum: quaſi dicat: *Et ediderítis plauſum tam clarum & altum, quàm nos edimus.*

FINIS ASINARIÆ.

M. ACCII PLAUTI
AULULARIA.

ARGUMENTUM.

EUCLIO civis Athenienſis, avus ejus qui in hacce Fabulâ primas ferme ſuſtinet, Larem familiarem præcipuo quodam cultu proſequebatur. Itaque in eâ parte ædium quæ cultior, & magis ad religionem idonea videbatur, ei Numini eſſe locum conſecratum voluit; ſeu Sacellum quoddam, in quo focum perennem nutriret. Moris autem fuit, ut quidquid eſſet cariſſimum, Veteres in locis ſacris reconderent, non ſolùm quia nonnihil præſidii in Numinibus ſuis ſuæ rei eſſe poſitum exiſtimarent, verùm etiam quia loca ſacra, utpote publica, ſemper fuerint inviolabiliora. Igitur Euclio, quidquid erat auri in ollâ conditum defodit in terrâ, in Sacello quod ſtruxerat Lari, & ſub foco ipſo, id eſt, in ipſis Sacelli penetralibus. Euclioni unicus filius fuit, cui ſive laudatæ eſſet frugi, ſive illaudatæ, theſaurum minimè eſſe indicandum exiſtimavit pater, & ne lapſus quidem in morbum detexit; veritus fortaſſe, ut ſunt ſenes moroſi & ſuſpicioſi, ne ſi convaleſceret, juvenis ſuam faceret pecuniam. Sed ecce Euclio, ingraveſcente morbo, diem obiit ſuum. Filius, elato patre, nec auro ſucceſſit, nec cultui paterno Laris: itaque & vivit & moritur inops. Filius ejus Euclio, qui ſuas partes in hac Fabulâ obit, nihilo religioſior patre ſuo adverſus Larem domeſticum extitit, atque adeò & ipſe indignus cui Lar aurum detegat, diu in egeſtate manet, & hanc unam hæreditatem à patre habet. Sed ecce filiam unicam ſuſcipit Phædriam, formoſam illam imprimis, & religioſam adverſus Larem domeſticum. Itaque patri, in gratiam adultioris filiæ, ollam indicat Lar familiaris, ut ſit Euclioni unde dotem det Phædriæ. Euclio, homo longè avariſſimus, utitur auro, non ad levandam, ſed ad augendam miſeriam; non eruit aurum, ſed altiùs defodit, nec inde filiæ dotem numerat, ſed omnibus intolerandus evadit, Phædriæ, Staphilæ, ſibi. Ægrè diſcedit domo, anxiè manet foris, velociter revolat, vociferatur, tumultuatur, bacchatur, proditum ſemper theſaurum ſuum ſuſpicatur. Sed quis Laris voluntatem fallere poſſit? Quidquid agat Euclio, cedit in dotem Phædriæ, quaſi

in præmium virtutis ac religionis aurum. Nimirum Lyconides, filius Antimachi & Eunomiæ, captus amore Phædriæ filiæ Euclionis, cùm videret piam virginem ire aſſiduè ad ſacra Cereris, ejus pudicitiæ vim affert, & gravidam facit ignotus ipſi virgini. Hæc diſſimulat vitium ſibi eſſe illatum ad partum uſque, neque Lyconides audet profiteri, tum propter timorem patrium, tum vel maximè quòd peccatum eſſet in religionem ſacrorum Cereris. Sed adeſt occaſio quæ Lyconidem cogit factum ſuum prodere. Nimirum Megadorus, ſenex Athenienſis locupletiſſimus, Lyconidis avunculus, ſuaſu Eunomiæ matris ipſius Lyconidis, petit ab Euclione Phædriam in matrimonium, quam eſſe gravidam ex nepote ignorat. Euclio ratus Megadorum petere filiam, non quòd ejus aut pulchritudine tangeretur, aut virtute, ſed quia ſciret ollam eſſe auri plenam in dotem filiæ; miſeram Staphylam ancillam ſuam, quaſi prodiderit ſecretum ſuum, onerat maledictis & plagis: ſed longè magis cruciatur Staphila propter Phædriæ partum inſtantem. Nihilominus ſpondet Euclio Phædriam Megadoro, & hinc inde ſeſe comparant ad nuptias celebrandas: partitur honoris gratiâ obſonia à ſe empta Megadorus, & partim retinet domi, partim mittit ad Euclionem cum coquis. Sed Euclio parum gratè accipit, ratus ea mitti à Megadoro, ut coquorum operâ olla auri auferretur. Proponit Megadorus compotationem Euclioni: ſed Euclio rapit hanc ſignificationem amicitiæ in malam partem: putat enim id fieri ad ſtruendas ollæ inſidias, ut videlicet vino obrutus Euclio, non animadvertat quid domi fiat, & ab ollâ non poſſit arcere periculum. Demum ſuſpicionibus exanimatus Euclio, effodit ollam, & transfert in Fidei fanum. Intereadum bajulat aurum ſenex, Strobilus excubat in Arâ è mediâ viâ exſtante, miſſus à Lyconide hero ad obſervandum quid geratur in nuptiis Megadori & Phædriæ, ut ſi quem animadverteret earum conturbandarum locum, eum occuparet, & Phædriam, cui vitium intulerat, avunculo Megadoro ſubductam haberet uxorem. Ubi videt Strobilus Euclionem inferentem aurum in Templum Fidei, ex Arâ quæ erat ſub dio, ex qua erat proſpectus in ipſum Templum, inſidias ſtruit ollæ Euclionis: ſed detegitur ab Euclione Strobilus. Itaque ſenex effodit denuò aurum, & in Sylvani lucum transfert avium illum quidem, ſed oculis Strobili calidiſſimi ſervi minimè impervium, qui & videt Euclionem inferentem theſaurum & condentem, & illo egreſſo effodit, & aufert. Interim Lyconides Eunomiæ matri detegit vitium à ſe illatum Phædriæ, & eam eſſe partui vicinam ex ſeſe, rogatque etiam atque etiam ut re Megadoro detectâ, cedat in uxorem Phædria, quæ interim parit. Lyconides, qui nondum ſciebat à Strobilo ſervo aurum eſſe ablatam Euclionis, ad Euclionem ipſum ipſe contendit, eo conſilio, ut & confiteatur culpam violati Phædriæ pudoris, & eandem in uxorem à patre petat. Sed ecce Lyconides invenit Euclionem ſenem perciturn

amentiâ propter ablatam ollam. Itaque egregiâ ludificatione & fruſtratione ſingulari, quòd lamenratur Euclio de ablatâ ollâ, Lyconides exiſtimat de virio filiæ illato lamentari; & viciſſim quòd Lyconides confitetur de vitio Phædriæ illato, Euclio arbitratur Lyconidem de ablatâ ollâ confiteri : ſed errore mutuo demum detecto, digrediuntur ab invicem Euclio & Lyconides, & hic quidem è veſtigio diſcit ab Strobilo aurum eſſe Euclionis & inventum & ablatum,& finem adeſſe dolorum Euclionis, pudoris Phædriæ, Lyconidiſque votorum. *Protaſis* Aululariæ pater ab initio ad Scenam ſecundam Actus ſecundi : nam in eâ ſunt multarum argumenta turbarum, olla, Phædria gravida, Megadorus procus. *Epitaſis* patet ad Actus quarti Scenam ſeptimam. Solutio ad finem uſque. Deſunt nonnulla, nempe olla Euclioni reſtituta, & nuptiæ Phædriæ, quò univerſa lætos exitus habeant, quod eſt Comicæ Scenæ. *Mores* hujus Fabulæ ſunt, quòd Senectus QVÆRIT, ET INVENTIS ABSTINET : quæ eſt ſugillario avaritiæ in ſene, cui quò minùs viæ ſupereſt, eò minorem eſſe oporteret curam viatici.

SCENA EST ATHENIS.

PERSONÆ.

LAR familiaris.

EUCLIO, ſenex Athenienſis.

PHÆDRIA, Euclionis filia.

STAPHILA, Ancilla Euclionis.

MEGADORUS, Procus Phædriæ.

EUNOMIA, Mater Lyconidis, Soror Megadori.

LYCONIDES, filius Antimachi & Eunomiæ, Procus Phædriæ.

STROBILUS, Servus Lyconidis.

STROBILUS, Servus Megadori.

ANTHRAX, } Coqui.
CONGRIO, }

PERIOCHA.

SENEX avarus vix ſibi credens Euclio,
Domi ſuæ defoſſam multis cum opibus
Aulam invenit, rurſumque penitùs conditam:
Exſanguis, amens, ſervat. ejus filiam
Lyconides vitiarat. interea ſenex
Megadorus, à ſorore ſuaſus ducere
Uxorem, avari gnatam depoſcit ſibi.
Durus ſenex vix promittit: atque aulæ timens,
Domo ſublatam variis abſtrudit locis.
Inſidias ſervos facit hujus Lyconidis,
Qui virginem vitiarat; atque ipſe obſecrat
Avunculum Megadorum ſibimet cedere
Uxorem amanti. per dolum mox Euclio
Quum perdidiſſet, aulam inſperatò invenit,
Lætuſque natam collocat Lyconidi.

INTERPRETATIO.

EUclio ſenex avarus reperit ollam defoſſam in ſuis ædibus plenam *multis divitiis, & rurſum* eam *condit penitus exanimatus timore, amens,* eam *ſervat. Vix ſibi credit. Lyconides* adoleſcens, filius Antimachi & Eunomiæ, per vim *oppreſſerat Phædriam ejus filiam. Intereà ſenex Megadorus ſuaſus ab Eunomia* ſorore, matre Lyconidis, *ducere uxorem. petit filiam* Euclionis avari. *Senex difficilis vix ſpondet: & metuens ollæ, eam aufert domo, & abſtrudit in variis locis.* Strobilus *ſervus Lyconidis* adoleſcentis, *qui corruperat virginem* Phædriam, *ſtruit inſidias; atque ipſe* Lyconides *rogat Megadorum avunculum. ut ſibi cedat virginem quam amat. Mox Euclio invenit inſperatò ollam quam amiſerat per dolum. & lætus collocat Lyconidi natam.*

ANNOTATIONES.

3. *Aulam.*] Feſtus. *Aulas antiqui dicebant, quas nos dicimus ollas, quia nullam litteram geminabant.*

15. *Collocat.*] Ellipſis, pro *collocat in matrimonium.* Sic Græci ἐκδίδωσι, pro πρὸς γάμον δίδωσι.

PERIOCHA ACROSTICHA.

A ULAM repertam auri plenam Euclio,
V i ſummâ ſervat, miſeris affectus modis.
L yconides iſtius vitiat filiam.
V olt hanc Megadorus indotatam ducere.
L ubénſque ut faciat, dat coquos cum obſonio.
A uro formidat Euclio; abſtrudit foris.
R e omni inſpectâ, compreſſoris ſervulus
I d ſurpit. illic Euclioni rem refert.
A b eo donatur auro, uxore, & filio.

INTERPRETATIO.

EUclio agitatus incredibili ſollicitudine, ſervat anxiè ollam plenam auri, quam invenit. Lyconides corrumpit ejus filiam: Megadorus vult eam ducere ſine dote: & ut Euclio eam det lubenter, dat coquos cum obſoniis. Euclio metuit ſuo auro: abſtrudit foris. Servulus Lyconidis id ſurripit, omni re perſpectâ. Lyconides detegit Euclioni ubi ſit aurum. Lyconides *donatur ab Euclione auro, uxore, & filio* quem pepererat Phædria.

ANNOTATIONES.

2. *Miſeris affectus modis.*] *Ægritudine animi, inquies, amens.*

8. *Surpit.*] *pro ſurripit.* Horatius. *Quæ me ſurpuerat mihi.*

PROLOGUS.

ARGUMENTUM.

PROLOGUS hic à Lare fit familiari, qui Deus eſt, quia quæ erant dicenda nonniſi Deo poterant eſſe cognita: quod Horatius in Arte præcipit: *Nec Deus interſit, niſi dignus vindice nodus Inciderit.* Quis autem ſcire potuiſſet quid ab avo Euclionis ſenis jampridem geſtum fuiſſet, & ubi theſaurum condidiſſet, quem ne pater quidem filio detexerat, niſi Deus prodiiſſet è machinâ? In hoc Prologo primùm quo ſit Lar nomine aperit; deinde quæ ſint ædes Euclionis, & ubique perſtringit avaritiam Euclionis, patris, avi; Phædriæ pietatem, pietatiſque mercedem luculentam auro plenam ollam.

LAR familiaris.

NE QUIS miretur qui ſim, paucis eloquar.
Ego Lar ſum familiaris; ex hâc familiâ,
Unde exeuntem me aſpexiſtis. hanc domum
Jam multos annos eſt cùm poſſideo, & colo
Patri avóque jam hujus qui nunc hîc habet:
Sed mihi avus hujus obſecrans concredidit
Theſaurum auri clam omnis. in medio foco
Defodit, venerans me, ut id ſervarem ſibi.
Is quoniam moritur, (ita avido ingenio fuit)
Nunquam indicare id filio voluit ſuo:
Inopémque optavit potiùs eum relinquere,
Quàm eum theſaurum commonſtraret filio.
Agri reliquit ei non magnum modum,
Quo cum labore magno, & miſerè viveret.
Ubi is obiit mortem, qui mihi id aurum credidit,
Cœpi obſervare, ecqui majorem filius
Mihi honorem haberet, quàm ejus habuiſſet pater.

INTERPRETATIO.

LAR. *NE quis ignores quis ſim, dicam breviter. Sum Lar domeſticus hujus familia, ex quâ me videtis procedere, Jam multi anni ſunt, ex quibus mei juris eſt. & ſervatur à me hac familia pro patre & avo hujus hominis qui habitat nunc in eâ. Verùm hujus avus, additis precibus, mihi commiſit theſaurum auri, nemine conſcio; & veneratus me illum condidit in medio* loco, in quo eſt *focus* mihi conſecratus, *ut illum ſibi cuſtodirem: quamquam ille migrat è vitâ, tamen eſt animo tam avaro, ut nunquam voluerit oſtendere filio ſuo. & maluerit eum relinquere egenũ, quàm illi detegere eum theſaurum. Et reliquit agrum non magnum quo vitam toleraret difficilè & moleſtè. Quando is qui mea fides commiſit hoc aurum, functus eſt fato, cœpi videre utrùm eius filius mihi deferret majorẽ honorem quàm ejus pater detuliſſet.*

ANNOTATIONES.

1. *Miretur.*] Donatus. *Veteres* miror *eum* unde *pro* neſcio *ponebant; nam admiratio ab ignorantiâ deſcendit.*

2. *Lar familiaris.*] *Lar*, Hetruſca vox, quæ *principem* ſignificat. *Familiaris* dicitur, quòd ſua cuique Lari familia cuſtodienda crederetur. Græcè *Lares* Θεοὶ κατοικίδιοι, *Dii domeſtici.*

4. *Jam multos annos eſt.*] pro, *Jam multi anni ſunt.* Sic vernaculo noſtro dicimus, *Il y a pluſieurs annees*, au lieu de dire, *Ils ſont pluſieurs années.* Alii putant archaïſmum eſſe *multos annos eſt*, pro *multus annus eſt.*

7. *In medio foco.*] *Focus* locus erat in mediis ædibus, Lari ſacer, in quo ignis ſervabatur jugis. Nec erat id Euchioni peculiare: nam in omnibus ferme ædibus erat ejuſmodi focus. In hunc injecit Mutius manum dexteram apud Porſennam Hetruſcorum Regem, quâ combuſtâ, coactus uti ſiniſtrâ, dictus eſt *Scævola*, quaſi *Scæva vola.*

8. *Venerans.*] id eſt, *orans.* Horatius.

Ac venerata Ceres, ut culmo ſurgeret alto.

id eſt, *orata.*

13. *Agri modus.*] *Agri menſura. Ager.* Horatius.

Hoc erat in votis: modus agri non ita magnus,

Atque

Atque ille verò minus minuſque impendio
Curare, minúſque me impartire honoribus.
Item à me contrà factum eſt: nam item obiit diem.
Is ex ſe hunc reliquit, qui hîc nunc habitat, filium
Pariter moratum, ut pater avúſque hujus fuit.
Huic filia una eſt. ea mihi cottidie
Aut thure, aut vino, aut aliquî ſemper ſupplicat:
Dat mihi coronas. ejus honoris gratiâ
Feci, theſaurum ut hîc reperiret Euclio,
Quò eam faciliùs nuptum, ſi vellet, daret.
Nam compreſſit eam de ſummo adoleſcens loco.
Is ſcit adoleſcens quæ ſit, quam compreſſerit:
Illa illum neſcit, neque compreſſam autem pater.
Eam ego hodie faciam, ut hic ſenex de proximo
Sibi uxorem poſcat. id eâ faciam gratiâ,
Quò ille eam faciliùs ducat, qui compreſſerat,
Et hic qui poſcet eam ſibi uxorem ſenex,
Is adoleſcentis illius eſt avunculus,
Qui illam ſtupravit noctu, Cereris vigiliis.
Sed hic ſenex jam clamat intus, ut ſolet.
Anum foras extrudit, ne ſit conſcia.
Credo aurum inſpicere vult, ne ſurreptum ſiet.

INTERPRETATIO.

At verò ille cœpit *me honorare minùs minúſque multò, & impendere minùs reverentiæ. Contrà ego fui* talis adverſùs eum, qualis fuit adverſùs me: *mortuus eſt etiam, & reliquit ex ſe hunc filium, qui manet nunc hic, ſimilibus moribus inſtructum, atque fuit hujus pater & avus. Hic habet unam filiam* Phædriam. *Ea mihi offert ſemper ſingulis diebus aut thus, aut vinum, aut alia munera: mihi imponit ſerta. Effeci ejus famæ causâ, ut hîc Euclio theſaurum inveniret, ut eam collocaret liberaliùs, ſi liberet. Nam juvenis imprimis nobilis eam compreſſit. Is juvenis novit quam compreſſerit: illa illum ignorat, & pater neſcit eam fuiſſe compreſſam. Ego perficiam hodie ut hic ſenex vicinus eam petat ſibi conjugem. Id efficiam idcircò, ut ille qui compreſſit eam, ducat lubentius: & hic ſenex qui eam petet ſibi conjugem, eſt avunculus illius juvenis qui illi vitium intulit noctu in vigiliis Cereris. Verùm hic ſenex vociferatur jam domi pro more ſuo. Ejicit foras anum, ne ſit conſcia* theſauri à ſe inventi. *Puto geſtit viſitare aurum, ne fuerit ablatum furto.*

ANNOTATIONES.

17. *Honorem.*] *Honor* hic de ſacrificio, quod eſt præſtantiſſimum genus *honoris*, utpote quod diis unis defertur. Virgilius.

Perfecto lætus honore.

id eſt, *ſacrificio.*

24. *Aut thure aut vino.*] Laribus nihil offerebatur, niſi quod vitâ careret; qualia ſunt *thus, vinum, coronæ, flores*, & alia. *Supplicare* autem eſt verbum rebus ſacris conſecratum exprimendis.

36. *Vigiliis Cereris.*] Vigiliæ Cereris agitabantur noctu, & amotâ omni luce à mulieribus jejunis: quod quidem flagitiis dabat locum. Unde Plautinam prudentiam in fingendo videre licet. Vocabantur hæc ſacra Θεσμοφόρεια.

ACTUS PRIMUS.

ARGUMENTUM.

EUCLIONIS animus ſuſpicionibus diſtrahitur, ne aurum & olla detegantur: hinc crebras rixas movet Staphylæ ancillæ, à qua putat ſe obſervari curioſiùs. Sollicita eſt & Staphyla ne Euclio detegat Phædriam filiam eſſe prægnantem. Utrinque turbæ, utrinque timores, utrinque ſuſpiciones.

ACTUS PRIMUS. SCENA PRIMA.

ARGUMENTUM.

EUCLIO in horas ſingulas ollam ſuam eſſe detectam ratus, identidem videt, utrùm ſit ſemper ſalva; & ne animadvertat Staphyla ancilla, eam extrudit foras; & eò uſque minis & ictibus proſequitur, unde nec accedat propiùs ad ædes, nec videre poſſit quid intus geratur, dum obſervat utrùm ſit theſaurus ſalvus. Sed eſt & alter metus qui animum remordet Staphylæ, nempe vicinus Phædriæ partus.

EUCLIO, STAPHILA.

EUCLIO.

EXi, inquam. age exi: exeundum hercle tibi hinc eſt foras,
Circumſpectatrix, cum oculis emiſſitiis.
ST. Nam cur me miſeram verberas? *EU.* ut miſera ſis,
Atque ut te dignam mala malam ætatem exigas.

INTERPRETATIO.

EUCL. *Egredere, inquam, age egredere: per Herculem tibi excedendum eſt foras hinc, ô ſpeculatrix cum oculis curioſis.* ST. *Quare me cædis infelicem?* EUCL. *Ut ſis infelix, atque ut trahas ægram ſenectutem dignam te, ſceleſta.*

ANNOTATIONES.

2. *Oculis emiſſitiis*] *Emiſſitii* dicuntur oculi, quaſi ad explorandum *miſſi*. Sic & ſagarum veneficarúmque oculi dicuntur *emiſſitii*, quaſi nonnihil *emittant* quo inficiantur ea in quæ conjiciuntur. In vetulas autem, qualis eſt Staphyla, vulgò cadit ſuſpicio veneni.

4. *Malam ætatem.*] *mala ætas* ſenectus, *bona & pulchra* juventus dicitur.

ST. Nam quâ me nunc cauſſâ extruſiſti ex ædibus?
EV. Tibi ego rationem reddam, ſtimulorum ſeges?
Illuc regredere ab oſtio: illuc ſis: vide, ut
Incedit. at ſcin' quomodo tibi res ſe habet?
Si hodie hercle fuſtem cepero, aut ſtimulum in manum,
Teſtudineum iſtum tibi ego grandibo gradum.
ST. Utinam me divi adaxint ad ſuſpendium
Potiùs quidem, quàm hoc pacto apud te ſerviam.
EV. At ut ſceleſta ſola ſecum murmurat.
Oculos hercle ego iſtos improba effodiam tibi,
Ne me obſervare poſſis, quid rerum geram.
Abſcede: etiam nunc: etiam nunc: etiam. ohe!
Iſtîc adſtato. ſi hercle tu ex iſtoc loco
Digitum tranſverſum aut unguem latum exceſſeris,
Aut ſi reſpexis, donicum ego te juſſero,
Continuò hercle ego te dedam diſcipulam cruci.
Sceleſtiorem me hâc anu certè ſcio
Vidiſſe nunquam: nimiſque ego hanc metuo malè,
Ne mihi ex inſidiis verba imprudenti duit,
Neu perſentiſcat, aurum ubi eſt abſconditum:
Quæ in occipitio quoque habet oculos peſſima.

INTERPRETATIO.

ST. Quamobrem me ejeciſti nunc domo? EUCL. Tibi afferam cauſam jam, ſeges ulmorum? Abi illac ab oſtio: illac ſi vis: vide ut tergiverſatur. At ſcin' quo pacto res tuæ ſe habent? Per Herculem ſi arripuero baculum hodie, aut nervum in manum, ego productiores efficiam tuos iſtos paſſus tardos. ST. Utinam dii me compellant ad funem potiùs quidem, quàm miniſtrem tibi hoc modo. EUCL. Sed quomodo nefaria ſecum commurmurat ſola. Nequam, per Herculem ego tibi eruam iſtos oculos, ne valeas me explorare, quid faciam. Abi: etiam nunc: etiam nunc: etiam. Ohe! conſiſte iſtic. Per Herculem ſi tu proceſſeris ex iſto loco, vel tranſverſum digitum, vel latum unguem, aut ſi retrò conjeceris oculos uſquedum ego tibi mandavero, per Herculem ego te dedã ſtatim diſcipulam cruci. Intelligo certè me nunquam vidiſſe nequiorem hâc anu: & ego pertimeſco magnopere, ne me decipiat inſidiosè imprudentem, neu ſubodoretur quo in loco aurum eſt occultum: hæc habet oculos in occipitio etiã nequiſſima.

ANNOTATIONES.

6. *Stimulorum ſeges.*] id eſt, *digna in cujus corpore perpetuò deſigantur ſtimuli,* ut ſegetes deſiguntur in agro.

11. *Adaxint.*] pro *adegerint,* veteris præteritum, *ago, axi,* pro *egi* heteroclito. Feſtus. *Axitioſi factioſi dicebantur, quum plures unà quid agerent, facerentque.* Axit *autem Antiquos dixiſſe, pro* egerit, *manifeſtum eſt. Unde* Axites *mulieres, ſive viri, dicebantur unà agentes.*

17. *Adſtato.*] id eſt, *ſtate: adſtare,* paſſim pro *ſtare.*

18. *Digitum tranſverſum.*] *La largeur du doigt.*

20. *Diſcipulam cruci.*] id eſt, *Pendebis à cruce, ut diſcipula à magiſtrâ, quæ te doceat litteras, & unam maximè, nempe I.*

X ij

Nunc ibo ut viſam, eſtne ita aurum ut condidi,
Quod me ſollicitat plurimis miſerum modis.
ST. Nec nunc mecaſtor quid hero ego dicam meo
Malæ rei eveniſſe, quamve inſaniam,
Queo comminiſci: ita miſeram me ad hunc modum
Decies die uno ſæpè extrudit ædibus.
Neſcio pol quæ illunc hominem intemperiæ tenent:
Pervigilat noctes totas: tum autem interdius
Quaſi claudus ſutor domi ſedet totos dies.
Neque jam quo pacto celem herilis filiæ
Probrum, propinqua partitudo cui appetit,
Queo comminiſci: neque quicquam melius eſt mihi,
Ut opinor, quàm ex me ut unam faciam literam
Longam, meum laqueo collum quando obſtrinxero.

INTERPRETATIO.

Nunc proficiſcar ut viſam utrum aurum ſit ſicut abſcondi: quod me ſollicito animo eſſe cogit magnopere miſerum. ST. *Per Caſtorem nec ego poſſum aſſequi animo nunc quid mali acciderit meo hero, & qua vecordia* præcipitem agat: *videlicet me ita ejicit ex ædibus miſeram perſæpe decies intra unum diem. Non capio per Pollucem qua amentia incitet illum hominem. Agit inſomnis totas noctes. Tum autem interdiu, quemadmodum claudus ſutor, ſedet domi totis diebus. Nec poſſum fingere animo quâ ratione occultem dedecus filiæ heri mei, cujus partus jamjam adeſt. Neque eſt quidquam mihi ſatius, ut exiſtimo, quàm ut faciam ex me unam litteram longam, quando inſeruero laqueo meum collum.*

ANNOTATIO.

38. *Litteram longam.*] *I* intelligit, quod ſuſpendio mortua repræſentabit Staphyla.

ACTUS PRIMUS. SCENA SECUNDA.

ARGUMENTUM.

RECREATUS demum Euclio metu ne ablatus fuiſſet theſaurus, mandat Staphylæ ut revertatur in ædes, ex eo loco in quo eam ſtare mandaverat, & præcipit ut quidquid eſt intus diligenter ſervet. Sed quid ſibi velit Euclio non videt Staphyla, & ſecum irridet heri amentiam, adeò ſunt vilia ſupellectilia. Inde ægrè demigrat Euclio ad Curiam, ut recipiat nummum à Magiſtratu, ne videlicet, ſi negligat accipere, moveat ſuſpicionem repertæ ollæ. Conqueritur verò jamjam univerſos divinare aurum eſſe à ſe repertum: adeò præter morem occurſant officiosè, ſalutant, amplectuntur, venerantur, qui honores vulgò divitias circumſiſtunt.

EVCLIO, STAPHILA.

EVCLIO.

NUNC defæcato demum animo egredior domo,
Poſtquam perſpexi ſalva eſſe intus omnia.
Redi nunc jam intrò: atque intus ſerva. *ST.* quippini
Ego intus ſervem: an ne quis ædes auferat?
Nam hîc apud nos nihil eſt aliud quæſti furibus:
Ita inaniis ſunt oppletæ atque araneis.
EV. Mirum quin tuâ nunc me cauſſâ faciat Juppiter
Philippum regem, aut Darium, trivenefica.
Araneas mihi ego illas ſervari volo.
„ Pauper ſum, fateor, patior: QUOD dî dant, fero.
Abi intrò, occlude januam. jam ego hîc ero.
Cave quenquam alienum in ædis intromiſeris.
Quòd quiſpiam ignem quærat, extingui volo,
Ne cauſſæ quid ſit, quòd te quiſquam quæritet.
Nam ſi ignis vivet, tu extinguère extempulò.
Tum aquam aufugiſſe dicito, ſi quis petet.

INTERPRETATIO.

EUCL. *Poſtquam animadverti cuncta eſſe benè conſtituta domi: Nunc exeo foras mente tandem quieta. Repeto nunc jam domum, atque cuſtodi qua ſunt intus.* ST. *Quid ego cuſtodiam! An ne quis auferat domum? Etenim fures habent nihil aliud quod auferant hinc à nobis, tam ades ſunt plena inanitate & araneis.* EUCL. *Veneficarum exitioſiſſima, mirum quòd Jupiter me non faciat tui gratiâ Philippum Regem, aut Darium. Ego cupio mihi cuſtodiri illas araneas: ſum inops, non diffiteor: patienter fero: quod Dii dant, accipio. Ingredere, junge januam, ego ero jam hic. Vide ne receperis domum quemquam alium. Quoniam ſunt qui quærunt ignem, volo extingui, ne ſit quidquam quo quivis te conveniat. Nam ſi ignis vivat, tu morieris è veſtigio. Si quis poſtulet aquam, dic eam aufugiſſe.*

ANNOTATIONES.

1. *Defæcato.*] Quemadmodum *fæcibus* infuſcatur vinum, aut aliud quidvis liquidum; ſic mens curis, metu, & quovis cupiditatis metu. Quæ *faces* ſi reſederint, liquidum vinum, pellucidum, quietumque fit.

5. *Quæſti.*] pro *quæſtus.*

6. *Inaniis.*] *Inania, inaniarum*, pro *inanitate.*

8. *Trivenificâ muliere.*] Illæ vocabantur *ſaga, ſimulatrices* μορφωτείας, *fictrices, veratrices.*

9. *Servari araneas.*] Boni ominis eſſe arbitrabantur Veteres, ſi *aranea* ab ſuperioribus filo ſuo coram deſcenderet.

10. *Patior.*] Magni animi vox, & ſupra vires Euclionis. Cic. *Quis enim non laudet patientiâ paupertatis ornatos.* Seneca, *Cui cum paupertate benè convenit, dives eſt. Non qui parum habet, ſed qui plus cupit, pauper eſt. Modus divitiarum primus eſt, habere quod neceſſe eſt: proximus, quod ſat eſt,* id eſt *commodum.*

Ibid. *Quod dii.*] Heſiodus: Μηδέ ποτ' οὐλομένην πενίην θυμοφθόρον ἀνδρὶ τέτλαθ' ὀνειδίζειν: μακάρων δόσιν αἰὲν ἐόντων. *Ne cui pauperiem ſævam, peſtémque animorum objicito, ut proprium: namque eſt donum illa deorum.*

Cultrum, ſecurim, piſtillum, mortarium,
Quæ utenda vaſa ſemper vicinii rogant.,
Fures veniſſe, atque abſtuliſſe dicito.
Profectò in ædes meas, me abſente, neminem
Volo intromitti, atque etiam hoc prædico tibi,
Si Bona Fortuna veniat, ne intromiſeris.
ST. Pol ea ipſa credo ne intromittatur cavet:
Nam ad ædis noſtras nuſquam adiit, quanquam propè eſt.
EV. Tace, atque abi intro. *ST*. taceo, atque abeo. *EV*. occlude ſis
Fores ambobus peſſulis. jam ego hîc ero.
Diſcrucior animi, quia ab domo abeundum eſt mihi.
Nimis hercle invitus abeo: ſed quid agam, ſcio.
Nam noſter noſtræ qui eſt magiſter Curiæ,
Dividere argenti dixit nummos in viros:
Id ſi relinquo, ac non peto, omnes illicò
Me ſuſpicentur, credo, habere aurum domi.
„ Nam NON EST veriſimile, hominem pauperem
„ Pauxillum parvi facere, quin nummum petat.
Nam nunc quum celo ſedulò omnes, ne ſciant,
Omnes videntur ſcire, & me benigniùs
Omnes ſalutant, quàm ſalutabant priùs.

INTERPRETATIO.

Dic fures veniſſe, & furatos fuiſſe cultrum, ſecurim, piſtrillum, mortarium, vaſa quæ vicini petunt utplurimùm commodato. Sanè cupio nullum excipi domum meam, me abſente. Etiam id tibi mando, ſi bona Fortuna ſeſe offerat, ne receperis. ST. *Per Pollucem puto quòd ea ipſa metuit ingredi: etenim nunquam ſubiit ædes noſtras, tametſi vicina eſt.* EUCL. *Sile, & ingredere.* ST. *Sileo, & abeo.* EUCL. *Junge, ſi vis, januam utroque peſſulo. Mox ego ero hic. Angor animo, quia mihi excedendum eſt domo: per Herculem magnopere invitus proficiſcor, verùm id agendum eſt: etenim Magiſter noſtræ Curiæ monuit ſe diviſurum eſſe pecuniam viritim. Si id negligo, ac non accipio, quilibet ſtatim me ſuſpicabuntur, utputo, habere aurum in ædibus: nam non eſt veroſimile hominem inopem adeò parvipendere pauxillum, ut non petat nummum. Sanè cùm nunc video diligenter ne quis ſciat, omnes videntur ſcire, & omnes me ſalutant humaniùs quàm ſalutabant antea.*

ANNOTATIONES.

22. *Bona Fortuna.*] Plures *Fortunas* adorabant Veteres, in quibus erat *bona*, quæ nec gravis, nec inconſtans, ſeu æſtuaria dicitur, hæc τύχη εὔεμος.

24. *Quanquam eſt prope.*] *Fortunæ* Templum non longè aberat ab Euclione: quod videtur innuere Staphyla.

29. *Magiſter noſtræ Curiæ.*] Populus Romanus dividebatur in Tribus, & quæque Tribus in *Curias*, quibus erat ſuus *Magiſter*, qui curaret, dirigeret, tribueret. Quanquam Græcum eſt Argumentum, & Græca Scena, more Romano loquitur Plautus. Triginta ſex *Curiæ* erant Romanorum. Græcis τριττύαρχαι vocabantur Magiſtri Curiæ, & τριττὺς Tribus: *Magiſter Curiæ*, Cicer. *Curio.*

30. *In viros.*] *Viritim* κατ᾽ ἄνδρα.

Adeunt, conſiſtunt, copulantur dexteras :
Rogitant me, ut valeam; quid agam; quid rerum geram.
Nunc quò profectus ſum ibo, poſtidea domum
Me rurſum quantùm potero, tantùm recipiam.

INTERPRETATIO.

Accedunt, conſiſtunt, jungunt dexteras. ſciſcitantur à me quomodo valeam, quid agam, quid rei faciam. Jam ibo quò profectus ſum, deinde revertar ad ædes rurſum quàm celerrimè potero.

ACTUS SECUNDUS.

ARGUMENTUM.

SOLLICITUDO Euclionis magis magiſque augetur, & turbæ domeſticæ inde natæ, quando videt filiam ſuam Phædriam à Megadoro in matrimonium peti. Arbitratur enimverò ſuſpicioſus ſenex Megadorum non eſſe petiturum filiam, niſi ſubodoraretur ollam & aurum. Augetur & metus Staphylæ ob inſtantem Phædriæ partum.

ACTUS SECUNDUS, SCENA PRIMA.

ARGUMENTUM.

PROPONIT Eunomia fratri Megadoro nuptias, idque inſinuatione præmiſſâ, utpote quæ intelligit quantum abhorreat Megadorus à conjugio. Deinde proponit grandem natu cum grandi dote, mediæ ætatis cum minori. Sed Megadorus aperit Eunomiæ conſilium ducendæ Phædriæ, pauperis quidem, ſed venuſtæ, ſed caſtæ; idque dicit per prolepſim.

EVNOMIA, MEGADORVS.

EVNOMIA.

VELIM te arbitrari hæc mea verba, frater,
Meæ fidei, tuæque rei hoc cauſſâ
Facere, ut æquum eſt, germanam ſororem.
Quanquam haud falſa ſum, nos odioſas haberi.
„ Nam MULTUM loquaces meritò omnes habemur,
„ Nec mutam profectò repertam ullam eſſe
„ Hodie dicunt mulierem ullo in ſeculo.
Verùm hoc, frater, unum tamen cogitato,
Tibi proximam me, mihique item eſſe te.
Ut æquum eſt, quod in rem eſſe utrique arbitremur,
Et mihi te, & tibi me conſulere & monere:
Neque occultum id haberi, neque per metum muſſari,
Quin participem pariter ego te, & tu me ut facias.
Eò nunc ego ſecretò te huc foras ſeduxi,
Ut tuam rem ego tecum hîc loquerer familiarem.
ME. Da mihi, optuma femina, manum. *EV.* ubi ea eſt? quis ea
Eſt nam optuma? *ME.* tu. *EV.* túne ais? *ME.* ſi negas,
Nego. *EV.* decet te equidem vera proloqui
„ Nam OPTUMA nulla poteſt eligi: alia aliâ
Pejor, frater, eſt. *ME.* idem ego arbitror, nec tibi
Adverſari certum eſt de iſtac re unquam, ſoror.

INTERPRETATIO.

EUN. *VOlo te in animum inducere hoc, frater, videlicet me proferre hæc verba meæ fidei gratiâ & tuæ utilitatis, ſicut par eſt facere ſororem germanam: tametſi non me fugit nos eſſe odio. Nam jure putamur omnes verboſiores eſſe, & ſanè dicunt hactenus nullam mulierem eſſe repertam mutam in ullo ſeculo. Attamen, frater, recordare hoc unum, me tibi eſſe proximam* genere; *& te ſic mihi eſſe ſimiliter. Eſt par, & te mihi conſulere & me tibi, & monere eorum quæ exiſtimamus vertere in commodum alterutrius. Neque oportet haberi illud occultum, neque per metum taceri, quò minùs te faciam illius participem, & tu me facias pariter. Ego te ſeduxi foras clam, ut ego diſſererem tecùm hic de tuâ re familiari.* ME. *Cedo mihi manum optima femina.* EUN. *Ubi eſt illa? Quænam eſt quæ eſt optima?* ME. *Tu.* EUN. *Tune dicis?* ME. *Si negas, nego.* EUN. *Profectò oportet te dicere verum; nam nulla poteſt eligi optima; alia eſt aliâ deterior, frater.* ME. *Ego arbitror idem, nec volo tecum contendere de iſtâ re unquam, ſoror.*

ANNOTATIONES.

5. *Multùm loquaces.*] Alii *multiloquaces*, uno verbo, quod πολυλάλος Græcè. *Multilaudus*. i. *multorum laude dignus.*

12. *Muſſari*] Nonius. *Muſſare eſt hominum occultâ & depreſſâ voce loquentium quod celatum velint.* Ennius. *Namque decet muſſare bonos.* Feſtus. *Muſſare tractum à mutis, qui cùm dicere conantur aliquid, mu tantùm proferunt.*

16. *Quis ea eſt nam.*] pro *quænam ea eſt.*

EV. Da

EV. Da mihi operam, amabò. *ME.* tua eſt, utere
Atque impera, ſi quid vis. *EV.* id quod in rem tuam
Optumum eſſe arbitror, te id admonitum advento.
ME. Soror, more tuo facis. *EV.* facta volo. *ME.* quid eſt id,
Soror? *EV.* quod tibi ſempiternum ſalutare
Sit procreandis liberis. *ME.* ita dî faxint!
EV. Volo te uxorem domum ducere. *ME.* hei óccidi!
EV. Quid ita? *ME.* quia mihi miſero cerebrum excutiunt
Tua dicta, ſoror: lapides loqueris. *EV.* heia! hoc face
Quod te jubet ſoror. *ME.* ſi lubeat, faciam. *EV.* in rem
Hoc tuam eſt. *ME.* ut quidem emoriar, priuſquam ducam.
Sed his legibus, ſi quam dare vis, ducam: quæ
Cras veniat, perendie foras feratur, ſoror.
His legibus quam dare vis, cedo, nuptias adorna.
EV. Quàm maximâ poſſum tibi, frater, dare dote:
Sed eſt grandior natu. media eſt mulieris ætas,
Eam, ſi jubes, frater, tibi me poſcere, poſcam.

INTERPRETATIO.

EUN. *Da mihi operam, rogo.* ME. *Mea opera eſt tua. Utere, atque jube, ſi vis, aliquid.* EUN. *Venio te admonitum ejus quod exiſtimo eſſe optimum in tuum commodum.* ME. *Agis tuo more, ſoror.* EUN. *Volo facta.* ME. *Quid eſt id, ſoror?* EUN. *Quod ſit tibi ſalutare in perpetuum.* ME. *Dii ſic faciant.* EUN. *Volo te ducere uxorem domum ad procreandos liberos.* ME. *Dii faciant ſic.* EUN. *Volo te ducere uxorem domum.* ME. *Hei occidi!* EUN. *Quare?* ME. *Quia tua verba, ſoror, mihi excutiunt cerebrum miſero. loqueris ſaxa.* EUN. *Eia fac id quod tibi ſuadet ſoror.* ME. *Si lubeat, faciam.* EUN. *Id cedet in tuum commodum.* ME. *Cedet in meum commodum. ſi peream, antequam ducam. Sed ſi vis dare aliquam, eam ducam his legibus, nempe quæ veniat cras, perendie feratur foras, ſoror: da mihi quamlibet eâ lege, inſtrue nuptias.* EUN. *Poſſum tibi dare, frater, cum quàm maximâ dote: ſed eſt grandior natu. Ætas mulieris eſt media, eam petam, ſi vis me petere pro te, mi frater.*

ANNOTATIONES.

26. *Salutare.*] Antequam dicat quod ſequitur, *procreandis liberis.* Eunomiæ Megadorus dicit, *ita di faxint*· & continuâ oratione dicit Eunomia, *Volo te uxorem domum ducere.* Quaſi ſit, *quod tibi ſempiternum ſalutare ſit.* ME. *Ita dî faxint.* EUN. *Procreandis liberis volo te uxorem ducere domum.*

27. *Ita di faxint.*] Subjicienda fauſtæ precationi reſponſio.

28. *Ducere uxorem.*] Sine addito idem ſignificat ac *ducere uxorem domum.* Porrò *ducere uxorem* dicitur à ceremoniâ quâ ſub noctem, prævìis tædis ardentibus, velata mulier domum mariti deducebatur. A deductione illâ *duci uxor,* à velo *nubere* dicitur, & à tædis multæ aliæ metaphoræ ad ſignandum conjugium ducuntur.

29. *Mihi cerebrum excutiunt.*] Virgil.
——— *gravior ne nuncius aures*
Vulneret.

30. *Lapides loqueris.*] Durus eſt & aſper ſermo. Contrà Ariſtophanes, ῥόδα μ᾽ εἴρηκας. *roſas mihi loquutus es.*

34. *Perendie*] *Dies qui erit craſtino proximus,* quaſi *uno perempto die intermedio, aprés-domain;* inde *perendinare.*

Feratur foras.] id eſt *efferatur,* conſecratum exequiis ſignificandis verbum. Nimirum non deprecatur conjugium Megadorus, modò interpoſitâ unâ die, *efferatur uxor. Efferre* autem ſignificat per ellipſim, *efferri domo in tumulum.* Græcè ἐκφέρειν *efferre*; dicuntur & ἐκφορὰ *exequiæ.*

ME. Num non vis me interrogare te? *EV.* imò ſi quid vis, roga.
„*ME.* Post mediam ætatem, qui mediam ducit uxorem domum,
„ Si eam ſenex anum prægnantem fortuitu fecerit,
„ Quid dubitas, quin ſit paratum nomen puero Poſtumus?
Nunc ego iſtum, ſoror, laborem degam, & diminuam tibi.
Ego virtute deûm & majorum noſtrorum dives ſum ſatis:
Iſtas magnas factiones, animos, dotes dapſiles,
Clamores, imperia, eburata vehicula, pallas, purpuram,
Nihil moror; quæ in ſervitutem ſumptibus redigunt viros.
EV. Dic mihi, quæſo, quis ea eſt, quam vis ducere uxorem? *ME.* eloquar.
Noſtin' hunc ſenem Euclionem ex proximo pauperculum?
EV. Novi, hominem haud malum mecaſtor! *ME.* ejus cupio filiam
Virginem mihi deſponderi. verba ne facias, ſoror;
Scio quid dictura es. hanc eſſe pauperem. hæc pauper placet.
EV. Dî benè vertant. *ME.* idem ego ſpero. *EV.* quid! me nunc quid vis? *ME.* vale.

Interpretatio.

ME. *Viſne te à me interrogari?* EUN. *Imo interroga, ſi vis, aliquid.* ME. *Qui ducit uxorem domum poſt mediam ætatem, ſi ſenex fecerit fortè fortunâ eam anum gravidam, quid dubitas, quin nomen pueri ſit futurum* poſtumus? *Ego tibi demam nunc illum laborem, & diminuam; ego ſum ſatis opulentus virtute deorum & noſtrorum majorum. Non curo illas magnas factiones, animos, dotes amplas, acclamationes, imperia, eburnea vehicula, pallas purpureas, quæ redigunt homines in ſervitutem ſumptibus.* EUN. *Dic mihi, obſecro, qualis eſt illa quam vis me ducere uxorem?* ME. *Edicam: noviſtine hunc pauperem ſenem Euclionem vicinum?* EUN. *Novi, hominem minimè malum, per ædem Caſtoris,* ME. *Cupio mihi deſponderi ejus filiam virginem. Ne quid dicas, ſoror: novi quid ſis dictura, eſſe hanc pauperem. Hæc pauper placet.* EU. *Dii benè vertant,* ME. *Ego ſpero idem.* EUN. *Quid quid me vis nunc?* ME. *Vale.*

Annotationes.

40. *Media ætas.*] Cicero. *Ea jam conſtans requirit ætas, quæ dicitur* media. Eleganter mediam ætatem deſcripſit Seneca in Oedipo: hoc enim rogante,

Quæ ſpatia moriens Laius vitæ fuit?
Primóne in ævo viridi an fracto occidit?

Reponit Iocaſta,

Inter ſenem juvenémque, ſed propior ſeni.

42. *Poſtumus.*] non *poſthumus* cum inſitâ aſpiratione, ſignificat *poſtremum.* ut à vetuſto *citer citimus.* ab *inferus infimus*; ſic à *poſterus* fit *poſtimus.* ſeu *poſtumus.* *Poſtumam ſpem* dixit Apuleius. Virgilius.

——— *tua poſtuma proles.*

id eſt, *nata poſt aliam prolem.*

44. *Virtute deûm.*] Formula modeſtiæ religioſæ deprecantis à ſe ſuiſque meritis laudem rei proſperè geſtæ, nata ex conſcientiâ infirmitatis humanæ.

45. *Factiones.*] Saluſtius. *Inter bonos amicitia, inter malos factio*

45. *Dapſiles.*] δαψιλὴς *largus.* Antequàm Latina lingua eam copiam paraviſſet vocum, quâ imperante Auguſto floruit, commodatò plura accepit à Græcâ.

53. *Dii benè vertant.*] Comprecatio pia & fauſta à Veteribus uſurpari ſolita.

EV. Vale & tu, frater. *ME.* ego conveniam Euclionem, ſi domi
Eſt. Sed eccum, neſcio unde ſeſe homo recipit domum.

INTERPRETATIO.

EUN. *Vale & tu, frater.* ME. *Ego conveniam Euclionem, ſi eſt domi. Sed ecce neſcio unde homo ſeſe recipit domum.*

ACTUS SECUNDUS. SCENA SECUNDA.

ARGVMENTVM.

EUCLIO recurrit ex foro, & Curiâ ad quam iverat accepturus ſtipem à Magiſtro Curiæ, & dolet quod ſtipe minimè acceptâ revertatur. Megadorus convenit hominem, petiturus Phædriam filiam in conjugem. Arbitratur ſuſpicioſus ſenex Megadorum ſcire repertam eſſe ollam, & non tam filiam quàm ollam ambiri. Nihilominùs callidus ſenex obtendit ſuæ ſuſpicioni & timori alium prætextum. Nempe ſimulat ſeſe vereri ne à Megadoro irrideatur. Tandem deſpondet filiam Megadoro eâ lege, ut nihil dotis deferat ad Megadorum, & è veſtigio contendit Megadorus ad forum venalium, ut obſonia paret.

EVCLIO, MEGADORVS.

EVCLIO.

PRÆSAGIBAT mihi animus, fruſtra me ire, quum exibam domo.
Itaque abibam invitus. nam neque quiſquam curialium
Venit, neque magiſter, quem dividere argentum oportuit.
Nunc domum properare propero: nam egomet ſum hîc, animus domi eſt.
ME. Salvus atque fortunatus Euclio ſemper ſies!

INTERPRETATIO.

EUCL. *Animus mihi dictitabat quando prodibam ex ædibus, me ire incaſſum. Itaque diſcedebam invitus: nam neque venit quiſquam Curialium, neque Magiſter quem oportebat partiri argentum. Nunc accelero repetere domum: nam ego ſum hic, animus domi eſt.* ME. *Sis ſemper ſalvus atque felix, Euclio.*

ANNOTATIONES.

1. *Præſagibat animus.*] Cic. Sagire, ſentire *acutè eſt. Ex quo* ſagæ *anus, quia multa ſcire volunt, &* ſagaces *dicti canes. Is igitur, quia antè* ſagit *quàm oblata res eſt, dicitur* præſagire, *id eſt, futura antè* ſentire. *Ineſt igitur in animo* præſagitio *extrinſecus injecta, atque incluſa divinitus.*

5. *Salvus ſies.*] Salutantis formula.

EV. Dî te ament, Megadore. *ME.* quid tu ? recten' atque ut vis vales ?
„ *EV.* Non temerarium eſt, ubi dives blandè appellat pauperem.
Jam illic homo aurum me ſcit habere, cò me ſalutat blandiùs.
ME. Ain' tu, te valere ? *EV.* pol ego haud à pecuniâ perbenè.
„ *ME.* Pol Si eſt animus æquus tibi, ſatis habes, qui benè vitam colas.
EV. Anus hercle huic indicium fecit de auro : perſpicuè palàm eſt :
Cui ego jam linguam præcidam, atque oculos effodiam domi.
ME Quid tu ſolus tecum loquere ? *EV.* meam pauperiem conqueror.
Virginem habeo grandem, dote caſſam, atque illocabilem,
Neque eam queo locare cuiquam. *ME.* tace. bonum habe animum, Euclio !
Dabitur, adjuvabere à me : dic, ſi quid opus eſt, impera.
EV. Nunc petit, quum pollicetur : inhiat aurum ut devoret.
„ Altera manu fert lapidem, panem oſtentat alterâ.
„ Nemini credo, qui largè blandu 'ſt dives pauperi.
„ Ubi manum injicit benignè, ibi onerat aliquam zamiam.

INTERPRETATIO.

EUCL. *Dii te ament. Megadore.* ME. *Quid tu ? Valeſne rectè atque ut optas ?* EUCL. *Non eſt inconſultò quando opulentus compellat blandè pauperem. Ille homo ſcit jam me habere pecuniam · idcirco me ſalutat blandiùs.* ME. *Dicisne te valere?* EUCL. *Per Pollucem ego minimè perbene valeo à pecuniâ.* ME. *Per Pollucem. ſi tibi eſt animus æquus, habes ſatis quo degas benè vitam.* EUCL. *Profectò anus huic indicavit aurum· patet planè. Ego huic excindam modò linguam, atque effodiam oculos domi.* ME. *Quid tu loqueris ſolus tecum* EUCL. *Expoſtulo de mea paupertate. Habeo virginem adultam, ſine dote, quæ non poteſt collocari matrimonio, neque poſſum collocare cuiquam.* ME. *Tace eſto bono animo. Euclio dabitur. adjuvabere à me : loquere. ſi quid opus eſt, impera.* EUCL. *Rogat nunc quando promittit: inhiat ut abſorbeat pecuniam. Alterâ manu fert lapidem. alterâ oſtendit panem confido nemini diviti qui eſt blandior pauperi. Quando injicit leviter manum, tunc imponit aliquam moleſtiam.*

ANNOTATIONES.

6. *Dii te ament,*] Formula reſalutantis & remetientis urbanitate urbanitatem.

9. *A pecuniâ.*] quod ad pecuniam & crumenam ſpectat.

10. *Pol ſi eſt æquus.*] Lucretius.

Divitiæ grandes homini ſunt, vivere parcè
Æquo animo.

Satis habes.] Hoc Megadori verbo arbitratur Euclio Megadorum reſcire aliquid de ollâ.

14. *Dote caſſam.*] Græcè ἄπροικον, *indotatam.*

Illocabilem.] ἀνεκδότιμος, *quæ omnino nuptui tradi non poteſt propter inopiam.*

18. *Alterâ manu.*] Tranſlatum ab iis qui canes, porrecto pane, illiciunt, quibus accedentibus, ſaxum illidant.

20. *Manum injicit.*] manum cum manu copulat.

Onerat zamiam.] id eſt, *damnum infert.* Ζαμία pro Ζημία Dorica dialecto,

Ego iſtos novi polypos, qui ſibi quicquid tetigerint, tenent.
ME. Da mihi operam parumper. paucis, Euclio, eſt quod te volo
De communi re appellare meâ & tuâ. *EV.* hei miſero mihi!
Aurum mihi intus harpagatum eſt. nunc hic eam rem volt, ſcio,
Mecum adire ad pactionem. verùm interviſam domum.
ME. Quò abis? *EV.* jam ad te revortar. namque eſt quod viſam domum.
ME. Credo edepol, ubi mentionem ego fecero de filiâ,
Mihi ut deſpondeat, ſeſe à me derideri rebitur.
Neque illo quiſquam eſt alter hodie ex paupertate parcior.
EV. Dî me ſervant. ſalva res eſt! ſalvum eſt, ſi quid non perit.
Nimis malè timui: priuſquàm intrò redii, exanimatus fui.
Redeo ad te, Megadore, ſi quid me vis. *ME.* habeo gratiam.
Quæſo, quod te percontabor, ne id te pigeat proloqui.
EV. Dum quidem ne quid perconteris, quod mihi non lubeat proloqui.
ME. Dic mihi, quali me arbitrâre genere prognatum? *EV.* bono.
ME. Quid fide? *EV.* bonâ. *ME.* quid factis? *EV.* neque malis, neque improbis.
ME. Ætatem meam ſcis? *EV.* ſcio eſſe grandem, itidem ut pecuniam.

INTERPRETATIO.

Ego novi iſtos polypos, qui tenent quidquid occuparunt. ME. *Audi me tantiſper. Eſt quod te volo alloqui paucis de re communi meâ & tuâ, Euclio.* EUCL. *Hei mihi infelici! Aurum mihi raptum eſt in ædibus: idcircò hic vult inire mecum pactum de eâ. Sed intereà pergam domum.* ME. *Quònam proficiſceris?* EUCL. *Jam redibo ad te; nam eſt quod videam domi.* ME. *Per ædem Pollucis credo quòd quando ego fecero mentionem de filiâ, ut mihi collocet, arbitrabitur à me derideri ſeſe. neque eſt ullus alius hodie parcior illo, propter inopiam.* EUCL. *Dii me ſervant: eſt res ſalva: eſt ſalvum, ſi quid non perit. Veritus ſum nimis malè. priuſquam reverſus ſum domum, fui metu exanimatus. Redeo ad te, Megadore, ſi vis me quid.* ME. *Ago tibi gratias. Obſecro, ne te pigeat dicere quod à te poſtulavero.* EUCL. *Dum quidem non à me poſtules quod mihi non libeat edicere.* ME. *Dic mihi quali genere putas me procreatum?* EUCL. *bono.* ME. *Quid de fide?* EUCL. *Bona.* ME. *Quid de factis?* EUCL. *Neque malis, neque improbis.* ME. *Noſti meam ætatem?* EUCL. *Novi eſſe provectam, quemadmodum pecuniam.*

ANNOTATIONES.

multa damnum. Hypallage eſt, *onerat zamiam*, pro *onerat zamia pauperem.* Sic in Horatio,

——— *claſſes Aquilonibus arcet,*

pro *arcet à claſſibus Aquilones.*

21. *Polypos.*] *Polypus* a pedum numero dictus, quòd quid invaditiis ſuis pedibus nunquam dimittit: avaros & rapaces Poëta innuit.

24. *Harpagatum.*] Natum vocabulum ab Harpagone, & hoc ab ἁρπάζω *rapio.*

Eam rem.] Helleniſmus, pro *ob eam rem.*

27. *Mentionem.*] *Mentio & repromiſſio* ſtipulationis uxoriæ verba ſunt. Unde Florentinus Juriſconſultus, *Sponſalia ſunt mentio & repromiſſio nuptiarum futurarum.* Qui poſcit, *mentionem facere*; qui reſpondet, *repromittere* dicitur. Non abludunt verba Græca μνηστὺς & μνηστία, *maritus*, *marita.*

29. *Ex paupertate.*] *Ex omnibus pauperibus, ex pauperum ordine.*

ME. Certè edepol equidem te civem ſine malâ omni malitiâ
Semper ſum arbitratus, & nunc arbitror. *EV.* aurum huic olet.
Quid nunc me vis? *ME.* quoniam tu me, & ego te qualis ſis ſcio:
Quæ res rectè vortat, mihique, tibique, tuæque filiæ:
Filiam tuam mihi uxorem poſco. promitte hoc fore.
EV. Heia Megadore: haud decorum facinus tuis factis facis,
Ut inopem atque innoxium, abs te atque abs tuis, me irrideas.
Nam de te neque re, neque verbis merui, ut faceres quod facis.
ME. Neque edepol ego te deriſum venio, neque derideo:
Neque dignum arbitror. *EV.* cur igitur poſcis meam gnatam tibi?
ME. Ut propter me tibi ſit meliùs, mihique propter te & tuos.
EV. Venit hoc mihi, Megadore, in mentem: te eſſe hominem divitem,
Factioſum; me item eſſe hominem pauperum pauperrimum:
Nunc ſi filiam locaſſim meam tibi, in mentem venit,
Te bovem eſſe, & me eſſe aſellum. ubi tecum conjunctus ſiem,
Ubi onus nequeam ferre pariter, jaceam ego aſinus in luto:
Tu me bos magis haud reſpicias, gnatus quaſi nunquam ſiem.
Et te utar iniquiore, & meus me ordo irrideat.
Neutrubi habeam ſtabile ſtabulum, ſi quid divortii fuat.
Aſini me mordicibus ſcindant, boves incurſent cornibus.

INTERPRETATIO.

ME. *Per ædem Pollucis ego ratus ſum ſemper, & reor nunc, te eſſe civem ſine ullâ malitiâ.* EUCL. *Hic adoratur aurum. Quid me vis nunc?* ME *Quandoquidem ego intelligo qualis tu ſis, & tu intelligis qualis ego ſum, Peto tuam filiam uxorem: quæ res vertat benè, & mihi, & tibi, & tuæ filiæ, Pollicere id fore.* EUCL. *Hei, Megadore, non facis rem convenientem tuis factis, ut ludifices me egenum atque innocentem erga te atque erga tuos. nam non meritus ſum de te, neque factis, neque dictis, ut ageres quod agis.* ME. *Neque per ædem Pollucis ego venio deriſum te, neque derideo, neque duco eſſe æquum.* EUCL. *Quare ergo tibi poſcis meam filiam?* ME. *Ut tibi ſit melius propter me, & mihi propter te & tuos.* EUCL. *Id mihi venit in animum, Megadore, te eſſe hominem locupletem, prapotentem, me verò eſſe hominem inopem præter cæteros mortales, Nunc ſi tibi collocavero meam filiam, in mentem induxi te eſſe bovem, & me eſſe aſellum: quando copulatus ſum tecum, quando non potero ferre æquè onus, ego aſinus lapſabo in luto: tu bos me deſpicies non magis quàm ſi nunquam natus ſim: & te utar iracundiore, & homines meæ ſortis ſubſannabunt me. Nullibi habebo ſtabulum ſtabile, ſi accidat aliquod diſſidium, aſini me concidant morſibus, boves incurſent cornibus.*

ANNOTATIONES.

56\. *Si quid divortii.*] *Divortium* eſt conjugum à ſe invicem, ſeu voluntaria, ſeu lege & judicio, irrogata diſceſſio.

57\. *Mordicibus.*] A *mordices*, id eſt, *dentes*, in Plautinâ officinâ cuſa vox.

„ Hoc magnum eſt periculum, me ab aſinis ad boves tranſcendere.
„ *ME.* Quam ad iprobos propinquitate proximè te adjunxeris,
Tam optimum eſt. tu conditionem hanc accipe: auſculta mihi,
Atque eam deſponde mihi. *EV.* at nihil eſt dotis quod dem.
ME. ne duas.
„ Dummodo morata rectè veniat, dotata eſt ſatis.
EV. Eò dico, ne me theſauros reperiſſe cenſeas.
ME. Novi, ne doceas: deſponde. *EV.* fiat. ſed proh Juppiter!
Non ego diſperii? *ME.* quid tibi eſt? *EV.* quid crepuit, quaſi ferrum, modò?
ME. Hic apud me hortum confodere juſſi. ſed ubi hic eſt homo?
Abiit, neque me certiorem fecit: faſtidit mei.
Quia videt me ſuam amicitiam velle, more hominum facit:
Nam ſi opulentus it petitum pauperioris gratiam,
Pauper metuit congredi. per metum malè rem gerit.
Idem quando illac occaſio periit, pòſt ſerò cupit.
EV. Si hercle ego te non elinguandam dedero uſque ab radicibus,
Impero auctorque ſum, ut tu me cuivis caſtrandum loces.
ME. Video hercle ego te me arbitrari, Euclio, hominem idoneum,
Quem ſenectâ ætate ludos facias, haud merito meo.
EV. Neque edepol, Megadore, facio: neque ſi cupiam, copia eſt.
ME. Quid nunc? etiam mihi deſpondes filiam? *EV.* illis legibus,

INTERPRETATIO.

Hoc eſt magnum diſcrimen, me devenire ab aſinis ad boves. ME. *Quàm te propius adjunxeris ad boves, tantò melius eſt. tu accipe hanc conditionem, atque auſculta mihi, atque eam mihi deſponde.* EUCL. *Sed eſt nulla dos quam dem.* ME. *Ne des. Dummodò veniat bonis moribus ornata, eſt ſatis dotata.* EUCL. *Idcirco dico id ne putes me inveniſſe theſauros.* ME. *Scio, ne doceas, deſponde.* EUCL. *Sed proh Jupiter, non ego periit* ME. *Quid eſt tibi?* EUCL. *Quid crepuit modò quaſi ferrum?* ME. *Hic mandavi fodere hortum apud me. Sed ubi eſt hic homo? Abiit, neque me fecit certiorem. Spernit me; quia animadvertit me ambire ejus amicitiam, facit more hominum. Nam ſi dives it rogatum gratiam inopis, pauper formidat colloqui. Non benè conſulit ſuæ fortunæ per timorem: ipſe quando illa occaſio corruit, poſteà ſerò optat.* EUCL. *Per Herculem ſi ego non dedero te elinguandam uſque ab radicibus, demando auctorque ſum, ut tu me loces caſtrandum, cuivis.* ME. *Per Herculem ego te animadverto opinari, Euclio, me hominem idoneum quem ludis feceris provectâ ætate immeritum.* EUCL. *Per ædem Pollucis neque facio, Megadore, neque ſi cupiam, poſſum facere.* ME. *Quid nunc? Etiam mihi deſpondes filiam?* EUCL. *Illis legibus.*

ANNOTATIONES.

58. *Ab aſinis ad boves.*] *A pauperum ordine ad divitum affinitatem prorumpere.*

65. *Quid crepuit.*] Hoc dicto irrumpit in ædes ſuas Euclio, relicto Megadoro, timens ſuo theſauro.

Cum illâ dote, quam tibi dixi. *ME.* ſponden' ergo? *EV.* ſpondeo.
Iſtuc dî benè vortant. *ME.* ita dî faxint. *EV.* illud facito ut memineris
Conveniſſe, ut ne quid dotis mea ad te afferret filia.
ME. Memini. *EV.* at ſcio, quo vos ſoleatis pacto perplexarier.
„ PACTUM non pactum eſt; non pactum pactum eſt, quod vobis lubet.
ME. Nulla controverſia mihi tecum erit. ſed nuptias
Hodie quin faciamus num quæ cauſſa eſt? *EV.* imò edepol optuma.
ME. Ibo igitur, parabo. nunquid me vis? *EV.* iſtuc. *ME.* fiet. vale.
Heus, Strobile, ſequere properè me ad macellum ſtrenuè.
„ *EV.* Illic hinc abiit. dî immortales, obſecro, AURUM quid valet?
Credo ego illum jam inaudiiſſe, mihi eſſe theſaurum domi.
Id inhiat, eâ affinitatem hanc obſtinavit gratiâ.

INTERPRETATIO.

cum illâ dote quam tibi dixi. ME. *Spondésne igitur?* EUCL *Spondeo.* ME. *Dii vertant bene illud.* EUCL *Dii faciant ita. Fac ut recorderis te de illo conveniſſe mecum, ut mea filia non afferret tibi ullam dotem.* ME. *Recordor.* EUCL. *Sed novi quomodo vos conſueveritis perplexari. Pactum non eſt pactum, pactum non pactum eſt; quando vobis lubet.* ME. *Mihi erit nulla lis tecum: ſed num aliqua cauſa eſt, quominus celebremus hodie nuptias?* EUCL. *Imo per ædem Pollucis. optima.* ME. *Ibo ergo, parabo: num vis me aliquid?* EUCL. *Iſtud.* ME. *Fiat. Vale. Heus. Strobile, ſequere me celeriter ſtrenuè ad macellum.* EUCL. *Ille abiit hinc. Dii immortales, rogo, quid valet pecunia? Ego puto illum inaudiviſſe jam mihi eſſe theſaurum domi, inhiat huic, idcircò ambit pertinaciter hoc fœdus.*

ANNOTATIO.

81. *Perplexari.*] id eſt *perplexè, & ad incautiores circumveniendos nectere orationem.*

ACTUS SECUNDUS. SCENA TERTIA.

ARGUMENTUM.

MANDAT Staphylæ ſuæ Euclio ut quàm primùm omnia ſint comparata ad nuptias celebrandas: & ſtatim proficiſcitur, ita ut ſemper mandet diligenter occludi ædes. Staphyla partus Phædriæ jamjam inſtantis timore, graviùs graviúſque jactatur.

EUCLIO,

EUCLIO, STAPHILA.

EUCLIO.

UBI tu es, quæ deblateraſti jam vicinis omnibus,
Meæ me filiæ daturum dotem? heus Staphyla! te voco:
Ecquid audis? vaſcula intus purè propera atque elue.
Filiam deſpondi hodie: ego nuptum huic Megadoro dabo.
ST. Dî benè vortant: verùm ecaſtor non poteſt: ſubitum eſt nimis.
EV. Tace atque abi: curata fac ſint quum à foro redeam domum.
Atque occlude ædes: jam ego hîc adero. *ST.* quid ego nunc agam?
Nunc nobis propè adeſt exitium, mihi atque herili filiæ.
Nam probrum atque partitudo propè adeſt, ut fiat palàm.
Quòd celatum eſt, atque occultatum uſque adhuc, nunc non poteſt.
Ibo intrò, ut herus quæ imperavit, facta, cùm veniat, ſient.
Nam ecaſtor malum mœrorem metuo, ne miſtum bibam.

INTERPRETATIO.

EUCL. *UBi es tu, quæ jam reſignaſti omnibus vicinis, me daturum dotem meæ filiæ? Heus, Staphyla, te voco: Audiſne? accelera eluere vaſa in ædibus: Ego deſpondi filiam: dabo nuptum hodie huic Megadoro.* ST. *Dii benè vertant: ſed per Caſtorem non poteſt* fieri: *eſt id nimis repentinum.* EUCL. *Sile, atque proficiſcere. Quando repeto domum à foro, fac ſint omnia parata, & occlude ædes. Ego adero jam hic.* ST. *Quid agam ego nunc? Nobis impendet certus interitus nunc, mihi & filiæ heri: Nam ſtuprum & partus inſtat, ut* ſeſe *aperiat. Quod fuit tectum atque opertum hactenus, non poteſt nunc* latere. *Ibo in ædes, ut quando herus veniet, hæc, quæ demandavit, ſint inſtructa. Nam per ædem Caſtoris vereor ne bibam malum mœrorem mihi propinatum.*

ANNOTATIONES.

3. *Vaſcula purè propera.*] id eſt, *Propera eluere vaſa.* Sacrificaturi Veteres non ſolùm *vaſa* ad ſacrificandum neceſſaria elùebant, verùm etiam *puri* eluebant. id eſt, ante expiati ſeu aquâ mundâ, ſeu ſacrificio. *Propera* activè. Virgilius,

——— *pulchram properet per vulnera mortem.*

4. *Deſpondere.*] Communis dictio, cuivis rei deſpondendæ; ſed nuptiis quaſi ſponſioni præſtantiſſimæ accommodata.

ACTUS SECUNDUS. SCENA QUARTA.

ARGUMENTUM.

STROBILUS ſervus Megadori revertitur à foro, unde affert obſonia: conducit coquos ad coquenda, ac primò eis mandat ut ea partiantur inter Megadorum & Euclionem. In hac Scena eſt inſignis deſcriptio ſordium parcimoniæ Euclionianæ turpiſſimarum.

STROBILUS, ANTHRAX, CONGRIO.

STROBILUS.

POSTQUAM obſonavit herus, & conduxit coquos,
Tibicinâſque haſce apud forum; edixit mihi,
Ut diſpartirem obſonium hîc bifariam.
CON. Me quidem hercle, dicam palàm, non divides.
Si quò tu totum me ire vis, operam dabo.
AN. Bellum & pudicum verò proſtibulum popli.
Pòſt ſi quis vellet te, haud non velles dividi?
CON. Atqui ego iſtuc, Anthrax, aliovorſum dixeram,
Non iſtuc quod tu inſimulas. *ST*. ſed herus nuptias
Meus hodie faciet. *COC*. cujus ducit filiam?
Vicini hujus Euclionis è proximo.
Ei adeò obſonii hinc dimidium juſſit dari,
Cocum alterum, itidemque alteram tibicinam.
COC. Nempe huic dimidium dicis, dimidium domi!
ST. Nempe ſicut dicis. *COC*. quid? hic non poterat de ſuo
Senex obſonari filiæ in nuptiis?
ST. Vah! *COC*. quid negotii eſt? *ST*. quid negotii ſit rogas?

INTERPRETATIO.

STRO. *Poſtquam herus obſonavit & conduxit coquos & has tibicines apud forum, mihi mandavit ut dividerem hic obſonia in duas partes.* CO. *Per Herculem non me divides, loquar apertè: tibi obſequor, ſi tu vis me ire aliquò integrum.* ST. *O bellum & caſtum proſtibulum plebis! tamen ſi quis te vellet dividere, nolles dividi.* CO. *Sed ego dixeram id alio ſenſu quàm tu interpretaris, ô Anthrax: non in eam partem quam tu reprehendis.* ST. *Sed meus herus celebrat hodie nuptias.* CO. *Cujus ducit filiam?* ST. *Euclionis hujus ſenis vicini proximi: idcircò juſſit ei tradi dimidium obſonii, alterum coquum, & itidem alteram tibicinam.* CO. *Nimirum dicis eſſe dandum dimidium huic, & dimidium domi.* ST. *Nempe quemadmodum dicis.* COC. *Quid? Hic ſenex non poterat obſonari de ſuo in nuptiis ſuæ filiæ?* ST. *Vah!* COC. *Quid rei eſt?* ST. *Petis quid rei ſit?*

ANNOTATIONES.

1. *Conduxit coquos.*] Moris erat, ut & nunc eſt, ut quibus non eſſet ſatis rei ad habendos *coquos* privatos & familiares, in foro conducerent. Petronius *coquos* appellat *coctores*.

2. *Tibicinas.*] Moris etiam tum ut ſymphonia in nuptiis adhiberetur.

4. *Me non divides.*] Jocus eſt ſumptus ex Congrionis coqui nomine, quo nomine eſt etiam piſcis quem nos vernaculo noſtro appellamus *un Congre*. Dicit igitur ſe eſſe obſonium minimè dividendum ac ſecandum, quamvis ſit Congrio: Nec abs re jocus eſt: nam Strobilus mandabat dividi obſonia & coquos, ita ut unus cum alterâ parte obſoniorum ſit apud Megadorum, & alter cum alterâ apud Euclionem. Congrio rapit dictum Strobili in jocum, & ait non eſſe ſe dividendum, quaſi Strobilus ſecari medium vellet Congrionem

8. *Pumex non eſt aquè aridus.*] Proverbialis formula parſimoniam notat. Cicero; *in ruſticis moribus, in victu arido, in hac horridâ incultâque vitâ.*

Pumex non æquè eſt aridus, atque hic eſt ſenex.
COC. Ain' tandem ita eſſe ut dicis? *ST.* tute exiſtima.
Quin divûm atque hominum clamat continuò fidem,
Suam rem periiſſe, ſeque eradicarier;
De ſuo tigillo fumus ſi quà exit foras.
Quin cùm it dormitum, follem obſtringit ob gulam.
COC. Cur? *ST.* ne quid animæ fortè amittat dormiens.
COC Etiámne obturat inferiorem gutturem,
Ne quid animæ fortè amittat dormiens?
ST. Hæc mihi te, ut tibi me æquum eſt credere.
COC Imò equidem credo. *ST.* at ſcin' etiam quomodo?
Aquam hercle plorat, quum lavat, profundere.
COC. Cenſen' talentum magnum exorari poteſſe
Ab iſtoc ſene, ut det, quî fiamus liberi?
ST. Famem hercle utendam ſi roges, nunquam dabit.
Quin ipſi pridem tonſor ungues dempſerat;
Collegit, omnia abſtulit præſegmina.
COC. Edepol mortalem parcè parcum prædicas!
Cenſen' verò adeò eſſe parcum & miſerè vivere?
ST. Pulmentum pridem ei eripuit miluus:
Homo ad prætorem deplorabundus venit:
Infit ibi poſtulare plorans, ejulans,

INTERPRETATIO.

Pumex non eſt perinde aridus atque hic ſenex. COC. *Dicisne tandem ita eſſe ſicut affirmas?* ST. *Tu exiſtima per temet, quin vociferatur continuò fidem deorum atque hominum ſuam rem periiſſe, ſeque everti bonis, ſi fumus exeat foras de ſuo titione. Quin quando proficiſcitur cubitum, obligat gulam follis.* COC. *Quare?* ST. *Ne fortè dormiens amittat aliquem flatum* follis. COC. *Obturatne etiam follem inferiorem, ne forſitan dormiens amittat aliquid ſpiritus.* ST. *Eſt par te mihi credere in his ſicut me tibi.* COC. *Imo credo.* ST. *At ſcisne præterea quo pacto eſt ſordidus? Per Herculem luget aquam profundere cùm lavat manus.* COC. *Putá, ne poſſe obtineri magnum talentum ab iſto ſene, ut det quo fiamus liberi?* ST. *Per Herculem ſi poſtules famem, ut eâ utaris, nunquam dabit, quin tonſor ipſi ſecuerat jampridem ungues: collegit omnia præſegmina, abſtulit.* CO. *Per ædem Pollucis prædicas hominem parciſſimum: Cenſesne verò eſſe adeò parcum, & eſſe pauperem.* ST. *Milvus eidem abſtulit olim pulmentum: homo deplorabundus venit ad Prætorem: ait lugens, ejulans poſtulare ibi*

ANNOTATIONES.

30. *Talentum magnum.*] Apud Atticos *talentum* duplex, *magnum* & *parvum*. *Parvum* quartâ parte erat *magno* minus. Hoc octoginta, illud ſexaginta conſtabat *minis*; ſexcentis unum, alterum octingentis *Coronatis*. *Coronati* autem triginta quinque *ſolidis turonenſibus* ſunt æſtimati.

31. *Qui fiamus liberi.*] Servi, numeratâ interdum pecuniâ, dominis ſuis manumittebantur.

37. *Miluus.*] Per διαίρεσιν, ut & paucis pòſt verſibus *miluum*. Ovidius eâdem utitur diſſolutione.

Ut volucris viſis rapidiſſima miluus extis.

Horatius.

Adulteretur ut columba miluo.

39. *Poſtulare.*] Primum qui ſeſe ad litem accingebat, *ſcribebat poſtulationem*, *une requeſte*, in qua *poſtulabat* ut cum

Ut ſibi liceret miliüm vadarier.
Sexcenta ſunt quæ memorem, ſi ſit otium.
Sed uter veſtrorum eſt celerior? memora mihi.
CON. Ego, ut multò melior. *ST.* cocum ego, non furem, rogo.
CON. Cocum ego dico. *ST.* quid tu ais? *AN.* ſic ſum, ut vides.
CON. Cocus ille nundinalis eſt, in nonum diem
Solet ire coctum. *AN.* tun' trium literarum homo
Me vituperas? fur, etiam fur trifurcifer.

INTERPRETATIO.

ut ſibi liceret dicere vadimonium Milvo. Sunt ſexcenta quæ referam, ſi liceret per otium. Sed uter veſtrûm eſt velocior? narra mihi. CO. *Ego, ut multò melior.* ST. *Ego peto coquum, non furem.* CO. *Ego dico coquum.* ST. *Quid ais tu?* AN. *Sum ſicut cernis.* CO. *Ille coquus eſt nundinalis: ſolet ire coctum in nonum diem.* AN. *Tu homo trium literarum me vituperas? Fur etiam fur triſurcifer.*

ANNOTATIONES.

quem in *libello poſtulatorio ſcripſerat*, liceret *vadari. Prætor ſubſcribebat, repondoit la requeſte.* Plinius Junior. *Sedeo pro Tribunali, ſubnoto libellos, conficio tabulas.* Hoc ultimo ſignificatur judicium.

40. *Vadari.*] Juriſconſultis, *adjourner.*

41. *Sexcenta ſunt.*] Numerus certus pro incerto Gallis noſtris, *Il y a mille choſes.*

45. *Coquus nundinalis.*] Octo diebus in opere nocturno poſitis, Ruſtici in urbes vicinas nono ibant ad leges de novo latas cognoſcendas, ad mercatum, & judicia. *Nundinalis coquus* per contemptum torquetur in eum qui vilioribus perſonis, atque adeò palatis minimè delicatis, conveniret. Eſt & *nundinalis coquus*, qui coquit cibos nono die in parentalibus mortuorum. Nimirum Romanis, non ante diem nonum fiebant parentatio, ludi, epulæ, inſcriptio. Donatus. *In funere nonus dies eſt quo parentalia concluduntur.* Et Poëta.

Prætereà ſi nona diem mortalibus almum
Aurora extulerit.

Juſtinianus ait, *in nonum diem fieri* *μνήμας*, ſeu *memorias* mortuorum, quæ vocabantur *novemdiales*. fiebat hoc die cœna quæ ab Apuleio *feralis*; *ſilicernium* à Tertulliano. Feſtus *coquum nundinalem* appellat *feralem, novemdialem*, id eſt, *dignum qui coquat cœnam mortuis*, qui nec mordent nec guſtant. Acutiſſimus eſt autem jocus defixus in Congrionem: quaſi dicat, quod alibi Plautus in Pſeudolo.

Quin ob eam rem Orcus recipere hunc ad ſe noluit,
Ut eſſet hic qui mortuis cœnam coquat,

47. *Trium literarum homo.*] *Fur,*

ACTUS SECUNDUS. SCENA QUINTA.

ARGUMENTUM.

STROBILUS mandat Anthraci manere apud Megadorum, & teſtem adjungit Eleuſium Tibicinam, ne quid ſurripiat: Congrionem verò ſecum ducit ad Euclionem, & ſociam addit Phrygiam Tibicinam: & hunc quidem eſſe vult apud Euclionem, quia nihil eſt quod furetur.

STROBILUS, ANTHRAX, CONGRIO.

STROBILUS.

TACE nunc jam tu : atque agnûm horum uter eſt pinguior.
COC. Licet. *ST.* tu, Congrio, eum ſume, atque abi
Intrò illuc: & vos illum ſequimini.
Vos cæteri illuc ad nos. *ANT.* hercle injuriâ
Diſpertiviſti : pinguiorem agnum iſti habent.
STR. At nunc tibi dabitur pinguior tibicina.
I ſanè cum illo, Phrygia : tu autem, Eleuſium,
Huc intrò abi ad nos. *CON.* ô Strobile ſubdole,
Huccine detruſiſti me ad ſenem parciſſimum?
Ubi ſi quid poſcam, uſque ad ravim poſcam, priùs
Quàm quicquam detur. *STR.* ſtultus & ſine gratiâ es!
Tibi rectè facere, quando quod facias perit?
CON. Quî verò? *STR.* rogitas? jam principio in ædibus
Turba iſtic nulla tibi erit : ſi qui uti voles,
Domo abs te afferto, ne operam perdas poſcere.
Hîc apud nos magna turba, ac magna familia eſt,
Supellex, aurum, veſtes, vaſa argentea,
Ibi ſi perierit quippiam (quod te ſcio
Facilè abſtinere poſſe, ſi nihil obviam eſt)
Dicant; Coci abſtulerunt; comprehendite;
Vincîte; verberate; in puteum condite.
Horum tibi iſtic nihil eveniet : quippe qui
Ubi quid ſurripias, nihil eſt. ſequere hàc me. *CON.* ſequor.

INTERPRETATIO.

STRO. *Sile tu nunc jam. & dic tantùm uter horum agnorum eſt pinguior.* COC. *Patet.* ST. *Tu, Congrio, ſume eum ſubitò, & introi illuc. & vos ſequamini illum Euclionis domum. Vos alii, venite ad nos apud Megadorum.* ANT. *Profectò injuſtè diviſiſti: iſti habent agnum obeſiorem.* ST. *Sed jam tibi dabitur Tibicina obeſior. I cum illo, Phrygia: tu verò, Eleuſium, ingredere huc in noſtras ædes.* CO. *O Strobile, callidè méne detrudes ſic ad ſenem parciſſimum; apud quem, ſi poſtules aliquid, poſtules uſque ad raucedinem antequam detur quidquam?* ST. *Es amens & ingratus: quis te afficiat beneficio, ſi perdis ſic id quod das?* CO. *Quomodo igitur?* ST. *Rogas? Primùm nulla erit tibi turba in iſtis ædibus: ſi fuerit opus aliquâ re, affer à tuis ædibus, ne ludas operam, ſi poſcas. Eſt magna turba hic apud nos & magna familia, ſupellex, aurum, veſtimenta, vaſa argentea: ſi aliquid perierit (à quo credo te poſſe facilè abſtinere, ſi nihil eſt obviàm) dicent, Coqui abſtulerunt, comprehendite, conſtringite, verberate, præcipitate in puteum. Nihil horum tibi accidet hic: videlicet ubi eſt nihil quod ſuffureris. Sequere me hàc.* CO. *Sequor.*

ANNOTATIONES.

12. *Tibi rectè facere.*] id eſt, *extrema dementia eſt tibi rectè facere.*

Quod facias, perit.] id eſt, *quod facias rectè*. Ellipſis gemina, quæ notat affectum animi incitatiorem.

18. *Quod te ſcio, &c.*] Jocus eſt in Strobilum contortus, utpote ſervum furacem: *quod* pro *ſicut* poſitum, ut alibi paſſim.

21. *In puteum.*] *Carcerem* intelligit *profundum.*

ACTUS SECUNDUS. SCENA SEXTA.

ARGUMENTUM.

MANDAT Strobilus Staphylæ ancillæ Euclionis aperiri oſtium clauſum juſſu Euclionis. Aperit illa, recordata eorum quæ dixerat, nempe ſtatim eſſe celebrandas nuptias. Sed voluntate Euclionis minimè intellectâ, quantæ modò turbæ exiſtent, quantæ vociferationes.

STROBILUS, STAPHYLA, COCI.

STROBILUS.

HEus, Staphyla, prodi, atque oſtium aperi. *STA.* qui vocat?
STR. Strobilus. *STA.* quid vis? *STR.* hos ut accipiat coquos,
Tibicinámque obſoniúmque in nuptias.
Megadorus juſſit Euclioni hæc mittere.
STA. Cererínc, Strobile, has facturi nuptias?
STR. Qui? *STA.* quia temeri nihil allatum intellego.
STR. At jam afferetur, ſi à foro ipſus redierit.
STA. Ligna hîc apud nos nulla ſunt. *CO.* ſunt aſſeres?
STA. Sunt pol. *CO.* ſunt igitur ligna, ne quæras foris.
STA. Quid? impurate, quanquam Vulcano ſtudes,
Cœnæ ne cauſſâ, aut tuæ mercedis gratiâ,
Nos noſtras ædes poſtulas comburere?
CO. Haud poſtulo. *STR.* duc iſtos intrò. *STA.* ſequimini.

INTERPRETATIO.

STRO. *HEus, Staphyla, regredere, & aperi januam.* STA. *Quis me vocat?* STR. *Strobilus.* STA. *Quid vis?* STR. *Ut admittas hos Coquos, & Tibicinam, & obſonium ad nuptias. Megadorus mandavit mittere hæc Euclioni.* STA. *Suntne celebraturi has nuptias Cereri?* STR. *Qui?* STA. *Quia video nihil allatum vini.* STR. *Sed afferetur modo, quando Megadorus redierit à foro.* STA. *Nulla ſunt ligna apud nos.* STR. *Sunt aſſeres?* STA. *Sunt per Polluœm.* STR. *Ergo ſunt ligna, ne quæras foris.* STA. *Quid ais, impure, quanquam ſervis Vulcano deo? An cœna gratiâ, aut tua mercedis, vis nos incendere noſtram domum?* STR. *Nolo, introduc iſtos.* STA. *ſequimini.*

ANNOTATIONES.

3. *Obſonium.*] *Obſonium* dicitur quidquid coquitur, ab ὄψον, quod ab ὀπτῶ *coquo*, quidquid unà cum pane comeditur, quidquid in macello venit. Tamen uſu venit ut pro ſolo piſce, tanquam delicatiſſimo cibo, accipiatur: unde apud Joan. Evangelii cap. 6. legitur, duo ὀψάρια: apud Matth. & Marc. 6. & Luc. 9. δύο ἰχθύας legas. Ab *obſoniis* dicebantur *Obſonomi* Ædiles, quorum erat cura æduliorum in macello.

5. *Cererine.*] Servius. *Aliud eſt ſacrificium, aliud nuptias celebrare, in quibus reverà vinum adhiberi nefas erat:* ſed Ambarvalia cum vino celebrabantur.

10. *Impurate.*] *impure* tam de libidinoſo dicitur, quàm de alio quovis facinoroſo.

Ib. *Quanquam Vulcano ſtudes.*] Coqui crebrò ad ignem, hinc ſtudere dicuntur Vulcano, niſi ſubſit his verbis jocus in ſervum ſemper paratum ad incendendam domum: ignis autem eſt, injectum metallum de impuro reddere purum.

ACTUS SECUNDUS. SCENA SEPTIMA.

ARGUMENTUM.

PYTHODICUS ſervus, obſervator Coquorum, quos feſtivè Plautus appellat *Rapacidas* eſt in præſidiis, ne quid hæreat in unguibus.

PYTHODICUS.

CURATE : ego interviſam quid faciant coqui?
Quos pol ut ego hodie ſervem, cura maxima eſt.
Niſi unum hoc faciam, ut in puteo cœnam coquant.
Inde coctam ſurſum ſubducemus corbulis.
Si autem deorſum comedent, ſi quid coxerint,
Superi incœnati ſunt, & cœnati inferi.
Sed verba hîc facio, quaſi negotii nihil ſiet,
Rapacidarum ubi tantùm ſiet in ædibus.

INTERPRETATIO.

PYTH. *Curate interim : ego obſervabo quid faciant coqui. Eſt cura maxima ut eos obſervem hodie : niſi curem hoc unum ut coquant cœnam in imo puteo, & educamus inde in altum corbulis quando erit cocta: ſi verò comedent deorſum quæ coxerunt,* ſanè *ſuperi erunt incœnati, & inferi cœnati. Sed hic fabulor, quaſi nihil mihi ſit negotii in ædibus in quibus tot ſunt rapaces.*

ANNOTATIONES.

6. *Superi incœnati.*] Ludit in verbis *ſuperi, inferi :* quaſi dicat, tam abſurdum ſit quàm ſi *ſuperi*, id eſt *vivi*, *incœnati* ſint, & *inferi*, id eſt *mortui, cœnati.*

8. *Rapacidarum.*] Patronimicum Plautinum à *rapax rapacida*, & ab *Æaco Æacida*, à *Scipione Scipiada*; quaſi ſit familia quædam furum.

ACTUS SECUNDUS. SCENA OCTAVA.

ARGUMENTUM.

REVERTITUR Euclio meditabundus de caritate obſoniorum. Sed ecce quum propiùs accedit ad ædes, duo percellunt animum metu incredibili. Primum, quòd oſtium videt apertum, quod tam diligenter clauſum eſſe voluerat. Alterum eſt tumultus quem intra ædes audit, ac præſertim quod inter cætera *olla* mentionem fieri accipit; Nimirum coqui *ollam* rogant capaciorem ad coquenda obſonia: exanimatus metu ſenex, de *olla* auri plena putat dici. Irrumpit Euclio præceps in ædes ſuas.

EVCLIO, CONGRIO.

EVCLIO.

VOlui animum tandem confirmare hodie meum,
Ut benè haberem filiæ nuptiis.
Venio ad macellum, rogito piſces. indicant
Caros; agninam caram, caram bubulam,
Vitulinam, cetum, porcinam; cara omnia:
Atque eò fuerant cariora, æs non erat.
Abeo iratus illinc, quoniam nihil eſt quî emam.
Ita illis impuris omnibus adii manum.
Deinde egomet mecum cogitare inter vias
„ Occœpi: Festo die ſi quid prodegeris,
„ Profeſto egere liceat, niſi peperceris.
Poſtquam hanc rationem cordi ventríque edidi,
Acceſſit animus ad meam ſententiam;
Quàm minimo ſumptu filiam ut nuptum darem.
Nunc tuſculum emi, & haſce coronas floreas:
Hæc imponentur in foco noſtro Lari,
Ut fortunatas faciat gnatæ nuptias.
Sed quid ego apertas ædis noſtras conſpicor?
Et ſtreptus eſt intus? númnam ego compilor miſer?
CON. Aulam majorem, ſi potes, viciniâ
Pete: hæc eſt parva, capere non quit. *EV.* hei mihi,
Perii herclè! aurum rapitur, aula quæritur.
Nimirum occidor, niſi ego intrò huc properè propero currere.

Interpretatio.

EUCL. *Tandem volui hodie in animum meum inducere, ut me haberem liberaliter in nuptiis filiæ. Venio ad macellum, rogito quanti ſint piſces. Conſtituunt pretium carum piſcibus, carum agninæ, carum bubulæ, carum vitulinæ, ceto, porcinæ, cuncta cara. Et fuerunt eò cariora, quòd non erat pecunia. Me proripio iratum hinc, quoniam eſt nihil quo emam. Sic illis impuris valedixi. Deinde occœpi cogitare egomet mecum per vias: Si prodegeris aliquid die feſto, oportebit egere die profeſto, niſi parcus fueris. Poſtquam attuli hanc rationem cordi & ventri, mens deſcendit in meam ſententiam, ut collocarem filiam quàm minimo ſumptu: emi nunc thus & has coronas floreas. Hæc imponentur noſtro Lari in foco, ut faciat nuptias fortunatas filiæ. Sed quid ego conſpicor noſtras ædes apertas? Et eſt ſtrepitus intus: an compilor infelix?* CO *Pete, ſi potes, ollam majorem vicini, hæc eſt anguſtior, non poteſt capere coquenda.* EUCL. *Hei mihi! per Herculem perii: expilatur aurum, quæritur olla: ſcilicet interimor, niſi ego accelero celeriter currere huc intrò.*

Annotationes.

6. *Æs.*] Apud Romanos perinde atque apud nos, etiamnum nummis æreis comparabantur vulgò edulia; quia aptiores ſunt cuivis parando obſonio & componendo pretio.

8. *Adii manum.*] Idem ſignificat hoc loco Plautus, atque nos vernacula noſtra, *Je baiſe les mains à Meſſieurs les Bouchers & à Meſdames les Harangeres.* Nam verbum hoc ſeriò dictum obſequii teſtificationem, joco fraudatam expectationem notat.

23. *Propere propero.*] Celeritate pedum hujus verſus exprimitur curſus ſenis, quem avaritia ſua, ſeu ſtimulus, præcipitem agit.

Apollo;

Apollo, quæſo, ſubveni mihi, atque adjuva:
Confige ſagittis fures theſaurarios:
Cui in re tali jam ſubveniſti antidhac.
Sed ceſſo priùs, quàm prorſus perii, currere?

I N T E R P R E T A T I O.

Apollo, obſecro, auxiliare mihi, atque confige ſagittis fures mei *theſauri. Mihi ſubveniſti jam antea in re ſimili. Sed ceſſo currere antequam prorſus occidi.*

A N N O T A T I O N E S.

24. *Apollo.*] Apollinem, quaſi malorum depulſorem, ad præſidium ſuum appellat.
25. *Sagittis.*] Sua cuique Deorum arma tribuuntur: ſed imprimis Apollini ſagittæ: puto quòd radii Solis ab eo, quaſi quædam ſagittæ, mittuntur.

ACTUS SECUNDUS. SCENA NONA.

ARGUMENTUM.

INTEREADUM Anthrax operam dat cœnæ apud Megadorum parandæ, urgetque coquos, exaudit clamores apud vicinum Euclionem. Nimirum Euclio obruit convitiis & plagis coquos quos reperit apud ſe, reverſus è foro ab obſoniis parandis.

ANTHRAX.

DROMO, deſquama piſcis: tu, Machærio,
Congrum, murænam exdorſua, quantum potes:
Atque omnia, dum abſum hinc, exoſſata fac ſient.
Ego hinc artoptam ex proximo utendam peto
A Congrione. tu iſtum gallum, ſi ſapis,
Glabriorem reddes mihi, quàm volſus ludiu'ſt.
Sed quid hoc clamoris oritur hinc ex proximo?
Coqui hercle, credo, faciunt officium ſuum.
Fugiam intrò, ne quid hîc turbæ fiat itidem.

I N T E R P R E T A T I O.

ANTH. *DRomo, deme ſquammas piſcibus: tu, detrahe pellem Congro & Murenæ quàm velociſſimè poteris, atque da operam ut univerſis oſſa eximantur, intereadum abſum hinc. Ego eo petitum mutuam artoptam à Congrione apud Megadorum. Tu, ſi ſapis, mihi reddes hunc gallum glabriorem quàm eſt, Lydius depilatus. Sed quis clamor auditur hinc ex vicinis! Credo profectò coquos implere ſuum officium: accelerabo intrare, ne turba hic fiant pariter.*

A N N O T A T I O N E S.

4. *Artoptam.*] Coquinàrium inſtrumentum coquendis placentis idoneum: *une poiſle à frire: une poëſle à bignets: ſartago.*

6. *Volſus ludius.*] Adoleſcentes qui aut à *Lydia* vocabantur ad ludos, ut gentes nonnullas certis rebus, & addictiores cerminus & aptiores: aut ad exemplum *Lydorum* inſtituti, ludos obibant, *Lydii* vocabantur, quibus quò gratiores erant ſpectatoribus, barba convellebatur radicitus.

ACTUS TERTIUS.

ARGUMENTUM.

OLLÆ ſuæ Euclio magis magiſque metuit, & demum aliò transferendam putat in locum tutiorem.

ACTUS TERTIUS. SCENA PRIMA.

ARGUMENTUM.

METU & iracundiâ elatus Euclio ſeſe conjicit in ædes ſuas: opprimit incautos coquos: ſervos, ancillas inſequitur pugnis, calcibus, fuſtibus, quaſi prædones ollæ ſuæ manifeſtarios.

CONGRIO.

OPTATI cives, populares, incolæ, accolæ, advenæ omnes;
Date viam quà fugere liceat, facite totæ plateæ pateant.
Neque ego unquam, niſi hodie, ad Bacchas veni in bacchanal coquinatum,
Ita me miſerum & meos diſcipulos fuſtibus malê contuderunt.
Totus doleo, atque oppidò perii, ita me iſte habuit ſenex gymnaſium.
Attat, perii hercle ego miſer. aperit Bacchanal. adeſt!
Sequitur. ſcio quam rem geram: hoc ipſus magiſter me docuit.

INTERPRETATIO.

CONG. *Cariſſimi cives, populares, incolæ, accolæ, advenæ univerſi, facite viam quà poſſim fugere; facite ut tota plateæ pateant. Ego arbitror me incidiſſe in Bacchas & Bacchanal*, & non in culinam, *ad coquendum. adeò me malè exceperunt fuſtibus, & meos diſcipulos. Totus doleo, & planè interii, adeò Euclio eſe* exercuit in me verberando. *Atat ego interii per Herculem, infelix. Aperit locum baccharum. Adeſt: ſequitur. Scio quid agam:* fugiam. *Magiſter ipſe me docuit hoc.*

ANNOTATIONES.

2. *Date viam.*] His verbis additis ſummovebant turbam obviam Magiſtratibus lictores, addito tantùm Magiſtratûs nomine, *Date viam Conſuli. Date viam Pratori*. &c

3. *Bacchas.*] *Baccha à Baccho* dictæ. Tertio quoque anno Orgia, ſeu ſaltationes & curſus, celebrabant ingentibus clamoribus & thyrſis, ſeu baculis, obvios quoſque furioſæ pulſabant. Huc alludit Congrionis oratio.

5. *Gymnaſium.*] *flagri* videlicet.

6. *Bacchanal.*] Locus & ſpatium quod clamoribus ſuis infeſtabant Bacchæ, aut etiam ſacrarium & adytum Bacchi. *Virginal* à Prudentio locus in quo virgines commorantur: unde *Virginalia* dici poſſunt cœnobia virginum.

7. *Docuit.*] fugere quando inſequitur.

Neque ligna ego uſquam gentium præberi vidi pulchriùs:
Itaque omnis exegit foras, me atque hos onuſtos fuſtibus.

INTERPRETATIO.

Neque ego vidi uſquam terrarum miniſtrari pulchriùs ligna. Itaque me ejecit foras, atque omnes hos oneratos fuſtibus.

ANNOTATIO.

8. *Præberi.*] *Præbere* παρέχειν, unde πάροχοι. Horat. 1. Sat. 5.
Proxima Campano ponti quæ villula, tectum
Præbuit, & Parochi, quæ debent, ligna ſalémque.
Unde tranſlatum Eccleſiaſticum verbum, *Parochia, Paroiſſe:* niſi ſit à παροικία, *locus in quo plures juxtà habitant.*

ACTUS TERTIUS. SCENA SECUNDA.

ARGUMENTUM.

EUCLIO è poſtſcenio in proſcenium proſequitur Congrionem ejulantem propter acceptas plagas. Revocat hominem, ſed quò fugiat velociùs. Nam interminatur Prætorem, quòd cultrum ferat, ut faciunt Coqui: quod cæteris Lege prohibitum erat. Senex aperit rationem iracundiæ; quia videlicet veſtigabant coqui angulos omnes ædium.

EUCLIO, CONGRIO.

EUCLIO.

REDI. quò fugis nunc? tene, tene. *CON.* quid, ſtolide, clamas?
EU. Quia ad Tresviros jam ego deferam tuum nomen. *CON.* quamobrem?
EU. Quia cultrum habes. *CON.* cocum decet. *EU.* quid, comminatus
Mihi? *CON.* iſtuc malefactum arbitror, quia non latus fodi.
EU. Homo nullus eſt te ſceleſtior qui vivat hodie,
Neque cui ego de induſtriâ ampliùs malè plus lubens faxim.
CON. Pol etſi taceas, palàm id quidem eſt. res ipſa teſtis eſt.

INTERPRETATIO.

EUCL. *REvertere. Quò fugis jam? Retine, tene.* CON. *Quid vociferaris, ſtolide?* EUCL. *Quia ego jam deferam tuum nomen ad Tresviros.* CON. *Quapropter?* EUCL. *Quia habes cultrum* CON. *Decet coquum habere.* EUCL. *Quare mihi comminatus es?* CON. *Arbitror malè me feciſſe, quod non defixi in latus.* EUCL. *Eſt nullus homo nequior te, qui vivat hodie, neque cui ego malè facere lubentiùs datâ operâ.* CON. *Per Pollucem etſi taceas, id profectò patet: res ipſa eſt teſtis.*

ANNOTATIO.

2. *Tresviros,*] *Tresviri*, Judices capitales. Suprà in Amphitr. latiùs.

Ita fuſtibus ſum mollior miſer magis, quàm ullus cinædus.
Sed quid tibi nos, mendice homo, tactio eſt? quæ res?
EV. Etiam rogitas? an quia minùs quàm æquum erat, feci?
CON. Sine. at hercle cum malo magno tuo, ſi hoc caput ſentit.
EV. Pol ego haud ſcio quid pòſt fiat; tuum nunc caput ſentit.
Sed in ædibus quid tibi meíſnam erat negotii,
Me abſente, niſi ego juſſeram? volo ſcire. *CON.* tace ergo.
Quia venimus coctum ad nuptias. *EV.* quid tu (malùm) curas
Utrum crudum an coctum edim, niſi tu mihi es tutor!
CON. Volo ſcire, ſinas an non ſinas nos coquere hîc cœnam?
EV. Volo ſcire item ego, meæ domi meáne ſalva futura?
CON. Utinam mea mihi modò auferam, quæ attuli, ſalva!
Me haud pœnitet, tuáne expetam? *EV.* ſcio: ne doce, novi.
CON. Quid eſt, quâ prohibeas nunc gratiâ nos coquere hîc cœnam?
Quid fecimus? quid diximus tibi ſequiùs, quàm velles?
EV. Etiam rogitas, ſceleſte homo, qui angulos omnis
Mearum ædium & conclavium mihi perviam facitis?

INTERPRETATIO.

Adeò contritus ſum fuſtibus, ut ſim jam mollior ullo Cynedo. Sed quare nos pulſaſti, mendice homo? Quæ res? EUCL. *Etiam rogas? An quia pulſavi minùs quàm erat par.* CON. *Sine me. At per Herculem cum tuo magno malo, ſi hocce caput ſentit.* EUCL. *Per Pollucem ego neſcio quid fiat poſtea de tuo capite. Sentit nunc. Sed quidnam negotii erat tibi in meis ædibus,* ut, *me abſente,* venias *in eas injuſſus? Volo ſcire.* CON. *Sile ergo. Quia venimus coctum ad nuptias.* EUCL. *Quid curas tu, malùm, utrum edam crudum an coctum, niſi tu es meus tutor.* CON. *Volo ſcire, patiaris an non patiaris nos coquere hic cœnam.* EUCL. *Ego volo item ſcire utrùm mea bona ſint futura ſalva in meis ædibus.* CON. *Utinam auferam modò ſalva ea quæ attuli! non curo tua expetere.* EUCL. *Scio, ne doce, novi.* CON. *Quid eſt? Quâ causâ nos prohibeas nunc nos coquere hic cœnam? Quid fecimus? Quid diximus tibi ſequius quàm velles?* EUCL. *Etiam rogitas, nequam homo, qui mihi facitis pervios omnes angulos mearum ædium & conclavium.*

ANNOTATIONES.

8. *Cinædus.*] *Cinædi* apud Romanos erant juvenes, quorum erant flexiles imprimis artus ad ſaltationem. Quoniam verò hoc genus theatris & ſpectaculis aſſuetum, ut plurimùm voluptatibus deditum erat, juvenes effœminati, ſive ſaltationibus darent operam, ſive non, *Cinædi* ſunt appellati à *κινέω moveo.*

11. *Caput ſentit.*] In hoc verſu *caput ſentit*, id eſt, *ſi ullus eſt mihi ſenſus honorus. Je veux que vous me preniez pour une beſte.* In ſequenti verſu rapit in jocum, *ſi hoc caput ſentit*, & dicit Congrioni ejus *caput ſentire*, dolorem videlicet ictuum modò à ſe inflictorum.

20. *Haud me pœnitet.*] A *pœna* eſt, unde *pœnitentia*, tam de pœnis quæ ab Eccleſiâ imponuntur ad expianda crimina, quàm de dolore mentis. Itaque hoc loco nihil aliud innuit Euclioni Congrio, quàm ſi vernaculo noſtro diceret, *Je me mets bien en peine de ce qui vous appartient, & de le deſirer.*

Id ubi tibi erat negotium, ad focum ſi adeſſes,
Non fiſſile haberes caput: meritò id tibi factum eſt.
Adeò ut tu meam ſententiam jam noſcere poſſis,
Si ad januam huc acceſſeris, niſi juſſero, propiùs,
Ego te faciam miſerrimus mortalis uti ſis.
Scis jam meam ſententiam? quò abis? redi rurſum.
CON. Ita me benè amet Laverna! te jam, niſi reddi
Mihi vaſa jubes, pipulo hîc differam ante ædis.
Quid ego nunc agam? næ ego edepol veni huc auſpicio malo.
Nummo ſum conductus: plus jam medico mercede opus eſt.

INTERPRETATIO.

Non haberes caput fiſſile, ſi adeſſes ad focum ubi tibi erat negotium: tibi factum eſt id meritò. Adeò ut jamjam tu poſſis noſcere meam mentem. Si acceſſeris propiùs ad januam, niſi mandavero, ego faciam ut tu ſis miſerrimus omnium mortalium: tenéſne jam meam mentem? Quò abis? Revertere rurſum. CON. *Ita Laverna me amet benè: niſi mandas mihi reddi mea vaſa, te differam hic convitio ante ædes. Quid agam ego nunc? Per ædem Pollucis ego veni huc malo augurio. Sum conductus nummo: jam plus opus eſt nummo in mercedem medici.*

ANNOTATIONES.

31. *Laverna.*] Dea à furibus invocari ſolita. Horatius.

Pulchra Laverna, da mihi fallere;
Da juſtum ſanctúmque videri.

Apud Græcos praxidicè *Dea*, ſeu potiùs *caput Dea*, quia corpore carebat reliquo.

32. *Pipulo differam.*] id eſt, *nomen tuum longè latèque ſpargam. Pipulus* èſt exſibillatio hominis, qui, quòd nullis tabulis convinci potuiſſet, fraudem feciſſet. Quod quidem convitium, authoritate Decemvirorum fiebat ante ædes hujus qui fraudis eſſet reus, adhibitis teſtibus.

33. *Auſpicio malo.*] *Auſpicium* ab avibus aſpiciendis: mala autem auſpicia à malis avibus: aves enim aliæ malæ, aliæ bonæ in auſpiciis.

34. *Nummo.*] Quando *nummus* dicitur ſine addito, *nummus* intelligitur *aureus*, qui quidem duobus *nummus* aureîs noſtris ferè æquivalebat.

ACTUS TERTIUS. SCENA TERTIA.

ARGVMENTVM.

EUGLIO poſtquam ejecit omnes ex ædibus, & animadvertit non eſſe theſaurum loco motum, revocat in ædes univerſos quos ejecit.

EUCLIO, CONGRIO.

EUCLIO.

HOc quidem hercle, quoquò ibo, mecum erit, mecum ſeram:
Neque iſtuc in tantis periclis unquam committam ut ſiet.
Ite ſanè nunc jam intrò omnes, & coqui, & tibicinæ.
Etiam introduce, ſi vis, vel gregem venalium.
Coquite, facite, feſtinate nunc jam quantum lubet.
CON. Temperi: poſtquam impleviſti fuſtibus iſtorum caput.
EU. Intrò abi. opera huc conducta eſt veſtra, non oratio.
CON. Heu ſenex! pro vapulando hercle ego abs te mercedem petam.
Coctum ego, non vapulatum dudum conductus fui.
EU. Lege agito mecum, moleſtus ne ſis: i, & cœnam coque,
Aut abi in malum cruciatum ab ædibus. *CON.* abi tu modò.

INTERPRETATIO.

EUCL. *PEr Herculem quemcunque in locum ibo, hac olla erit mecum: neque committam unquam ut id verſetur in tantis periculis. Introite profectò nunc jam univerſi, & coqui, & tibicinæ. Introduc adhuc, ſi vis, vel gregem venalium: coquite, facite, properate nunc jam quantum lubet.* CON. *Tempeſtivè, poſtquam oneraſti fuſtibus iſtorum caput.* EUCL. *Ingredere, veſtra opera eſt conducta, non oratio.* CON. *Heu ſenex! ego per Herculem à te poſtulabo mercedem pro ictibus. Jampridem fui conductus ad coquendum, non ad verbera.* EUCL. *Contende mecum judicio, ne ſis moleſtus: i, & coque cœnam, aut excede ab ædibus in malum cruciatum.* CON. *Abs tu modò.*

ANNOTATIONES.

10. *Lege agito.*] eſt, *actionem intendere, intenter un procès:* ex præſcripto Legum XII. Tabularum, & Juris Civilis.

11. *In malum cruciatum.*] id eſt, *in malam crucem.* Eſt imprecatio atrociſſima.

ACTUS TERTIUS. SCENA QUARTA.

ARGUMENTUM.

EUclio ſecum deplorat vicem ſuam, quòd Megadorus eo conſilio coquos miſerit, ad auferendam ollam. Deinde divertit ad augurium feſtivum galli gallinacei.

EUCLIO.

Illic hinc abiit. Dî immortales, Facinus audax incipit,
„Qui cum opulento pauper homine cœpit rem habere, aut negotium.
Veluti me Megadorus tentat omnibus miſerum modis:
Qui ſimulavit, mei honoris mittere huc cauſſâ coquos,
Is eâ cauſſâ miſit, hoc qui ſurriperent miſero mihi.
Condignè etiam meus me intus gallus gallinaceus,
Qui erat anui peculiaris, perdidit pœniſſimè.
Ubi erat hæc defoſſa, occœpit ibi ſcalpurire ungulis
Circumcirca. quid opus eſt verbis? ita mihi pectus peracuit:
Capio fuſtem, obtrunco gallum, furem manifeſtarium.
Credo ego edepol illi mercedem gallo pollicitos coquos,
Si id palàm feciſſet. exemi ex manu manubrium
Quid opus eſt verbis.? facta eſt pugna in gallo gallinaceo.
Sed Megadorus meus affinis eccum incedit à foro.
Jam hunc non auſim præterire, quin conſiſtam & colloquar.

INTERPRETATIO.

EUCL. *Ille abit hinc. Dii immortales. Orditur facinus audax, qui pauper cœpit habere negotium aut rem cum homine locuplete. qui finxit mittere huc coquos mei honoris gratiâ, is miſit idcircò ut mihi ſurriperent infœlici hoc aurum. Meus gallus gallinaceus, qui erat peculiaris Staphylæ, me etiam perdidit prorſus intus. Occœpit ſcalpere unguibus circum locum in quo hæc olla erat defoſſa. Quid opus eſt pluribus verbis? Mihi adeò movet bilem: capio baculum, obtrunco gallum, furem manifeſtarium. Per ædem Pollucis ego credo coquos pollicitos mercedem illi gallo, ſi pateſeciſſet id. Eripui coquis anſam* furandi *è manu. Quid plura? Expugnavi gallum gallinaceum. Sed ecce Megadorus meus affinis venit à foro. Non auſim hunc præterire jam, quin conſiſtam & confabuler.*

ANNOTATIONES.

10. *Fur manifeſtarius.*] *in manifeſto furto deprehenſus.*

11. *Exemi manubrium.*] Dictum proverbiale, quod aliter effertur, ſi anſam præſcidiſſe dicas: & utrumque occaſionem notat.

ACTUS TERTIUS. SCENA QUINTA.

ARGUMENTUM.

Megadorus gratulatur ſibi de matrimonio cum anguſtiore fortunâ contracto, & recenſet fuſiſſimè incommoda eorum qui lucnlentam ambiunt. Euclio audit hominem, & gratulatur Megadoro, futuro generi, quòd parſimoniæ & ſordibus aliquâ ex parte faveat. Si Scena hæc diſtinguatur à ſequenti, non video cur & in Amphitryone Scena prima non diſtinguatur in duas: nam eſt multò longius *à parte.*

MEGADORUS, EUCLIO.

MEGADORUS.

NARRAVI amicis multis conſilium meum
De conditione hâc. Euclionis filiam
Laudant. ſapienter factum & conſilio bono!
Nam, meo quidem animo, ſi idem faciant cæteri,
„ OPULENTIORES pauperiorum filias
„ Ut indotatas ducant uxores domum;
„ Et multò fiat civitas concordior,
„ Et invidiâ nos minore utamur quàm utimur;
„ Et illæ malam rem metuant, quàm metuunt, magis.
„ Et nos minore ſumptu ſimus, quàm ſumus.
„ In maximam illuc populi partem eſt optimum.
„ In pauciores avidos altercatio eſt;
„ Quorum animis avidis, atque inſatietatibus
„ Neque lex, neque tutor capere eſt qui poſſit modum.
Namque hoc qui dicat; Quo illæ nubent divites
Dotatæ, ſi iſtud jus pauperibus ponitur?
Quò lubeat nubant, dum dos ne fiat comes.
Hoc ſi ita fiat, mores meliores ſibi
Parent pro dote quos ferant, quàm nunc ferunt.
Ego faxim muli, pretio qui ſuperant equos,
Sient viliores Gallicis cantheriis.

INTERPRETATIO.

MEG. *Narravi multis ex meis amicis meum conſilium de hâc conditione uxoriâ. Prædicant filiam Euclionis: dicunt à me factum ſapienter, & bono conſilio: nam meo quidem animo, ſi reliqui faciant idem, ut locupletiores viri ducant domum uxores filias tenuiorum ſine dote, & Urbs evadat longè magis concors, & nos erimus obnoxii minori invidiæ, quàm ſumus: & illæ timeant magis malam rem, quàm timent: & nos faciamus minores ſumptus quàm facimus. Id eſt utiliſſimum maximæ parti populi. Supereſt contentio cum paucis cupidioribus divitiarum, quorum animis avidis & inſatiabilibus neque lex neque tutor eſt qui poſſit ponere limites. Nam ſi quis dicat: Cui nubent illæ divites dotatæ, ſi ſtatuitur id jus tenuioribus? Nubant ubi placeat, dummodò* arrogantia ex dote *non eas comitetur. Si hoc fiat ſic, ſibi comparent meliores mores quos ferant pro dote, quàm nunc ferunt. Ego faciam ut muli qui vincunt equos pretio ſint viliores cantheriis Gallicis.*

ANNOTATIONES.

2. *Conditione.*] id eſt, *conjunctione quæ vinculo matrimonii intercedit.* Unde ſolennia repudii verba erant, *Conditione tuâ non utor.* Feſtus. *Conventa conditio dicebatur, cùm primus ſermo de nuptiis, & earum conditione, habebatur.*

12. *Cantheriis Gallicis.*] *Cantherius* eſt equus ſectus. Adducebantur autem equi hujuſmodi è Galliâ, non ita magni pretii. Feſtus *Cantherius hoc diſtat ab equo, quod majalis à verre, capus à gallo, vervex ab ariete.*

EU. Ita

EV. Ita me dî amabunt, ut ego hunc auſculto lubens.
Nimis lepidè fecit verba ad parſimoniam.
ME. Nulla igitur dicat: Equidem dotem ad te attuli
Majorem multò, quàm tibi erat pecunia.
Enim mihi quidem æquum eſt purpuram atque aurum dari;
Ancillas, mulos, muliones, pediſſequos,
Salutigerulos pueros; vehicula quî vehar.
EV. Ut matronarum hic facta pernovit probè!
Moribus præfectum mulierum hunc factum velim.
ME. Nunc quoquò venias, plus plauſtrorum in ædibus
Videas, quàm ruri, quando ad villam veneris.
Sed hoc etiam pulchrum eſt, præ quàm ubi ſumptus petunt.
Stat fullo, phrygio, aurifex, lanarius;
Caupones patagiarii, induſiarii,
Flammearii, violarii, carinarii,
Aut manulearii, aut murrobathrarii,

INTERPRETATIO.

EUCL. *Ita me dii amabunt, ut ego hunc audio lubenter: habet orationem nimis feſtivam ad* exprimendam *parſimoniam.* ME. *Itaque nulla dicat: Profectò ego ad te attuli dotem multò ampliorem quàm tibi erat pecunia: nam par eſt profectò ut mihi des purpuram atque aurum, ancillas, mulos, muliones, pediſſequos, pueros ad ſalutem ferendam, vehicula quibus vehar.* EUCL. *Ut hic tenet penitus facta matronarum. Optarem præfici hunc moribus mulierum.* ME. *Nunc unde unde venias, videas plus curruũ in ædibus, quàm ruri quando veneris ad villam. Sed hoc eſt vel jucundum præ eo quod fit quando ſumptus repetũt: nam adſtat fullo, phrygio, aurifex, lanarius; caupones patagiarii, induſiarii, flammearii, violarii, carinarii, aut manulearii, aut murrobathrarii,*

ANNOTATIONES.

28. *Salutigeruli.*] Dicebantur *pueri* qui mittebantur ad ſalutandum & ad rogandum, *valeretne* amicus, unde fortaſſe vernaculo noſtro. *valet.*

30. *Moribus præfectum mulierum.*] Erant apud Græcos conſtituti viginti, qui mulierum ornatui præeſſent, *γυναικοκόσμοι* dicti. Cicero. *Nec verò mulieribus Præfectus præponatur, qui apud Græcos creari ſolet: ſed ſit Cenſor qui viros doceat moderari uxoribus.*

34. *Phrygio.*] *un Brodeur.* Virgilius. *Picturatas auri ſub tegmine veſtes.*

35. *Caupones.*] Non de iis tantùm qui vinum emptum revendunt; ſed etiam de aliis quibuſvis qui empta à ſe denuò vendunt. Igitur ſunt *Caupones patagiarii, Caupones induſiarii* & *flammearii*, &c.

Patagiarii,] qui vendebant *patagia*, id eſt *clavos aureos* illuſtrandis veſtibus mulierum, & fortè conſerendis & committendis fibularum loco, ut jam lautiores nodos habent argenteos, deauratos, *Boutons d'orfévrerie.*

Ibib. *Induſiarii.*] Nonius. *Induſium veſtimentum eſt quòd corpori intra plurimas veſtes adhæret.*

36. *Flammearii.*] Flammeum lutei coloris peplum, *Une écharpe, une cappe.* Feſtus. *Flammeum eſt luteum tegmen quo matronæ velabantur.*

Violarii.] *qui violaceo colore veſtes inficiunt.*

Carinarii.] *qui cerino colore inficiunt pannos.* Nam ce[illegible]ricè *κηρὸς* dicitur, quæ aliàs *κηρὸς*, *couleur de cire.*

37. *Manulearii.*] *qui veſtes manicatas vendunt:* unde *manuleata veſtis* toga eſt manicata.

Murobathrarii.] *Unguentarii*, ſeu *qui veſtes ſuavibus odoribus imbuunt.*

Propolæ, linteones, calceolarii,
Sedentarii ſutores, diabathrarii,
Solearii aſtant, aſtant molochinarii,
Petunt fullones, ſarcinatores petunt,
Strophiarii aſtant, aſtant ſemizonarii.
Jam hoſce abſolutos cenſeas: cedunt, petunt.
Treceni cùm ſtant phylaciſtæ in atriis,
Textores, limbolarii, arcularii ducuntur: datur
Æs. jam hoſce abſolutos cenſeas,
Cùm incedunt infectores crocotarii,
Aut aliqua mala crux ſemper eſt quæ aliquid petat.
EV. Compellarem ego illum, ni metuam ne deſinat
Memorare mores mulierum: nunc ſic ſinam.
ME. Ubi nugigerulis res ſoluta eſt omnibus,
Ibi ad poſtremum cedit miles, æs petit.
Itur, putatur ratio cum argentario.

INTERPRETATIO.

propola. linteones. calceolarii, ſedentarii ſutores, diabathrarii, ſolearii aſtant, molochinarii aſtant. fullones petunt, ſarcinatores petunt. ſtrophiarii aſtant, ſemizonarii aſtant. Jam putes iſtos dimiſſos: quum alii *accedunt, petunt. Quum trecenti phylaciſtæ ſtant in atriis, textores, limbolarii, arcularii inducuntur. Datur argentum. Jamque putes hoſce dimiſſos, quando accedunt infectores crocotarii, aut eſt ſemper aliqua alia mala crux quæ flagitet aliquid.* EUCL. *Ego illum compellarem, ni metuam ne deſinat commemorare mores mulierum. Nunc ſic ſinam* verba facere. ME. *Quando res eſt ſoluta cunctis nugarum architectis, ad poſtremum miles accedit. Petit argentum: ſtatur, putantur rationes cum trapeſita:*

ANNOTATIONES.

38. *Propola.*]Eſt à *pro* præpoſitione Latinâ, & πωλέω *vendo*, non à πρὸ præpoſitione Græcâ. Alioquin *pro* in *propola* eſſet breve, quod tamen eſt longum, Sic Lucilius.

Sicuti quum ficus primus propola recentes
Attulit, & pretio ingenti dat primitu' paucos.

39. *Diabathrarii.*] *calcei Græci genus diabathrum.*

40. *Molochinarii.*] *qui colorem miſcet ad purpuram inclinantem*, qualis eſt ille malvarum, quæ μολόχαι dicuntur, *cramoiſi.*

42. *Strophiarii.*] *Strophium* eſt *faſcia pectoralis mulierum.* Nonius, *Faſcia brevis, quæ virginalem papillarum tumorem cohibet.* Catull.

Non tereti ſtrophio lactentes vincta papillas.

44. *Phylaciſtæ.*]cuſtodes mancipiorum in ergaſtulis.

45. *Limbolarii.*] qui *limbo* veſtium oras prætexunt & muniunt: *limbus* ille olim purpureus.

47. *Crocotarii.*] qui veſtes *croceas* faciunt.

52. *Miles.*] Tribules ſinguli nonnihil Romæ penſitabant annuatim in ſumptus publicos, & à Tribubus dicebatur *tributum*, Varro. *Tributum dictum à Tribubus, quòd ea pecunia quæ à populo imperata erat, tributim à ſingulis pro proportione cenſus exigebatur. Ab hoc ea quæ adſignata erat, Adtributum dictum. Ab eo quoque quibus attributa erat pecunia, ut militi reddant, Tribuni ærarii dicti. Id quod attributum erat, æs militare: hoc eſt, quod ait Plautus, Cedit miles, æs petit.*

Impranſus miles aſtat, æs cenſet dari.
Ubi diſputata eſt ratio cum argentario,
Etiam plus ipſus ultrò debet argentario.
Spes prorogatur militi in alium diem.
Hæc ſunt aliæ multæ in magnis dotibus
Incommoditates, ſumptúſque intolerabiles.
,, Nam QUÆ INDOTATA eſt, ea in poteſtate eſt viri.
,, Dotatæ mactant & malo & damno viros.
Sed eccum affinem ante ædes: quid ais, Euclio?

INTERPRETATIO.

miles aſtat impranſus, ſperat ſibi dandum æs. Quando rationes diſputata ſunt cum argentario, ipſe maritus *etiam debet ultrò plus argentario: procraſtinatur ſpes militi in alium diem. Hæc ſunt incommoda atque multa alia in magnis dotibus, & ſumptus intolerabiles. Nam* uxor *quæ indotata eſt, eſt in poteſtate viri: dotatæ* uxores *mactant viros & malo & damno. Sed ecce affinem Euclionem ante ædes. Quid ais, Euclio?*

ACTUS TERTIUS. SCENA SEXTA.

ARGUMENTUM.

MEGADORO de iis qui uxores luculentiùs dotatas ducunt, diſertè ad mentem prolixéque diſſerenti gratulatur Euclio. Sed ex reſponſionibus Megadori ſuſpicioſus ſenex auguratur eundem Megadorum aliquid ſubodorari de ollâ & auro. Hinc anxius jactatur animus.

EUCLIO, MEGADORUS.

EUCLIO.

NIMIUM libenter edi ſermonem tuum.
ME. Ain'? audiviſti? *EU.* uſque à principio omnia.
ME. tamen,
E meo quidem animo, aliquanto facias rectiùs,
Si nitidior ſis filiæ nuptiis.
,, *EU.* PRO RE nitorem, & gloriam pro copiâ.
,, Qui habent, meminerint ſeſe unde oriundi ſient.

INTERPRETATIO.

EUCL. *Devoravi auribus tuam orationem nimium libenter.* ME. *Dicisne? Audiviſti?* EUCL. *Univerſa uſque ab initio.* ME. *Attamen è meâ quidem ſententiâ facias melius, ſi ſis aliquanto lautior in nuptiis filiæ.* EUCL. *Qui habent nitorem pro re familiari, & gloriam pro copiâ, recordentur unde ſint oriundi.*

ANNOTATIO.

5. *Pro re nitorem.*] quaſi dicat Euclio Megadoro: Suades mihi ut lautior ſim in nuptiis filiæ: vis videlicet de me dici, quòd *nitorem* quæram, & *non opes, & faſtum pro opibus*. Tibull.

Nam mihi quum magnis opibus domus
alta niteret.

Horatius.

Res ubi magna nitet domino ſene.

Neque pol, Megadore, mihi, neque cuiquam pauperí,
Opinione melius res ſtructa eſt domi.
ME. Imò eſt, & dî faciant uti ſiet,
Plus pluſque iſtuc ſoſpitent quod nunc habes.
EV. Illud mihi verbum non placet; Quod nunc habes.
Tam hoc ſcit me habere, quàm egomet. anus fecit palàm.
ME. Quid tu te ſolus è ſenatu ſevocas?
EV. Pol ego te ut accuſem meritò meditabar. *ME.* quid eſt?
EV. Quid ſit, me rogitas? qui mihi omnis angulos
Furum implevisti in ædibus miſero mihi.
Qui mihi intromiſiſti in ædibus quingentos coquos,
Cum ſenis manibus, genere Geryonaceo:
Quos ſi Argus ſervet, qui oculeus totus fuit,
Quem quondam Ióni Juno cuſtodem addidit,
Is nunquam ſervet. præterea tibicinam,
Quæ mihi interbibere ſola, ſi vino ſcatet,
Corinthienſem fontem Pirenem poteſt.
Tum obſonium autem. *ME.* pol vel legioni ſat eſt.
Etiam agnum miſi. *EV.* quo quidem agno ſat ſcio
Magis curioſam nuſquam eſſe ullam belluam.

INTERPRETATIO.

Per ædem Pollucis, Megadore, res familiaris *non, eſt meliùs inſtructa apud me, aut apud quemquam egenum, quàm putant.* ME. *Imò eſt, & dii faciant ut ſit* dudum, *fortunent magis magiſque id quod habes nunc.* EUCL. *Illud dictum non mihi placet,* Quod habes nunc. *Hic ſcit me habere thesaurum, tanquam egomet: Staphyla indicavit?* ME. *Quare te ſegregas tu ſolus de ſenatu?* EUCL. *Per ædem Pollucis ego meditabar meritò quemadmodum ego te accuſem.* ME. *Quid eſt?* EUCL. *Me rogas quid ſit? qui mihi infelici implevisti omnes angulos furibus; qui apud me induxiſti quingentos coquos in ædescum ſenis manibus, genere Geryonis, quos ſi Argus quem Juno addidit quondam cuſtodem Ioni ſervet, qui fuit totus oculeus, nunquam ſervet. Præterea tibicinam, quæ ſola poteſt ſiccare fontem Pirenem Corinthienſem, ſi ſcatet vino. Tum autem obſonium.* ME. *Per Pollucem hoc obſonium vel ſatis eſt legioni. Miſi quoque agnum.* EUCL. *Quo quidem agno ſat ſcio eſſe nuſquam ullam belluam magis curioſam.*

ANNOTATIONES.

8. *Res ſtructa.*] Horat.

——— *& ſtructis in altum,*
Divitiis potietur hæres.

11. *Non placet.*] Graphica deſcriptio ſenis ſuſpiciones ex voculâ captantis: putat enim Euclio proditum eſſe ſecretum ſuum de ollâ & auro.

13. *De ſenatu.*] id eſt *de cœtu.*

18. *Geryonaceo.*] à Geryone Rege Hiſpaniæ fabuloſo, cui corpus triplex, ſena brachia.

19. *Argus oculeus.*] In eo tot erant oculi, ut videretur eſſe unus oculus. Unde Græcis πανόπτης dictus. Non abſimili phraſi Ovidius dicit Famam *totam eſſe ex ære ſonanti*, vel *ex ore ſonanti.*

20. *Ioni.*] Io Inachi filia, commiſſa Argo cuſtodienda *oculeo* à Junone.

23. *Pyrene.*] Fons Acrocorinthi, de Phrygia tibicina bibaciſſima. *Hyperbole.*

26. *Curioſus agnus.*] in quo impinguando cura incredibilis collocata eſt.

ME. Volo ego ex te ſcire qui ſit agnus curio.
EV. Qui oſſa atque pellis totus eſt, ita curâ macet.
Quin exta inſpicere in Sole etiam vivo licet:
Ita is pellucet quaſi laterna Punica.
ME. Cædundum illum ego conduxi. *EV.* tum tu idem optimum eſt
Loces efferendum: nam jam, credo, mortuus eſt.
ME. Potare ego hodie, Euclio, tecum volo.
EV. Non potem ego quidem hercle. *ME.* at ego juſſero
Cadum unum vini veteris à me afferrier.
EV. Nolo hercle. nam mihi bibere decretum eſt aquam.
ME. Ego te hodie reddam madidum, ſed vino, probè,
Tibi cui decretum eſt bibere aquam. *EV.* ſcio quam rem agat:
Ut me deponat vino, eam affectat viam,
Poſt hoc quod habeo ut commutet coloniam.
Ego id cavebo; nam alicubi abſtrudam foris.
Ego faxo, & operam & vinum perdiderit ſimul.
ME. Ego, niſi quid me vis, eo lavatum, ut ſacruficem.

INTERPRETATIO.

ME. *Ego volo ſcire ex te quis ſit agnus curio.* EUCL. *Qui eſt totus pellis & oſſa, ita aret* curâ, *quin etiam illi licet inſpicere exta in Sole. Is pellucet ſicut laterna Carthaginenſis.* ME. *Ego illum conduxi occidendum.* EUCL. *Tum eſt bonum. ut tu idem loces efferendum. Nam, credo, eſt jam mortuus.* ME. *Ego volo potare tecum hodie, Euclio.* EUCL. *Per Herculem ego quidem non potabo.* ME. *Sed ego mandavero afferri à me unum cadum vini veteris.* EUCL. *Nolo per Heculem: nam mihi decretum eſt bibere aquam.* ME. *Ego te reddam hodie ebrium egregiè, ſed vino, te qui ſtatuiſti bibere aquam.* EUCL. *Novi quid moliatur, init eam viam, nimirum ut me ſternat vino, ut poſteà theſaurus eat in aliam coloniam. Ego videbo ne id fiat; nam abſcondam alicubi foris. Ego faciam ut perdat & operam & vinum unà.* ME. *Ego eo lavatum ut ſacrificem, niſi me vis aliquid.*

ANNOTATIONES,

27. *Agnus curio.*] id eſt *curioſus*, id eſt *curâ* factus macilentus. Feſtus. *Curionem agnum Plautus pro macro dixit, quaſi curâ macruiſſet.*

29. *Exta.*] ſunt cor, jecur, pulmo, & nobiliora viſcera.

Exta inſpicere in Sole.] Cedrenus de Leone Imperatore narrat, quòd *ſive ante, ſive poſt, cùm ignis eſſet, per ventrem ejus ac dorſum pellucebat.*

30. *Laterna Punica*] Laternæ Punicæ erant, ut hinc conjicere eſt, imprimis pellucidæ.

35. *Vini veteris.*] Vetuſtas vinum ſemper commendavit, præſertim apud ſenes.

39. *Ut me deponat.*] id eſt, *ut me nimio vino ſternat.*

40. *Coloniam.*] Metaphora ducta à coloniis deducendis in eas regiones, quæ aut eſſent anteà incultæ, aut armis Romanorum occupatæ.

42. *Operam & vinum.*] Dicit Plautus, ut *oleum & operam.*

43. *Lavatum.*] Inſtitutum erat Veterum, ut ſi quid gravioris momenti ſuſciperent, qualis eſt collocatio filiæ, à ſacrificiis ordirentur, quò Deum haberent propitium, néque illoti ad aras & ſacrificia accederent.

EV. Edepol næ tu, Aula, multos inimicos habes,
Atque iſtuc aurum quod tibi concreditum eſt.
Nunc hoc mihi factum eſt optumum, ut te auferam
Aulam in Fidei phanum: ibi abſtrudam probè.
Fides, noviſti me, & ego te: cave ſis tibi,
Ne tu in me mutaſſis nomen, ſi hoc concreduo.
Ibo ad te, fretus tuâ, Fides, fiduciâ.

INTERPRETATIO.

EUCL. *Per ædem Pollucis, Olla, habes multos inimicos, & iſtud aurum quod tibi eſt concreditum. Nunc eſt mihi optimum factu, ut te deferam, ô Olla, in Templum Fidei: abſcondam rectè ibi. Fides, me noviſti, & ego te. Cave tibi, ſi vis, ne tu mutaveris nomen in me, ſi confido hoc. Proficiſcar ad te, Fides, fretus tuâ fiduciâ.*

ANNOTATIONES.

44. *Inimicos habes.*] Ollam, & aurum ollâ contentum alloquitur. Rogatus Diogenes *cur eſſet aurum pallidum*, reſpondit, *quia multos haberet inſidiatores.*

46. *Factum eſt optimum.*] ſumptum ex veteri formula Edictorum, *Et vous ferez bien.*

47. *In Fidei phanum.*] Ærarium Romanum erat in æde Saturni, prorſus quaſi adverſus hominum cupiditatem fuiſſet religione loci communiendum.

48. *Cave.*] Interminatur convitium Fidei, & monet de *Fide infidam* eſſe appellandam, ni creditum ſibi aurum cuſtodiat diligenter.

ACTUS QUARTUS.

ARGUMENTUM.

EUCLIO victus ſuſpicionibus & metu, effodit theſaurum ſuum, & infert in Fidei Fanum. Sed quando ibi condit aurum, detegitur à Strobilo Lyconidis ſervo. Itaque denuò ollam effodit, & transfert in Sylvani lucum. Strobilus explorat hominem per avios calles, clàm inſequutus, ubi reponat theſaurum anxius ſenex, & ſtatim atque inde diſceſſit Euclio, ejus effodit aufertque theſaurum. Quoniam verò avariſſimum hominem ſua ſollicitudo non patitur eſſe diu quin videat utrum ſarta tecta ſit olla, ſtatim reverſus jam ablatam invenit. Itaque in furias agitur infelix Euclio. Hoc Actu concluditur Epithaſis.

ACTUS QUARTUS. SCENA PRIMA.

ARGVMENTVM.

STROBILUS ſervus Lyconidis, imperio heri, obſervat de Ara quæ eſt ante Fidei Fanum ſub dio, quid agatur in nuptiis Phædriæ.

STROBILVS.

HOc eſt ſervi facinus frugi, facere quod ego perſequor.
Nec moræ moleſtiæque imperium herile habeat ſibi.
Nam qui hero ex ſententiâ ſervire ſervus poſtulat,
In herum matura, in ſe ſera condecet capeſſere.
Sin dormitet, ita dormitet, ſervum ſeſe ut cogitet.
Nam qui amanti hero ſervitutem ſervit, quaſi ego ſervio,
„ Si herum videt ſuperare amorem, HOC SERVI eſſe officium reor,
„ Retinere ad ſalutem: non eum, quò incumbat, eò impellere.
„ Quaſi pueri qui nare diſcunt, ſcirpea induitur ratis,
„ Qui laborent minùs, faciliùs ut nent, & moveant manûs:
Eodem modo ſervum ratem eſſe amanti hero æquum cenſeo,
Ut toleret, ne peſſum abeat, tanquam * *
Herile imperium ediſcat, ut quod frons velit, oculi ſciant.
Quod jubeat, citis quadrigis citiùs properet perſequi.

INTERPRETATIO.

STRO. *ID eſt officium boni ſervi, facere quod ego conor, ne mandatum heri impleatur cum morâ & moleſtiâ. Nam ſervus qui ſibi proponit ſervire hero ex animi ſententiâ, debet eſſe velox in rebus herilibus, tardus in ſuis: ſi dormitet, ita dormitet, ut cogitet ſe eſſe ſervum. Nam qui ſervit hero amanti, quemadmodum ego ſervio, ſi videt amore ſuperari herum, arbitror id eſſe ſervi officium retinere ad ſalutem, non eum impellere eò quò propendet. Quemadmodum ratis ſcirpea ſubjicitur pueris qui diſcunt natare, ut laborent minùs, ut natent faciliùs, & moveant manus; eodèm modo cenſeo eſſe æquum, ſervum eſſe ratem hero amanti, ut toleret ne corruat peſſum, condiſcat imperium heri, Ut oculi intelligant quid velit frons, acceleret implere velociùs velocibus quadrigis id quod præcipiat herus,*

ANNOTATIONES.

8. *Quo incumbat.*] Cicero. *Satis eſt homines imprudentiâ lapſos non erigere: urgere verò jacentes, aut præcipitantes impellere, certè eſt inhumanum.*

9. *Ratis ſcirpea.*] Subjiciebantur puero natare molienti, *faſciculus ſcirpeus*, ut jam cucurbitæ. Eſt inde id Horatii, *ſine cortice nare.*

12. *Tanquam.*] Sequitur lacuna quam Lambinus explendam putat, *tanquam catapirates maris*, vel *tanquam catapiratería*, Iſidoro καταπειρατὴς *linea cum maſſa plumbea quâ maris altitudo tentatur.*

14. *Citis quadrigis.*] Celeritatis ſingularis exemplum crebrò in quadrigis poſitum; quia in ludis publicis crebrò quadrigæ obverſabantur.

Qui ea curabit, abſtinebit cenſione bubulâ.
Nec ſuâ operâ rediget unquam in ſplendorem compedes.
Nunc herus meus amat filiam hujus Euclionis pauperis:
Eam hero nunc renunciatum eſt nuptum huic Megadoro dari.
Is ſpeculatum huc miſit me, ut quæ fierent, fieret particeps.
Nunc ſine omni ſuſpicione, in Ârâ hîc aſſidam ſacrâ.
Hinc ego & huc & illuc potero, quid agant, arbitrarier.

INTERPRETATIO.

qui curabit ea, non ſentiet ſcuticas bubulas, nec rediget in ſplendorem unquam compedes ſuâ operâ. Nunc meus herus amat filiam hujus Euclionis pauperis: accepi nunc eam dari nuptum huic Megadoro hero. Lyconides me miſit huc ſpeculatum, ut fieret certus eorum quæ fierent. Nunc aſſidebo hic in Arâ ſacrâ, procul ab omni ſuſpicione. Hinc ego potero ſpeculari huc & illuc quid agant.

ANNOTATIONES.

15. *Cenſione bubula.*] Pro *cenſura bubula*, aut ut melius *vindicta bubula*, quam nunc *nervum bubulum* vulgò dicimus, *un nerf de bœuf, une étriviere, une laiſſe de cuir de bœuf.*

20. *Ara.*] Erant *Aræ* in viis & compitis nonnullis, eæque in aperto nonnunquam.

ACTUS QUARTUS. SCENA SECUNDA.

ARGUMENTUM.

EUCLIO infert in Fanum Fidei ſuam ollam: obſervatur à Strobilo ſervo.

EUCLIO, STROBILUS.

EUCLIO.

TU modò cave cuiquam indicaſſis, aurum meum eſſe iſtic, Fides.
Non metuò ne quiſquam inveniat: ita probè in latebris ſitum eſt.
Edepol næ illic pulchram prædam agat, ſi quis illam invenerit
Aulam onuſtam auri! verùm id te quæſo ut prohibeſſis, Fides.
Nunc lavabo, ut rem divinam faciam, ne affinem morer,
Quin ubi arceſſat me, meam extemplò filiam ducat domum.

INTERPRETATIO.

EUCL. *TU modò, Fides, vide ne indicaveris meum aurum eſſe hic: non metuo ne quiſquam reperiat: adeò eſt benè ſepultum in latebris. Per ædem Pollucis ille auferat egregiam prædam, qui invenerit illam ollam plenam auri, verùm te rogo, Fides, ut caveas id. Nunc lavabo ut obeam rem divinam, ne retardem Megadorum affinem quominus ducat extemplò domum meam filiam, quando me accerſet.*

ANNOTATIO.

1. *Cave indicaſſis.*] Hinc Fidei, manu panno involutâ, ſacrificabatur; quia Fides tecta eſſe debet & velata.

Vide,

Vide, Fides, etiam atque etiam nunc, ſalvam ut aulam abs te auferam.
Tuæ fidei concredidi aurum: in tuo luco & fano modò eſt ſitum.
STR. Dî immortales, quod ego hunc hominem facinus audio loqui?
Se aulam onuſtam auri abſtruſiſſe hìc intus in fano. Fides,
Cave tu illi fidelis, quæſo, potiùs fueris, quàm mihi.
Atque hic pater eſt, ut ego opinor, hujus, herus meus quam amat.
Ibo hinc intrò, perſcrutabor fanum, ſi inveniam uſpiam
Aurum, dum hic eſt occupatus. ſed ſi repperero, ô Fides,
Mulſi congialem plenam faciam tibi fideliam.
Id adeò tibi faciam: verùm ego mihi bibam, ubi id fecero.

INTERPRETATIO.

Vide etiam atque etiam nunc, Fides, ut auferam abs te ollam ſalvam. Commiſi aurum tuæ fidei, ſepultum eſt nunc in tuo luco & fano. STR. *Dii immortales, quam rem audio ego loqui hunc hominem, condidiſſe ſe hic intus in fano ollam refertam auro! Fides, cave, quæſo, ne tu illi fueris fidelis potiùs quàm mihi. Et eſt hic pater, ut ego arbitror, illius* virginis *quam meus herus amat. Ibo hinc intrò: perluſtrabo Templum, ſi inveniam uſpiam aurum dum hic eſt occupatus. Sed ſi reperero, ô Fides, tibi fundam fideliam congialem plenam mulſi. Id adeò tibi faciam: ſed ubi fecero, id ego bibam mihi.*

ANNOTATIONES.

15. *Congialem.*] *Congius* erat ſextariorum ſex, *trois pintes:* ſextarids, *chopine:* unde, ſemiſextarius, *demiſetier.*
Faciam.] *Libabo, ſacrificabo.*

Fidelia.] Vas in quo colores diluebantur: unde, *duos parietes de eâdem fideliâ dealbare*, hoc loco eſt etiam quo bibatur largiùs.

ACTUS QUARTUS. SCENA TERTIA.

ARGVMENTVM.

INTERRADUM infert ollam ſuam in Fidei Templum Euclio, corvus crocitat ab læva: quod augurium movet graviorem in ejus animo metum.

EUCLIO.

NON temerè eſt, quòd corvos cantat mihi nunc ab lævâ manu.
Semel radebat pedibus terram, & voce crocibat ſuâ.
Continuò meum cor cœpit artem facere ludicram,
Atque in pectus emicare. ſed ego ceſſo currere.

INTERPRETATIO.

EUCL. *NOn eſt fruſtrà quòd Corvus mihi cantat nunc à lævâ: ſcalpebat ſemel terram pedibus, & crocitabat ſuâ voce. Statim meum cor cœpit ſubſilire in pectore. Sed ego cunctor currere.*

ANNOTATIONES.

1. *Corvus.*] Corvi, picæ, bubones, &c. aves mali ominis.

Ab læva.] A lævâ ſi comparerent aves, auſpicium credebatur ſiniſtrum & infauſtum. Virgil.

Sæpè ſiniſtra cavâ prædixit ab ilice cornix.

3. *Artem facere ludicram.*] *Mov:ri graviùs in pectore.* Quod accidit præ metu graviore.

ACTUS QUARTUS. SCENA QUARTA.

ARGUMENTUM.

STROBILUS irrepſerat in Templum Fidei intereadum defoderet Ollam ſuam Euclio, occultè quidem: ſed non potuit effugere oculos ſuſpicioſiſſimi ſenis circumſpectantis, per omnes angulos veſtigantis. Licet judicare in quos clamores eruperit; quot conviciis, minis, etiam verberibus, miſerum Strobilum inceſſerit.

EUCLIO, STROBILUS,

EUCLIO.

FORAS, foras, lumbrice, qui ſub terrâ erepſiſti modò,
Qui modò nuſquam comparebas: nunc, quum compâres, peris.
Ego edepol te, præſtigiator, miſeris jam accipiam modis.
ST. Quæ te mala crux agitat? quid tibi mecum eſt commercii, ſenex?
Quid me afflictas? quid me raptas? quâ me cauſſâ verberas?

INTERPRETATIO.

EUCL. *FOras, foras, lumbrice, qui irrepſiſti mox ſub terrâ, qui nuſquam apparebas mox: nunc, quando appares, periiſti: Per ædem Pollucis, ô præſtigiator, ego te excipiam jam modis miſeris,* ST. *Quæ mala crux te agitat? Quid negotii eſt tibi mecum, ô ſenex? Quid me afflictas? Quid me trahis? Quare me pulſas?*

ANNOTATIO.

1. *Lumbrice.*] *Lumbricus*, vermiculus eſt qui quidem profert ſeſe ab imo, Strobilus, tum cùm non compareret antea, ſicut *lumbricus* è terra, ſeſe aperit, & ab Euclione cernitur. *Lumbricus* etiam dicitur novus homo emerſus ad honores.

EV. Verberabiliſſime, etiam rogitas? non fur, ſed trifur.

ST. Quid tibi ſurripui? *EV.* redde huc ſis. *ST.* quid tibi vis reddam? *EV.* rogitas?

ST. Nihil equidem tibi abſtuli. *EV.* at illud quod tibi abſtuleras cedò.

ST. Hem, quid agis? *EV.* quid agam? auferre non potes. *ST.* quid vis tibi?

EV. Pone. *ST.* equidem, pol, te datare credo conſuetum, ſenex.

EV. Pone hoc ſis: aufer cavillam: non ego nunc nugas ago.

ST. Quid ego ponam? quin tu eloquere, quicquid eſt, ſuo nomine.

Non hercle equidem quicquam ſumpſi, nec tetigi. *EV.* oſtende huc manus.

ST. Hem tibi! *EV.* oſtende. *ST.* eccas. *EV.* video. age oſtende etiam tertiam.

ST. Larvæ hunc atque intemperiæ inſaniæque agitant ſenem. Faciſne injuriam mihi, an non? *EV.* fateor, quia non pendes, maximam.

Atque id quoque jam fiet, niſi fatêre. *ST.* quid fatear tibi?

INTERPRETATIO.

EUCL. Rogas etiam, verberibus digniſſime, non fur, ſed trifur? ST. *Quid tibi ſuffuratus ſum?* EUCL. *Redde hoc, ſi vis.* ST. *Quid vis tibi reddam?* EUCL. *Rogas?* ST. *Profectè ego nihil abſtuli à te.* EUCL. *At cede illud quod pro te abſtuleras.* ST. *Hem! quid agis?* EUCL. *Quid ago? Non potes auferre.* ST. *Quid vis tibi?* EUCL. *Depone.* ST. *Per Pollucem credo te conſuetum datare, ſenex.* EUC. *Depone hoc, ſi vis: aufer cavillationes: non ego nugor nunc.* ST. *Quid ponam ego? Quin eloquere tu quidquid eſt ſuo nomine. Per Herculem equidem non quidquam ſumpſi, nec tetigi.* EUCL. *Oſtende mihi manus.* ST. *Hem tibi* unam. EUCL. *Oſtende* alteram. ST. *Ecce* ambas. EUC. *Video: age oſtende adhuc tertiam.* ST. *Larvæ atque intemperiæ & inſaniæ vexant hunc ſenem. Mihine facis injuriam, an non?* EUCL. *Fateor me tibi facere magnam injuriam, quia non pendes: atque id fiet jam quoque, niſi fateare.* ST. *Quid tibi fatear?*

ANNOTATIONES.

6. *Verberabiliſſime.*] A *verberabilis* poſitivo *verberabiliſſimus* per analogiam fit; ſed licentiâ comicâ. Interdum in vernaculo noſtro hujuſcemodi facimus ſuperlativa; ſed non ſcribimus. Sic dicimus *belliſſime, grandiſſime*, &c.

10. *Datare.*] Vox obſcœna.

11. *Cavillam.*] *Cavillari* eſt, jocis certare: tricis forenſibus *cavillari* eſt Leguleiorum, *cavere* Juriſconſultorum.

11. *Nugas.*] & *næniæ* idem; in Aſinariâ Plautus: *hæ ſunt non nugæ, non enim mortalia: Nænia* autem carmina ſunt incondita, à præficis olim in exequiis cantari ſolita. In aliis Authoribus *nugæ* interdum opponuntur ſeriis, ut levia ſolidis.

14. *Oſtende etiam tertiam.*] Ridiculum quo Euclio id quod edixerat anteà, confirmat, ſervos, & imprimis Strobilum, eſſe de genere Geryonaceo ſenis manibus. Hic tertiam rogat, viſis duabus.

15. *Larvæ.*] A Laribus dicebantur mortuorum genii mali, qui hoc à *Laribus* differunt, quòd hi certis ſedibus addicti ſalutares ſint, illi ſedibus incertis vagentur. Dicuntur & *Lemures*, quibus infeſtæ ſunt nonnunquam & ædes & viæ.

EV. Quid abſtuliſti hinc? *ST.* dî me perdant, ſi ego tui quicquam abſtuli.
EV. Nive adeò abſtuliſſe vellem? agedum, excutedum pallium.
ST. Tuo arbitratu. *EV.* ne inter tunicas habeas. *ST.* tenta quà lubet.
EV. Vah, ſceleſtus quàm benignè! ut ne abſtuliſſe intellegam.
Novi ſycophantias. age rurſum, oſtende huc manum
Dexteram. *ST.* hem! *EV.* nunc lævam oſtende. *ST.* quin equidem ambas profero.
EV. Jam ſcrutari mitto. redde huc. *ST.* quid reddam? *EV.* ah! nugas agis.
Certè habes. *ST.* habeo ego? quid habeo? *EV.* non dico: audire expetis.
Id meum quicquid habes, redde. *ST.* inſanis: perſcrutatus es
Tuo arbitratu, neque tui me quicquam inveniſti penes.
EV. Mane, mane: quis illic eſt, qui hîc intus alter erat tecum ſimul?
Perii hercle! ille nunc intus turbat. hunc ſi amitto, hic abierit.
Poſtremò jam hunc perſcrutavi. hic nihil habet. abi quò lubet.
Juppiter te dîque perdant! *ST.* haud malè agit gratias.
EV. Ibo hinc intrò, atque illi ſocienno tuo jam interſtringam gulam.
Fugin' hinc ab oculis? abin' hinc, an non? *ST.* abeo. *EV.* caveſis ne videam.

INTERPRETATIO.

EUCL. *Quid abſtuliſti hinc?* ST. *Dii me perdant, ſi ego abſtuli quidquam quod ad te pertineat.* ST. *Aut ſi vellem abſtuliſſe: agedum excutias pallium.* ST. *Tuo arbitratu.* EUCL. *Ne habeas intra tunicas.* ST. *Tenta quà voles.* EUCL. *Vah! ſceleſte, quàm ultrò! novi ſycophantias, ut non animadvertam te abſtuliſſe: age rurſum, oſtende huc manum dextram.* ST. *Hem.* EUCL. *Nunc oſtende lævam.* ST. *Quin equidem profero ambas.* EUCL. *Mitte jam ſcrutari: redde huc.* ST. *Quid reddam?* EUCL. *Vah! nugaris: profectò habes.* ST. *Habeo ego! Quid habeo?* EUCL. *Non dico, optas audire: reſtitue id quidquid habes meum.* ST. *Deſipis, perſcrutatus es tuo arbitratu, neque inveniſti quidquam quod ſit tuum penes me.* EUCL. *Mane, mane: quis eſt ille alter qui hic erat tecum intus? Perii hercle! Ille turbat nunc intus: ſi dimitto hunc, hic abierit. Denique hunc excuſſi jam: hic nihil habet: abi quò places. Jupiter, omnéſque dii te perdant.* ST. *Haud agit malè gratias.* EUCL. *Ibo hinc intrò, ibo atque interſtringam jam gulam illi tuo ſocio. Fugiſne hinc ab oculis? Abiſne hinc, an non?* ST. *Abeo.* EUCL. *Cave ſi vis ne te videam.*

ANNOTATIONES.

18. *Dii me perdant.*] imprecationis formula.

22. *Sycophanta.*] A σῦκον & φαίνω *accuſo*. Lege cautum erat Athenis, ne quis *ficus* ex Urbe efferret, & pœna in inobſequentes poſita. Qui quempiam *ficus* extuliſſe, ſeu meritò, ſeu immeritò, deferebat, *ſycophanta* appellabatur: deinde de ſolis *calumniatoribus* dictum.

ACTUS QUARTUS. SCENA QUINTA.

ARGUMENTUM.

STATUIT in animo Strobilus obſervare Euclionem, & quoquò ferat ollam, inſequi, obſidere, effodere, auferre, idque tum ſpe prædæ, tum deſiderio ulciſcendi.

STROBILUS.

EMORTUUM ego me mavelim letho malo,
Quàm non ego illi dem hodie inſidias ſeni.
Nam hîc jam non audebit aurum abſtrudere.
Credo referet jam ſecum, & mutabit locum.
Attat: foris crepuit. ſenex eccum aurum effert foras.
Tantiſper hîc ego ad januam conceſſero.

INTERPRETATIO.

STRO. *EGo malim me emori malo facto, quàm ego non ſtruam hodie inſidias illi ſeni: namque hîc non audebit jam abſtrudere aurum. Credo referet jam ſecum, & mutabit locum. Sed foris crepuit. Ecce ſenex effert aurum foras. Ego conceſſero huc tantiſper ad oſtium.*

ANNOTATIONES.

1. *Letho malo.*] Hoc aliis verbis *malam crucem* appellavit. Porrò *bona mors* & honeſta bonis & honeſtis eſt in votis.

ACTUS QUARTUS. SCENA SEXTA.

ARGUMENTUM.

CONQUERITUR graviſſimè de Fide Euclio, quòd fuerit minimè fida. Gratias agit Corvo, qui admonuit inſidiarum ollæ ſtructarum. Statuit demum condere aurum ſuum in luco Sylvani avio & impervio. Strobilus onuſtum & auro & annis ſenem, per avia antecedit, & ſpeculatur ubi deponat ſuum onus.

EVCLIO, STROBILVS.

EVCLIO.

FIDEI cenſebam maximam multò fidem
Eſſe. ea ſublevit os mihi pæniſſimè.
Ni ſubveniſſet corvus, periiſſem miſer.
Nimis hercle ego, illum corvum ad me veniat, velim,
Qui indicium fecit; ut ego illi aliquid boni
Dicam. nam quod edit, tam duim, quàm perduim.
Nunc, hoc ubi abſtrudam, cogito ſolum locum.
Silvani lucus extra murum eſt avius,
Crebro ſalicto oppletus; ibi ſumam locum.
Certum eſt, Silvano potiùs credam, quàm Fidei.
STR. Euge, euge! dii me ſalvum & ſervatum volunt.
Jam ego illuc præcurram, atque inſcendam aliquam in arborem,
Indeque obſervabo, aurum ubi abſtrudat ſenex.
Quanquam hîc manere herus me ſeſe juſſerat,
Certum eſt, malam rem potiùs quæram cum lucro.

INTERPRETATIO.

EUCL. *Exiſtimabam eſſe habendam fidem multò maximam Fidei: ea me decepit penitus. Niſi Corvus ſuccurriſſet, interiiſſem infelix. Per Herculem ego velim nimis illum Corvum qui indicavit, ut veniat ad me, ut ego illi dicam aliquid boni. Nam perderem id quod illi darem ad manducandum. Nunc cogito hoc, ſolitarium locum in quo occultabo hoc aurum. Eſt extra murum lucus Sylvani, avius, oppletus crebro ſalicto: ſumam ibi locum. Certum eſt credere potius Sylvano, quàm Fidei.* STR. *Euge, euge, dii volunt me ſalvum & ſervatum. Jam ego pracedam illuc, & conſcendam in aliquam arborem, & inde ſpeculabor in quo abſtrudat aurum. Tametſi herus mandaverat me ſeſe expectare hîc. Conſtitui apud me quærere lucrum etiam cum periculo.*

ANNOTATIONES.

2. *Sublevit.*] Moris eſt in eos qui dormiunt, quidvis audere; idem in eos qui hebetiori ſunt ingenio. *Os ſublinere* idem ſignificat atque *illudere*: iis enim quibus os quovis colore *illinitur*, vulgò illuditur.

6. *Tam duim, quàm perduim.*] pro, *tam perduim, quàm duim.*

8. *Sylvani lucum.*] *Sylvanus* deus *ſylvarum* & lucorum.

ACTUS QUARTUS. SCENA SEPTIMA.

ARGVMENTVM.

LYCONIDES aperit Eunomiæ matri eſſe vitium à ſe illatum Phædriæ virgini, Euclionis filiæ: interim parturit & parit Phædria. Deducendi à propoſitis cum Phædriâ nuptiis, Megadori fratris provinciam in ſeſe recipit Eunomia.

LYCONIDES, EUNOMIA, PHÆDRIA.

LYCONIDES.

DIxi tibi mater : juxta rem mecum tenes,
Super Euclionis filiâ. nunc, te obſecro,
Fac mentionem cum avunculo, mater mea :
Reſecróque, mater, quod dudum obſecraveram.
EU. Scis tute, facta velle me, quæ tu velis,
Et iſtuc confido à fratre me impetraſſere.
Et cauſſa juſta eſt, ſiquidem ita eſt ut prædicas,
Te eam compreſſiſſe vinolentum, virginem.
LY. Egóne ut te advorſum mentiar, mater mea.
PH. Perii, mea nutrix! obſecro te, uterum dolet.
JUNO LUCINA TUAM FIDEM! *LY.* hem! mater mea,
Tibi rem potiorem video. clamat, parturit.
EU. I hàc intrò mecum, gnate mi, ad fratrem meum,
* Ut iſtuc quod tu me oras, efficiam tibi, *
Ut iſtuc quod me oras, impetratum ab eo auferam.
LY. I, jam ſequor te, mater. ſed ſervum meum
Strobilum miror ubi ſit, quem ego me juſſeram
Hîc opperiri. nunc ego mecum cogito,
Si mihi dat operam, me illi iraſci injurium eſt,
Ibo intrò, ubi de capite meo ſunt comitia.

INTERPRETATIO.

LY. *Tibi dixi, mater, ſcis rem perinde atque ego de filiâ Euclionis: nunc te obteſtor, confer cum meo avunculo, mea mater: obſecratione ſolvo, ô mater, quod pridem obſecraveram.* EUN *Noſti tu me velle fieri quæ tu optes, & confido me impetraturum iſtud à fratre. Et ratio eſt æqua, ſiquidem eſt ſicut prædicas, te ebrium cognoviſſe eam virginem.* LY. *Egone ut mentiar adverſum te, ô mea mater!* PH. *Perii, ô mea nutrix! te obteſtor. Uterus dolet, Juno Lucina, tuam fidem.* LY. *Hem! mea mater, video rem tibi faciliorem, clamat, parturit.* EUN. *Introi hàc mecum, gnate mi, ad meum fratrem, ut tibi præſtem iſtud quod tu à me poſtulas, ut conſequar ab eo illud quod me rogas.* LY. *I, jam te ſequor, mater: ſed miror ubi ſit ſervus meus Strobilus, quem ego juſſeram me expectare hic. Nunc ego ſtatuo mecum, ſi mihi dat operam, eſt injurium me illi iraſci. Introibo, ineuntur conſilia de meâ vitâ,*

ANNOTATIONES.

3. *Fac mentionem.*] id eſt, *poſtula Phædriam mihi in matrimonium.* Vide Not. in Act. 1. 2.

4. *Reſecroque.*] Obſecraverat jamdudum Lyconides matrem, ne quid diceret de vitio Phædriæ illato : nunc, quoniam eſt tempus aperiendæ rei, ſolvit : permittit Eunomiæ ut dicat. Obſecrabant, interpoſito nomine alicujus dei : idcircò nefas erat violare obſecrationem. Id in Aſinariâ videre licet, in quâ Libanus herum fuerat obteſtatus per deum Fidei. Reſecrabant quando religione obſecrationis liberabant.

7. *Juno Lucina.*] Donatus. *Juno Lucina. Junonis filia, Græcis εἰλείθυια dicitur. Juno à juvando* dicta : *Lucina,* quòd ejus operâ veniant in lucem partus.

10. *Comitia.*] In rebus publicis tractandis habebantur *comitia:* inde tractum id quod dicit Lyconides,

ACTUS QUARTUS. SCENA OCTAVA.

ARGUMENTUM.

STROBILUS gratulatur ſibi quòd invenerit theſaurum Euclionis, & eo potiatur.

STROBILUS.

PICI divitiis, qui aureos montes colunt,
Ego ſolus ſupero. nam iſtos reges cæteros
Memorare nolo, hominum mendicabula.
Ego ſum ille rex Philippus. ô lepidum diem!
Nam ut dudum hinc abii, multò illuc adveni prior,
Multoque priùs me collocavi in arborem:
Indeque exſpectabam ubi aurum abſtrudebat ſenex.
Ubi ille abiit, ego me deorſum duco de arbore,
Effodio aulam auri plenam. inde ex eo loco
Video recipere ſe ſenem. ille me non videt.
Nam ego modò declinavi paulùm me extra viam.
Attat: eccum ipſum. ibo, ut hoc condam, domum.

INTERPRETATIO.

STR. *EGo ſupero ſolus divitiis Picos, qui tenent montes aureos: nam nolo commemorare iſtos alios Reges, mendicabula hominum* præ me. *Ego ſum ille Rex Philippus: ô diem jucundum! Nam quando modò exceſſi hinc, adveni multò prior illo, méque collocavi in arborem, indéque ſpeculabar ubi ſenex conderet aurum. Ubi ille abiit, ego deſcendo* ſenſim *de arbore: effodio ollam plenam auri. Inde video ſenem recedere ex eo loco, ille me non videt. Nam ego me averti modò pauliſper à via. Atat: ecce illum: ibo domum, ut abſcondam hoc aurum,*

ANNOTATIONES.

1. *Pici.*] Nonius. *Picos Veteres eſſe voluerunt, quos Græci γρύπας appellant.* Vocat Herodotus χρυσοφύλακας, dicitque eſſe magno numero apud Amiraſpos in Scythia.

Aureos montes.] Mela. *In Scythia Europæa Ripheis montibus affini egeſto terra auro incubant Gryphes.*

ACTUS QUARTUS. SCENA NONA.

ARGUMENTUM.

EFFERATUS magnitudine jacturæ Euclio, lamentatur, ejulat. Ejus clamoribus excitatus Lyconides, adeſt, & arbitratur non de ollâ, ſed de filiâ lamentari ſenem.

EUCLIO;

EUCLIO, LYCONIDES.

EUCLIO.

PERII, interii, óccidi! quò curram? quò non curram?
Tene, tene! quem? quis? neſcio, nihil video, cæcus eo, atque
Equidem quò eam, aut ubi ſim, aut qui ſim, nequeo cum animo
Certum inveſtigare. obſecro vos ego, mihi auxilio
Oro, obteſtor, ſitis; & hominem demonſtretis, qui eam abſtulerit.
Qui veſtitu & cretâ occultant ſeſe, atque ſedent quaſi ſint frugi.
Quid ais tu? tibi credere certum eſt. nam eſſe bonum è vultu cognoſco.
Quid eſt? quid ridetis? novi omnes. ſcio fures eſſe hîc complures.
Hem! nemo habet horum. occidiſti. dic igitur, quis habet? neſcis.
Heu me miſerum! miſerum! perii malè perditus: peſſimè ornatus eo.
Tantùm gemiti & malæ mœſtitiæ hic dies mihi obtulit,
Famem & pauperiem: perditiſſimus ego ſum omnium in terrâ.
Nam quid mihi opus eſt vitâ, qui tantùm auri perdidi?
Quod cuſtodivi ſedulò. egomet me defraudavi,
Animúmque meum, geniúmque meum. nunc eo alii lætificantur,
Meo malo & damno: pati nequeo.

INTERPRETATIO.

EUCL. *Perii, interii, occidi! quò vadam? quò non vadam? Tene, tene! quem? quis? neſcio, nihil video, eo cæcus, atque equidem non poſſum invenire cogitatione quò eam, aut ubi ſim, aut qui ſim. Ego vos obteſtor, ſitis mihi auxilio, oro, rogo ut demonſtretis hominem qui eam abſtulerit. Qui ſeſe condunt veſte atque fuco, atque ſedent quaſi ſint boni. Quid ais tu? Statui apud me tibi credere? Nam vultu cognoſco eſſe bonum. Quid eſt? quid ridetis? Novi omnes. Scio eſſe hic complures fures. Hem! nemo horum habet! occidiſti! Dic igitur quis habet? Neſcis? heu me miſerum! infelicem! interii male perditus! Eo ſordidatus, tantùm hic dies attulit gemitus & malæ mœſtitiæ, famis & egeſtatis: ego ſum perditiſſimus omnium mortalium. Nam quid mihi opus eſt vitâ, qui amiſi tantùm pecuniæ. Quod ſervavi diligenter. egomet me defraudavi, & meum animum & meum genium: nunc alii eo lætificantur meo malo & damno: nequeo pati.*

ANNOTATIONES.

2. *Tene, tene.*] Vox inſequentium facinoroſos, ut nos vernaculè *arreſte, arreſte.*

6. *Creta.*] Uſus albarum veſtium & cretatarum multus erat Romæ in Exequiis, in Candidatu Magiſtratuum, & aliis: & hoc indicio Candidati morum innocentiam profitebantur.

16. *Pati nequeo.*] Alii *patiri*, ut alibi *gradiri, moriri.*

LY. Quinam homo hîc ante ædis noſtras ejulans conqueritur mœrens?
Atque hic quidem Euclio eſt, eſt, opinor. oppidò ego interii. palàm eſt res.
Scit peperiſſe jam, ut ego opinor, filiam ſuam. nunc mihi incertum eſt,
Quid agam? abeam an maneam? an adeam, an fugiam? quid agam edepol neſcio!

INTERPRETATIO.

LY. *Quinam hic homo mœſtus conqueritur ante noſtrum oſtium? Atque hic quidem Euclio eſt, opinor: atque ego planè perii: res patefacta eſt. Scit jam ſuam filiam peperiſſe, ut ego arbitror. Nunc incertum eſt quid faciam? Abeam an maneam? an adeam? an fugiam? Per ædem Pollucis neſcio quid agam.*

ACTUS QUARTUS. SCENA DECIMA.

ARGVMENTVM.

LYCONIDES ratus Euelionem lamentari propter filiam, cui vitium attulerat, ſuarum divitiarum confidentiâ, aggreditur ſolari ejus dolorem. Quare ſtatuit aperire Euelioni quomodo vitium filiæ attulerit, & eam ab eo petere in matrimonium. Sed quidquid dicit de Phædriâ Lyconides, de ollâ dici putat Euclio: & viciſſim quidquid de ollâ Euclio, de filiâ arbitratur conqueri Lyeonides. Demum ſeſe invicem capiunt, & Euclio filiam Lyconidi deſpondet.

EVCLIO, LYCONIDES.

EVCLIO.

QUIS homo hîc loquitur? *LY.* ego ſum. *EV.* imò ego ſum miſer, & miſerè perditus,
Cui tanta mala, mœſtitudóque obrigit. *LY.* animo bono es.
EV. Quo, obſecro, pacto eſſe poſſum? *LY.* quia iſtuc facinus quod tuum
Sollicitat animum, id ego feci, & fateor. *EV.* quid ego ex te audio?

INTERPRETATIO.

EUCL. *Quis homo loquitur hic?* LY. *Ego ſum.* EUCL. *Imò ego ſum miſer & miſerè perditus, cui tot calamitates & mœrores evenerunt.* LY. *Eſto æquo animo.* EUCL. *Quomodo, quæſo, eſſe poſſum?* LY. *Quoniam ego feci illud facinus quod angit tuum animum, & ego fateor.* EUCL. *Quid ego audio ex te?*

ANNOTATIO.

1. *Animo bono es.*] Hinc ars Poëtæ elucet; nam Euclio de ollâ loquitur, & Lyconides de Phædriâ; idque per multos verſus. Fruſtratio eſt & error jucundiſſimus.

LY. Id quod verum eſt. *EV.* quid ego emerui, adoleſcens, mali,
Quamobrem ita faceres, meque meóſque perditum ires liberos?
LY. Deus impulſor mihi fuit, is me ad illam illexit. *EV.* quomodo?
LY. Fateor peccaviſſe, & me culpam commeritum ſcio.
Id adeò te oratum advenio, ut animo æquo ignoſcas mihi.
EV. Cur id auſus facere, ut id quod non tuum eſſet, tangeres?
» *LY.* Quid vis fieri? factum eſt illud: FIERI infectum non poteſt.
Deos credo voluiſſe: nam ni vellent, non fieret ſcio.
EV. At ego deos credo voluiſſe, ut apud te me in nervo enicem.
LY Ne iſtuc dixis. *EV.* quid tibi ergo meam me invito tactio eſt!
LY. Quia vini vitio atque amoris feci. *EV.* homo audaciſſime!
Cum iſtacne te oratione huc ad me adire auſum, impudens?
Nam ſi iſtuc jus eſt, ut tu iſtuc excuſare poſſies,
Luce claro deripiamus aurum matronis palàm;
Poſt id, ſi prehenſi ſumus, excuſemus ebrios
Nos feciſſe amoris cauſsâ: nimis vile 'ſt vinum atque amor,
Si ebrio atque amanti impunè facere, quod lubeat, licet.
LY. Quin tibi ultrò ſupplicatum venio ob ſtultitiam meam.

INTERPRETATIO.

LY. *Id quod eſt verum.* EUCL. *Quid ego commerui mali, ò juvenis quamobrem ita mecum ageres, & perderes & me & meos liberos?* LY. *Deus me impulit huc, is me pellexit ad illam.* EUCL. *Quomodo?* LY. *Confiteor me peccaviſſe, & ſcio me commeruiſſe culpam: id adeo advenio te rogatum, ut mihi condones æquo animo.* EUCL. *Quare auſus es tangere id quod non erat tuum?* LY. *Quid vis fieri? Illud eſt factum, nequit eſſe non factum. Exiſtimo deos voluiſſe: nam ſcio niſi vellent, non fieret.* EUCL. *Sed ego exiſtimo deos voluiſſe, ut te enecem apud me in vinculis.* LY. *Ne dixeris id.* EUCL. *Igitur quare tetigiſti meam me invito.* LY. *Quia feci culpâ vini & amoris.* EUCL. *Homo audaciſſime, impudens, tène auſum ad me adire huc cum hac oratione. Nam ſi eſt iſtud æquum, ut tu poſſis excuſare ſic iſtud, diripiamus palàm luce clarâ aurum matronarum: poſteà ſi deprehenſi ſumus, excuſemus nos, quòd nos fuerimus ebrii propter amorem. Vinũ eſt nimis vile, & amor ſi licet ebrio atque amanti facere impunè quodlibet.* LY. *Quin accedo deprecatum* veniam *ob meam ſtultitiam.*

ANNOTATIONES.

7. *Deus impulſor.*] Ethnici utcumque ſuorum ſcelerum, & imprimis impudicitiæ, conſcientiam leniebant hoc errore quo exiſtimabant ad ea deos eſſe impulſores. De cupidine Plautus hic loquitur.

13. *Nervo.*] *Nervus* ſignificat ferrum quo includuntur pedes, manus, & ipſum collum.

14. *Tibi eſt tactio meam.*] id eſt *pecuniam*, pro *Tu tetigiſti meam pecuniam*. Phraſis Plauti propemodum unius.

18. *Luce claro.*] *Lux* ambigui generis.

20. *Nimis vile.*] id eſt, *Non poteſt ſatis emi vinum, ſi dat facinorum omnium impunitatem ebrio.*

EV. Non mihi homines placent, qui, quando malefecerunt, purgitant.
Tu illam ſcibas non tuam eſſe: non attactam oportuit.
LY. Ergo quia ſum tangere auſus, haud cauſſificor quin eam
Ego habeam potiſſimùm. *EV.* tun' habeas me invito meam?
LY. Haud te invito poſtulo. ſed meam eſſe oportere arbitror.
Quin tu eam invenies, inquam, meam illam eſſe oportere, Euclio.
EV. Niſi refers. *LY.* quid tibi ego referam? *EV.* quod ſurripuiſti meum.
Jam quidem hercle te ad Prætorem rapiam, & tibi ſcribam dicam.
LY. Surripio ego tuum? unde? aut quid id eſt? *EV.* ita me amabit Juppiter,
Ut tu neſcis? *LY.* niſi quidem tu mihi, quid quæras dixeris.
EV. Aulam auri, inquam, te repoſco, quam tu confeſſus mihi
Te abſtuliſſe. *LY.* neque edepol ego dixi, neque feci. *EV.* negas?
LY. Pernego imò. nam neque ego aurum, neque iſtæc aula quæ ſiet
Scio, nec novi. *EV.* illam, ex Sylvani luco quam abſtuleras, cedò.
I, refer, dimidiam tecum potiùs partem dividam.
Tametſi fur mihi es, moleſtus non ero, i verò, refer.
LY. Sanus tu non es, qui furem me voces. ego te, Euclio,
De aliâ re reſciviſſe cenſui. quod ad me attinet,

Interpretatio.

EUCL. *Homines non mihi probantur, qui, quando peccaverunt, ſeſe excuſant. Tu ſciebas illam non eſſe tuam, non oportebat attingere.* LY. *Igitur quia auſus ſum tangere, non recuſo quominùs eam habeam potiſſimum.* EUCL. *Tune habeas meam me invito?* LY. *Haud poſtulo te invito: ſed arbitror oportere eſſe meam. Quin tu invenies, Euclio, inquam, illam meam eſſe oportere.* EUCL. *Niſi refers.* LY. *Quid ego ad te referam?* EUCL. *Quod jam ſurripuiſti meum. Per Herculem quidem te rapiam ad Prætorem, & tibi ſcribam litem.* LY. *Ego ſurripui tuum? Unde? aut quid eſt id?* EUCL. *Ita me amabit Jupiter, ut tu neſcis?* LY. *Niſi profectò tu mihi dixeris quid quæras?* EUCL. *A te repoſco ollam auri, inquam, quam tu mihi confeſſus es te abſtuliſſe.* LY. *Neque ego dixi, neque feci.* EUCL. *Negas?* LY. *Pernego imò: nam neque ego ſcio, nec novi, neque aurum, neque quæ ſit iſta olla.* EUCL. *Cedò illam quam attuleras è luco Sylvani: I, refer, partiar potiùs tecum dimidiam partem. Quanquam mihi es fur, non ero moleſtus: i verò, refer.* LY. *Tu non es ſanus, qui me appelles furem. Ego putabam te reſciviſſe de aliâ re. Quod ad me ſpectat.*

Annotationes.

28. *Quin tu eam.*] *qui civem Romanam vitiarat, aut eam indotatam ducebat, aut dotabat.*

30. *Scribam dicam.*] καὶ σοὶ γράψω δίκην, *tibi litem intendam. je t'actionneray.*

41. *Dic bonâ fide.*] Formula quæ etiamnum viget apud nos, quâ rei veritatem ſacramento interpoſito exigimus.

Magna eſt res, quam ego tecum otioſè, ſi otium eſt, cupio loqui.
EV. Dic bonâ fide: tu id aurum non ſurripuiſti? *LY.* bonâ.
EV. Neque ſcis quis abſtulerit? *LY.* iſtuc quoque bonâ. *EV.* atque id ſi ſcies,
Qui abſtulerit, mihi indicabis? *LY.* faciam. *EV.* neque partem tibi
Ab eo, quiqui eſt, inde poſces: neque furem excipies? *LY.* ita.
EV. Quid ſi fallis? *LY.* tum me faciat quod volt magnus Juppiter!
EV. Sat habeo, age nunc loquere quid vis. *LY.* ſi me noviſti minùs,
Genere quî ſim gnatus: hic mihi eſt Megadorus avunculus:
Meus fuit pater Antimachus: ego vocor Lyconides:
Mater eſt Eunomia. *EV.* novi genus. nunc quid vis? id volo
Noſcere. *LY.* filiam ex te tu habes. *EV.* imò eccillam domi.
LY. Eam tu deſpondiſti, opinor, meo avunculo. *EV.* omnem rem tenes.
LY. Is me nunc renunciare repudium juſſit tibi.
EV. Repudium, rebus paratis, atque exornatis nuptiis?
Ut illum dî immortales omnes, deæque, quantum eſt, perduint,
Quem propter hodie auri tantùm perdidi, infelix, miſer.
LY Bono animo es, & benedice. nunc, quæ res tibi & gnatæ tuæ
Benè felicitérque vortat. ita dî faxint! inquito.
EV. Ita dî faciant. *LY.* & mihi ita dî faciant: audi nunc jam.
Qui homo culpam admiſit in ſe, nullus eſt tam parvi pretî,
Quin pudeat, quin purget ſeſe. nunc te obteſtor, Euclio,
Si quid ego erga te imprudens peccavi, aut gnatam tuam,

INTERPRETATIO.

Euclio, eſt magna res, quam ego opto operire tecum otioſè, ſi otium eſt. EUCL. *Dic bonâ fide: tu non ſurripuiſti id aurum?* LY. *Bonâ.* EUCL. *Neque ſcis quis abſtulerit?* LY. *Iſtud quoque bonâ.* EUCL. *Atque mihi indicabis qui abſtulerit, ſi id ſcies?* LY. *Indicabo.* EUCL *Neque poſces inde partem pro te ab eo, quiqui ſit, neque excipies furem?* LY. *Ita.* EUCL. *Quid ſi fallis fidem?* LY. *Tum magnus Jupiter faciat quod velet.* EUCL. *Sat habeo: age loquere nunc quid vis.* LY. *Si me non noviſti, neque quo genere ſum procreatus; hic Megadorus eſt meus avunculus, Antimachus fuit meus pater: ego vocor Lyconides, Eunomia eſt mater.* EUCL. *Novi genus: nunc quid vis? Volo id noſcere.* LY. *Tu habes ex te filiam.* EUCL. *Immò ancillam domi.* LY. *Tu eam deſpondiſti: arbitror, meo avunculo.* EUCL. *Tu ſcis omnem rem?* LY. *Is me juſſit tibi renuntiare repudium.* EUCL. *Repudium, rebus comparatis, atque nuptiis inſtructis? Ut omnes dii immortales, deæque, illum perdant, quantum eſt, propter quem perdidi hodie tantùm auri infelix, miſer.* LY. *Eſto bono animo, & benedic. Nunc res quæ tibi benè vertant & feliciter, dic, dii faciant ſic.* EUCL. *Dii faciant ita.* LY. *Et dii mihi faciant ita: audi nunc jam. Eſt nullus homo tam parvi pretii, qui admiſit culpam in ſeſe, quin pudeat, quin excuſet ſeſe. Nunc te obſecro, Euclio, ut mihi ignoſcas, ſi quid ego peccavi imprudens erga te aut tuam filiam,*

ANNOTATIO.

45. *Inde poſces,*] Alii *indipiſces,*

Ut mihi ignoſcas, eámque uxorem mihi des, ut leges jubent:
Ego me injuriam feciſſe filiæ fateor tuæ,
Cereris vigiliis per vinum, atque impulſu adoleſcentiæ.
EV. Hei mihi! quod facinus ex te ego audio? *LY.* cur ejulas?
Quem ego avum feci jam ut eſſes filiæ nuptiis:
Nam tua gnata peperit, decumo menſe pòſt: numerum cape.
Eâ re repudium remiſit avunculus cauſâ meâ,
I intrò, exquire ſit ne ita, ut ego prædico. *EV.* perii oppidò,
Ita mihi ad malum malæ res plurimæ ſe agglutinant.
Ibo intrò, ut quid hujus veri ſit, ſciam. *LY.* jam te ſequor.
Hæc propemodum jam eſſe in vado ſalutis res videtur.
Nunc ſervum eſſe ubi dicam meum Strobilum, non reperio:
Niſi etiam hîc operiar tamen pauliſper, poſteà intrò
Hunc ſubſequar. nunc interim ſpacium ei dabo exquirendi
Meum factum ex gnatæ pediſſequâ nutrice anu. ea rem novit.

INTERPRETATIO.

& eam mihi des uxorem, ut Leges præcipiunt. Ego confiteor me feciſſe injuriam tuæ filiæ vigiliis Cereris, per vinum, atque impulſu adoleſcentiæ. EUCL. *Hei mihi! quod facinus ego audio ex te?* LY. *Cur ejulas? Quem ego feci hodie ut eſſes jam avus in nuptiis filiæ; nam tua filia peperit decimo menſe pòſt: numerum cape: eâ re avunculus remiſit repudium meâ causâ. I, exquire utrum ſit ita uti ego prædico.* EUCL. *Occidi oppidò, ita plurima mala res me circumſtant. Introibo ut ſciam quid veri ſit hujus.* LY. *Jam te ſequor. Hæc res videtur eſſe fermè jam in vado ſalutis. Non reperio nunc ubi putem meum ſervum Strobilum eſſe: hic operior adhuc paululum, poſteà ſubſequar hunc intrò. Nunc interim ei dabo tempus inveſtigandi meum factum ex pediſſequâ filiæ nutrice anu. Ea novit rem.*

ANNOTATIONES.

70. *Exquire.*] Alii *exquare.*

72. *Hujus veri ſit.*] Alii, *quid hujus rei ſit.*

73. *In vado ſalutis.*] Donatus. *In vado, id eſt in ſecuritate: nam ut in profundo periculum, in vado ſecuritas.*

ACTUS QUINTUS.

ARGUMENTUM.

Hic Actus eſt imperfectus & mutilus eâ parte ſolutionis quam eſſe oportuit jucundiſſimam; fuitque ſine dubio, ſi finis initio cæteriſque partibus Operis reſpondebat, in quo diligentia Plauti nunquam deſiderata eſt in aliis Fabulis. Hujus Actus plures fuerunt Scenæ, ut patet, tum ex parte Scenæ quæ ſupereſt ex hoc Actu, tum vel maximè ex ultimis verſibus duarum ejuſdem Fabulæ Periocharum.

Nam in eâ parte Scenæ quæ ſupereſt, colloquuntur Lyconides & Strobilus, in eóque tota eſt, ut Strobilus reddat ollam Euclioni. Quæ reſtitutio non ſatis habet lætiorum affectuum ad ſolutionem Fabulæ. Itaque ad minimum fuit altera Scena, in qua Lyconidis imperio reſtitueretur Euclioni olla, lætitia recreati ſenis exprimeretur, & nuptiæ celebrarentur Lyconidis. Id augurari licet ex his Periochæ prioris verbis:

—— —— per dolum mox Euclio
Quum perdidiſſet, aulam inſperatò invenit,
Lætuſque natam collocat Lyconidi.

& his poſterioris verſibus:

Re omni inſpectâ, compreſſoris ſervulus
Id ſurpit. illic Euclioni rem refert.
Ab eo donatur auro, uxore, & filio.

Nam Periochæ hæ duæ ſunt antiquiſſimæ, & factæ in ipſam Aululariam nondum mutilam. Porrò duo Supplementa ſunt hujus Actus. Primum eſt incerti Autoris, antiqui tamen, quia ante ſeſqui ſeculum editum eſt à Simone Carpentario Profeſſore Regio; ſed hominis eſt in ſtilo Plautino Theatróque peregrini. Itaque hoc Supplementum, ut plurimùm, eſt Scenæ imperfectæ, non Actus. Alterum Supplementum eſt Antonii Codri Urcei Bononienſis, indignum & id Plauto. Sed quia & Scenam utcumque ſupplet & Actum, rejecto altero Supplemento in finem omnium Fabularum Plautinarum, quamvis meliùs Plautum imitetur, viſum eſt ſuccenturiare nothos illos verſus proli germanæ Plauti, non ad levandum, ſed ad augendum deſiderium. Qui verſus, quamvis per ſeſe ſatis clament ſe non eſſe Plautinos, tamen viſum eſt illos aliis elementis exſcribere. In hoc Actu igitur reſtituitur Euclioni olla, & ſolutio abſolvitur lætitiâ ſenis, & nuptiis Lyconidis & Phædriæ.

ACTUS QUINTUS. SCENA PRIMA.

ARGUMENTUM.

GRATULATUR ſibi Strobilus, ſurreptâ Euclioni ollâ. Hoc pretio ſe manumittendum putat. Sed ubi Lyconidem animadvertit magis de reſtituendâ Euclioni ſocero futuro ollâ, quàm de libertate dandâ ſollicitum, imò ſibi ademptam libertatis ſpem, negat Lyconidi quidquam eſſe à ſe inventum. Tamen partim minis, partim ictibus, denique, & promiſsâ libertate, ſpondet relaturum ſe ollam. Quid Plauti ſit, quid Supplementi, diſtingues litteris & rebus.

STROBILVS, LYCONIDES.

STROBILVS.

DI immortales, quibus & quantis me donatis gaudiis!
Quadrilibrem aulam auro onuſtam habeo. quis me eſt divitior?
Quis me Athenis nunc magis quiſquam eſt homo, cui dî ſint propitii?
LY. Certò enim ego vocem hîc loquentis modò me audire viſus ſum. *ST.* hem!
Herumne ego aſpicio meum? *LY.* video ego hunc Strobilum, ſervum meum?
ST. Ipſus eſt. *LY.* Haud aliud eſt. *ST.* congrediar. *LY.* contollam gradum.
Credo ego illum, ut juſſi, eampſe anum adiſſe, hujus nutricem virginis.
ST. Quin ego illi me inveniſſe dico hanc prædam, atque eloquor?
Igitur orabo ut manu me mittat. ibo atque eloquar.
Repperi. *LY.* quid repperiſti? *ST.* non quod pueri clamitant
In fabâ ſe repperiſſe. *LY.* jamne autem, ut ſoles, deludis?
ST. Here, mane, eloquar. jam auſculta. *LY.* age ergo loquere. *ST.* repperi hodie,
Here, divitias nimias. *LY.* ubinam? *ST.* quadrilibrem, inquam, aulam auri plenam.

INTERPRETATIO.

STR. *Dii immortales, quibus & quantis gaudiis me donatis! habeo ollam quadrilibrem plenam auro: quis eſt locupletior me? Quis homo eſt Athenis nunc quiſquam, cui dii ſint magis propitii quàm mihi?* LY. *Ego viſus ſum me audire hic vocem loquentis.* ST. *Egone aſpicio meum herum?* LY. *Egone cerno hunc Strobilum meum ſervum?* ST. *Eſt ipſe.* LY. *Haud eſt alius.* ST. *Congrediar.* LY. *Accelerabo gradum: ego puto illum adiiſſe eampſe anum nutricem hujus virginis, ut imperavi.* ST. *Quum ego illi dico me inveniſſe hanc prædam, atque eloquar? Igitur orabo ut me manumittat: ibo atque eloquar. Reperi.* LY. *Quid reperiſti?* ST. *Non quod pueri clamitant ſe reperiſſe in fabâ.* LY. *Jamne autem deludis, ut ſoles?* ST. *Here, mane, eloquar: jam attende.* LY. *Age ergo loquere.* ST. *Inveni hodie, here, nimias opes.* LY. *Ubinam?* ST. *Ollam, inquam, quadrilibrem, plenam auri.*

ANNOTATIONES.

9. *Manu me mittat.*] *me libertate donet.* Nam dominus apprehendebat ſervum aut capite, aut humero, aut manu, & hæc ſolemnia verba mittebat, *Hunc hominem liberum eſſe volo:* & manu dimittebat.

11. *In fabâ reperiſſe.*] Curculionem videlicet, vel Midam, vermiculum in fructibus naſci ſolitum. Innuit hoc loco Strobilus ſuam illam lætitiam non eſſe pueri lætantis in minimis rebus, qualis eſt ille vermiculus.

13. *Quadrilibrem.*] *quatuor librarum. Libra* Græcè λίτρα, τ in ϐ, ut in τέρετρον *terebra. Libra* vulgo noſtro dicitur *lutren.* Utrùm autem *libra* hæc nova reſpondeat veteri, quæſtio eſt hoc difficilior enodatu, quòd eodem nomine diverſum planè menſuræ genus exprimatur.

LY. Quod

LY. Quod ego facinus audio ex te? *ST.* Euclioni huic ſeni ſurripui.
LY. Ubi id eſt aurum? *ST.* in arcâ apud me. nunc volo me emitti manu.
LY. Egóne te emittam manu, ſcelerum cumulatiſſime? *ST.* abi, here, ſcio
Quam rem geras, lepidè hercle animum tuum tentavi. jam
Ut eriperes apparabas. quid faceres, ſi reppeririſſem?
LY. Non potes probaſſe nugas. i, redde aurum. *ST.* reddam ego aurum?
LY. Redde, inquam, ut huic reddatur. *ST.* ah, unde? *LY.* quod modò faſſus es eſſe
In arcâ. *ST.* ſoleo hercle ego garrire nugas, ita loquor. *LY.* at ſcin'
Quomodo? *ST.* vel hercle enica, nunquam hinc feres à me
Quadrilibrem aulam ſenis, quam non habeo. LY. *f.ram,*
Velis, nolis; cùm te quadrupedem ſtrinxero,
Et hernioſos teſtes ad trabem tibi
Divellam appenſo. ſed cur in fauces moror
Hujus ſceleſti ruere? & animam protinus
Cur non compello facere iter præpoſterum?
Das an non? ST. *dabo.* LY. *des ut nunc, non olim volo.*
ST. *Do jam: ſed me animam recipere ſinas, te rogo.*
Ah ah! quid, ut dem, poſcis, here? LY. *neſcis, ſcelus?*

INTERPRETATIO.

LY. *Quid ego audio ex te?* ST. *Surripui huic ſeni Euclioni.* LY. *Ubi eſt aurum?* ST. *In arcá apud me: nunc volo me manumitti.* LY. *Egóne te manumittam, cumulatiſſime ſcelerum?* ST. *Abi: ſcio, here, quam rem geras: lepidè per Herculem tentavi tuum animum: jam apparabas ut eriperes: quid faceres ſi inveniſſem?* LY. *Nequis probaſſe nugas: redde aurum,* ST. *Ego reddam aurum?* LY. *Redde, inquam, ut reddatur huic.* ST. *Ah unde?* LY. *Quod es faſſum mox eſſe in arcá.* ST. *Certè ego ſoleo garrire nugas: ita loquor.* LY. *At ſciſne quomodo?* ST. *Vel eneca per Herculem, nunquam feres hinc à me quadrilibrem aulam ſenis, quam non habeo.* LY. *Feram,* ſiue *velis,* ſive *nolis, quando alligavero* ſicut *quadrupedem ad palum, & juſſero divelli tibi pendenti teſtes hernioſos. Sed quid moror involare in fauces hujus nefarii? & cur non cogo ejuc animam exire ſtatim per poſticam? Daſne an non?* ST. *Dabo.* LY. *Volo ut des nunc, non olim.* ST. *Do jam? ſed te rogo, ſine me reſpirare. Ah ah! quid poſcis, here, ut dem?* LY. *Neſcis, ſceleſte?*

ANNOTATIO.

16. *Scelerum cumulatiſſime.*] Deprecatur à ſe Lyconides injuriam conceſſæ libertatis homini nequam, quia libertas jus civitatis vocabat, quo non donari ſceleſtus, niſi à ſceleſto putabatur.

Et aulam auri plenam quadrilibrem mihi
Audes negare, quam dixti modò
Te arripuiſſe? heia, jam ubi nunc lorarii?
ST. *Here, audi pauca.* LY. *non audio: lorarii,*
Heus, heus.

INTERPRETATIO.

& audes mihi negare ollam quatuor librarum plenam auro, quam dixiſti modò te ſurripuiſſe? Heia, ubi ſunt *lorarii?* ST. *Here, audi pauca.* LY. *Non audio: Lorarii, heus, heus.*

ACTUS QUINTUS. SCENA SECUNDA.

ARGUMENTUM.

PRÆSENTIBUS lorariis, idque aſtantibus & cum catenis, argumentatur paulò uberiùs Strobilus cum hero, dictante Codro, quàm ſi Plautus induxiſſet. Nihilominus ſuadet Lyconidi ſe eſſe manumittendum.

LORARII, LYCONIDES, STROBILUS.

LORARII.

Quid eſt? LY. *parari catenas volo.*
ST. *Audi, quæſo; pòſt me ligare juſſeris*
Quantum libet. LY. *audio: ſed rem expedias ocyùs.*
ST. *Si me torqueri juſſeris ad necem, vide*
Quid conſequare. primùm, ſervi exitium habes;
Deinde, quod concupiſces, ferre non potes:
At ſi me dulcis libertatis præmio
Dudum captaſſes, jamdudum votis fores
Tuis potitus. Omnes Natura parit liberos,
Et omnes libertati naturâ ſtudent.
Omni malo, omni exitio pejor ſervitus:
Et quem Juppiter odit, ſervum hunc primùm facit.
LY. *Non ſtultè loqueris.* ST. *audi reliqua nunc jam:*
Tenaces nimium dominos noſtra ætas tulit,

INTERPRETATIO.

LOR. *Quid eſt?* LY. *Volo diſtringi catenis.* ST. *Audi, quæſo, poſteà jubebis me ligari quantum volueris.* LY. *Audio: ſed expedi & celeriter quid tibi velis.* ST. *Si juſſeris me torqueri ad necem, vide quid aſſequare. Primùm, habes exitium ſervi: deinde non poteris accipere* ollam *quam optas. At ſi me captaſſes mercede gratâ libertatis, jampridem eſſes compos votorum. Natura parit omnes homines liberos, & omnes ſtudent libertati à naturâ. Servitus eſt pejor quovis malo & quovis exitio: & Jupiter facit ſervum illum quem odit.* LY. *Non loqueris ſtultè.* ST. *Accipe nunc cetera: noſtra ætas tulit heros nimium avaros.*

Quos Harpagones, Harpygias & Tantalos
Vocare ſoleo, in opibus magnis pauperes,
Et ſitibundos in medio Oceani gurgite:
Nullæ illis ſatis divitiæ ſunt, non Midæ,
Non Crœſi: non omnis Perſarum copia
Explere illorum tartaream ingluviem poteſt.
Iniquè domini ſervis utuntur ſuis,
Et ſervi iniquè dominis nunc parent ſuis:
Sic fit neutrobi, quod fieri juſtum foret.
Penum, popinas, cellas promptuarias
Occludunt mille clavibus parci ſenes,
Quæ vix legitimis concedi natis volunt:
Servi furaces, verſipelles, callidi
Occluſa mille clavibus ſibi reſerant;
Furtimque raptant, conſumunt, liguriunt,
Centena nunquam furta dicturi cruce:
Sic ſervitutem ulciſcuntur ſervi mali
Riſu jociſque. Sic ergo concludo, quòd
Servos fideles liberalitas facit.
LY. *Recte quidem tu, ſed non paucis ut mibi*
Pollicitus. Verùm ſi te facio liberum,
Reddes quod cupio? ST. *reddam: ſed teſtes volo*
Adſint: ignoſces, here, parum credo tibi.
LY. *Ut lubet, adſint vel centum, jam nil moror.*
ST. *Megadore, & tu, Eunomia, adeſte, precor. ſi libet,*
Exite: perfectâ re mox redibitis.

INTERPRETATIO.

Soleo illos vocare Harpagones, Harpyias & Tantalos, pauperes in magnis opibus, & ſitientes in medio Oceano: nullæ divitiæ ſunt ſatis illis, non Midæ, non Crœſi: non omnes copiæ Perſarum poſſunt explere illorum ingluviem tartaream. Domini utuntur iniquè ſuis ſervis, & ſervi obtemperant malè ſuis dominis. Sic non utrobique fit quod æquum eſſet fieri. Senes avari claudunt mille clavibus penum, popinas, cellas promptuarias. Servi furaces, verſipelles, callidi reſerant ea quæ ſunt clauſa mille clavibus, quæ vix parci ſenes volunt concedi natis legitimis. Furtim raptant, conſumunt, liguriunt, qui ſi agantur in crucem, nunquam *fatcantur centeſima furta. Sic mali ſervi ulciſcuntur ſervitutem riſu jociſque. Ergo ſic concludo, quòd liberalitas reddit ſervos fideles.* LY. *Tu quidem rectè* peroraſti: *ſed non paucis, ut eras pollicitus. Sed ſi te facio liberum, reddeſne quod cupio?* ST. *Reddam: ſed volo teſtes adſint: ignoſces, here; parum credo tibi.* LY. *Ut lubet; adſint vel centum, jam nihil moror.* ST. *Megadore, & tu, Eunomia, adeſte, precor. Si libet, exite: redibitis mox, re perfecta.*

ACTUS QUINTUS. SCENA TERTIA.

ARGUMENTUM.

SPONDET libertatem Lyconides Strobilo, idque adhibitis teſtibus, & interpoſito jurejurando.

MEGADORUS, EUNOMIA, LYCONIDES, STROBILUS.

MEGADORUS.

QUi nos vocat? hem Lyconide. EUN. *hem Strobile, quid eſt?*
Loquimini. LY. *breve eſt.* ME. *quid eſt?* ST. *vos teſtes voco;*
Si quadrilibrem aulam auri plenam huc adfero,
Et trado Lyconidæ, Lyconides me manu
Mittit; jubetque juris eſſe me mei.
Itane ſpondes? LY. *ſpondeo.* ST. *jamne audiſtis hoc*
Quod dixit? ME. *audivimus.* ST. *jura enim per Jovem.*
LY. *Hem quò redactus ſum alieno malo!*
Nimis procax es. quod jubet, faciam tamen.
ST. *Heus tu, noſtra ætas non multùm fidei gerit:*
Tabulæ notantur: adſunt teſtes duodecim:
Tempus locumque ſcribit actuarius;
Tamen invenitur Rhetor, qui factum neget.
LY. *Sed me citò expedi ſis.* ST. *hem ſilicem tibi.*
Si ego te ſciens fallam, ita me ejiciat Dieſpiter
Bonis, ſalvâ urbe & arce, ut ego hunc lapidem. ſatin'
Jam feci tibi? ST. *ſatis. ut ego aurum apportem, eo.*
LY. *I Pegaſeo gradu, & vorans viam redi.*

INTERPRETATIO.

ME. *QVis nos evocat? Hem Lyconide.* EUN *Hem, Strobile, quid eſt? Loquimini.* LY. *Breve eſt.* ME. *Quid eſt?* ST. *Vos voco teſtes, ſi affero huc aulam quadrilibrem auri plenam, & trado Lyconidæ, Lyconides me manumittit, & jubet me eſſe mei juris. Spondeſne ita?* LY. *Spondeo.* ST. *Jamne audiſtis hoc quod dixit?* ME. *Audivimus.* ST. *Jura etiam per Jovem.* LY. *Hem quò redactus ſum alieno malo! Nimis procax es. Faciam tamen quod jubet.* ST. *Heus tu, noſtrum ſeculum non multùm fidei habet: conſignantur tabulæ, adſunt duodecim teſtes, Actuarius ſcribit tempus & locum; tamen invenitur Cauſidicus qui neget factum.* LY. *Sed expedi me celeriter, ſi vis.* ST. *Hem ecce ſilicem accipe: ſi ego te fallam, Dieſpiter ita me ejiciat bonis, ſalvâ urbe & arce, ut ego hunc lapidem jacio. Tibine jam ſatisfeci?* ST. *Satis: eo ut aurum apportem.* LY. *I Pegaſeo gradu, & redi vorans viam.*

ACTUS QUINTUS. SCENA QUARTA.

ARGUMENTUM.

SEcum ratiocinatur Lyconides, concluditque nihil eſſe ſibi penſi, dummodò ollam Euclionianam recuperet.

LYCONIDES,
MEGADORUS, EUNOMIA, duæ mutæ perſonæ.

LYCONIDES.

GRave eſt homini pudenti morologus nimis
Servus, qui ſapere plus vult hero ſuo.
Abeat hic Strobilus in malam liber crucem,
Modò mihi apportet aulam auro puro gravem;
Ut Euclionem ſocerum ex luctu retraham
Ad hilaritatem, & mihi conciliem filiam.
Ex compreſſu meo novam puerperam.
Sed ecce redit onuſtus Strobilus. ut reor,
Aulam apportat. & certè eſt aula, quam gerit.

INTERPRETATIO.

LY. *SErvus qui plus æquo ſapit, & qui vult videri magis ſapere quam ſuus herus, eſt admodum moleſtus homini verecundo. Hic Strobilus abeat in malam crucem, poſtquam manumiſero, modo ad me afferat ollam plenam auro puro, ut abſtergam lacrymas Euclionis ſoceri, & eum cumulem gaudio, & ineam gratiam Phædrix ejus filia, quæ peperit nuper ex meo compreſſu. Sed ecce revertitur onuſtus Strobilus. Ut reor, affert ollam: & certè eſt olla, quam bajulat.*

ACTUS QUINTUS. SCENA QUINTA.

ARGUMENTUM.

STROBILUS apportat ollam ad Lyconidem herum.

LYCONIDES, MEGADORUS, EUNOMIA muta,
STROBILUS.

LYconide, apporto inventum promiſſum tibi.
Aulam auri quadrilibrem. num ſerus fui!
LY. *Nempe. O dii immortales, quid video, aut quid habeo?*
Plus ſexcentos Philippeos ter & quater.
Sed evocemus Euclionem protinus.

INTERPRETATIO.

ST. *LYconide, ad te apporto id quod inveni, ſicut pollicitus ſum; nimirum ollam quadrilibrem auri. Num deſii eſſe ſervus?* LY. *Nempe. O Dii immortales, quid video, aut quid teneo? Plus ter aut quater ſexcentes Philippeos. Sed evocemus Euclionem protinus.*

ACTUS QUINTUS. SCENA SEXTA.

ARGUMENTUM.

RESTITUITUR olla Euchoni. Sed quàm hebes ſit conatus Codri in hoc Supplemento, videre eſt & miſerari; ne mica quidem eſt ſalis Comici & Plautini.

LYCONIDES, MEGADORUS, EUNOMIA muta, *EUCLIO, STROBILUS.*

LYCONIDES.

O Euclio, Euclio! ME. *Euclio, Euclio.* EUCL. *quid eſt?*
LY. *Deſcende ad nos: nam dii te ſervatum volunt.*
Habemus aulam. EUCL. *habetiſne. an me deluditis?*
LY. *Habemus, inquam. modo, ſi potes, huc advola.*
EUCL. *O magne Juppiter! ô Lar familiaris, &*
Regina Juno, & noſter theſaurarie
Alcide, tandem miſerar miſerum ſenem.
Oh ob, quàm latis aula tibi amicus ſenex
Complector ulnis, & te dulci capio oſculo!
Expleri nequeo mille vel complexibus.
O ſpes, ô cor, luctum depulverans meum!
LY. *Auro carere ſemper duxi peſſimum*
Et pueris, & viris, & ſenibus omnibus.
Pueros proſtare cogit indigentia,
Viros furari, mendicarier ipſos ſenes.
At multò pejus eſt, ut video nunc ſupra
Quàm quid neceſſe eſt nobis auro opuleſcere.
Heu quantas paſſus eſt ærumnas Euclio,
Ob aulam paulo ante à ſe deperditam!
EUCL. *Cui meritas referam grates? an diis, qui bonos*
Reſpectant homines? an amicis, rectis viris?
An utriſque? utriſque potiùs. Et primùm tibi,

INTERPRETATIO.

LY. *O Euclio, Euclio!* ME *Euclio, Euclio!* EUCL. *Quid eſt?* LY. *Deſcende ad nos: Nam dii te volunt incolumem. Habemus tuam aulam.* EUCL. *Habetiſne, an me deluditis?* LY. *Habemus, inquam: modò, ſi potes, huc advola.* EUCL. *O magne Jupiter! ô Lar familiaris, & Regina Juno, & noſter theſaurario, Alcide, tandem te miſeret calamitoſi ſenis. Oh ob. olla. quàm te complector latis ulnis amicus ſenex, & te occupo dulci oſculo! Nequeo expleri vel mille complexibus. O ſpes ô cor! mihi abſtergis luctus.* LY. *Semper duxi eſſe peſſimum & pueris, & viris, & ſenibus omnibus auro carere. Indigentia cogit pueros proſtare, viros furari, ſenes ipſos mendicare. Sed eſt multò pejus nobis, ut animadverto nunc, ditari ſupra quàm quod eſt neceſſe. Heu! quantas ærumnas paſſus eſt Euclio propter ollam quam perdiderat paulò ante!* EUCL. *Cui referam meritas gratias? An diis, qui reſpectant bonos viros? an amicis, rectis viris? an utriſque? Utriſque potiùs. Et primùm te.*

Lyconide, principium & author tanti boni,
Hâc ego te aulâ auri condono: accipias libens:
Tuam hanc eſſe volo, & filiam meam ſimul,
Præſente Megadoro, & ſorore ejus probâ
Eunomiâ. LY. *Et habetur, & refertur gratia,*
Ut meritus es, ſocer exoptatus mihi Euclio.
EUCL. *Relatam mihi ſatis putabo gratiam.*
Si donum noſtrum, & meipſum accipias nunc libens.
LY. *Accipio, & Euclionis volo mea ſit domus.*
ST. *Quod reſtat, here, nunc, memento ut ſim liber.*
LY. *Rectè monuiſti: Eſto merito liber tuo,*
O Strobile, & turbatam jam intus cœnam para.
ST. *Spectatores, naturam avarus Euclio*
Mutavit: liberalis ſubitò factus eſt:
Sic liberalitate utimini vos quoque:
Et ſi Fabula perplacuit, clarè plaudite.

INTERPRETATIO.

Lyconide, qui es principium & author tanti boni, ego te dono hâc ollâ auri: accipe lubenter: volo hanc eſſe tuam, & meam filiam ſimul, præſente Megadoro, & ſorore ejus probâ Eunomiâ. LY. *Et habeo gratiam, & refero, ut meritus es, Euclio, ſocer mihi exoptate.* EUCL. *Putabo mihi ſatis relatam eſſe gratiam. ſi accipias nunc libens, & noſtrum munus, & meipſum.* LY. *Accipio, & volo domus Euclionis mea ſit.* ST. *Quod reſtat, here, memento nunc, ut ſim liber.* LY. *Rectè monuiſti: Eſto liber tuo merito, ô Strobile, & para intus nunc cœnam turbatam.* ST. *Spectatores, avarus Euclio mutavit naturam: ſubitò factus eſt liberalis: Utamini etiam liberalitate: & ſi Fabula placuit, plaudite clarè.*

FINIS AULULARIÆ.

M. ACCII PLAUTI
CAPTIVI.

ARGUMENTUM.

SENUM duorum Hegionis & Theodoromedis fortuna Scenam hujus Fabulæ occupat univerſam. Hegio civis erat Ætolus : habuit filios duos, Pægnium ſeu Tyndarum, & Philopolemum; ſervos duos, unum Stalagmum, & alterum anonymum; ſed puerum communi nomine appellatum. Theodoromedes Elienſis civis erat nobiliſſimus, videlicet ex Polypluſio genere; erat idem ditiſſimus, idcirco *Treſaurochryſonicocriſides* eſt appellatus, prodigioſo quidem nomine, ſed, ſive joco, ſive ſeriò, ad exprimendas divitias ampliſſimas aptiſſimè excogitato. Stalagmus Siculus, Hegionis ſervus, ab Hegione fugerat in Elidem, & aſportaverat ſecum Pægnium ſeu Tyndarum, filium Hegionis natum annos quatuor, & minis ſex vendiderat Theodoromedi. Theodoromedes Tyndarum dat Philocrati-filio, ejuſdem fermè ætatis, tanquam ſervum peculiarem. Annis viginti poſt raptum Pægnium ſeu Tyndarum, bellum exarſit Ætolos inter & Elienſes. In eo bello Philopolemus & Philocrates dant nomen, ille apud Ætolos, hic apud Elienſes. Capitur ab Elienſibus Philopolemus, Philocrates ab Ætolis unà cum Tyndaro. Porrò moris erat, ut qui bello fuiſſent capti, divenderentur à Quæſtore, & eorum pretium in ærarium conferretur. Venditur Philopolemus Menarcho Medico Elienſi: Hegio apud Ætolos cùm audiviſſet filium fuiſſe bello captum, mercatus eſt Philocratem Elienſem, Theodoromedis filium, ut liceret cum Philopolemo filio ſuo permutare, & ſic recuperare filium : emit & Tyndarum ſervum Philocratis. Cùm audiviſſent Philocrates & Tyndarus Hegionis conſilium de permutatione

tione filii, & demittendo ſervo, conſultant ambo de circumveniendo ſene, & ſtatuunt nomina & veſtes permutare. Itaque Tyndarus Philocratis, & Philocrates Tyndari nomen accipit; veſtes, orationem commutant. Res cedit ex voto; nimirum Hegio, ſumpto Tyndaro pro Philocrate, & Philocratem pro Tyndaro, dimittit herum pro ſervo, pacto pretio minarum viginti, ſi non redierit pſeudo-Tyndarus. Sed ſtatim atque profectus eſt à littore Philocrates ſub veſte Tyndari, ecce Hegio Captivos à ſe emptos inviſit, & percontatur ab iis num quis eſſet ex Elide, qui noſſet Philocratem. Prodiit ſtatim in medium Ariſtophontes, & profitetur ſe pernoſſe Philocratem utpote civem ſuum, amicum, commilitonem unà bello captum. Hegio mandat ſervis ut quamprimùm adducant Philocratem. Seſe comparat ad complectendum amicum amicus: ſed ecce nomen & veſtis Philocratis pro Philocrate, ſervus pro hero offertur, Tyndarus pro Philocrate. Ariſtophontes, cui erat Tyndarus notiſſimus, negat eſſe Philocratem, ſed Tyndarum; Tyndarus callidè admodum contendit ſe eſſe Philocratem; excandeſcit in eum Ariſtophontes. Poſtquàm eum videt incenſum iracundiâ Tyndarus, ſuadet Hegioni Ariſtophontem interdum vecordiâ teneri, & illis intervallis temporis quid dicat, quid faciat, prorſus neſcire. Credit Tyndaro Hegio: monet Hegionem Tyndarus, ut mandet Ariſtophontem conſtringi; ſed tandem res, ut ſunt, Hegio agnoſcit. Mandat illicò Tyndaro injici compedes, manicas, vincula, & in lapidicinas detrudi. Fert conſtanter caſum ſuum Tyndarus. Tum demum animadvertit Ariſtophontes Tyndari officium adverſùs herum ſuum Philocratem, mutaſſe nomen, veſtes, orationem, ad ſalutem heri ſui Philocratis; eum pœnitet Tyndari dolorum officioſorum, vertit iram in amorem, & quantum in ſe eſt, deprecatur à Tyndaro pœnas impendentes; ſed nihilominus rapitur ad lapidicinas Tyndarus. Ecce autem ex improviſo adeſt Philopolemus, adeſt Philocrates, adeſt & Stalagmus ſervus fugitivus Hegionis. Non explicatur hîc ab Authore quomodo tam celeriter reverti potuerit Philocrates, quòd nonnullis locum dedit poſtulandi diligentiſſimi Poëtæ, quaſi violatarum artis regularum, quia uno die naturali tam longa ſpatia percurri non poſſunt. Sed eſt facile Autorem defendere; nimirum fieri poteſt ut in finitimis Urbibus res gererentur. Nam finitimi erant populi Ætoli & Elienſes. Deinde fieri potuit ut, obſidibus datis, licuerit Philopolemo reverti ad patrem Hegionem, & eo ipſo quo in portum appulerit cum Stalagmo Philopolemus, invenerit Philocratem reditum in patriam adornantem: quod magis mihi comicum & ſimile vero videatur. Quomodo etiam & inventus fuerit Stalagmus fugitivus, & cum Philocrate redierit, eſt & divinandum. Nam ut ultrò reverſus fuerit ad Hegionem Stalagmus, id eſt ad pœnas, ad lora, ad plagas, non eſt putandum. Quid igitur? Licet conjicere Philopolemum proditorem

fratris ſui Stalagmum cognoviſſe apud Elienſes, & eâdem operâ quî ipſe, datis obſidibus, reverſus eſt, eundem fugitivum in ejus comitatu eſſe reverſum. Quanto autem gaudio cumulatus fuerit Hegionis animus, liceat cogitare, quando & reverſum audit filium ſuum, & unà Philocratem, quem reverſurum deſperabat. Philocrates ſtatim atque venit in conſpectum Hegionis, ſollicitus de ſalute Tyndari, quem reliquit obſidem Hegioni, ut decebat herum fidum adversùs ſervum qui pro ſe caput obtuliſſet, rogat ut quamprimùm educatur è lapidicinis & vinculis. Hegio in teſtimonium animi grati, quòd Philocrates reduxit Philopolemum, reddit Tyndarum Philocrati: mox Stalagmum ab annis viginti fugitivum interrogat quò contulerit Pægnium ſuum? Reſpondet contuliſſe in Elidem, vendidiſſe civi Elienſi Theodoromedi. Urgent magis magiſque ſuis reſponſionibus Hegio hinc, inde Philocrates. Eò demum res redit, ut palàm fiat Tyndarum eſſe illum Pægnium ablatum à Stalagmo, venditum Theodoromedi, datum peculiarem Philocrati à patre Theodoromede, captum in certamine cum Philocrate, qui obtulit caput pro ſuo hero Philocrate, qui liberatus eſt precibus Philocratis heri ſui, quem & in hoc ipſo quo Hegio reddit Philocrati, Philocrates reddit Hegioni. Quo gaudio mens Hegionis non cumulata fuerit, ſed obruta, liceat conjicere de unius Philopolemi filii ſalute erat ſollicitus, & hunc incolumem videt, & Pægnium ſeu Tyndarum, alterum filium à viginti annis furto ablatum, & ut ita dicam, perditum, recuperat. Mores hujus Fabulæ ſunt, quòd FIDES QUAMLIBET FORTUNAM COMMENDAT, liberos, captivos, dominos, ſervos, divites, pauperes.

Ipſe Plautus eſt Operis hujus ſui præco, & inter cæteras ejus dotes prædicat eam eſſe & accuratam & caſtam, videlicet apud Ethnicos & ſuus fuit pudori honor, & pudor impudicitiæ, quid eſſe oporteat apud Chriſtianos puritatis fonte tinctos, lautos, conſecratos? Hæc Fabula meritò appellatur *Captivi*: in eâ enim inſunt omnes Captivi, Philopolemus, Philocrates, Tyndarus, Ariſtophontes. Eò recidunt omnia quæ in hacce Fabulâ tractantur. Conſtat Comœdia Prologo, Fabulâ, & Grege ſeu Epilogo. *Protaſis* Fabulæ patet à Prologo ad Actum tertium, ubi fraus nectitur Hegioni. *Epitaſis* Actu tertio continetur, & in eâ perplexationes ſunt graviores. gravioréſque. Et demum fraus patet, in quâ nihil eſſe remedii putatur: nempe comperta fuga Philocratis, & ſuppoſitio Tyndari pro Philocrate, ſervi pro hero. Demum quarto & quinto Actibus eſt *Cataſtrophe* ſeu Solutio, in qua Tyndari eſt agnitio.

SCENA EST CHALYDONI.

PERSONÆ.

PROLOGUS.

HEGIO, ſenex Athenienſis.

PÆGNIUM ſeu TYNDARUS, Hegionis filius, ſubreptitius captivus.

PHILOPOLEMUS, Hegionis filius, captivus in Elide.

STALAGMUS, Hegionis ſervus fugitivus.

PUER Hegionis anonymus.

LORARII anonymi.

ERGASILUS, Paraſitus.

PHILOCRATES, Elienſis, Theodoromedis Theſaurochryſonicocriſidis filius captivus.

ARISTOPHONTES, Elienſis captivus.

GREX.

PERIOCHA ACROSTICHA.

CAPTUS eſt in pugnâ Hegionis filius,
Alium quadrimum fugiens ſervus vendidit.
Pater captivos commercatur Alios,
Tantùm ſtudens, uti natum recuperet.
Et in ibus emit olim amiſſum filium.
Is ſuo cum domino veſte verſâ ac nomine,
Ut amittatur fecit: ipſus plectitur.
Et is reduxit captum & fugitivum ſimul;
Indicio cujus alium agnoſcit filium.

INTERPRETATIO.

PHilopolemus *filius Hegionis captus eſt in certamine* ab Elienſibus. Stalagmus *ſervus* ejuſdem Hegionis *fugitivus vendiderat* antea *alterum* filium Hegionis, nomine Pægnium ſeu Tyndarum. *Hegio emit captivos Elienſes eo conſilio, ut recuperaret* Philopolemum ſuum *filium: & inter illos captivos emit* imprudens *filium* Tyndarum, *quem amiſerat olim.* Tyndarus *facit ut* Philocrates *dominus dimittatur, verſis nominibus ac veſtibus.* *Ipſe dat pœnas* pro Philocrate domino. Philocrates *reducit* Philopolemum, *&* Stalagmum ſervum *fugitivum cum eo: cujus* fugitivi *indicio cognoſcit* Tyndarum *alium filium.*

ANNOTATIONES.

3. *Alios.*] id eſt *Elios*, ab urbe Elide.
5. *Et in ibus.*] pro *iis*. *Is* enim, ſecundùm analogiam nominum tertiæ declinationis in *u* in dativo & ablativo plurali, debet habere *ibus*,

PROLOGUS.

ARGUMENTUM.

QUANTUM ſatis eſt ad movendam Spectatorum attentionem, dicit in Prologo Plautus à quo fiat, non patet. Sed & id inter cæteros Prologos hic habet, quòd ex primis verſibus pateat Philocratem & Tyndarum conſtitiſſe in Scenâ: quod fermè peculiare eſt huic Fabulæ, intereadum Prologus recitaretur. Digreſſiunculæ paucæ, aliæ ſunt joculares & comicæ, aliæ ſeriæ & morales commendatæ huic toti Fabulæ. Joculares ſunt initio, verſu 11. in attentione rogandâ. Verſu 58. per prolepſim occurrit eorum errori, qui quòd de bello facta fuiſſet mentio, cruentum quoddam ſpectaculum & tragicum expecta-

rent. Eſſe autem ſtatim ab initio jocum, facile crediderim, quòd & duo milites ſtarent in Scenâ, & crebra eſſet futura mentio belli, armorum, pugnæ, captivorum. Igitur ne ſtatim facies Theatri & Actorum non jocularii ſpectaculi, quale exoptat fermè populus, ſed ſerii & tragici eſſe videretur, ſtatim exhilarat Spectatores feſtivitate ſermonis. Duæ autem aliæ digreſſiones ejuſdem fermè ſunt ſtili, & narrationem, alioquin gravitate pleniſſimæ interſecant. 22.& 51. verſu eſt gravis recogitatio fragilitatis humanæ: & verſu 53. eſt elegans Operis hujus commendatio, tum ab ejus accuratione, tum vel maximè à moribus caſtigatiſſimis. Ut etiam Poëta cæteris ſuis Fabulis detrahat, quò plus huic tribuat; facilè crediderim hanc Fabulam fuiſſe ſcriptam & exhibitam poſt Militem Glorioſum, cujus in hoc Prologo eſt inſignis mentio.

PROLOGVS.

HOs quos videtis ſtare hîc captivos duos,
Illi qui aſtant, hi ſtant ambo, non ſedent.
Vos vos mihi teſtes eſtis, me verum loqui.
Senex qui hîc habitat, Hegio eſt hujus pater.
Sed is quo pacto ſerviat ſuo ſibi patri,
Id ego hîc apud vos proloquar, ſi operam datis.
Seni huic fuerunt filii nati duo,
Alterum quadrimum puerum ſervus ſurpuit,
Eúmque hinc profugiens vendidit in Alide
Patri hujuſce. Jam hoc tenetis? optimum eſt.
Negat hercle ille ultimus. accedito.
Si non ubi ſedeas locus eſt, eſt ubi ambules,
Quando hiſtrionem cogis mendicarier.
Ego me tuâ cauſsâ, ne erres, non rupturus ſum.

INTERPRETATIO.

HI gemini captivi. Philocrates & Tyndarus, *quos conſpicisis hic ſtantes. illi ambo qui ſtant. ſtant, non ſedens. Vos vos appello teſtes me dicere verum. Senex qui manet hic. eſt Hegio pater hujus* Tyndari. *Ego aperiam vobis quomodo eſt Tyndarus ſervus ſui patris. ſi attentè audiatis. Hic ſenex habuit duos natos.* Philopolemum & Tyndarum. *Mancipium* Stalagmus *ſuffuratus eſt alterum puerum* Tyndarum, *quatuor annis natum, arreptáque hinc fugâ, eum vendidit in Elide patri hujuſce Philocratis. Intelligisis nunc id? Benè eſt. Profectò ille qui in ultimâ areâ eſt, negat audire. Accede: ſi non eſt ſpatium in quo ſedeas. eſt in quo ambules. Quandoquidem adigis hiſtrionem ad inopiam,* ut qui gratis audis, *ego non mihi* ilia *rumpant propter te. ne ignores.*

ANNOTATIO.

1. *Hos quos videtis.*] pro *hi quos.* non ſolùm Plauti, verumetiam Terentii, & omnium illius seculi Scriptorum, eſt, ut relativum & antecedens, quemadmodum ſubſtantivum & adjectivum caſu eodem efferant.

Vos qui poteſtis ope veſtrâ cenſerier,
Accipite reliquom: alieno uti nihil moror.
Fugitivus ille, ut dixeram antè, hujus patri,
Domo quem profugiens dominum abſtulerat, vendidit.
Hic poſtquam hunc emit, dedit eum huic gnato ſuo
Peculiarem, quia quaſi una ætas erat.
Hic nunc domi ſervit ſuo patri, nec ſcit pater.
,, Enimverò Dî NOS QUASI pilas homines habent.
Rationem habetis, quomodo unum amiſerit.
Poſtquam belligerant Aëtoli cum Aliis,
Ut fit in bello, capitur alter filius.
Medicus Menarchus emit ibidem in Alide.
Cœpit captivos commercari hic Alios,
Si quem reperire poſſet, cum quo mutet ſuum
Illum captivum. hunc ſuum eſſe neſcit, qui domi eſt.
Et quoniam heri inde audivit de ſummo loco
Summóque genere captum eſſe equitem Aleum,
Nihil pretio parſit, filio dum parceret:
Reconciliare ut faciliùs poſſet domum,
Emit hoſce de prædâ ambos de Quæſtoribus.

INTERPRETATIO.

Vos qui poteſtis in cenſum referri veſtris opibus, audite cætera. Non curo placare abalienatos. Hic Stalagmus *fugitivus, ſicut dixeram anteà, vendidit* Theodoromedi Philocratis *patri, dominum quem ſurripuerat aufugiens domo. Hic* Theodoromedes *poſtquam coëmit hunc, dedit ſuo filio* Philocrati *peculiarem, quia erat ferè eadem ætas. Hic miniſtrat jam ſuo patri domi, nec pater ſcit. Nam dii nos jactant homines veluti pilas. Tenetis quâ ratione prodiderit unum. Intereadum Ætoli bellum gerunt cum Elienſibus, alter Hegionis filius* Philopolemus *capitur ſicut in bello accidit. Medicus Menarchus emit eum ibidem in Elide. Hegio inſtituit commercium Elienſium captivorum, ut inveniret quempiam quem commutaret cum* filio *captivo apud Elienſes. Ignorat Tyndarum qui eſt domi, eſſe ſuum filium. Et quia accepit heri hinc captum eſſe equitem Elienſem illuſtri loco, nobiliſſimo ſanguine, nulli parcit ſumptui, dum recuperet filium, ut poſſet revocare domum; emit à Quæſtoribus hos duos de prædâ.*

ANNOTATIONES.

15. *Vos qui poteſtis cenſeri.*] *Vos quibus eſt ſatis divitiarum, ut in cenſum referri poſſitis.* Qui cenſu carebant, civitatis jure excludebantur, neque à Cenſoribus quinto quoque anno ut cæteri cenſebantur, ſeu in luſtrum & cenſum referebantur.

22. *Dii nos quaſi pilas habent.*] Feſtus. *Pila & effigies viriles & muliebres ex lanâ Compitalibus ſuſpendebantur in compitis, quòd hunc diem feſtum eſſe deorum inferorum, quos vocant Lares, putarent; quibus tot pilæ, quot capita ſervorum; tot effigies, quot eſſent liberi, ponebantur; ut vivis parcerent, & eſſent his pilis & ſimulacris contenti.* Unde forſitan Lares pingebantur cum pilâ in manu. Plato dictitabat homines eſſe, Θεῶν ἀθύρματα, *deorum ludus.* Alius appellat παίγνια, *ludus puerorum.* Interrogatus Æſopus, quid agerent dii, reſpondit eos τὰ μὲν οἰκοδομεῖν τὰ δὲ καταβάλλειν, *ſtruere & deſtruere.*

24. *Ætolia.*] Græciæ regio, Epiro, Acarnaniæ, & Locris conterminа.

Cum Aliis.] Alii *Cume.* Veteres dicebant *cume, tame, quame, cum, tam, quam,* & aliquando *d* interſerebant, *cumde, tamde, quamde.*

27. *Alios.*] Elis, regio Græciæ in Peloponeſo, & urbs quæ eſt regionis caput.

Hice autem inter ſeſe hunc confinxerunt dolum,
Quo pacto hic ſervus ſuum herum hinc amittat domum.
Itáque inter ſe commutant veſtem & nomina.
Illic vocatur Philocrates, hic Tyndarus.
Hujus illic, hic illius hodie fert imaginem.
Et hic hodie expediet hanc doctè fallaciam,
Et ſuum herum faciet libertatis compotem.
Eodémque pacto fratrem ſervabit ſuum,
Reducémque faciet liberum in patriam ad patrem
Imprudens: itidem ut ſæpè jam in multis locis
„ Plus inſciens quis fecit, quàm prudens boni.
Sed inſcientes ſuâ ſibi fallaciâ
Ita compararunt & confinxerunt dolum:
Itaque hi commenti de ſuâ ſententiâ,
Ut in ſervitute hîc ad ſuum maneat patrem.
Ita nunc ignorans ſuo ſibi ſervit patri.
„ Homunculi quanti ſunt! cùm recogito,
Hæc Res agetur nobis, vobis Fabula.
Sed etiam eſt paucis, vos quod monitos voluerim.
Profectò expediet Fabulæ huic operam dare.
Non pertractatè facta eſt, neque item ut cæteræ.

Interpretatio.

Hi verò machinati ſunt hanc fraudem inter ſeſe, quâ ratione hoc mancipium dimittat hinc ad patrem ſuum dominum. Quocirca commutatis inter ſe veſtibus & nominibus, ille appellatur Philocrates, hic Tyndarus. Hujus ille, hic gerit hodie habitum illius, & hic explicabit callidè hodie illam aſtutiam, & reddet Philocratem *ſuum dominum compotem libertatis. Eodem modo erit ſalutaris ſuo fratri* Philopolemo, *reducétque liberum in patriam* Ætoliam *ad patrem* Hegionem *inſcius: & itidem ut plerumque etiam in compluribus locis non deſunt qui afferant plus emolumenti imprudentes, quàm ſcientes. Sed inſcientes ſic continuarunt, & architectati ſunt fraudem. Itaque hi invenerunt ſuo Marte, ut unus maneat ſervus apud ſuum patrem. Sic miniſtrat nunc ignarus ſua ſortis ſuo patri. Quanti homines ſunt æſtimandi! ſi bene reputemus* nobiſcum eorum ſortem, *id à nobis repræſentabitur* ut res geſta, *quamvis eſt fabula. At eſt prætereà cujus vos monuerim. Sanè utile erit audire attentè hanc Fabulam. Non conſtat ſtilo vulgari & ſolito.*

Annotationes.

34. *Quæſtoribus.*] Inter alia munia id erat Quæſtorum, ut ſpolia hoſtium divenderent, quorum pretium in ærarium publicum conferrent.

55. *Non pertractate.*] id eſt, *nova fabula eſt:* quaſi dicat, *nunc primum luditur hac fabula.* Non repetitur ut aliæ, quæ jam ſpectatæ ſæpiùs reponuntur. Alii *prætextate*, id eſt *ſcurriliter. Prætextatum* pro *obſcœno* Veteres ponebant. Aulus Gellius. *Non prætextatis, ſed puris honeſtiſque verbis*, &c. Macrobius. *Impudica & prætextata verba jacientis.* Alii *peractate*, id eſt, *juveniliter, laſcivè.* Nam *peractati* olim *juvenes* dicebantur. Lucilius apud Nonium:

Inde peractate chlamides ac barbula prima.

Idem: *Tum ephebum quemdam, quem vocant peractatum.*

Neque ſpurcidici inſunt verſus immemorabiles,
Hic neque perjurus leno eſt, neque meretrix mala,
Neque miles glorioſus. Ne vereamini,
Quia bellum Aëtolis eſſe dixi cum Aliis.
Foris illic extra ſcenam fient prælia.
Nam hoc pene iniquum eſt Comico choragio,
Conari deſubitò nos agere Tragœdiam.
Proin ſi quis pugnam exſpectat, lites contrahat:
Valentiorem nactus adverſarium
Si erit, ego faciam ut pugnam inſpectet non bonam.
Adeò ut ſpectare poſteà omneis oderit.
Abeo. Valete, Judices juſtiſſimi
Domi, bellique Duellatores optumi.

INTERPRETATIO.

non ſordet carminibus impudicis de memoriá abolendis. Abeſt hinc impudicitiæ miniſter infidus, non infame ſcortum, non miles inflatus. Ne mirum videatur, ſi memini eſſe bellum Ætolis cum Elienſibus: pugnæ committentur illic foris extra Theatrum. Hæc enim eſt propemodum inconveniens apparatui Comico, ſi aggrediamur de repente exhibere Tragœdiam. Itaque ſi quis deſiderio tenetur pugnæ, moveat rixam. Si incidat in hoſtem robuſtiorem, ego efficiam ut ſpectator ſit certaminis non ita jucundi, adeò ut vereatur deinceps ſpectator eſſe cujuſvis pugnæ. Abeo. Valete, Judices æquiſſimi, pace & armis ſtrenuiſſimi duces.

ANNOTATIO.

61. *Choragio.*] Eſt apparatus ſcenicus exhibendis Tragœdiis & Comœdiis inſtitutus: *Choragium* autem tragicum differebat à comico.

ACTUS PRIMUS.

ARGUMENTUM.

IN Actu primo eſt propoſitio Operis, videlicet meditatur Hegio recuperare Philopolemum, permutatione cum duobus captivis factâ Philocrate & Tyndaro.

ACTUS PRIMUS. SCENA PRIMA.

ARGUMENTUM.

PARASITICÆ artis moleſtias recenſet, & ſuam calamitatem deplorat Ergaſilus Paraſitus, ex quo Philopolemus Hegionis filius profectus eſt ad bellum Ætolicum.

ERGA-

ERGASILUS.

JUVENTUS nomen indidit ſcorto mihi,
Eò quia invocatus ſoleo eſſe in convivio.
Scio abſurdè dictum hoc deriſores dicere,
At ego aio rectè. nam in convivio ſibi
Amator, talos cùm jacit, ſcortum invocat.
Eſtne invocatum, annon? planiſſimè.
Verùm hercle, verùm nos Paraſiti planiùs;
Quos nunquam quiſquam neque vocat neque invocat:
Quaſi mures ſemper edimus alienum cibum.
Ubi res prolatæ ſunt, cùm rus homines eunt;
Simul prolatæ res ſunt noſtris dentibus.
Quaſi cùm caletur, cochleæ in occulto latent,
Suo ſibi ſucco vivunt, ros ſi non cadit:
Item Paraſiti rebus prolatis latent
In occulto, miſeri victitant ſucco ſuo,
Dum ruri rurant homines quos ligurriant.

INTERPRETATIO.

ERG. *JUvenes me inſignierunt nomine ſcorti, propterea quod conſuevi eſſe invocatus in cœnis. Intelligo eos qui rident detorquere hoc verbum alìorſum: at ego contendo id appoſitè dici. Nam amans invocat Scortum quando mittit talos. Invocatur, an non?* Invocatur *ſine dubio. Hoc conſtat per Herculem: ſed in nobis paraſitis magis conſtat, qui neque vocati, neque invocati, obligurimus ſemper cœnam alienam, veluti mures. Quando judicia ſunt procraſtinata; quando potentiores proficiſcuntur rus, uno tempore res ſunt procraſtinata noſtro ventri. Quemadmodum cùm æſtus eſt, limaces ſeſe continent in tenebris, victitant ſuo* proprio *humore, ſi ros non depluat; ſic Paraſiti abſcondunt ſe in latibulis juſtitio indicto, infœlices vitam tolerant ſuo ſucco. Intereà homines quos poſſunt paraſitari, ruri commorantur.*

ANNOTATIONES.

2. *Invocatus.*] Eſt jocus in hoc vocabulo: amatores enim in conviviis *invocabant* amicarum nomina, ſed non *invocabant* paraſitorum. *Invocatus* autem, quia ſignificat & quem *invocant*, & quem *non vocant*; idcircò Ergaſilus *invocatum* ſe dicit, non quòd *invocetur*, ſed quòd *non vocetur*. *Invocare* eſt, uſurpare altâ voce nomen ejus quem *invocant*, quando jaciuntur tali ad ſortiendam vicem bibendi, hoc ferme modo: *Ergaſile, te invoco.* Id fieri ſolebat ab amatoribus qui *invocabant* nomen amicarum, tanquam Numinum & Venerum ſuarum, ad hunc fermè modum; *Te invoco, mea Philenium*, ſi jaceret talos Argyrippus ſcorta & paraſiti ad convivia *vocari* ſoliti; & *invocari* ſoliti iidem in conviviis, quando jaciebantur tali ad ſortiendas bibendi vices, utpote voluptati ſervientes.

3. *Deriſores.*] Triplex paraſitorum genus. *Deriſores, Plagipatidæ* ſeu *Lacones*, & *Adulatores*, qui vel ex ſuo nomine ſatis cognoſcuntur: nam *Deriſores* erant, qui, ut aſymboli cœnarent, riſum è re quavis captabant: *Plagipatidæ* erant ii in quos licebat quidvis audere: *Adulatores* erant ſubdoli & vani admiratores & factorum & dictorum ejus ad cujus menſam ſedere liceret.

14. *Res prolatæ.*] Eſt rei in aliud tempus tranſlatio. Igitur res paraſitorum *prolatæ*, ſunt cœnæ procraſtinatæ, ſeu juſtitium dentium, eſuriales feriæ.

Prolatis rebus Paraſiti venatici
Sumus: quando res redierunt, Moloſſici
Odioſicique, & multùm incommodiſtici.
Et hic quidem hercle, niſi qui colaphos perpeti
Potis Paraſitus, frangique aulas in caput,
Vel ire extra portam trigeminam ad ſaccum licet.
Quod mihi ne veniat, nonnullum periculum eſt.
Nam poſtquam meus rex eſt potitus hoſtium.
Ita nunc belligerant Aëtoli cum Aliis.
Nam Aëtolia hæc eſt: illic captu 'ſt in Alide
Philopolemus hujus Hegionis filius
Senis, qui hîc habitat: quæ ædes lamentariæ
Mihi ſunt: quas quotieſcunque conſpicio, fleo.
Nunc hic occœpit quæſtum hunc filii gratiâ
Inhoneſtum, maxumè alienum ingenio ſuo.
Homines captivos commercatur, ſi queat
Aliquem invenire, ſuum quîcum mutet filium.
Nunc ad eum pergam. ſed aperitur oſtium,
Unde ſaturitate ſæpè ego exii ebrius.

INTERPRETATIO.

Paraſiti ſumus famelici, cœnis procraſtinatis: ſed cum res redeunt, voraces, odioſique & valdè importuni. Et hic profectò eundum eſt ad ſaccum extra portam trigeminam, niſi qui paraſitus eſt, poteſt perferre alapas, & efferre caput frangendu ollis. Eſt quoddam periculum ne hoc mihi accidat, poſtquam meus nutritius in poteſtatem venit hoſtium. Ita Ætoli bellum gerunt jam cum Elienſibus. Nam eſt hæc Ætolia. Philopolemus filius hujus Hegionis ſenis, cujus adeſt domus, comprehenſus eſt in Elide: quod quidem domicilium mihi gemitum extorquet. Quoties video hoc, collacrymor. Hic inſtituit hoc commercium illiberale, & maximè alienum à ſuo ingenio, in gratiam ſui filii. Coëmit viros bello captos, ut poſſit habere quempiam quo cum permutet ſuum filium. Jam ibo ad eum: ſed reſeratur janua, ex quâ ego exceſſi ſæpè temulentus & ſatur.

ANNOTATIONES.

17. *Venatici.*] Tam homines quàm canes venationi dediti minùs ſunt obeſi propter exercitationem crebram, atque adeò famelici imprimis, unde nata proverbialis ſimilitudo Gallica, *affamé comme un Chaſſeur.*

18. *Moloſſici.*] Canes allati ex *Moloſſiâ* regione Epiri, ingluviei profundæ: inde comparatio cum paraſitis.

19. *Odioſici.*] *odioſicus* ab *odioſo*: *incommodiſticus* ab *incommodo*. Plautina vocabula.

20. *Colaphos perpeti.*] Paraſiti homines, alioquin liberi, quò lautiùs cœnarent, quidvis patiebantur, ut ſervi & vilia mancipia: & hi *Plagipatidæ.*

22. *Portam trigeminam.*] Porta Oſtienſis *trigemina*, à tribus Horatiis & Curiatiis *trigemina*. Extra hanc portam obſidebant vias mendici cum ſaccis, in quos mitterent quidquid erogaretur.

24. *Rex.*] *Reges* appellabant Paraſiti eos a quibus alerentur, idque, ut videre eſt, per adulationem paraſiticæ germanam ſororem: & hi *Adulatores.*

26. *Nam Ætolia hæc eſt.*] Paraſitus inter hæc verba oſtendit Spectatoribus faciem Theatri, in quâ repræſentabatur Ætolia.

ACTUS PRIMUS. SCENA SECUNDA.

ARGUMENTUM.

HEGIO mandat captivos duos, Philocratem & Tyndarum, levioribus quidem catenis conſtringi, ſed diligentiore curâ ſervari. Rationem addit, quia libertatis amor ad quidlibet audendum adducit. Deinde Paraſitus deplorat ſuam vicem apud Hegionem, erepto ſibi Philopolemo. Cauſæ doloris duæ ſunt: Prima, quia ſæpiùs Paraſitum invitabat adoleſcens. Secunda, quia ſperat Paraſitus fore ut in præmium doloris invitetur à patre. Velificatur autem ſuæ gulæ amoris ſignificatione. Res cedit ex voto. Invitat Hegio Ergaſilum ad diem natalem ſuum dentibus celebrandum.

HEGIO, LORARIUS, ERGASILUS.

HEGIO.

ADVORTE animum ſis tu: iſtos captivos duos
Herè quos emi de prædâ, de Quæſtoribus,
His edito catenas ſingularias:
Iſtas majores, quibus ſunt vincti, demito.
Sinito ambulare, ſi foris, ſi intus volent:
Sed uti aſſerventur magnâ diligentiâ.
„ LIBER captivus avis feræ conſimilis eſt:
„ Semel fugiendi ſi data eſt occaſio,
„ Satis eſt: nunquam pòſt illam poſſis prendere.
„ *LOR.* OMNES profectò liberi lubentiùs
„ Sumus, quàm ſervimus. *HE.* non vidêre ita tu quidem.
LOR. Si non eſt quod dem, méne vis dem ipſe in pedes?
HE. Si dederis, erit extemplò mihi, quod dem tibi.
LOR. Avis me feræ conſimilem faciam, ut prædicas.
HE. Ita ut dicis! nam ſi faxis, te in caveam dabo.

INTERPRETATIO.

HEG. *AUdi*, Lorarie, *injice catenas ſingulas ſingulis captivis quos mercatus ſum heri de ſpoliis hoſtium à Quæſtoribus: aufer illas graviores, quibus ſunt conſtricti. Concede incedere, ſi lubeat ſeu foris, ſeu domi. At ut cuſtodiantur, ſingulari opus eſt vigilantiâ. Solutus captivus eſt ſimilis avi minimè cicuri: ſi via aperta eſt ſemel evadendi, ſufficit. Nequeas eam tenere deinceps.* LOR. *Sine dubio ſumus univerſi lubentiùs liberi, quàm ſervi.* HE. *Non tu ſanè mihi videris ejuſmodi.* LOR. *Si non habeo quod impendam, ſiniſne ut me dem in fugam.* HE. *Si aufugeris, habebo ſtatim* plagas *quas tibi largiar.* LOR. *Evadam ſimilis avis fera*, evolabo *quemadmodum dicis.* HE. *Non ita malè; nam ſi fugeris, te includam in caveam.*

ANNOTATIO.

12. *Si non eſt quod dem.*] *Si non habeo quod dem tibi ad me redimendum, me* dabo *fuga, ut me redimam.*

15. *In caveam dabo.*] Luſus eſt in hac voce: nam *cavea* & ſeptum eſt includendis avibus contextum, & cuſtodia retinendis hominibus facta, nos vernaculè *cachot.*

Sed ſatis verborum eſt! cura quæ juſſi, atque abi.
ERG. Quod ego quidem nimis quàm cupio, ut impetret:
Nam ni illum recipit, nihil eſt quò me recipiam.
Nulla juventutis eſt ſpes, ſeſe omnes amant.
Ille demum antiquis eſt adoleſcens moribus,
Cujus nunquam voltum tranquillavi gratiis.
Condignè eſt pater ejus moratus moribus.
HE. Ego ibo ad fratrem, ad alios captivos meos;
Viſam ne nocte hâc quippiam turbaverint.
Inde me continuò recipiam rurſum domum.
ERG. Ægrè eſt mihi, hunc facere quæſtum carcerarium,
Propter ſui gnati miſeriam, miſerum ſenem.
Sed ſi ullo pacto ille huc conciliari poteſt,
Vel carnificinam hunc facere, poſſum perpeti.
HE. Quis hîc loquitur? *ERG.* ego, qui tuo mœrore maceror,
Maceſco, conſeneſco, & tabeſco miſer.
Oſſa atque pellis ſum miſerâ macritudine.
Neque unquam quicquam me juvat quod edo domi;

INTERDRETATIO.

Sed eſt ſatis dictum: cura quæ imperavi, & proficiſcere. ERG. *Equidem quàm magnopere exopto ut id aſſequatur: nam niſi recipiat Philepolemum, non eſt quò me recipiam. Nulla eſt ſpes in juventute ponenda: quivis ſeſe amant: uno verbo ille juvenis eſt vetuſtis moribus. Nunquam exhilaravi gratiis ejus animum: ejus pater eſt ſimilibus inſtitutis ornatus.* HE. *Ego proficiſcar ad fratrem, ad meos alios captivos: videro ne egerint aliquas turbas hac nocte. Hinc uno tempore repetam rurſum domum.* ERG. *Eſt mihi permoleſtum, quod infelix ſenex inſtituit commercium captivorum, propter captivitatem ſui filii. Verùm ſi ille poteſt revocari huc ullâ ratione, poſſum perferre hunc exercere vel carnificinam.* HE. *Quem audio hic?* ERG. *Me qui diſcrucior tuo dolore, maceſco, deficio, & conficior infelix. Nihil ſum niſi oſſa & cutis deplorandâ macie. Neque unquam quidquam quod manduco domi, me delectat,*

ANNOTATIONES.

20. *Antiquis adoleſcens moribus.*] Quia *antiqui mores* erant à fuco alieniores, ſimpliciorésque. Idem in Trinummo,

Antiquis vivito moribus.

Virgilius,

Priſca & canâ fides.

Terentius,

Homo antiquâ virtute & fide.

Cicero. *Homines antiqui, qui ex naturâ ſuâ cæteros fingerent.* Idem, *in quâ muliere veſtigia antiqui officii remanent.* Tacit. *Piſo vultu habitúque moris antiqui, & rectâ æſtimatione ſeverus.* Ennius.

Moribus antiquis res ſtat Romana, viriſque.

Quare autem laudatiores fuerint *mores* Antiquorum, alii alia dicunt; ſed vera germanaque ratio eſt, quia homo à Deo ad Dei imaginem factus, quò vicinior eſt fonti ſuo & authori Deo, hoc ſimplicior, candidior, innocentior.

26. *Quæſtum carcerarium.*] Hinc apparet vile fuiſſe & inhoneſtum captivorum ſervorumque commercium, ut nunc equorum.

29. *Carnificinam facere.*] Odio ſunt & contemptui carnifices, ut fuerunt ſemper.

Foris aliquantillum etiam quod guſto, id beat:
HE. Ergaſile, ſalve. *ERG.* di te bene ament, Hegio.
HE. Ne fle. *ERG.* egóne illum non fleam? egóne non defleam
Talem adoleſcentem? *HE.* ſemper ſenſi filio
Meo te eſſe amicum, & illum intellexi tibi.
ERG. Tum denique homines noſtra intelligimus bona,
„ Cùm quæ in poteſtate habuimus, ea amiſimus.
Ego, poſtquam gnatus tuus potitu 'ſt hoſtium,
Expertus quanti fuerit: nunc deſidero.
HE. Alienus cùm ejus incommodum tam ægrè feras,
Quid me patrem par facere eſt, cui ille eſt unicus?
ERG. Alienus ego? alienus ille? ha, Hegio!
Nunquam iſtuc dixis, neque animum induxis tuum.
Tibi ille unicu' ſt; mihi, etiam unico magis unicus.
„ *HE.* Laudo, malum cùm amici tuum ducis malum.
Nunc habe bonum animum. *ERG.* eheu! *HE.* huic illud dolet,
Quia nunc remiſſus eſt edendi exercitus.
Nullumne interea nactus, qui poſſet tibi
Remiſſum, quem dixti, impetare exercitum?

INTERPRETATIO.

id quod comedo foris, adhuc ſuave eſt tantiſper. HE. *Ergaſile, ſalve.* ERG. *Dii te diligant bene, Hegio.* HE. *Noli lacrymari.* ERG. *Egóne non illum deplorabo? Egóne non lugeam ejuſmodi juvenem?* HE. *Semper animadverti te eſſe amicum mei filii, & novi tuum illum eſſe.* ERG. *Quando privati ſumus iis quorum compotes fuimus, tum demum agnoſcimus noſtra bona. Poſtquam tuus filius venit in poteſtatem hoſtium, ego agnovi quanti fuerit: nunc ejus deſiderio teneor.* HE. *Quandoquidem alienus tam doles ejus vicem, quid eſt æquum me teſtari patrem, cui eſt unicus?* ERG. *Alienus ego? alienus ille? Ah Hegio! nunquam dixeris iſtud, neque induxeris in tuum animum. Habes unicum, habeo magis unicum unico.* HE. *Æſtimo, quia exiſtimas malum amici, eſſe tuum malum. Nunc eſte bonâ mente.* ERG. *Eheu!* HE. *Id hic inique animo fert, quia exercitatio edendi eſt nunc intermiſſa. nullumne nactus intereà qui poſſet tibi inſtaurare exercitationem quam dixiſti intermiſſam?*

ANNOTATIONES.

39. *Tum denique.*] expreſſum ex Sophocle in Ajace, οἱ γδ' κακοὶ γνώμαισι τ' ἀγαθὸν χερῦν ἔχοντες, οὐκ ἴσασι πρὶν τις ἐκβάλῃ. *Mali qui habent in manibus bona, non agnoſcunt donec amiſerint.* Horatius.

Virtutem incolumem odimus;
Sublatam ex oculis quærimus invidi.

44. *Unicus natus.*] *Unicus* non dicitur qui unus ſit ſine fratre, ſed qui unicè dilectus. Græci *unicum dicunt* ἀγαπητόν. Salomon de ſe in Proverbiis, *Cùm tener eſſem & unicus coram matre:* plures enim erant filii David ex Berſabea.

49. *Huic illud dolet.*] Hæc ad Spectatores converſus Hegio.

ERG. Quid credis? fugitant omnes hanc provinciam,
Quoi obtigerat; poſtquam captu 'ſt Philopolemus tuus.
HE. Non pol mirandum eſt fugitare hanc provinciam,
Multis & multigeneribus opus eſt tibi
Militibus primum-dum opus eſt piſtorienſibus:
Eorum ſunt genera aliquot piſtorienſium.
Opus paniceis, opus placentinis quoque,
Opus turdetanis, opus eſt ficedulenſibus:
Jam maritumi omnes milites opus ſunt tibi.
„ *ERG.* Ut sæpe ſumma ingenia in occulto latent!
Hic qualis imperator, nunc privatus eſt!
HE. Habe modò bonum animum. nam illum confido domum
In his diebus me reconciliaſſere.
Nam eccum hic captivum adoleſcentem Alium,
Prognatum genere ſummo, & ſummis divitiis:
Hoc illum me mutare confido fore.
ERG. Ita dî deæque faxint. *HE.* ſed num quò foras
Vocatus ad cœnam? *ERG.* nuſquam, quod ſciam.
Sed quid tu id quæris? *HE.* quia mihi eſt natalis dies.

INTERPRETATIO.

ERG. *Quid arbitraris? Omnes declinant hoc munus, poſtquam tuus Philopolemus, cui contigerat, captus eſt.* HE. *Per Pollucem non mirum ſi fugiunt hoc munus. Conducendi ſunt multi & multi generis homines. Primò eſt opus Piſtoribus. Sunt quadam genera Piſtorum, opus panificis, opus etiam placentariis, opus turdorum mercatoribus; opus ficedularum. jam omnes coqui maritimi tibi ſunt opus.* ERG. *Ut plerumque excelſa anima latent in abſcondito, dux ſtat inter privatos.* HE. *Eſto jam aquo animo. Nam ſpero fore ut eum ego revocavero domum intra hos dies. Etenim ecce mihi eſt hic adoleſcens captivus Elienſis, ortus illuſtri familiá & ampliſſimis opibus, ſpero fore ut ego eum permutem cum illo.* ERG. *Ita dii deaque faciant.* HE. *Verùm invitatuſne es ad convivium aliquod foras?* ERG. *Nullo modo ſanè, quod norim. Sed quare à me petis tu id?* HE. *Quoniam hic meus eſt natalis dies.*

ANNOTATIONES.

56. *Multigeneribus militibus.*] id eſt, ſervis ad miniſtrandum menſis, qui Promocondo duce & imperatore ultrò citroque commeant cum variis armis convivalibus.

57. *Piſtorienſibus.*] *Piſtorium* oppidum Italiæ, unde per alluſionem ad incolas hujus Urbis patronimico vocabulo *Piſtores* exprimit.

59. *Paniceis.*] & patronimicum joculare eſt.

Placentinis.] planum eſt & patronimicum; & alluſio.

60. *Turdetanis.*] *Turdetani* Gadium accolæ, à turdis *Grive.*

Ficedulenſibus.] patronimicum à *Ficedula* avicula, quæ, ut ipſum ſonat verbum, *ficos* edit utplurimùm. *Pivoine.*

61. *Maritimi omnes.*] inde & patronimica fingere poteſt quilibet à *piſcatoribus*, à *piſcibus*.

63. *Hic qualis imperator.*] Ergaſilus jocum joco remetitur, & ſtatim imperatorem Hegionem ſalutat, ut cum eo cœnet.

71. *Natalis dies.*] Mos ſemper fuit, ut quivis natalis diei maximè recordetur, & quibus poteſt lætitiæ ſignis, maximè verò cœnâ celebret.

Propterea te vocari ad cœnam volo.
ERG. Facetè dictum. *HE*. ſed ſi pauxillum potes
Contentus eſſe. *ERG*. næ perpauxillum modò.
Nam iſtoc me aſſiduo victu delecto domi.
HE. Age ſis roga. *ERG*. emin' tu? *HE*. niſi qui meliorem afferet.
ERG. Quæ mihi atque amicis placeat conditio magis?
Quaſi fundum vendam, meis me addicam legibus.
HE. Profundum vendis tu quidem, haud fundum, mihi.
Sed ſi venturus, tempori. *ERG*. hem! vel jam otium eſt.
HE. I modò, venare leporem: nunc Cirim tenes.
Nam meus ſcrupoſam victus commeat viam.
ERG. Nunquam iſtoc vinces me, Hegio, ne poſtules:
Cum calceatis dentibus veniam tamen.
HE. Aſper meus victus ſanè eſt. *ERG*. ſentiſne eſitas?
HE. Terreſtris cœna eſt. *ERG*. ſus, terreſtris beſtia eſt.
HE. Multis oleribus. *ERG*. curato ægrotos domi.
Nunquid vis? *HE*. venias tempori. *ERG*. memorem mones.

INTERPRETATIO.

idcircò cupio te invitare ad convivium. ERG. *Jucundè dictum!* HE. *Sed ſi potes eſſe contentus paucis.* ERG. *Certè perpauxillo fuero: nam delector iſto victu quotidiano domeſtico.* HE. *Age ſi vis roga.* ERG. *Emptumne vis?* HE. *Niſi qui meliorem conditionem afferet.* ERG. *Quæ conditio arrideat plus mihi atque amicis? Quaſi in vendendo fundo me ſubjiciam meis conditionibus.* HE. *Tu ſanè mihi vendis profundum ventrem, non fundum agri, ſed ſi tempeſtivè veneris.* ERG. *Hem! vel jam otium eſt.* HE. *I ſanè, venare leporem, nunc accipitrem habes; nam mea cœna conſtat cibis minimè delicatis, & duris.* ERG. *Nunquam me ſuperabis hac ratione, Hegio, ne expectes: tamen adero cum dentibus calceatis.* HE. *Meus cibus eſt profectò non mollis.* ERG. *Comediſne vepres?* HE. *Eſt cœna terreſtris.* ERG. *Aper terreſtris eſt fera.* HE. *Veſcor oleribus.* ERG. *Curam ægrotorum gere domi. Numquid vis?* HE. *Adeſto tempeſtivè.* ERG. *Mones memorem.*

ANNOTATIONES.

76. *Roga.*] Conventiones ſeu ſcripto conſignatæ, ſeu verbo tantùm expreſſæ, certis verbis conſtant. Itaque *roga*, id eſt *interroga*. *Emptionem* enim ordiebantur ab his verbis, *Emiſne?* Quod cùm efferatur per interrogationem, quando Hegio ad Paraſitum ait, *Roga*, id eſt, *dic mihi, Emiſne?* jocus in paraſitum, qui ſe proponat venalem pro cœnâ.

Emiſne.] Moris erat ut in vendendo quopiam, qui venderet clarâ voce diceret emptori, *Emiſne?* reſponderet emptor, *Emptum*: & his duobus verbis ultrò citroque prolatis, res erat emptoris quaſi conſignatis tabulis.

Meliorem afferet.] Supple *conditionem*. Ellipſes ejuſmodi vulgò fiunt in iis quæ adeò crebra ſunt, ut uno verbo intelligantur. Non eſt abſimile id vernaculi noſtri, *On m'en donne davantage*, ſupple, *d'argent*.

79. *Profundum.*] id eſt, *ventrem*.

81. *Cirim tenes.*] accipitrem.

87. *Multis oleribus.*] Ex paraſiti reſponſione patet curatos illis temporibus ægrotos oleribus & herbis.

HE, Ibo intrò, atque intus ſubducam ratiunculam,
Quantillum argenti mihi apud trapezitam ſiet.
Ad fratrem, quò ire dixeram, mox ivero.

INTERPRETATIO.

HE. *Introibo, atque ſubducam intus nonnullam rationem, quantùm mihi ſit pecunia apud argentarium. Modò proficiſcar ad fratrem, quò dixi me iturum.*

ANNOTATIONES.

89. *Ratiunculam ſubducam.*] *digitu numerabo.*

90. *Trapezita.*] *Trapezita* dabatur pecunia, quò fœnus majus eſſet, vel tanquam depoſitum.

ACTUS SECUNDUS.

ARGUMENTUM.

PHILOCRATES & Tyndarus, permutatis nominibus, veſtibus, orationibus, circumveniunt Hegionem, alioquin calidiſſimum ſenem, & cui in promptu erant acutiſſima quævis ad declinandam fraudem effata. Tyndarus pro Philocrate retinetur, Philocrates pro Tyndaro dimittitur.

ACTUS SECUNDUS. SCENA PRIMA.

ARGUMENTUM.

LORARII Hegionis ſervi dolent vicem Philocratis & Tyndari, & pro virili ſolantur, ut moris eſt eorum qui & ipſi iniquitate fortunæ premuntur, ultrò miſeriis alienis commoveri: quin & ipſi colloquendi invicem, remotis arbitris, copiam faciunt. Eâ utuntur Captivi ad nectendam Hegioni fraudem; nempe ſtatuunt mutare nomen, veſtes, & orationem.

LORARII,

LORARII, PHILOCRATES, TYNDARUS.

LORARII.

SI dii immortales id voluêre vos hanc ærumnam exſequi,
Decet id pati animo æquo. ſi id facietis, levior labos erit.
Domi fuiſtis, credo, liberi.
Nunc ſervitus ſi evenit, ei vos morigerari mos bonu 'ſt,
Eamque herili imperio ingeniis veſtris lenem reddere.
,, INDIGNA digna habenda ſunt, herus quæ facit. *TYND. &* *PHI.* oh! oh! oh!
LO. Ejularione haud opus eſt. oculis multam miſeriam additis.
,, IN RE MALA animo ſi bono utare, adjuvat.
PHI. At nos pudet, quia cum catenis ſumus. *LO.* at pigeat poſtea
Noſtrum herum, ſi vos eximat vinculis,
Aut ſolutos ſinat, quos argento emerit.
CAP. Quid à nobis metuit? ſcimus nos
Noſtrum officium quod eſt, ſi ſolutos ſinat.
LO. At fugam fingitis, ſentio quam rem agitis.
PHI. Nos fugiamus? quò fugiamus? *LO.* in patriam. *CAP.* apage! haud nos id deceat
Fugitivos imitari. *LO.* imò edepol, ſi erit occaſio, haud dehortor.

INTERPRETATIO.

LO. *SI Dii immortales ſtatuerunt vos perferre hunc mærorem, oportet eum tolerare mente æquâ: ſi præſtetis id, moleſtia erit tolerabilior. Fuiſtis liberi apud veſtros, ut credo. Nunc ſi ſervitus accidit, eſt recta frugi ei voſmet ſubjicere, & eam efficere ſuavem veſtrâ induſtriâ, parendo ultrò mandato domini. Oportet vos exiſtimare ea eſſe juſta, quæ herus gerit injuſtè.* TYN. & PHI. *Oh! oh! oh!* LO. *Non eſt ingemiſcendum: adjicitis luctum luctui. Si ſit mens conſtans, adjuvabit in adverſis.* PHI. *Sed nos pudet, quoniam ſumus in vinculis.* LO. *Sed noſtrum dominum pigeat modò, ſi vobis adimat vincula, & patiatur eos quos mercatus eſt pecuniâ, eſſe ſolutos.* PHI. *Quid à nobis metuis? ſcimus nos quod eſt officium noſtrum, ſi ſinat ſolvi.* LO. *Sed meditamini fugam: intelligo quid moliamini.* PHI. *Nos fugiamus? Quò fugiamus?* LO. *In patriam.* CAPT. *Apage! dedecet nos imitari fugitivos.* LO. *Immò per ædem Pollucis, ſi erit locus fugæ, non deterreo.*

ANNOTATIONES.

2. *Levior.*] Horatius.
Durum. ſed levius fit patientia,
Quicquid corrigere eſt nefas.

4. *Evenit.*] Lucret.
Servitium contrà, libertas, divitiæque,
Paupertas, bellum, concordia; cætera, quorum
Adventu manet incolumis naturâ abituque:
Hæc ſoliti ſumus, ut par eſt, eventa vocare.

5. *Herili imperio.*] Curt. *Regum Ducumque clementia non in ipſorum modò, ſed etiam in illorum, qui parent, ingeniis ſita eſt. Obſequio mitigantur imperia.*

CAP. Unum exorare vos ſinite nos. *LO.* quidnam id eſt? *CAP.* ut ſine his arbitris
Atque vobis, nobis detis locum loquendi.
LO. Fiat. abſcedite hinc: nos concedamus huc: ſed brevem orationem incipeſſe.
PHI. Hem! iſtuc mihi certum erat. concede huc. *LO.* abite ab iſtis. *TYN.* obnoxii ambo
Vobis ſumus propter hanc rem; cùm quæ volumus nos,
Copia eſt; eâ facitis nos compotes.
PHI. Secede huc nunc jam, ſi videtur, procul;
Ne arbitri dicta noſtra arbitrari queant:
Néve permânet palàm hæc noſtra fallacia.
„ Nam DOLI NON doli ſunt, niſi aſtu colas,
Sed malum maximum, ſi id palàm provenit.
Nam ſi herus mihi es tu, atque ego me tuum eſſe ſervum aſſimulo,
Tamen viſo opu 'ſt, cauto eſt opus, ut hoc ſobriè, ſinéque arbitris,
Accuratè hoc agatur, doctè & diligenter.
Tanta incepta res eſt: haud ſomniculosè hoc
Agendum eſt. *TYN.* ero, ut me voles eſſe. *PHI.* ſpero.
TYN. Nam tu nunc vides pro tuo caro capite
Carum offerre meum caput vilitati.
PHI. Scio! *TYN.* at ſcire memento, quando id, quod voles, habebis.

INTERPRETATIO.

CAPT. *Concedite nobis implorare à vobis unum.* LO. *Quid eſt hoc?* CAPT. *Ut nobis præbeatis licentiam colloquendi ſine his teſtibus atque vobis.* LO. *Eſto, migrate hinc; nos pergamus huc; ſed inſtituite confabulationem brevem.* PHI. *Hem! mihi proponebam hanc brevitatem* olorari. *Veni huc,* Tyndare. LO. *Abite ab iſtis.* TYN. *Vobis ſumus uterque devincti, quando conceditis quod nos rogamus, & nos ejus facitis compotes.* PHI. *Secede huc nunc jam longè, ſi places, ne teſtes audiant noſtra verba, & ne detegatur noſter dolus. Nam dolus non eſt dolus, niſi inſtruatur callidè. Sed eſt ingens labes, ſi id pateat. Nam ſi tu es meus herus, atque ego fingo me eſſe tuum ſervum: tamen eſt videndum & cavendum ut id geratur accuratè, peritè & ſtrenuè, & ſine teſtibus. Res tanta eſt jam inſtituta, non eſt gerendum id oſcitanter.* TYN. *Ero ut voles me eſſe.* PHI. *Spero.* TYN. *Nam tu animadvertis me objicere nunc meum caput exitio pro tuo capite.* PHI. *Animadverto.* TYN. *At recordare te animadvertere id, quando habebis id quod tibi proponis.*

ANNOTATIO.

23. *Secede huc nunc jam.*] Philocrates avertit à Lorariis orationem, & convertit ad Tyndarum, ita ut Lorarii minimè audiant.

„ Nam FERE MAXIMA pars morem hunc homines habent : quòd ſibi volunt,
„ Dum id impetrant, boni ſunt : ſed id ubi jam penes ſeſe habent,
„ Ex bonis peſſumi & fraudulentiſſimi
Sunt. nunc ut te mihi volo eſſe, eſſe autumo.
Quod tibi ſuadeam, ſuadeam meo patri.
PHI. Pol ego te, ſi audeam, meum patrem nominem :
Nam ſecundum patrem tu es pater proximus.
TYN. Audio. *PHI.* & propterea ſæpiùs te, ut memineris moneo.
Non ego herus tibi, ſed ſervus ſum. nunc obſecro te hoc unum,
Quoniam nobis dî immortales animum oſtenderunt ſuum,
Ut qui herum me tibi fuiſſe, atque eſſe nunc conſervum velint;
Quod antehàc pro jure imperitabam meo, nunc te oro per precem,
Per fortunam incertam, & per mei te erga bonitatem patris,
Perque conſervitium commune, quod hoſticâ evenit manu,
Ne me ſecus honore honeſtes quàm ego te, cùm ſervibas mihi.
Atque ut qui fueris, & qui nunc ſis, meminiſſe ut memineris.
TYN. Scio quidem me te eſſe nunc, & te eſſe me. *PHI.* hem! iſtuc ſi potes
Memoriter meminiſſe, ineſt ſpes nobis in hâc aſtutiâ.

INTERPRETATIO.

Nam maxima pars hominum conſuevit. Sunt boni dummodo conſequantur id quod contendunt : ſed ſtatim atque habent id in ſuâ poteſtate, evadunt ex bonis nequiſſimi & perfidiſſimi. Nunc exiſtimo te eſſe ejuſmodi erga me qualem optem. Suadeam meo patri id quod tibi ſuadeo. PHI. *Per Pollucem ego te appellem meum patrem. ſi audeam; nam poſt patrem mihi es proximus.* TYN. *Audio.* PHI. *Et ideircò te moneo ſæpiùs ut recorderis: ego non ſum tuus herus, ſed ſervus. Nunc rogo te hoc unum, quia dii immortales nobis patefecerunt quid vellent. & ſe voluiſſe, me fuiſſe tuum herum. atque velle nunc me eſſe tuum conſervum : quod antea mandabam pro meo jure, nunc te rogo idem per ſortem inconſtantem. & per bonitatem mei patris erga te, perque conſervitium commune quod accidit hoſtili manu, ne me afficias minore reverentiâ, & minùs obſequaris quàm quando mihi miniſtrabas, atque, ut recorderis, recordari qui fueris. & qui ſis nunc.* TYN. *Intelligo profectò me eſſe nunc tuum herum, & te eſſe meum ſervum* PHI. *Hem! ſi potes recordari iſtud, eſt nobis ſpes in hâc aſtutiâ.*

ANNOTATIONES.

36. *Maxima pars homines.*] pro *hominum*, Enallage. Cicero vocat *hos aſtutos & ingratos.* Catullus.

Qui dum aliquid cupiens animus prægeſtit apiſci,
Nil metuunt jurare, nihil promittere parcunt.
Sed ſimul ac cupidæ mentis ſatiata libido eſt,
Dicta nihil metuêre; nihil perjuria curant.

Callimachus : πρίν τι λαβεῖν φιλέουσι, ἀτὰρ ψυχέουσιν λαβόντες. *Antequam recipiant, amant; frigent poſtquam receperint.*

40. *Suadeam meo patri.*] Proverbialis formula ejus qui cuipiam ſalutare conſilium aperit.

47. *Per precem.*] *Deam.* Homerus. καὶ γάρ τε λίται Διὸς κοῦραι μεγάλοιο. *Nam preces ſunt filiæ Jovis magni.*

48. *Per fortunam incertam.*] Fortuna Numen eſt inſtabile.

49. *Conſervitium.*] Bonorum malorumque communio & ſocietas auget conjunctionem & amicitiam.

ACTUS SECUNDUS. SCENA SECUNDA.

ARGUMENTUM.

HEgio interrogat ſigillatim captivos, & rogat à Philocrate quem eſſe Tyndarum putat, quo genere ſit ortus Philocrates? quæ divitiæ? Simulato candore reſpondet Philocrates, faceturque Philocratem eſſe nobilem, eſſe divitem, eſſe potentem. Deinde venit Hegio ad Tyndarum, quem putat eſſe Philocratem, & præcipitantem jamjam ſenem in fraudem impellit Tyndarus. Tum de mittendo Tyndaro in Elidem ad Theodoromedem patrem Philocratis: ſed luſus mutatione nominum & veſtium ſenex, herum pro ſervo dimittit.

HEGIO, PHILOCRATES, TYNDARUS.

HEGIO.

JAm ego revertar intus, ſi ex his quæ volo exquiſivero.
Ubi ſunt iſti, quos ante ædis juſſi huc produci foras?
PHI. Edepol tibi ne quæſtioni eſſemus, cautum intellego,
Ita vinclis cuſtodiiſque circummœniti ſumus.
„ *HE.* Qui cavet ne decipiatur, vix cavet, cùm etiam cavet,
„ Etiam cùm caviſſe ratus eſt, ſæpè is cautor captus eſt.
An verò non juſta cauſſa eſt, ut nos ſervem ſedulò,
Quos tam grandi ſim mercatus præſenti pecuniâ?
PHI. Neque pol tibi nos, quia nos ſervas, æquom eſt vitio vortere,
Neque te nobis ſi abeamus hinc, ſi fuat occaſio.
HE. Ut vos hîc, itidem illic apud vos meus ſervatur filius.
PHI. Captus eſt. *HE.* ita. *PHI.* non igitur nos ſoli ignavi fuimus.
HE. Secede huc. nam ſunt ex te quæ ſolo ſcitari volo,
Quorum rerum te falſiloquum mihi eſſe nolo. *PHI.* non ero,

INTERPRETATIO.

HE. *EGo redibo modò in ædes, ſi ab iis petivero ea quæ volo. Ubi ſunt iſti quos mandavi adduci huc ante ædes?* PHI, *Per ædem Pollucis animadverto à te eſſe proviſum ne eſſemus quærendi, adeò circumventi ſumus vinculis & præſidiis.* HE. *Qui videt ne fallatur, vix videt quando etiam videt, quando etiam arbitratus eſt ſe caviſſe, plerumque is obſervator fallitur. An verò non eſt juſta ratio cur vos cuſtodiam diligenter, quos emi pecuniâ numeratâ tam numeroſâ?* PHI. *Per ædem Pollucis neque par eſt nos tibi vertere vitio, quia nos cuſtodis; neque debes nobis vertere vitio, ſi evadamus hinc, ſi occaſio ſeſe offerat.* HE. *Ut meus filius cuſtoditur illic apud vos, itidem vos hîc.* PHI. *Tenemus hominem?* HE. *Etiam.* PHI. *Nos non extitimus ergo uni imbelles?* HE. *Secede huc; etenim ſunt quæ opto accipere à te uno, & nolo te eſſe falſidicum in iis rebus.* PHI. *Non ero,*

ANNOTATIONES.

4. *Circummœniti*.] pro *circummuniti* ſumus, antiquè dictum, *œ* pro *u*, *mœri* pro *muri*; unde manſit *pomœrium* poſt *mœros*, id eſt *muros*.

10. *Fuat.*] Ab antiquo *fuo, fuis*: unde manet *fui*. & quæ ex illo præterito ſoboleſcunt tempora: à *futum*, *futurus*.

12. *Non ſoli ignavi fuimus.*] Heroïcis illis temporibus, aut vincendũ erat aut moriendum, capi aut fugere, *ignavia* tribuebatur.

Quod ſciam. ſi quid neſcivi, id neſcium tradam tibi.
TYN. Nunc ſenex eſt in tonſtrinâ: nunc jam cultros attinet.
Ne id quidem involucre injicere voluit, veſtem ut ne inquinet.
Sed utrum ſtrictimne attonſurum dicam eſſe, an per pectinem,
Neſcio: verùm ſi frugi eſt, uſque admutilabit probè.
HE. Quid tu? ſervuſne eſſe, an liber mavelis: memora mihi.
PHI. Proximum quod ſit bono, quodque à malo longiſſimè,
Id volo. quanquam non multum fuit moleſta ſervitus:
Nec mî ſecus erat, quàm ſi eſſem familiaris filius.
TYN. Eugepæ! Thalem talento non emam Mileſium.
Nam ad ſapientiam hujus nimius nugator fuit.
Ut facetè orationem ad ſervitutem contulit!
HE. Quo de genere natu 'ſt illic Philocrates? *PHI.* Polypluſio:
Quod genus illic eſt unum pollens atque honoratiſſimum.
HE. Quid ipſus hic? quo honore eſt illic? *PHI.* ſummo, atque ab ſummis viris.
HE. Tum igitur ei, cùm in Aleis tanta gratia eſt, ut prædicas,
Quid divitiæ, ſuntne opimæ? *PHI.* unde excoquat ſevum ſenex.

INTERPRETATIO.

quod ſciam: ſi aliquid ignorem, tibi dicam me id neſcire. TYN. *Jam ſenex eſt in tonſtrinâ, tenet jam Philocrates forſices, ne voluit quidem ſeſe ſuccingere involucro, ne fœdet indumenta. Verùm ignoro utrum attondeat an ad cutem, an ad pectinem. Sed ſi ſapit, decurtabit penitus.* HE. *Quid tu? malisne eſſe ſervus, an liber? Dic mihi.* PHI. *Volo id quod ſit finitimum bono, & quod remotiſſimum à malo: quamvis ſervitus minimè fuit incommoda neque mihi fuerit ſecus quàm ſi eſſem filius familiaris.* TYN. *Eugepæ! non mercatus fuero Thaletem Mileſium uno talento: nam ille fuit nimis inſulſus, ſi conferatur cum hujus ſapientiâ. Ut accommodavit feſtivè ſermonem ad ſervitutem.* HE. *De quâ gente ortus eſt hic Philocrates?* PHI. *Polypluſio, quæ una gens eſt potens illic & honoratiſſima.* HE. *Quis ipſe hic? quâ gente eſt illic?* PHI. *Summo & à ſummis viris.* HE. *Tum ergo quoniam ei eſt tanta gratia apud Eleenſes, ut dicis, quæ ſunt divitiæ? ſuntne pingues?* PHI. *Unde ſenex excoquat ſevum.*

ANNOTATIONES.

16. *Nunc ſenex eſt in tonſtrinâ.*] Longa & elegans allegoria Hegionis ſenis, ad quem emungendum accingunt ſeſe juvenes duo, Philocrates & Tyndarus. Hic ſeorſim & ſolus ſecum loquitur.

24. *Thalem talento non emam.*] Gratulatur aſtutiæ domini ſui Philocratis, qui ſervum ſimulat, & cum ſapientiâ Thaleti Mileſio, uni è ſeptem illis Græciæ Sapientibus, tanquam mero nugatori, anteponit.

25. *Ad ſapientiam.*] *en comparaiſon.* Terentius *Nihil ad noſtram hanc.* Cic. *Nihil ad Perſium.*

27. *Polypluſio.*] Quia ex re qualibet augurium aucupantur ſenes. Ad decipiendum Hegionem Philocrates genus fingit quod divitiarum copiam notat. Hinc errare incipit Hegio, & ſumere Tyndarum pro Philocrate.

29. *Ab ſummis viris.*] Hector apud Nævium. *Lætus ſum laudari me abs te, pater, laudato viro.*

31. *Unde excoquat ſevum ſenex.*] Ut oſtendat eſſe opimas ſenis divitias, quaſi allegoria ſumpta ab iis quæ ſunt præpinguia, non ſolùm ait opimas divitias, ſed etiam manare ab iis, & circumfluere ſicut liquatum ſebum.

HE. Quid pater? vivitne? *PHI.* vivum, cùm inde abiimus, liquimus.
Nunc, vivat, nec ne, id Orcum ſcire oportet ſcilicet.
TYN. Salva res eſt: philoſophatur quoque jam, non mendaa modò eſt.
HE. Quod erat ei nomen? *PHI.* Theſaurochryſonicochryſides.
HE. Videlicet propter divitias inditum id nomen quaſi eſt.
PHI. Imò edepol propter avaritiam ipſius, atque audaciam.
Nam ille quidem Theodoromedes fuit germano nomine.
HE. Quid tu ais? tenaxne pater ejus eſt? *PHI.* imò edepol pertinax.
Quin etiam ut magis noſcas: Genio ſuo ubi quando ſacruficat,
Ad rem divinam quibus eſt opus Samiis vaſis utitur,
Ne ipſe Genius ſurripiat. proinde aliis ut credat vide.
HE. Sequere hàc me igitur. eâdem ego ex hoc quæ volo exquiſivero.
Philocrates hic fecit, hominem frugi ut facere oportuit.
Nam ego ex hoc, quo genere gnatus ſis, ſcio: hic faſſu 'ſt mihi.
Hæc tu eadem, ſi confiteri vis, tuâ re feceris:

INTERPRETATIO.

HE. *Quid, pater? vivitne?* PHI. *Quando inde profecti ſumus, reliquimus vivum: ſed ſi vivat nunc, necne, oportet inferos ſcire id ſcilicet.* TYN. *Res eſt integra, eſt jam non ſolùm mendax, ſed etiam philoſophatur.* HE. *Quod nomen habebat* PHI. *Theſaurochryſonicochryſides* HE. *Nimirum illud nomen tributum eſt veluti propter opes.* PHI. *Immò per ædem Pollucis propter ejus avaritiam & audaciam. Etenim ille quidem fuit vero nomine Theodoromedes.* HE. *Quid ais tu? Ejus pater eſtne parcus?* PHI. *Immò per ædem Pollucis parciſſimus: quin etiam ut cognoſcas magis, quando litat ſuo Genio, utitur vaſis Samiis quibus opus eſt ad rem divinam, ne Genius ipſe ſuffuretur, proinde vide quomodo confidat aliis.* HE. *Sequere me hàc ergo: ego petivero eadem quæ volo ex hoc. Hic Philocrates egit ut decebat agere hominem bonum: nam ego accipio ab ee quâ gente procreatus ſis: hic mihi confeſſus eſt: conſulueris tua fortuna; tu vis fateri hæc eadem,*

ANNOTATIONES.

35. *Theſaurochryſonicocriſides.*] Nomen item & eodem confictum conſilio, quod *theſaurum, aurum* & *victoriam* ſignificat. Alii ſcribunt *Theſauro-chryſ-onycho-cryſides:* in quo nomine eſt *unguis* ſignificatio, ut notetur hominis *avaritia*. Unde 37. verſu *propter avaritiam*. Alii *Theſauro-chryſo-nico-cryſides*, in quo nomine eſt *victoria* nomen, ut patet per 37. verſum *audaciam*. Ego facilè crediderim Philocratem abuti conſultò utroque nomine, & *unguis* ad ſignificandam *avaritiam*, & *victoria* ad notandam *ferociam* quam parit in homine conſcientia divitiarum, propter affinitatem pronunciationis, ad decipiendum ſenem. Alii verſu 37. adducti ſcribendum putant *Theſauro-crypſ-onico-chryſides*, ut inſit condendi verbum: nam eſt avari κρύπτειν τὸν θησαυρὸν propter *avaritiam*, & νικᾶν δύνασθαι τῷ χρυσῷ, *propter audaciam* quam afferunt divitiæ prægrandes.

40. *Genio ſuo ſacrificat.*] *Genius* pro *Lare* accipitur utplurimùm. Ei ſacrificabant Veteres ſub nomine *Genii*, non *Laris*, quando lautiùs erant cœnaturi. Hinc *genio indulgere, defraudare genium*.

41. *Samia vaſa.*] fictilia.

Quæ tamen ſcito ſcire me ex hoc. *TYN.* fecit officium hic ſuum,
Cùm tibi eſt confeſſus verum. quanquam volui ſedulò
Meam nobilitatem occultare, & genus, & divitias meas
Hegio. nunc quando patriam & libertatem perdidi,
Non ego iſtunc me potiùs, quàm te metuere, æquum cenſeo.
Vis hoſtilis cum iſtoc fecit meas opes æquabiles.
Memini, cùm dicto haud audebat, facto nunc lædat licet.
„ Sed viden'? FORTUNA humana fingit artatque ut lubet:
Me, qui liber fueram, ſervum fecit: è ſummo infimum.
Qui imperare inſueveram, nunc alterius imperio obſequor.
Et quidem, ſi proinde ut ipſe fui imperator familiæ,
Habeam dominum, non verear ne injuſtè aut graviter mihi imperet.
Hegio, hoc te monitum, niſi fortè ipſe non vis, volueram.
HE. Loquere audacter. *TYN.* tam ego fui antè liber, quàm gnatus tuus.
Tam mihi, quàm illi libertatem hoſtilis eripuit manus.
Tam ille apud nos ſervit, quàm ego nunc hîc apud te ſervio.
„ EST PROFECTÒ Deus, qui, quæ nos gerimus, auditque & videt.

INTERPRETATIO.

quæ ſcis tamen me accepiſſe ab hoc. TYN. *Hic functus eſt ſuo officio. quando tibi confeſſus eſt verum: quanquam volui diligenter diſſimulare meam nobilitatem & originem, & meas copias. Hegio, quando amiſi patriam & libertatem, ego non exiſtimo eſſe par, me timere illum potiùs quàm te. Vis hoſtilis fecit meas copias æquales cum hoc. Recordor quando minimè audebas lædere dicto, nunc licet lædere facto. Sed videſne? Sors res humanas tractat volvitque ut placet: me reddidit ſervum, qui fueram liber: imum è ſummo. qui ſolitus fueram dominari. nunc obtempero mandato alterius. Sanè ſi habeam dominum ſimilem mihi, quando ipſe fui dominus familiæ. non timeo ne Hegio mihi imperet injuſtè aut durè: volueram te admonere hujus rei. niſi fortè id tibi eſt moleſtum.* HE. *Dic audacter.* TYN. *Ego fui antea tam liber quàm tuus filius: exercitus hoſtium illi eripuit libertatem, ſicut mihi; ille ſervit apud nos, tanquam ego ſervio nunc hic apud te. Eſt ſanè Deus qui audit & videt quæ nos agimus.*

ANNOTATIONES.

53. *Memini.*] Tyndarus ſervus perſonam heri Philocratis ſuſtinet, & ejus verbis utitur ad decipiendum Hegionem.

54. *Humana.*] id eſt *res humanas.* Salluſtus. *Fortunam pleraſque res ex libidine ſuâ agitat* Caius. Plinius ſecundus. *Huic omnia expenſa. huic omnia feruntur accepta; & in totâ ratione mortalium ſola utramque paginam facit.* Vide in editione Delphinianâ in ipſo Autore lib. 1. cap. 7.

63. *Eſt profectò Deus.*] Sophocl. Electra, ἔστι μέγας ἐν οὐρανῷ Ζεὺς, ὃς ἐφορᾷ πάντα, καὶ κρατύνει. *Eſt magnus in cælo Jupiter, qui videt univerſa & continet.* Item: ἔστι δίκης ὀφθαλμὸς, ὅστις πάνθ' ὁρᾷ. *Eſt oculus qui videt univerſa.* Juvencus lib. hiſt. Evang.

> *Nil abſente Deo loquimur: nil abdita clauſum*
> *Pectoris antra tegunt. Cernit Deus omnia præſens.*

Silius.

> *Idem juſtitiæ cultor: quæcunque capeſſes,*
> *Teſtes factorum ſtare arbitrabere divos.*

Livius. *Dum pro ſe quiſque* DEOS ESSE, *& non negligere humana, fremunt.* Ibid. de Manlio Torquato. EST CÆLESTE NUMEN, ES MAGNE JUPITER. Id uſurpabant

Is, uti tu me hîc habueris, proinde illum illic curaverit.
„ Bene merenti benè profuerit, malè merenti par erit.
Quàm tu filium tuum, tam pater me meus deſiderat.
HE. Memini ego iſtoc. ſed faterin' eadem quæ hic faſſu 'ſt mihi?
TYN. Ego patri meo eſſe fateor ſummas divitias domi,
Meque ſummo genere gnatum. ſed te obteſtor, Hegio,
Ne tuum animum avariorem faxint divitiæ meæ:
Ne patri, tametſi unicus ſum, decere videatur magis
Me ſaturum ſervire apud te ſumptu & veſtitu tuo,
Potiùs quàm illi, ubi minimè honeſtum eſt, mendicantem vivere.
HE. Ego virtute deûm & majorum noſtrûm dives ſum ſatis.
„ Non ego omnino lucrum omne eſſe utile homini exiſtimo.
„ Scio ego; multos jam lucrum luculentos homines reddidit.
„ Est etiam, ubi profectò damnum præſtet facere, quàm lucrum.
„ Odi ego aurum! multa multis ſæpè ſuaſit perperam.
Nunc hoc animum advortito, ut ea quæ ſentio, pariter ſcias.
Filius meus illic apud vos ſervit captus Alide.

Interpretatio.

Is ſicut tu mecum egeris hic, perinde curabit illum illic. Benè profuerit benè meritò, erit par malè merito. Meus pater me deſiderat, tanquam tu deſideras tuum filium. HE. *Ego recordor hoc. ſed faterisne eadem quæ hic mihi faſſus eſt?* TYN. *Ego fateor meo patri eſſe ſummas opes domi, méque genitum ſummo genere. Sed te rogo, Hegio, ne meæ opes reddant tuum animum avariorem, ne tametſi ſum unicus, putet pater magis decere me ſervire tibi, minimè carentem cibo apud te è tuâ re, & veſtibus a te traditis, quàm vivere mendicum in patriâ, ubi minimè honeſtè eſt ſic vivere.* HE. *Ego ſum ſatis locuples gratiâ deorum & majorum noſtrorum. Ego non puto quemvis quæſtum eſſe utilem homini. Ego ſcio, quæſtus effecit jam plures homines illuſtres. Eſt etiam in quo præſtet facere damnum quàm lucrum: ego odi aurum, ſuaſit plerumque plura pluribus incaſſum. Nunc adhibete mentem huc, ut intelligas etiam quid ſentiam. Meus filius captus eſt in Elide, ſervit illic apud vos.*

Annotationes.

Ethnici ad calamitatum ſolatium, & ad deprecandam injuriam. Salluſtius ad Cæſarem. *Namque mihi pro vero conſtat, omnium mortalium vitam divino Numine inviſi: neque bonum neque malum facinus pro nihilo haberi, ſed ex naturâ diversâ præmia bonos maloſque ſequi.*

72. *Me ſaturum.*] Te obteſtor, ô Hegio, ne meæ divitiæ te reddant magis avarum, efficiantque ut à patre petas majus pretium ad me redimendum, quàm dare poterit. Nam ſi tantum pretium petas in me redimendo, ut quando dederit, neceſſe ſit poſteà me vivere in ſummâ inopiâ, tametſi ejus ſum filius unicus; tamen me ſinet potiùs vivere apud te in ſervitute quidem, ſed *ſaturum*, id eſt, pane & cibis minimè carentem, & veſtitu, quàm in libertate apud patrem in patriâ *mendicantem*, id eſt, in ſummâ egeſtate.

77. *Eſt etiam.*] Terentius.

Pecuniam in loco negligere, maximum
interdum eſt lucrum.

78. *Aurum multa multis ſuaſit.*] Phædr.

Periculoſum ſemper reputavi lucrum:
Sed dicis: Qui rapuêre divitias, habent.
Numeremus agedum, qui deprehenſi
perierint:
Majorem turbam punitorum reperies.

Heſiod.

Μὴ κακὰ κερδαίνειν, κακὰ κέρδεα,
ἶσ' ἄτῃσι.

Ne malè lucreris: mala lucra æqualia
damnis.

Eum

Eum ſi reddis mihi, prætereà unum nummum ne duis.
Et te & hunc amittam hinc. alio pacto abire non potes.
TYN. Optumum atque æquiſſimum oras, optimuſque hominum
  homo es.
Sed is privatam ſervitutem ſervit illî, an publicam?
Privatam medici Menarchi. *TYN.* pol hic quidem hujus eſt cliens.
Tam hoc quidem tibi in proclivi, quàm imber eſt, quando pluit.
HE. Fac is homo ut redimatur. *TYN.* faciam. ſed te id oro,
  Hegio.
HE. Quidvis, dum ab re ne quid ores, faciam. *TYN.* auſculta
  dum ſcies.
Ego me amitti, donicum ille huc redierit, non poſtulo.
Verùm; te quæſo, ut æſtimatum hunc mihi des, quem mittam
  ad patrem,
Ut is homo redimatur illî. *HE.* imò alium potiùs miſero
Hinc, ubi erunt induciæ, illuc tuum qui conveniat patrem:
Qui tua quæ tu miſeris mandata, ita ut velis, perferat.
TYN. At nihil eſt, ignotum ad illum mittere: operam luſeris.
Hunc mitte, hîc omne tranſactum reddet, ſi illuc venerit.
Nec quenquam fideliorem, neque cui plus credat, potes
Mittere ad eum, nec qui magis ſit ſervos ex ſententiâ:
Neque adeò quoi tuum concredat filium hodie audaciùs.
Ne vereare: meo periculo hujus ego experiar fidem,
Fretus ingenio ejus, quod me eſſe ſcit erga ſe benevolum.
HE. Mittam equidem iſtunc æſtimatum tuâ fide, ſi vis. *TYN.*
  volo,

INTERPRETATIO.

Si mihi illum reddis, prater eum ne dederis unum nummum, dimittam hinc & te & hunc. Nequis demigrare hinc alio modo. TYN. *Rogas rectiſſimum & juſtiſſimum, eſque optimus omnium hominum. Verùm ſervit illi ſervitutem privatam, an publicam?* HE. *Privatam apud Menarchum medicum.* PHI. *Per Pollucem hic profectò eſt cliens hujus. Hoc quidem tibi eſt tam in proclivi, quàm eſt imber quando pluit* HE. *Fac ut is homo redimatur.* TYN. *Faciam, ſed te obſecro, Hegio.* HE. *Quid vis agam, dummodo nihil ores ab re.* TYN. *Audi, accipies. Ego non rogo me dimitti uſque eò dum ille reverſus ſit; ſed te obſecro ut mihi des hunc poſtquam exiſtimaveris ut mittam ad patrem, ut is homo redimatur illic.* HE. *Immò miſero potiùs alium hinc illuc, ubi erunt induciæ, qui adeat tuum patrem: qui perferat tua mandata, quæ tu miſeris ſicut velis.* TYN. *Sed nihil aſſequaris ſi ad illum mitas incognitum: perdideris operam: mitte illum, hic univerſa perficiet, ſi pervenerit illuc: neque potes ad eum mittere ullum fideliorem, neque cui magis confidat, neque qui ſit ſervus magis ex ſententiâ, neque adeò cui confidat hodie* Philopolemum *tuum filium ſecuriùs. Ne formida: ego probabo ejus fidem meo periculo, confiſus ejus induſtriâ. quia ſcit ſe amari à me.* HE. *Si vis ego mittam iſtum æſtimatum, te ſponſore.* TYN. *Volo*

ANNOTATIO.

84. *Privatam ſervitutem.*] Liberti qui viris publicis miniſtrabant, ut erant Sacerdotes & Magiſtratus, appellabantur *ſervi*, non à conditione, ſed ab officio & opere. Hi publici *ſervi.*

Quàm citiſſimè poteſt, tam hoc cedere ad factum volo.
HE. Num quæ cauſſa eſt, quin ſi ille huc non redeat, viginti minas
Mihi des pro illo? *TYN.* optima imò. *HE.* ſolvite iſtum nunc jam,
Atque utrunque. *TYN.* dî tibi omnes omnia optata afferant,
Cùm me tanto honore honeſtas, cùmque ex vinclis eximis.
Hoc quidem haud moleſtum eſt jam, quòd collus collariâ caret.
„ *HE.* Quod bonis benefit beneficium, gratia ea gravida eſt bonis.
Nunc tu illum ſi illò es miſſurus; dice, demonſtra, præcipe,
Quæ ad patrem vis nunciari. vin' vocem huc ad te? *TYN.* voca.

INTERPRETATIO.

id fieri quàm velociſſimè poterit. HE. *Eſtne aliqua cauſa cur mihi des viginti minas pro illo, ſi ille non redeat huc?* TYN. *Immo* eſt *optima* cauſa. HE. *Solvite iſtum nunc jam, atque utrumque.* TYN. *Cuncti dii tibi apportent omnia propitia, quando me afficis tanto honore; cùmque eximis ex vinculis, hoc ſanè non eſt acerbum quod collum caret collari.* HE. *Beneficium quod exhibetur bonis, parit bona & gratiam. Si tu miſſurus es nunc illum illò, dic, oſtende, manda quæ vis nunciari patri. Vis vocem huc ad te?* TYN. *Voca.*

ANNOTATIONES.

102. *Cedere ad factum.*] *Perduci ad effectum.* Alii *accedere.*

103. *Num quæ cauſa.*] ſtipulationis formula.

108. *Quod bonis benefit.*] id eſt, *beneficium eſt gratia gravida & pregnans bonis.*

ACTUS SECUNDUS. SCENA TERTIA.

ARGVMENTVM.

DIMITTUNT Hegio & Tyndarus Philocratem, & votis omnibus proſequuntur, & hinc è veſtigio Hegio ad luſtrationem cæterorum captivorum proficiſcitur.

HEGIO, PHILOCRATES, TYNDARVS.

HEGIO.

QUÆ res benè vortat mihi, meoque filio,
Vobiſque! vult te novus herus operam dare
Tuo veteri domino, quod is velit, fideliter.
Nam ego te æſtumatum huic dedi viginti minis,
Hic autem te ait mittere hinc velle ad patrem,
Meum ut illic redimat filium: mutatio
Inter me atque illum ut noſtris fiat filiis.

INTERPRETATIO.

HE. *QUæ res mihi cedat feliciter & meo filio, & vobis!* Ego Hegio, tuus *novus dominus, volo te obtemperare fideliter tuo priſtino hero* Philocrati *in iis quæ voluerit: nam ego te dedi huic æſtimatum viginti minis. Hic autem dicit optare te mittere hinc ad ſuum patrem, ut redimat illic meum filium, ut fiat commutatio noſtrorum filiorum inter me & illum.*

PHI. Utroque vorſum rectum eſt ingenium meum
Ad te, adque illum, pro rotâ me uti licet.
Vel ego huc vel illuc vortar, quò imperabitis.
HE. Tute tibi eâ tuopte ingenio prodes plurimùm,
Cùm ſervitutem ita fers, uti ferre decet.
Sequere! hem tibi hominem. *TYN.* gratiam habeo tibi,
Quom copiam iſtam mihi & poteſtatem facis:
Ut ego ad parentes hunc remittam nuncium,
Qui me quid rerum hîc agitem, & quid fieri velim,
Patri meo ordine omnem rem illuc perferat.
Nunc ita convenit inter me atque hunc, Tyndare,
Ut te æſtimatum in Alidem mittam ad patrem.
Si non rebitas huc, ut viginti minas
Dem pro te. *PHI.* rectè conveniſſe ſentio.
Nam pater expectat aut me, aut aliquem nuncium,
Qui hinc ad ſe veniat. *TYN.* ergo animum advortas volo,
Quæ nunciare hinc te volo in patriam ad patrem.
PHI. Philocrates, ut adhuc locorum feci, faciam ſedulò,
Ut potiſſimùm quod in rem rectè conducat tuam,
Id petam, id conſequarque corde & animo atque viribus.
TYN. Facis ita, ut te facere oportet. nunc animum advortas volo:
Omnium primùm ſalutem dicito matri & patri,
Et cognatis, & ſi quem alium benevolentem videris,
Me hîc valere & ſervitutem ſervire huic homini optumo,

INTERPRETATIO.

PHI. *Ego habeo animum paratum ad omnia. Tu & ille poteſtis uti me ſicut rotâ. Ego volvar vel huc vel illuc quocumque mandabitis.* HE. *Idcirco tu tibi es plurimùm utilis tuâmet induſtriâ, quando ſic toleras ſervitutem ut oportet ferri. Sequere hàc: hem tibi hominem.* TYN. *Tibi ago gratias quòd mihi exhibes iſtam licentiam & facultatem, ut ego remittam hunc nuntium ad parentes, qui perferat omnia ordine ad meum patrem, quid faciam hîc & quid velim fieri. Sic convenit nunc inter me atque hunc. Tyndare, ut te mittam æſtimatum in Elidem ad patrem, ſi non repetas huc ut numerem viginti minas pro te.* PHI. *Audio rectè conveniſſe: nam pater operitur aut me, aut quemdam nuntium qui veniat hinc ad ſe.* TYN. *Igitur cupio adhibeas mentem ad ea quæ opto perferre hinc in patriam ad patrem.* PHI. *Philocrates, faciam diligenter, ut feci hucuſque temporis, ut poſtulem id quod faciat potiſſimùm rectè in tuas utilitates, & perſequar id corde, & animo, & viribus.* TYN. *Agis ſicut oportet te facere: nunc cupio adhibeas mentem. Primùm omnium dic ſalutem patri & matri & cognatis; & ſi videris aliquem amicum, dic me incolumem eſſe, & ſervire hîc ſervitutem huic optimo domino,*

ANNOTATIONES.

9. *Pro rotâ me uti.*] Ut rota quamvis in partem volvitur, ſic Philocrates morigerum ſe pollicetur, & abitum reditumque velocem. *Verſutus* à *vertendo.*

11. *Eâ.*] ſub. *ratione, quare, idcircò.*

20. *Rebitas.*] Vetus & obſoletum verbum à *beto*, quod fortè à *βαίω*, *eo, vado, rebito, redeo.*

Qui me honore honeſtiorem ſemper fecit & facit.
PHI. Iſtuc ne præcipias: facilè memoriâ memini tamen.
TYN. Nam quidem, niſi quòd cuſtodem habeo, liberum me eſſe arbitror.
Dicito patri, quo pacto mihi cum hoc convenerit
De hujus filio. *PHI.* quæ memini, mora mera eſt monerier.
TYN. Ut eum redimat, & remittat noſtrum huc amborum vicem.
PHI. Meminero. *HE.* at quamprimùm poteris, iſtuc in rem utrique eſt maximè.
PHI. Non tuum tu magis videre, quàm ille ſuum gnatum cupit.
HE. Heus mihi, Suus cuique eſt carus. *PHI.* nunquid aliud vis patri
Nunciari? *TYN.* me hîc valere, & tute audacter dicito,
Tyndare, inter nos fuiſſe ingenio haud diſcordabili:
Neque te commeruiſſe culpam, neque me advorſatum tibi.
Beneque hero geſſiſſe morem in tantis ærumnis tamen.
Neque med unquam deſeruiſſe te, neque factis, neque fide,
Rebus in dubiis, egenis. hæc pater quando ſciet,
Tyndare, ut fueris animatus erga ſuum gnatum atque ſe,
Nunquam erit tam avarus, quin te gratus emittat manu:
Et meâ operâ, ſi hinc rebito, faciam ut faciat faciliùs.
Nam tuâ operâ & comitate & virtute & ſapientiâ
Feciſti, ut redire liceat ad parentes denuò,
Cùm apud hunc confeſſus es & genus & divitias meas.
Quo pacto emiſti è vinclis tuum herum, tuâ ſapientiâ.

INTERPRETATIO.

qui me honore afficit in dies ſingules magu magiſque. PHI. *Ne admoneas me iſtius res. memini facilè memoriá.* TYN. *Etenim exiſtimo me eſſe liberum, niſi quòd habeo cuſtodem. Dic patri quomodo mihi convenerit cum hoc de ejus filio.* PHI. *Eſt perdere tempus me admonere eorum quæ recordor.* TYN. *Ut eum redimat & remittat huc pro nobis ambobus.* PHI. *Recordabor.* HE. *Sed illud eſt utrique in rem maximè id agere quàm citiſſimè poteris.* PHI. *Tu non cupis magis videre tuum filium, quàm ille ſuum* HE. *Meus mihi eſt carus, ſuus eſt cuique.* PHI. *Numquid vis nuntiari aliud?* TYN. *Me hîc valere, & tu dicito audacter, Tyndare, nos fuiſſe animo minimè diſcordi, neque te meritum fuiſſe culpam, neque me tibi adverſatum fuiſſe, & te benè obtemperaſſe, quamvis conſtituto in tantis ærumnis, me nunquam te deſtituiſſe, neque factis neque fide in rebus adverſis inopibus. Quando pater accipiet hæc, Tyndare, quomodo fueris affectus erga ſuum filium & ſe, nunquam erit tam avarus, ut non te manumittat gratis. Et ſi reverſus fuero hinc, faciam meopte Marte, ut faciat latiùs. Nam feciſti tuâ induſtriâ & humanitate & virtute & ſapientiâ, ut liceat reverti rurſus ad parentes, quando confeſſus es apud hunc & genus & meas copias: quomodo eduxiſti è vinculis tuum herum tuâ ſapientiâ.*

ANNOTATIO.

53. *Emiſti.*] *emiſiſti.*

PHI. Feci ego iſta ut commemoras; & te meminiſſe id gratum eſt mihi.
Meritò tibi ea evenerunt à me. nam nunc, Philocrates,
Si ego item memorem quæ me erga multa feciſti benè,
Nox diem adimat: nam ſi ſervus meus eſſes, nihilo ſeciùs
Mihi obſequioſus ſemper fuiſti. *HE.* dî voſtram fidem,
Hominum ingenium liberale! ut lacrumas excutiunt mihi!
Videas corde amare inter ſe: quantis laudibus ſuum herum
Servus collaudavit! *PHI.* iſtic pol haud me centeſimam
Partem laudat, quàm ipſe meritus eſt, ut laudetur laudibus.
HE. Ergo cùm optimè feciſti, nunc adeſt occaſio
Benefacta cumulare, ut erga hunc rem geras fideliter.
PHI. Magis non factum poſſum velle, quàm operâ experiar perſequi:
Id ut ſcias, Jovem ſupremum teſtem laudo, Hegio,
Me infidelem non futurum Philocrati. *HE.* probus es homo.
PHI. Nec me ſecus unquam ei facturum quicquam, quàm memet mihi.
TYN. Iſtæc dicta te experiri & operis & factis volo.
Et quò minùs dixi, quàm volui de te, animum advortas volo.
Atque horunc verborum cauſsâ caveto mihi iratus fuas.
Sed te quæſo, cogitato, hinc meâ fide mitti domum
Te æſtimatum, & meam eſſe vitam hîc pro te poſitam pignori.
Ne tu me ignores, cùm extemplò meo è conſpectu abſceſſeris.

INTERPRETATIO.

PHI. *Ego feci iſta, ut commemoras, & mihi jucundum eſt te meminiſſe id. Ea tibi evenerunt meritò à me: nam nunc, Philocrates, ſi ego commemorem etiam multa beneficia quibus me affeciſti, nox adimat lucem. Nàm ſi eſſes meus ſervus, nihilominus fuiſti ſemper morigerus.* HE. *Dii veſtram fidem! animum ingenuum hominum! ut mihi exprimunt lacrymas! conſpicias inter ſe diligere corde, quantis laudibus ſervus affecit ſuum herum!* PHI. *Per Pollucem ille minimè me laudat centeſimam partem, quam ipſe eſt promeritus celebrari laudibus.* HE. *Igitur quoniam feciſti rectè, adeſt nunc occaſio cumulandorum rectè factorum, ut geras rem fideliter erga hunc.* PHI. *Non poſſum optare id fieri tam velociter quàm perſequar reipſâ. Ut ſcias id, Hegio, appello teſtem ſupremum Jovem, me non futurum infidelem Philocrati.* HE. *Es bonus vir.* PHI. *Neque me acturum ſecus unquam quidquam quàm memet mihi.* TYN. *Volo te experiri iſta promiſſa & officiis & factis & animadvertas, quæſo, me quò minora dixi de te quàm volui, eò plura eſſe exhibiturum: & vide ne ſis iratus mihi propter ea verba. Verùm te obſecro, cogita te dimitti domum hinc æſtimatum me ſponſore, & meam vitam eſſe oppignoratam pro te, ne tu mei obliviſcaris, quando abſceſſeris repentè à meo conſpectu.*

ANNOTATIONES.

56. *Med erga.*] *erga me.*

60. *Amare inter ſe.*] *Voyez-vous comme ils s'entr'aiment? Inter ſe*, eſt *invicem.* Propertius.

Inter nos lateamur amantes.

66. *Teſtem laudo.*] Nonius. *Laudare ſignificat priſcâ linguâ nominare, appellareque.*

74. *Ignores.*] *Ne faites pas ſemblant de ne me point connoiſtre.*

Quom me ſervom in ſervitute pro te hîc reliqueris;
Tuque te pro libero eſſe ducas, pignus deſeras:
Neque des operam, pro me ut huius reducem facias filium.
Scito te hinc minis viginti æſtimatum mittier:
Fac fidelis ſis fideli. cave fidem fluxam geras.
Nam pater, ſcio, faciet, quæ illum facere oportet, omnia.
Serva in perpetuum tibi amicum me, atque hunc inventum inveni.
Hæc per dexteram tuam te dexterâ retinens manu,
Obſecro, infidelior mihi ne fuas, quàm ego ſum tibi.
Tu hoc age: tu mihi herus nunc es, tu patronus, tu pater:
Tibi commendo ſpes opéſque meas. *PHI.* mandaſti ſatis.
Satin' habes, mandata quæ ſunt, facta ſi refero? *TYN.* ſatis.
PHI. Et tuâ & tuâ huc ornatus reveniam ex ſententiâ.
Nunquid aliud? *TYN.* ut quamprimùm poſſis, redeas. *PHI.* res monet.
HE. Sequere me, viaticum ut dem a trapezitâ tibi:
Eâdem operâ à Prætore ſumam ſyngraphum. *TYN.* quem ſyngraphum?
HE. Quem hic ferat ſecum ad legionem, hinc ire huic ut liceat domum.
Tu intrò abi. *TYN.* benè ambulato. *PHI.* benè vale. *HE.* edepol rem meam
Conſtabilivi, cùm illos emi de prædâ à Quæſtoribus.
Expedivi ex ſervitute filium, ſi dîs placet.

INTERPRETATIO.

quando me deſerueru hic ſervum in ſervitute pro te, tuque ducas te eſſe liberum, deſlituas pignus: neque enitaru ut facias reducem filium hujus pro me; tutè te mitti hinc æſtimatum viginti minis. Da operam ſis fidelu fideli, cave ne ſis fide fluxâ. Nam pater, ſcio, geret cuncta quæ oportet illum facere; ſerva me tibi in perpetuum amicum, atque tibi compara hunc Hegionem jam comparatum. Hæc roge per tuam dextram, te retinens manu dextrâ, ne mihi ſis infidior, quàm ego tibi ſum. Tu age hoc: tu mihi es nunc herus, tu patronus, tu pater, tibi commendo meas ſpes & opes. PHI. *Satis præcepiſti: eſtne ſatis ſi faciam quæ ſunt imperata?* TYN. *Satis.* PHI. *Huc revertar ornatus ex tuâ ſententiâ. Numquid vis aliquid aliud?* TYN. *Ut repetas quàm celerrimè potueris.* PHI. *Res hortatur.* HE. *Sequere me hinc, ut tibi dem viaticum à trapezitâ: eodem tempore accipiam ſyngraphum à Prætore.* TYN. *Quem ſyngraphum?* HE. *Quem hic ferat ſecum ad legionem, ut huic liceat ire domum. Tu abi intrò.* TYN. *Ambulabe benè.* PHI. *Benè vale.* HE. *Per ædem Pollucis conſului rectè meis rebus, quando illos emi à Quæſtoribus de prædâ. Expedivi filium ex ſervitute, ſi diis placet.*

ANNOTATIONES.

76. *Pignus deſeras.*] Tyndarum qui quidem pignus & obſes pro abeunte Philocrate.

81. *Inventum inveni.*] Fac ut jam tibi devinctum herum tuis officiis, ſic ſingulari beneficio devincias arctiùs.

At etiam dubitavi hos homines emerem, an non emerem, diu.
Servate iſtum ſultis intus, ſervi: ne quoquam pedem
Efferat ſine cuſtode. ego apparebo domi.
Ad fratrem modò captivos alios inviſo meos.
Eâdem percontabor, ecquis hunc adoleſcentem noverit.
Sequere tu, te ut amittam, ei rei primùm prævorti volo.

INTERPRETATIO.

At dubitavi etiam diu utrùm emerem hoſce homines, an non emerem. Servi, ſervate iſtum intus, ſi vultis, ne eat quòquam ſine cuſtode. Ego jam proficiſcar domum. Ad fratrem inviſam mox meos alios captivos. Percontabor eodem tempore, ecquis novit hunc adoleſcentem. Tu ſequere, ut te dimittam. Volo ante omnia conſulere ei rei.

ANNOTATIO.

99. *Eâdem.*] ſub. *operâ: eodem tempore.*

ACTUS TERTIUS.

ARGVMENTVM.

HEGIO indicio Ariſtophontis ſe circumventum eſſe à captivis intelligit, habere apud ſe Tyndarum pro Philocrate, ſervum pro hero. Excandeſcit Hegio duplici titulo, & quòd deceptus fuerit, & quòd magnam jacturam feciſſe ſe putat.

ACTUS TERTIUS. SCENA PRIMA.

ARGVMENTVM.

ERGASILUS deplorat vicem ſuam, & labentis in pejus ſæculi mores, quòd infrequentiùs multò ad cœnam invitatur: quòd nihili fiant dicta illa faceta, quibus eſſe ſolebat aditus ad omnes cœnas expeditus.

ERGASILUS.

MISER homo eſt, qui ipſe ſibi quod edit quærit, & id ægrè invenit:
Sed ille eſt miſerior, qui & ægrè quærit, & nihil invenit.

INTERPRETATIO.

ERG. *Homo qui quærit ipſe quod manducet, & id reperit difficilè, eſt infelix: verùm ille eſt infelicior, qui & quærit ægrè, & reperit nihil,*

Ille miſerrimus eſt, qui cùm eſſe cupit, quod edit non habet.
Nam hercle ego huic diei, ſi liceat, oculos effodiam libens,
Ita malignitate oneravit omnes mortales mihi.
Neque jejunioſiorem, neque magis effertum fame
Vidi: nec qui minùs procedat, quicquid facere occeperit.
Itaque venter gutturque reſident eſuriales ferias,
Ilicet paraſiticæ arti maximam in malam crucem!
Ita juventus jam ridiculos inopéſque ab ſe ſegregat.
Nihil morantur jam Laconas imi ſubſellii viros,
Plagipatidas, quibus ſunt verba ſine penu & pecuniâ.
Eos requirunt, qui, libenter cùm ederint, reddant domi:
Ipſi obſonant, quæ paraſitorum antè erat provincia.
Ipſi de foro tam aperto capite ad lenones eunt,
Quàm in tribu aperto capite ſontes condemnant reos.
Neque ridiculos jam teruncii faciunt. ſeſe omnes amant.
Nam ut dudum hinc abii, acceſſi ad adoleſcentes in foro:
Salvete, inquam! Quò imus unà, inquam, ad prandium? atque illi tacent.

INTERPRETATIO.

Ille eſt infeliciſſimus, qui, quando eſurit, non habet quod manducet. Nam per Herculem ego eruam lubenter oculos huic diei, ſi liceat, adeò inſtruxit univerſos homines nequitiâ adversùs me: neque conſpexi jejuniorem neque pleniorem eſurie, neque cui ſuccedat minùs quidquid inſtituerit agere. Igitur venter & guttur agitant ferias eſuriales. Licet ire arti paraſiticæ in malam crucem maximam! adeò juventus ſummovet jam à ſe eos qui movent riſum & egenos. Aſpernantur nunc Paraſitos, viros Laconibus ſimiles, imorum lectorum, plagarum patientes, quibus ſunt verba ſine penu & pecuniâ. Quærunt eos qui, quando manducarint, reddere poſſint domi. Parant ipſi obſonia, quod erat anteà munus Paraſitorum. Ipſi commeant de foro ad lenones, capite perinde detecto, atque condemnant reos in tribu, capite detecto; neque æſtimant tribus unciis eos qui riſum movent. Univerſi ſeſe amant. Nam quando exceſſi pridem hinc, conveni juvenes in foro: Salvete, inquam! Quò pergimus ſimul, inquam, Ad cœnam? Atque illi ſilent.

ANNOTATIONES.

7. *Nec qui minùs.*] *qui* pro *quo.*

8. *Eſuriales ferias reſident.*] id eſt, *agitant ſedendo, reſidere* activè poſitum. *Eſuriales* autem *feriæ* dicuntur, quia quemadmodum feſtis diebus ab opere ceſſant & quieſcunt, ſic venter & guttur ab edendo ceſſant.

9. *Ilicet.*] id eſt, *licet arti noſtræ ire in crucem*, aut, *valeat ars noſtra.*

11. *Laconas.*] *Lacones* ſolebant pueros & adoleſcentes crebrò & publicè verberibus concidere, ad eos ad patientiam indurandos. *Laconas* appellat Paraſitos, id eſt, ad omne contumeliarum genus factos homines.

Imi ſubſellii viros.] Paraſiti in ultima ſubſellia, imoſque accumbentium menſæ lectos ſummovebantur per contemptum. *Imi* etiam *ſubſellii* dicuntur in ordine ſuo omnium minimè ſpectati. Cicero. *Res longi ſubſellii* eſt, quæ multorum indiget deliberatione.

12. *Plagipatidas.*] *qui plagas ultrò patiuntur.* Idem quod *Lacones.*

15. *Aperto capite.*] nonniſi *involuto capite.* Etiam Ethnici in loca inhoneſta ingrediebantur. Paraſitus hoc notat corruptos ſæculi ſui mores.

17. *Ne teruncii faciunt.*] id eſt, *tribus unciis.* Pretium certum proverbialiter pro incerto.

Quis

Quis ait? hòc. aut, quis profitetur? inquam. quaſi muti ſilent:
Neque me ridenr. Ubi cœnamus? inquam. atque illi abnuunt.
Dico unum ridiculum dictum de dictis melioribus,
Quibus ſolebam menſtruales epulas antè adipiſcier.
Nemo ridet. ſcivi extemplò rem de compacto geri.
Ne canem quidem irritatam voluit quiſquam imitarier.
Saltem, ſi non arriderent, dentes ut reſtringerent.
Abeo ab illis, poſtquam video me ſic ludificarier.
Pergo ad alios, venio ad alios, deinde ad alios: una res.
Omnes compacto rem agunt, quaſi in velabro olearii.
Nunc redeo inde, quoniam me ibi video ludificarier.
Item alii Paraſiti fruſtra obambulabant in foro.
Nunc barbaricâ lege certum eſt jus meum omne perſequi.
Qui concilium iniêre, quò nos victu & vitâ prohibeant,
His diem dicam: irrogabo multam: ut mihi cœnas decem
Meo arbitratu dent, cùm cara annona ſit. ſic egero.
Nunc ibo ad portum hinc. eſt illic mihi una ſpes cœnatica:
Si ea decollabit, redibo huc ad ſenem, ad cœnam aſperam.

INTERPRETATIO.

Quis dicit illuc? aut quis pollicetur cœnam? Alloquor. Tacent velut elingues, ne irrident quidem me. Ubi cœnabimus, inquam? Atqui illi abnuunt. Profero unum verbum facetum de acutioribus verbis quibus conſueveram antea conſequi epulas in menſem integrum: nemo ridet. Intellexi ſtatim id fieri, veluti de compoſito, ne unus quidem voluit imitari canem iratam: ſi non arrident, quin ſaltem ſtringunt dentes. Poſtquam animadverto me ludificari, ſic diſcedo ab iis, demigro ad alios, deinde ad alios: eſt eadem res. Cuncti gerunt id ex compacto, velut in tabernaculo in quo eſt oleum venale. *Jam revertor inde, quoniam animadverto me ludificari ibi. Sic cæteri Paraſiti, quod verſabantur incaſſum in foro. Nunc ſtatui perſequi omne meum jus lege Romanâ, dicam diem iis qui inivere conſilium, quomodo nos arceant victu & vitâ:* latâ in eos *infligam pœnam, ut mihi parent decem cœnas ad meum nutum, quando annona erit cara. Sic faciam. Nunc proficiſcar hinc ad portum. Mihi affulget illic ſpes una cœnandi: ſi ea fefellerit, repetam huc ad cœnam inſuavem apud Hegionem.*

ANNOTATIONES.

25. *Canem irritatam.*] Nudat dentes canis irritata, quamvis ſine joco: id optaret ſibi exhiberi ſaltem ab juventute Paraſitus.

29. *Quaſi in velabro olearii.*] Qui res eaſdem venales proponunt, eam ſibi legem indicunt, ut eodem pretio divendant. *Velabrum olearii* nihil eſt aliud quàm quod ſuperjicitur, tabernaculi in modum, oleo & oleariis ad arcendum calorem Solis. Paraſitus conqueritur de juvenibus, quibus eſt eadem agendi ratio; & rejiciendorum Paraſitorum, quaſi factâ conſpiratione, voluntas.

32. *Barbaricâ lege.*] id eſt *Romanâ.* Fingit enim Plautus in Græciâ hanc exhiberi Fabulam. Erat autem Romæ Lex, ut ne quis autoritate privatâ conventum celebraret. Paraſitus reos juvenes dicit hujus ſceleris, utpote qui in Paraſitos, quaſi conventu habito, conſpirarint.

37. *Decollabit.*] Nonius. *De collo deponet. Decollabit*, id eſt, *de collo decidat, cadat.* Veteres enim de collo appendebant crumenam. Suetonio *ſuccollare*, humeris ſubire. *Decollare* aliis eſt *collum abſcindere.* Aliis cum uno *l*, *decolabit*, à liquoribus ſumptum qui defluunt per colum.

ACTUS TERTIUS. SCENA SECUNDA.

ARGUMENTUM.

HEGIO nondum compertâ fraude captivorum duorum, gratulatur ſibi, tum propter recti facti conſcientiam, tum vel maximè propter gratulationes omnium civium ſuorum. Narrat quemadmodum rogaverit ab aliis captivis, utrùm eſſet aliquis qui Philocratem noſſet; prodiiſſe Ariſtophontem, qui profiteretur ſe eſſe ejus, & civem, & ſodalem, & amicum ſingularem. Inde mandat Tyndaro ut unà veniat ad Ariſtophontem.

HEGIO.

QUID eſt ſuavius, quàm benè rem gerere bono publico; ſicut ego feci heri,
Cùm emi hoſce homines? Ubi quiſque vident, eunt obviam,
Gratulanturque eam rem. ita me miſerum reſt.tando,
Retinendoque laſſum reddiderunt.
Vix ex gratulando miſer jam eminebam;
Tandem alii ad Prætorem: ibi vix requievi: rogo ſyngraphum;
Datur mihi: illicò dedi Tyndaro. ille abiit domum.
Inde illicò revortor domum. poſtquam id actum eſt, eo:
Protinus ad fratrem inde abii, mei ubi ſunt alii captivi.
Rogo, Philocratem ex Alide ecquis omnium noverit?
Tandem hic exclamat, eum ſibi eſſe ſodalem. dico eſſe eum
Apud me. hic extemplò orat obſecratque, eum ſibi ut liceat
Videre. juſſi illicò hunc exſolvi. nunc tu ſequere me,
Ut quod me oraviſti, impetres, eum hominem ut convenias.

INTERPRETATIO.

HEG. *QUid eſt jucundius quàm adminiſtrare rectè negotium in bonum publicum, quemadmodum egi heri, quando mercatus ſum illos homines? Statim atque omnes me conſpiciunt. veniunt obvium, gratulantur eam rem. Sic me defatigaverunt infelicem, in me ſiſtendo retinendoque. Vix ſurgebam jam infelix ex gratulando: tandem profectus ſum ad Prætorem. Vix conſedi ibi; rogo ſyngraphum. Mihi datur: illicò dedi Tyndaro. Ille migravit domum, inde ſtatim revertor domum. Poſtquam id geſtum eſt ibi, protinus ego commeavi ad fratrem. ubi ſunt mei alii captivi. Peto num quis eorum norit Philocratem Elienſem? Tandem hic exclamat eum eſſe ſuum ſodalem. Dico eum eſſe apud me: hic ſtatim rogat obteſtaturque ut ſibi liceat eum intueri. Mandavi ſtatim hunc exolvi. Nunc tu, ſequere me, ut conſequaris quod me rogaviſti, ut alloquaris hominem.*

ANNOTATIONES.

5. *Eminebam.*] Inter ſalutandum demittunt ſeſe, demiſeruntque ſemper homines; unde cùm reſurgunt, *eminere* dicit Poëta.

Miſer.] *Miſerum* ſe ipſe vocat, quòd complexu & gratulatione amicorum retentus ac defeſſus ſit.

ACTUS TERTIUS. SCENA TERTIA.

ARGUMENTUM.

TYNDARUS magnopere conſpectum formidat Ariſtophontis, cui notus eſt & pernotus, tum Philocrates, tum ipſe Tyndarus, à quo providet fraudem ſuam, & Philocratis, jamjam eſſe detegendam: ſeſe accingit ad novas fallacias.

TYNDARUS.

NUnc illud eſt, cùm me fuiſſe quàm eſſe nimio mavelim:
Nunc ſpes, opes, auxiliáque à me ſegregant ſpernuntque ſe.
Hic ille eſt dies, cùm nulla vitæ meæ ſalus ſperabilis eſt:
Neque exilium exitio eſt; neque adeò ſpes, quæ mihi hunc aſpellat metum:
Nec mendaciis ſubdolis mihi uſquam mantellum eſt meis.
Nec ſycophantiis, nec fucis ullum mantellum obviam eſt.
Neque deprecatio perfidiis meis, nec malefactis, fuga eſt.
Nec confidentiæ uſquam hoſpitium eſt, nec diverticulum dolis.
Operta quæ fuère, aperta ſunt: patent præſtigiæ.
Omnis res palàm eſt: neque de hâc re negotium eſt, quin malè
Occidam, oppetamque peſtem, heri vicem meamque.
Perdidit me Ariſtophontes hic, qui intrò venit modò:
Is me novit: is ſodalis Philocrati & cognatus eſt.

INTERPRETATIO.

TYN. *NUnc ita ſe res habet, ut malim me eſſe mortuum, quàm vivere: nunc ſpes, opes, præſidia, recedunt à me, contemnuntque. Hic dies eſt ejuſmodi, ut jam nulla ſalus affulgeat, neque appareat, quo declinem exitium. Neque adeò eſt ſpes ulla quæ depellat à me metum: neque mihi eſt uſquam prætextus meis callidis mendaciis. nec occurrit ullum velamentum ſycophantiis & fucis, neque excuſatio meis fraudibus, neque eſt declinatio malefactis: neque eſt uſquam perfugium audaciæ, neque diverticulum fallaciis: ea quæ fuerunt tecta, ſunt retecta: præſtigiæ patent, omnis res eſt palàm: neque eſt quicquam quod impediat quominus diſpeream male, & oppetam mortem pro me & pro meo hero. Hic Ariſtophontes, qui mox ingreſſus eſt, me perdidit: is me novit: is eſt ſocius Philocrati, & cognatus.*

ANNOTATIONES.

1. *Nimio malim.*] Alii *nimio mavelim. Mavelim & velim* antiquitus, *o* retentâ, ſicut retinuit *nolim*. Priſcianus. *Pro volam, velim. autoritas non irrationabiliter tradidit dicere: & volim tamen pro velim proferebant Antiqui.* Cicero. *Quò faciliùs id quod dicere volimus, intelligere poſſit.*

4. *Exilium exitio eſt.*] id eſt, *qua evadam exitium*, ſive *ab exitio. Exilium* hic eſt *exitus.*

6. *Mantellum.*] Paludamenti genus tegendo & occultando corpori aptum, translatum ad prætextum, obvelandis animo animique vitiis idoneum.

7. *Neque deprecatio perfidiis.*] *Deprecari* apud Oratores, eſt cùm facinus confitetur reus, ſed veniam rogat.

Neque jam Salus ſervare, ſi volt, me poteſt: nec copia eſt,
Niſi ſi aliquam corde machinor aſtutiam.
Quàm, malùm! quid machiner? quid comminiſcar? maximas
Nugas ineptiaſque incipiſſo. hæreo.

INTERPRETATIO.

Neque ſalus ipſa me valet ſervare, ſi cupiat: nec eſt facultas, neque ſi comminiſcor quandam fallaciam in animo. Quàm, malum! Quid excogitem? Quid inveniam? Incipio maximas nugas ineptiaſque. Hæreo.

ANNOTATIONES.

14. *Neque jam ſalus.*] Hyperbole eſt qua innuit tam funditus fortunas eſſe everſas, ut fruſtrà *ſalus* ipſa ſuccurrat.

19. *Quàm, malùm.*] *Malum* hoc loco eſt interjectio impatientis animi. Affines ſunt interjectiones illiberales quidem: ſed apud nos plus æquo uſitatæ, *diable! peſte!*

ACTUS TERTIUS. SCENA QUARTA.

ARGUMENTUM.

TYNDARUS ab Hegione in conſpectum Ariſtophontis adductus, pendet animi quid dicat, quid moliatur; quâ ratione peſtem ſibi ab Ariſtophonte impendentem deteſtetur ac deprecetur. Hegio, quia Ariſtophontes Philocratem pro Tyndaro accipere videtur, dominum pro ſervo; Tyndari defenſionem ſuſcipit. Tum Tyndarus admonet Hegionem, Ariſtophontem vecordiâ identidem laborare. Et credit primùm Hegio Tyndaro. Exiſtentes in vultu iracundiæ notas pro vecordiæ indiciis capit: ſed tandem convincitur Tyndarus maximè ex deſcriptione Philocratis quam facit Ariſtophontes, & uno tempore ſe fraude circumventum Hegio animadvertit. Itaque mandat Lorariis ut comprehendant Tyndarum, & catenis onuſtum in carcerem conjiciant.

HEGIO, TYNDARUS, ARISTOPHONTES, LORARII,

HEGIO.

QUò illum nunc hominem proripuiſſe foras ſe dicam ex ædibus?
TYN. Nunc enimverò ego occidi: eunt ad te hoſtes, Tyndare. quid loquar?
Quid fabulabor? quid negabo, aut quid fatebor? mihi
Res omnis in incerto ſita eſt. quid rebus confidam meis?
Utinam te dî priùs perderent, quàm periiſti è patriâ tuâ,

INTERPRETATIO.

HE. *QUò nunc ille homo ſe ſubduxit ex ædibus?* TYN. *Nunc enimverò ego interii: hoſtes veniunt ad te. Tyndare. Quid dicam? Quid loquar? Quid negabo, aut quid confitear? Omne negotium eſt poſitum in ancipiti. Quid credam meæ ſorti! Utinam dii te perdidiſſent antequam perderes patriam,*

ANNOTATIO.

2. *Eunt ad te hoſtes.*] quaſi dicat, *Tyndare, mets-toy bien ſur tes gardes.*

Ariſtophontes, qui ex paratâ re imparatam omnem facis.
Occiſa eſt hæc res, niſi reperio atrocem mihi aliquam aſtutiam.
HE. Sequere. hem! tibi hominem. adi, atque alloquere.
TYN. quis homo eſt me hominum miſerior?
AR. Quid iſtuc eſt, quòd meos te dicam fugitare oculos, Tyndare?
Proque ignoto me aſpernari, quaſi me nunquam noveris?
Equidem tam ſum ſervus, quàm tu: etſi ego domi liber fui,
Tu uſque à puero ſervitutem ſerviviſti in Alide.
HE. Edepol minimè miror, ſi te fugitat, aut oculos tuos,
Aut ſi te odit, qui iſtum appelles Tyndarum pro Philocrate.
TYN. Hegio, hic homo rabioſus habitus eſt in Alide.
Ne tu, quod iſtic fabuletur, auris immittas tuas.
Nam iſtic haſtis inſectatus eſt domi matrem & patrem.
Et illic iſti, qui ſputatur, morbus interdum venit.
Proin tu ab iſtoc procul recedas. *HE.* ultrò iſtum à me. *AR.* ain', verbero,
Me rabioſum? atque inſectatum eſſe haſtis meum memoras patrem?
Et eum morbum mihi eſſe, ut quî me opus ſit inſputarier?
HE. Ne verere: multos iſte morbus homines macerat,
Quibus inſputari ſaluti fuit. *TYN.* atque Aliis profuit.
AR. Quid tu autem, etiam huic credis? *HE.* quid ego credam huic? *AR.* inſanum eſſe me.

INTERPRETATIO.

Ariſtophontes, qui efficis ex re inſtitutâ rem confuſam! hæc res eſt everſa, niſi comminiſcor quamdam fallaciam immanem. HE. *Sequere. Hem! tibi hominem: adi, atque alloquere.* TYN. *Quis eſt homo miſerior me hominum?* AR. *Quid eſt illud, quod fugitas ſic meos oculos, Tyndare, meque contemnis quaſi ignotum, quaſi me nunquam noveris! Equidem ſum tam captivus quàm tu; & ſi ego fui liber domi, tu ſerviſti ſervitutem in Elide uſque à pueritiâ.* HE. *Per ædem Pollucis non miror ſi à te declinat, & à tuis oculis, aut ſi te averſatur, qui eum appelles Tyndarum pro Philocrate.* TYN. *Hegio, hic homo creditus eſt rabioſus in Elide, ne tu adhibeas tuas aures ad ea quæ iſte garrit: etenim iſte perſecutus eſt domi patrem & matrem telis. Et ille morbus illum corripit nonnunquam, & hic morbus levatur ſputo. Proinde tu abſiſte longè ab iſto.* HE. *Ultrò iſtum à me.* AR. *Dicis ne, maſtigia, me rabie percitum? & dicis me perſecutum eſſe cum telis meum patrem, & mihi eſſe eum morbũ quem oportet curari ſputo.* HE. *Ne pudeat* te iſtius morbi: *iſte morbus vexat multos homines, quibus fuit ſalutare inſputari.* TYN. *Atque fuit ſalutare Elienſibus.* AR. *Quid? tu etiam huic habes fidem?* HE. *Quid huic credam igitur?* AR. *Me eſſe dementem.*

ANNOTATIONES.

18. *Morbus qui ſputatur.*] Comitialis eſt, ſeu Herculeus, ad cujus arcendam contagionem deſpuendum eſſe cenſebant Medici, ſi quis in eum incideret qui hoc morbo jactaretur. Porrò inſtinctu neſcio quo deſpuimus, ſi aut putre aliquod vulnus conſpicimus, aut tetro aliquo odore occupamur.

TYN. Viden' tu hunc, quàm inimico voltu intuetur? concedi hunc optumum eſt.
Hegio, fit quod tibi ego dixi: gliſcit rabies. cave tibi.
HE. Credidi eſſe inſanum extemplò, ubi te appellavit Tyndarum.
TYN. Quin ſuum ipſe interdum ignorat nomen, neque ſcit qui ſiet.
HE. At etiam te ſuum ſodalem eſſe aiebat. *TYN.* haud vidi magis.
Et quidem Alcmæo, atque Oreſtes & Lycurgus poſteà,
Unâ operâ mihi ſunt ſodales, quâ iſte. *AR.* at etiam, furcifer,
Malè mihi loqui audes? non ego te novi? *HE.* pol planum id quidem eſt
Non noviſſe, qui iſtum appelles Tyndarum pro Philocrate.
Quem vides, eum ignoras: illum nominas, quem non vides.
AR. Imò iſte eum ſeſe ait, qui non eſt, eſſe; & qui verò eſt, negat.
TYN. Tu enim repertus, Philocratem qui ſuperes veriverbio!
AR. Pol ego, ut rem video, tu inventus, verâ vanitudine
Qui convineas. ſed quæſo hercle agedum aſpice ad me. *TYN.* hem! *AR.* dic modò.
Te negas Tyndarum eſſe? *TYN.* Nego, inquam. *AR.* tun' te Philocratem eſſe ais?

INTERPRETATIO.

TYN. *Cernisne tu hunc, quàm intuetur vultu torvo! eſt bonum abſiſtere. Hegio, id fit quod ego tibi dixi: rabies invadit: cave tibi.* HE. *Arbitratus ſum eum eſſe vecordem, ſtatim atque te appellavit Tyndarum.* TYN. *Quin ipſe ignorat ſuum nomen aliquando, neque ſcit, qui ſit.* HE. *Sed etiam dicebat te eſſe ſuum ſocium.* TYN. *Nunquam vidi hominem: Alcmæo, atque Oreſtes & Lycurgus, ſunt mei ſodales perinde atque iſte.* AR. *Sed etiam, furcifer, tu audes malè loqui de me: ego non te novi?* HE. *Per Pollucem id profectò eſt apertum, te non noviſſe eum quem appellas Tyndarum pro Philocrate. Ignoras eum quem cernis, nominas illum quem non cernis.* AR. *Immò iſte dicit ſeſe eſſe eum qui non eſt; negat vero ſe eſſe qui eſt.* TYN. *Tu enim inventus es qui vincas Philocratem ſinceritate in verbis.* AR. *Per Pollucem, ut ego animadverto, tu es repertus qui vera* dicentem *vincas vanis dictis. Sed agedum per Herculem aſpice ad me, quæſo.* TYN. *Hem.* AR. *Dic jam, negas te eſſe Tyndarum?* TYN. *Nego, inquam.* AR. *Tune dicis te eſſe Philocratem?*

ANNOTATIONES.

26. *Gliſcit.*] id eſt, *augeſcit, igneſcit.* [illegible], id eſt, *appetere.* Virgil.
——— *accenſa gliſcit violentia Turno.*

30. *Alcmæo, Oreſtes, Lycurgus.*] Tres Furioſi inſignes. Primus, Amphiarai & Eriphilæ filius, imperio patris matrem interemit. Alter, Agamemnonis & Clytemneſtræ filius, matrem necavit. *Lycurgus* Thracius, quia vitibus excifis in Thraciá, & abrogato vini uſu, Bacchum offenderat, in furorem actus eſt.

TYN. Ego, inquam. *AR.* túne huic credis? *HE.* plus quidem, quàm tibi aut mihi.
Nam ille quidem, quem tu hunc memores eſſe, hodie hinc abiit Alidem
Ad patrem hujus. *AR.* quem patrem, qui ſervus eſt? *TYN.* & tu quidem
Servus, & liber fuiſti, & ego me confido fore,
Si hujus huc reconciliaſſo in libertatem filium.
AR. Quid ais, furcifer? tun' te gnatum memoras liberum?
TYN. Non equidem me Liberum, ſed Philocratem eſſe aio. *AR.* quid eſt?
Ut ſcelestus, Hegio, nunc iſte ludos facit!
Nam is eſt ſervus ipſe, neque præter ſe unquam ei ſervus fuit.
TYN. Quia tute ipſe eges in patriâ, nec tibi, qui vivas, domi eſt,
Omnis inveniri ſimiles tibi vis. non mirum facis.
„ Est miserorum, ut malevolentes ſint atque invideant bonis.
AR. Hegio, vide ſis, ne quid tu huic temerè inſiſtas credere.
Atque, ut perſpicio, profectò jam aliquid pugnæ edidit.
Filium tuum quòd redimere ſe ait, id neutiquam mihi placet.
TYN. Scio te id nolle fieri: efficiam tamen ego id, ſi dî adjuvant.
Illum reſtituam huic; hic autem in Alidem me meo patri.
Propterea ad patrem hinc amiſi Tyndarum. *AR.* quin tute is es:
Neque præter te in Alide ullus ſervus iſtoc nomine eſt.
TYN. Pergin' ſervum me exprobrare eſſe, id quod vi hoſtili obtigit?

Interpretatio.

TYN, *Ego, inquam.* AR. *Crediſne huic tu, Hegio?* HE. *Magis profectò quàm tibi aut mihi. Nam ille quidem quem tu loqueris hunc eſſe, abiit hodie hinc in Elidem ad patrem hujus.* AR. *Quem patrem, qui eſt ſervus?* TYN. *Et tu quidem fuiſti ſervus & liber. & ego ſpero me fore liberum, ſi reduxero in libertatem filium Hegionis.* AR. *Quid ais, furcifer! Tune dicis te natum liberum?* TYN. *Ego profectò non dico me eſſe liberum, ſed eſſe Philocratem.* AR. *Quid eſt quod hic nefarius. Hegio, te ludificatur nunc: nam is ipſe eſt ſervus, neque unquam ei fuit ſervus præter ſe.* TYN. *Quoniam tu ipſe es inops in patriâ, nec tibi eſt domi quo vivas, vis cunctos reperiri tibi ſimiles: non facis mirum, eſt infelicium ut ſint malevolentes atque invidi divitibus.* AR. *Vide, ſi vis, Hegio, ne tu pergas huic credere temerè, &, ut animadverto, profectò jam machinatus eſt aliquid, quia dicit ſe redimere tuum filium, id nullo modo mihi placet.* TYN. *Intelligo te nolle id fieri; tamen aſſequar id, ego, ſi dii opitulentur, illum huic reddam, hic verò me reddet meo patri in Elide, idcirco dimiſi hinc Tyndarum ad patrem.* AR. *Quin es tu ipſe, neque eſt ullus ſervus eo nomine in Elide præter te.* TYN. *Proſequeriſne exprobrare me eſſe ſervum, id quod accidit viribus hoſtium?*

Annotatio.

42. *Quem patrem,*] Id Ariſtophontis oſtendit ſervos fuiſſe apud Veteres ſicut belluas, in quibus nulla cura eſt genealogiæ, quo patre ſint, & cujus prolis autores.

AR. Enimverò jam nequeo contineri. *TYN.* heus! audin' quid ait? quin fugis?
Jam illic hic nos inſectabit lapidibus, niſi illunc jubes
Comprehendi. *AR.* crucior. *TYN.* ardent oculi. fune opu 'ſt, Hegio.
Viden' tu illi maculari corpus totum maculis luridis?
Atra bilis agitat hominem. *AR.* at pol te, ſi hic ſapiat ſenex,
Atra pix agitet apud carnificem, tuoque capiti illuceat.
TYN. Jam deliramenta loquitur: larüæ ſtimulant virum.
HE. Hercle! quid ſi hunc comprehendi juſſerim? *TYN.* ſapias magis.
AR. Crucior lapidem non habere me, ut illi maſtigiæ
Cerebrum excutiam, qui me inſanum verbis concinnat ſuis.
TYN. Audin' lapidem quæritare? *AR.* ſolus te ſolum volo,
Hegio. *HE.* iſtinc loquere, ſi quid vis; procul tamen audiam.
TYN. Namque edepol ſi adbites propiùs, os denaſabit tibi
Mordicus. *AR.* neque pol me inſanum, Hegio, eſſe creduis,
Neque fuiſſe unquam, neque eſſe morbum quem iſtic autumat.
Verùm ſi quid metuis à me, jube me vinciri: volo,
Dum iſtic itidem vinciatur. *TYN.* imò enimverò, Hegio,
Iſtic, qui volt, vinciatur. *AR.* tace modò: ego te, Philocrates
Falſe, faciam, ut verus hodie reperiâre Tyndarus.

INTERPRETATIO.

AR. *Profectò non poſſum me continere?* TYN. *Heus! audiſne quid ait? quin fugis? Ille nos inſequetur modo lapidibus, niſi mandas eum teneri.* AR. *Crucior.* TYN. *Oculi ſcintillant: opus eſt funibus, Hegio: animadvertiſne tu corpus univerſum aſperſum maculis luridis? Atra bilis vexat hominem.* AR. *Sed per Pollucem ſi hic ſenex ſapias, pix atra te agitabit apud carnificem, ſuffundeturque tuo capiti accenſa.* TYN. *Nunc delirat, intemperiæ præcipitant hominem.* HE. *Quid? Quid ſi mandaverim hunc capi?* TYN *Rectè feceris.* AR. *Crucior me non habere lapidem, ut excutiam cerebrum illi furciſero, qui fingit me eſſe inſanum ſuis dictis.* TYN. *Audiſne eum quæritare lapidem?* AR. *Volo te alloqui ſolus ſolum, Hegio.* HE. *Loquere iſtinc, ſi vis aliquid: tamen accipiam à longè.* TYN. *Nam per ædem Pollucis, ſi accedas propiùs, ſibi eximet naſum ex vultu dentibus.* AR. *Neque per Pollucem credas me eſſe dementem, Hegio, neque extitiſſe unquam, neque eſſe morbum quem iſte dicit: ſed ſi metuis aliquid à me, manda me conſtringi. Volo, modo iſte ſimiliter conſtringatur.* TYN. *Immò enimverò, Hegio, iſte conſtringatur qui vult.* AR. *Sile modò, ego efficiam hodie, Tyndare, ut reperiaris falſus Philocrates.*

ANNOTATIONES.

63. *Maculis luridis.*] *Croceis.* quia *lura* eſt pellis cruda & minimè tincta, quæ celeriter *lutea* fit. Hic color eſt hominum furore percitorum.

64. *Atra bilis.*] Hujus quarti humoris peccatum eſt *vecordia.*

65. *Atra pix.*] Ludit in verbo *atra.* Porrò *pix* in mactandis ſervis adhibebatur, & de capite accendebatur.

66. *Deliramenta.*] Verba inconcinna, aut bonæ mentis expertia, à *lira* ſeu ſulco agri, qui, niſi rectus eſt, delirus eſſe dicitur.

Larvæ.] *Lemures, mali dæmones. Furiæ*, idem ſonant. His terreri dicebantur à mente ſanâ dejecti.

72. *Adbites.*] *Accedes, adbito*: vetus verbum, ut *rebito*, à *beto* veteri, unde eſt *dubito*.

Quid

Quid mî abnutas? *TYN.* tibi ego abnuto? quid agat, ſi abſis longiùs?
HE. Quid ais? quid ſi adeam hunc inſanum? *TYN.* nugas ludificabitur.
Garriet quod neque pes unquam, neque caput compareat.
Ornamenta abſunt; Ajacem, hunc cùm vides, ipſum vides.
HE. Nihili facio, tamen adibo. *TYN.* nunc ego omnino occidi.
„ Nunc ego INTER ſacrum ſaxumque ſto; nec, quid faciam, ſcio.
HE. Do tibi operam, Ariſtophontes, ſi quid eſt quod me velis.
AR. Ex me audibis vera, quæ nunc falſa opinare, Hegio.
Sed hoc primum me expurgare tibi volo, me inſaniam
Neque tenere, neque mî eſſe ullum morbum, niſi quòd ſervio.
At ita me rex deorum atque hominum faxit patriæ compotem,
Ut iſtic Philocrates non magis eſt, quàm aut ego aut tu. *HE.* eho dic mihi,
Quis illic igitur eſt? *AR.* quem dudum dixi à principio tibi.
Hoc ſi ſecus reperies, nullam cauſſam dico, quin mihi
Et parentum & libertatis apud te deliquio ſiet.
HE. Quid tu ais? *TYN.* me tuum eſſe ſervum, & te meum herum. *HE.* haud iſtuc rogo.
Fuiſtin' liber? *TYN.* fui. *AR.* enimverò non fuit: nugas agit.
TYN. Quî tu ſcis? an tu fortaſſe fuiſti meæ matri obſtetrix,
Qui id tam audacter dicere audes? *AR.* puerum te vidi puer.

INTERPRETATIO.

Quare mihi innuis oculis? TYN. *Ego tibi innuo? Quid faciat, ſi diſtes longiùs?* HE. *Quid dicis? Quid ſi accedam ad hunc amentem?* TYN. *Effutiet nugas, proferet ea in quibus non appareat neque pes neque caput. Niſi quòd deſunt veſtimenta, quando cernis hunc, cernis ipſum Ajacem.* HE. *Non curo, tamen accedam.* TYN. *Nunc ego perii funditùs, nunc ego ſto inter ſacrum & ſaxum, neque ſcio quid agam.* HE. *Te audio, Ariſtophontes, ſi eſt aliquid quod me velis.* AR. *Audies ex me vera quæ arbitraris nunc eſſe falſa, Hegio: ſed primùm volo me purgare tibi de his, me neque inſanire, neque mihi eſſe morbum, niſi ſervitutis. Sed Rex deorum & hominum nunquam me reſtituat patriæ, ſi iſte eſt magis Philocrates, quàm aut ego, aut tu.* HE. *Eho! dic mihi quid eſt igitur ille?* AR. *Quem tibi dixi pridem à principio. Si reperies hoc ſecus ac dico, ſit nulla cauſa quin caream parentibus & libertate.* HE. *Quid dicis tu?* TYN. *Me eſſe tuum ſervum; & te eſſe meum herum.* HE. *Non peto id, fuiſtine liber?* TYN. *Fui.* AR. *Certè non fuit; nugatur.* TYN. *Quid ſcis tu? Fuiſtine forſitã obſtetrix meæ matris, qui audes dicere id tam audacter?* AR. *Te vidi puerum puer.*

ANNOTATIONES.

79. *Abnutas.*] *Abnutare* eſt innuere aliquid non eſſe dicendum aut faciendum.

81. *Garriet quod neque pes neque caput.*] *abſurda effutiet;* in quibus neque finis initio, neque medium utriſque cohæreat.

82. *Ornamenta.*] veſtes & arma Ajacis *abſunt;* ſed adeſt Ajax ipſe, præceps furore & amentiâ. Alii, *armenta.*

84. *Inter ſacrum ſaxumque ſto.*] Proverbium à fœderum ineundorum ceremoniis: feriebatur enim *ſaxo* porca in capite; unde *ferire fœdus.* Qui igitur porcam *ſaxumque inter ſtet*, neceſſe eſt feriri. In eo autem poſitum eſt proverbii acumen, quòd *diſpendio noſtro alii pacem ineant, font la paix à nos dépens.*

TYN. Ar ego te video major majorem. hem rurſum tibi.
Meam rem non cures, ſi rectè facias. num ego curo tuam?
HE. Fuitne huic pater Theſaurochryſonicochryſides? [diem.
AR. Non fuit. neque ego iſtuc nomen unquam audivi ante hunc
Philocrati Theodoromedes fuit pater. *TYN.* pereo probè,
Quin quieſcis directum cor meum! i, ac ſuſpende te.
Tu ſuſſultas, ego miſer vix aſto præ formidine.
HE. Satin' iſtuc mihi exquiſitum eſt fuiſſe hunc ſervum in Alide?
Neque eſſe hunc Philocratem? *AR.* tam ſatis, quàm nunquam hoc invenies ſecus.
Sed ubi is nunc eſt? *HE.* ubi ego minimè, atque ipſus ſe volt maximè.
Tum igitur ego deruncinatus, deartuatus ſum miſer
Hujus ſceleſti technis; qui me, ut lubitum eſt, ductavit dolis.
Sed vide ſis. *AR.* quin exploratum dico & proviſum hoc tibi.
HE. Certon'? *AR.* quin nihil, inquam, invenies magis hoc certo certius.
Philocrates jam inde uſque amicus fuit mihi à puero puer.
HE Sed quâ facie eſt tuus ſodalis Philocrates? *AR* dicam tibi,
Macilento ore, naſo acuto, corpore albo, & oculis nigris,
Subrufus aliquantum, criſpus, cincinnatus. *HE.* convenit.
TYN. Ut quidem hercle in medium ego hodie peſſimè proceſſerim.
Væ illis virgis miſeris, quæ hodie in tergo morientur meo.
HE. Verba mihi data eſſe video. *TYN.* quid ceſſatis compedes
Currere ad me, meaque amplecti crura, ut vos cuſtodiam?

INTERPRETATIO.

TYN. *Sed ego te video major majorem. Hem! id tibi repono. Noli curare meas res, ſi agas rectè. non ego curo tuas.* HE. *Theſaurochryſonicochryſides fuitne ejus pater?* AR. *Non fuit. neque ego audivi unquam ante hunc diem illud nomen. Pater Philocratis fuit Theodoromedes.* TYN. *Pereo planè. Quare non quieſcis, ò cor! Quid ſic agitaris? I, & te ſuſpende. Tu ſubſilis, ego infelix vix conſiſto præ metu.* HE. *Nunc ſatis jam compertum hunc fuiſſe ſervum in Elide, neque hunc eſſe Philocratem?* AR. *Adeò ſatis, ut nunquam invenias ſecus. Sed ubi eſt nunc Philocrates?* HE. *Ubi ego minimè. atque ipſe ſe vult maximè. Tum igitur ego dedolatus ſum, membratim diſcerptus, infelix, fraudibus hujus nefarii, qui me circumvenit ut voluit. Sed vide ſi vis.* AR. *Quia tibi dico exploratum & compertum hoc.* HE. *Certóne?* AR. *Quia nihil reperies unquam magis certum hac re. Philocrates fuit ſemper meus amicus jam inde uſque à pueris puer.* HE. *Sed quo vultu eſt tuus ſocius Philocrates?* AR. *Tibi dicam, ore macilento, naſo acuto, corpore albo, & oculis nigris, ſubrufus aliquantulum, criſpus cincinnatus.* HE. *Convenit.* TYN. *Ut quidem ego per Herculem venerim hodie in medium infauſte. Væ illis infelicibus virgis quæ morientur hodie in meo tergo.* HE. *Video me eſſe deluſum.* TYN. *Quid ceſſatis compedes accedere ad me, amplectique mea crura, ut vos ſervem?*

ANNOTATIO.

101. *Directum cor.*] id eſt, *cor cujus motus eſt erectus & incitatus.* Vox compoſita a præpoſitione inſeparabili, *di*, & *erectus*, quod accidit in vehementi metu,

HE. Satin' me illi hodie ſceleſti capti ceperunt dolo?
Illic ſervum ſe aſſimulabat, hic ſeſe autem liberum.
Nucleum amiſi, reliquit pigneri putamina.
Ita mihi ſtolido ſurſum vorſum os ſublevêre offuciis.
Hic quidem me nunquam irridebit. Colaphe, Cordalio, Corax,
Ite iſtinc, atque efferte lora. *LO.* num lignatum mittimur?

INTERPRETATIO.

HE. *Illi nequam captivi méne ſatis circumvenerunt hodie dolo? Ille ſe aſſimulabat ſervum, hic ſeſe autem liberum! Perdidi nucleum, relictum eſt in pignus putamen. Sic me ſuſpendére ſtolidum naſo in omnem partem fraudibus, hic ſanè nunquam irridebit me. Colaphe, Cordalio, Corax, ite iſtinc, & afferte lora.* LO. *num mittimur ad concidenda ligna?*

ANNOTATIONES.

122. *Nucleum amiſi.*] Allegoricum proverbium, pro decepto rerum corticibus & ſpecie. Alii *nuculeum*, ut olim *tempulum templum*, & etiamnum *periculum periclum*, *vinculum vinclum*.

Pigneri.] Vetus pro *pignori*. Retinet e in *oppignero*.

Putamina.] Sunt quæ ſunt reſecanda, ut verbum ſonat ipſum, quibus *putatis*, puræ *putaque* res manent.

125. *Offuciis.*] A *fuco*.

ACTUS TERTIUS. SCENA QUINTA.

ARGUMENTUM.

TYNDARUS ſtrenuè defendit factum ſuum, quòd fuerit ſuo hero ſalutare. Demum Ariſtophontes animadvertit Tyndarum pro amico ſuo ſummo & familiari Philocrate caput objeciſſe periculo. Itaque etiam atque etiam ab Hegione contendit, ut leniùs cum Tyndaro agatur. Sed Hegio nec conſtantiâ Tyndari, nec precibus Ariſtophontis permotus, ipſum Tyndarum mandat catenis onuſtum in lapidicinas conjici.

HEGIO, TYNDARUS, ARISTOPHONTES.

HEGIO.

INjicite huic manicas maſtigiæ.
TYN. Quid hoc eſt negotii? quid ego deliqui? *HE.* rogas?
Sator ſartorque ſcelerum, & meſſor maxume.
TYN. Non occatorem dicere audebas priùs?
Nam ſemper occant priùs, quàm ſarriunt ruſtici.

INTERPRETATIO.

HE. *IMmittite velociter vincula manibus hujus flagrionis.* TYN. *Quid rei eſt illud? Quid ego peccavi?* HE. *Poſtulas? ſator artifexque ſcelerum, & meſſor maxime.* TYN. *Non dixiſti priùs occatorem? nam agricolæ occant ſemper priuſquam ſarriunt.*

ANNOTATIONES.

3. *Sartor.*] Hinc patet ex Plauti ſententiâ *ſartorem* dici, non ſolùm à *ſartiendo*, verumetiam à *ſarriendo*, id eſt, *ſarculo inutiles herbas convellere*. Vernaculè *ſarcler*. Quaſi *ſarritor*: niſi quod ſuo more Plautus ludere voluerit affinitate duarum vocum *ſator* & *ſartor*.

5. *Occant.*] *Occare* eſt, grandiores glebas comminuere, ut ne obſint germinanti & ſurgēti ſegeti, & quò ſemen contegatur.

HE. At ut confidenter mihi contrà aſtitit!!
TYN. Decet innocentem ſervum atque innoxium
Confidentem eſſe, ſuum apud herum potiſſimùm.
HE. Aſtringite iſti ſultis vehementer manus.
TYN. Tuus ſum. tuas quidem vel præcidi jube.
Sed quid negotii eſt, quamobrem ſuccenſes mihi?
HE. Quia me meamque rem, quod in te uno fuit,
Tuis ſceleſtis falſidicis fallaciis
Delaceraviſti, deartuaviſtique opes.
Confeciſti omnes res ac rationes meas,
Ita mî exemiſti Philocratem fallaciis.
Illum eſſe ſervom credidi, te liberum.
Ita voſmet aiebatis, itaque nomina
Inter vos permutaſtis. *TYN.* fateor omnia
Facta eſſe ita, ut tu dicis, & fallaciis
Abiiſſe eum abs te, meâ operâ atque aſtutiâ.
An, obſecro hercle te, id nunc ſuccenſes mihi?
HE. At cum cruciatu maximo id factum eſt tuo.
„ *TYN.* Dum ne ob malefacta peream, parvi æſtimo.
Si ego hîc peribo, aſt ille, ut dixit, non redit.
At erit mihi hoc factum mortuo memorabile:
Meum herum captum ex ſervitute atque hoſtibus
Reducem feciſſe liberum in patriam ad patrem,
Meumque potiùs me caput periculo
Præoptaviſſe, quàm is periret, ponere.
HE. Facito ergo ut Acherunti clueas gloria.

INTERPRETATIO.

HE. *At ut mihi adſtat audacter!* TYN. *Oportet ſervum innocentem & innoxium eſſe audacem, apud ſuum herum potiſſimùm.* HE. *Conſtringite arctiſſimè, ſi vultis, manus.* TYN. *Sum tuus, manda amputari etiam eas quæ ſunt tua. Sed quid rei eſt, quamobrem iraſceris mihi?* HE. *Quoniam me concidiſti, & meas res, quantum fuit in te uno, & dilaceraviſti meas opes tuis dolis mendacibus: confeciſti omnes meas res ac rationes. Nimirum mihi ſubduxiſti Philocratem fraudibus: exiſtimavi illum eſſe ſervum, te liberum. ſicut voſipſi dicebatis; & idcircò permutaſtis nomina inter vos.* TYN. *Confiteor cuncta eſſe geſta ſicut tu loqueris, & eum diſceſſiſſe abs te fraudibus, meâ operâ & calliditate: an te rogo mihi iraſceris idcirco?* HE. *Sed id commiſſum eſt cum tuo maximo cruciatu.* TYN. *Non eſt mihi tanti, dummodò non peream propter ſcelus. Si ergo peribo hic, quia ille non revertitur, ut eſt pollicitus, hoc mihi erit glorioſum, quando ero mortuus, effeciſſe* meâ morte *ut meus herus captus ab hoſtibus, revertatur vindicatus ex ſervitute & hoſtium manibus, in patriam ad patrem; & ſi ego maluerim objicere meum caput diſcrimini, quàm is periret.* HE. *Fac ergo ut celebreris famâ apud Acherontem.*

ANNOTATIONES.

31. *Acherunti.*] adverbium in *Acherunte.*

Clueas.] à *clueo, audio;* κλύω idem.

„ *TYN.* Qui per Virtutem peritat, non interit.
HE. Quando ego te exemplis excruciavero peſſumis,
Atque ob ſutelas tuas te morti miſero,
Vel te interîſſe, vel perîſſe prædicent,
Dum pereas, nihil interduo, dicant vivere:
TYN. Pol ſi iſtuc faxis, haud ſine pœnâ feceris,
Si ille huc redibit, ſicut confido affore.
AR. Proh dî immortales! nunc ego teneo, nunc ſcio
Quid ſit hoc negotii. meus ſodalis Philocrates
In libertate eſt ad patrem, in patriâ. benè eſt!
Nec quiſquam eſt mihi, æquè melius cui velim.
Sed hoc mihi ægrè eſt, me huic dediſſe operam malam,
Qui nunc propter me, meaque verba vinctus eſt.
HE. Vetuin' te quicquam mihi hodie falſum proloqui?
TYN. Vetuiſti? *HE.* cur es auſus mentiri mihi?
TYN. Quia vera obeſſent illi, cui operam dam:
Nunc falſa proſunt. *HE.* at tibi oberunt. *TYN.* optimè eſt.
At herum ſervavi, quem ſervatum gaudeo:
Cui me cuſtodem addiderat herus major meus.
Sed malè ne id arbitrâre factum? *HE.* peſſumè.
TYN. At ego aio rectè, qui abs te ſeorſum ſentio.
Nam cogitato, ſi quis hoc gnato tuo
Tuus ſervus faxit, qualem haberes gratiam?
Emitteréſne, necne, cum ſervum manu?
Eſſétne apud te is ſervus acceptiſſimus?

Interpretatio.

TYN. *Qui cadit ob virtutem, non cadit.* HE. *Quando ego te mactavero modis crudeliſſimis, & te demiſero letho propter tuas fraudes, laudent te quòd vel cecideris, vel perieris: dummodò pereas, non impedio quominùs dicant te vivere.* TYN. *Per Pollucem ſi feceris illud, haud facies ſine pœnâ, ſi ille revertetur huc, ſicut ſpero fore.* AR. *Proh dii immortales! Ego novi nunc, ſcio nunc quid ſit id rei. Meus ſodalis Philocrates eſt jam liber apud patrem in patriâ: benè eſt, neque mihi eſt ullus cui perinde benè velim. Sed hoc mihi eſt acerbum, me attuliſſe illam calamitatem huic qui eſt jam conſtrictus meâ causâ, meorumque verborum.* HE. *Nonne vetui te mihi dicere quidquam falſum?* TYN. *Vetuiſti?* HE. *Quare es auſus mihi mentiri?* TYN. *Quia vera nocuiſſent illi cui ſerviebam: nunc falſa proſunt.* HE. *At tibi nocebunt.* TYN. *Benè eſt: ſed conſervavi herum quem lætor ſervatum, cui meus herus major,* ejus pater, *me adjunxerat cuſtodem: arbitrarène id eſſe crimen?* HE. *Nequiſſimè.* TYN. *Sed ego dico optimè, qui aliter ſentio atque tu. Nam cogita ſi aliquis tuorum ſervorum fecerit hoc tuo filio, quam gratiam haberes? Emitteresne manu eum ſervum, necne? Is ſervus eſſetne acceptiſſimus apud te?*

Annotatio.

36. *Interduo.*] id eſt, *interdo*, à veteri *duo*, quod à *δόω do.* Unde *duint, perduint*, *nihil interduo, nihil intereſt.*

Reſponde. *HE.* opinor. *TYN.* cur ergo iratus mihi es?
HE. Quia illi fuiſti, quàm mihi, fidelior.
TYN. Quid? tu unâ nocte poſtulaviſti & die,
Recens captum hominem, nuperum & novitium,
Te perdocere, ut meliùs conſulerem tibi
Quàm illi, quîcum unà à puero ætatem exegeram?
HE. Ergo ab eo petito gratiam iſtam! ducite,
Ubi ponderoſas, craſſas capiat compedes.
Inde ibis porrò in latomias lapidarias.
Ibi quom alii octonos lapides effodint,
Niſi cotidianus ſeſqui opus confeceris,
Sexcentoplago nomen indetur tibi.
AR. Per deos atque homines ego te obteſtor, Hegio,
Ne tu iſtunc hominem perduis. *HE.* curabitur.
Nam noctu nervo vinctus cuſtodibitur,
Interdius ſub terrâ lapides eximet.
Diu ego hunc cruciabo, non uno abſolvam die.
AR. Certúmne eſt tibi iſtuc? *HE.* non moriri certiú 'ſt.
Abducite iſtum actutum ad Hippolytum fabrum,
Jubete huic craſſas compedes impingier.
Inde extra portam ad meum libertum Cordalum,
In lapicidinas facite deductus ſiet:
Atque hunc ita me velle, dicite, curarier,
Ne quî deterius huic ſit, quàm cui peſſumè eſt.
TYN. Cur ego te invito me eſſe ſalvum poſtulem?
Periculum vitæ meæ tuo ſtat periculo.
„ POST MORTEM in morte nihil eſt quod metuam mali.
„ ETSI pervivo uſque ad ſummam ætatem, tamen

INTERPRETATIO.

Reſponde. HE. *Opinor.* TYN. *Quare igitur es iratus mihi?* HE. *Quia illi fuiſti fidelior, quàm mihi.* TYN. *Quid? tune poſtulaviſti ut me adduceres ſervum rudem ac novitium, & nuper emptum, ut te perdocerem tuis preceptis uno die & unâ nocte, ex quo ſum tecum, ut tibi meliùs conſulerem, quàm illi cum quo traduxeram vitam à pueris.* HE. *Itaque flagita à Philocrate iſtam gratiam. Ducite Tyndarum ubi oneretur compedibus gravibus, craſſis: inde ibis prætereà in lapicidinas, ubi quando cæteri eruent octo lapides, niſi quotidie extrahas duodecim, tibi erit nomen Sexcentoplagus.* quia ſexcentis plagis oneraberis. AR. *Ego te obſecro per deos atque homines, ne tu perdas iſtum hominem.* HE. *Non perdetur: nam ſervabitur noctu conſtrictus nervo, interdiu effodiet lapides ſub terrâ, ego hunc mactabo lentè, non perimam uno die.* AR. *Eſtne tibi conſtitutum id?* HE. *Non eſt certius mors. Abducite ſubitò illum ad Hippolytum fabrum, mandate huic injici graves compedes: inde curate ut deducatur ad meum libertum Cordalum extra portam in latomias: & nuntiate me velle ſic curari hunc, ne in aliquâ re habeatur pejus quàm qui deterrimè.* TYN. *Non eſt quod ego expectem me eſſe ſalvum, te invito? Diſcrimen meæ vitæ eſt conjunctum cum tua vita periculo. Nihil eſt mali in morte poſt mortem quod timeam: & ſi pervixero uſque ad extremam ſenectutem, tamen*

„ Breve ſpatium eſt perferundi, quæ minitas mihi.
Vale atque ſalve! etſi aliter ut dicam, meres.
Tu Ariſtophontes, de me ut meruiſti, ita vale!
Nam mihi propter te hoc obtigit. *HE.* abducite.
TYN. At unum hoc quæſo, ſi huc rebitet Philocrates,
Ut mihi ejus facias conveniundi copiam.
HE. Periiſtis, niſi hunc jam è conſpectu abducitis.
TYN. Vis hæc quidem hercle eſt, & trahi & trudi ſimul.
HE. Illic eſt abductus rectà in phylacam, ut dignus eſt.
Ego illis captivis aliis documentum dabo,
Ne tale quiſquam facinus incipere audeat.
Quod abſque hoc eſſet, qui mihi hoc fecit palàm,
Uſque offrenatum ſuis me ductarent dolis.
Nunc certum eſt nulli poſt hæc quicquam credere.
Satis ſum ſemel deceptus. ſperavi, miſer,
Ex ſervitute me exemiſſe filium.
Ea ſpes elapſa eſt. perdidi unum filium
Puerum quadrimum, quem mihi ſervus ſurpuit:
Neque eum ſervum unquam repperi, neque filium.
Major potitus hoſtium eſt. quod hoc eſt ſcelus!
Quaſi in orbitatem liberos produxerim.
Sequere hàc: reducam te ubi fuiſti. neminis
Miſereri certum eſt, quia mei miſeret neminem.
AR. Exauſpicavi ex vinclis. nunc intellego
Redauſpicandum eſſe in catenas denuò.

INTERPRETATIO.

Spatium eſt breve patiendi qua mihi minitaris. Vale atque ſalve, tametſi mereris ut loquar aliter. Tu, Ariſtophontes, ſic vale ut meritus es de me. nam id mihi tuâ culpâ obtigit. HE. *Abducite.* TYN. *Sed te obſecro unum. ut ſi Philocrates revertatur huc, ut mihi facias facultatem ejus conveniendi.* HE. *Periiſtis, niſi jam hunc abducitis à conſpectu.* TYN. *Eſt hæc vis quidem per Herculem & rapi & impelli unà.* HE. *Ille raptus eſt rectà in cuſtodiam, ut meretur: ego docebo illos alios captivos, ne quiſquam audeat aggredi tale facinus. Nam niſi fuiſſet hic Ariſtophontes, qui mihi patefecit hanc Tyndari & Philocratis fallaciam, eſſet ſemper aliquis captivus qui me ludificaretur. Nunc conſtitutum eſt nulli confidere in poſterum. Sum ſatis fraudatus ſemel, infelix; ſperavi me eduxiſſe filium è ſervitute. Ea ſpes eſt elapſa. Amiſi unum filium, puerum quadrimum, quem ſervus mihi furatus eſt. Neque enim inveni unquam ſervum neque filium: major venit in manus hoſtium. Quid hoc eſt? Quaſi ediderim in lucem liberos in orbitatem. Sequere hàc: te reducam ubi fuiſti. Conſtitutum eſt miſereri neminis, quandoquidem neminem miſeret mei.* AR. *Mea ſors me eduxit ex vinculis, nunc eadem me retrudit denuò in vincula.*

ANNOTATIONES.

89. *Rebitet.*] *redeat.*
93. *Phylacam.*] *cuſtodiam*, Græcum,
108. *Exauſpicavi.*] eſt, auſpicium ſumere. *Redauſpicavi.* repetere auſpicia, ſi priora malè ceſſerint: id eſt, *male auſpicio huc veni, ideò ad vincula redeo.*

ACTUS QUARTUS.

ARGUMENTUM.

ADitus eſt ad ſolutionem, & totus eſt fermè paraſiticus. In eo enim Paraſitus Ergaſilus, nuntiato reditu Philopolemi, Philocratis, & Stalagmi, petulanter exultat quòd hinc adeſſe ſibi cœnas innumeras aſymbolas videat.

ACTUS QUARTUS. SCENA PRIMA.

ARGUMENTUM.

ERgasilus revertitur à portu, exultans ac triumphans lætitiâ, cujus ne cauſam quidem proferre poteſt, reperto in portu Philopolemo ſuo, Philocrate, & Stalagmo.

ERGASILUS.

JUppiter ſupreme, ſervas me, meáſque auges opes.
Maximas opimitates opiparaſque offers mihi:
Laudem, lucrum, ludum, jocum, feſtivitatem, ferias,
Pompam, penum, potationes, ſaturitatem, gaudium.
Nec cuiquam homini ſupplicare me nunc certum eſt mihi.
Nam vel prodeſſe amico poſſum, vel inimicum perdere.
Ita hic me amœnitate amœnâ amœnus oneravit dies.
Sine ſacris hæreditatem ſum aptus effertiſſimam.
Nunc ad ſenem curſum capeſſam hunc Hegionem, cui boni
Tantùm affero, quantùm ipſe à diis optat, atque etiam ampliùs.

INTERPRETATIO.

ERG. *JUpiter ſumme, me tueris amplificaſque meas opes, & mihi adjicis maximas copias uberesque, prædicationem, quæſtum, jucunditatem, exultationem, lætitiam, otium, celebritatem, ſupellectilia, potationem, ſaturitatem, gaudia, & mihi conſtitum eſt pendere à nemine. Nam vel poſſum prodeſſe amico, vel nocere inimico. Sic hic dies jucundus me obruit jucunditate jucundâ. Adeptus ſum hæreditatem copioſiſſimam ſine ſacris. Nunc ingrediar iter ad hunc ſenem Hegionem, cui affero tantùm boni, quantùm optat ipſe à diis, atque ampliùs etiam.*

ANNOTATIONES.

1. *Auges opes.*] Vita paraſitica eſt uni ludo, oblectationi, potationi, epulis inhiare.

2. *Opiparaſque.*] Feſtus. *Opiparum, magnarum opum apparatum.*

5. *Homini ſupplicare.*] Quia hoc ferè mortales ſibi proponunt, cùm potentiorum præſidium ambiunt, ut ſibi & ſuis prodeſſe poſſint, & inimicis nocere.

8. *Sine ſacris.*] id eſt, *ſine ſumptu.* Nam cuivis familiæ erant ſua *ſacra*, & ad eum ad quem tranſibat hereditas, tranſibant & *ſacra*. Unde phraſes, *tranſire in gentem & ſacra:* aut, *hereditas cum ſacris*, vel *ſine ſacris. Sacra* autem illa non fiebant ſine ſumptu. Itaque *ſine ſacris hereditatem adipiſci,* eſt quod nos vernaculè, *heriter ſans charge.*

Nunc res certa eſt, eodem pacto ut Comici ſervi ſolent,
Conjiciam in collum pallium, primo ex me hanc rem ut audiat.
Speroque me ob hunc nuncium æternum adepturum cibum.

INTERPRETATIO.

Nunc res eſt certa: circumponam humeris pallium eodem pacto ut conſueverunt ſervi comici, ut accipiat primò ex me hanc rem: & ſpero me adepturum eſcam ſempiternam ob hunc nuntium.

ANNOTATIO.

12. *Conjiciam in collum pallium.*] quo expeditiores eſſent comici ſervi ad obeunda dominorum mandata, rejecto in utrumque humerum pallio in Scenâ verſabantur: pallio, inquam, quo & lacerti & manus tegebantur antea: alii etiam genu tenus togam ſuccingebant, unde phraſis Scripturæ Sacræ, *ſuccingere lumbos*, id eſt, ſeſe comparare ad agendum & incedendum.

ACTUS QUARTUS. SCENA SECUNDA.

ARGVMENTVM.

NUNTIAT Ergaſilus Paraſitus Hegioni adventum filii Philocratis, & Stalagmi fugitivi ſervi.

HEGIO, ERGASILVS.

HEGIO.

QUANTO in pectore hanc rem meo magis voluto,
Tantò mihi ægritudo auctior eſt in animo.
Ad illum modum ſublitum os eſſe
Hodie mihi? neque id perſpicere quivi?
Quod cùm ſcibitur, per urbem irridebor.
Cùm extemplò ad forum advenero, omnes loquentur,
Hic ille eſt ſenex ductus, quoi verba data ſunt.
Sed Ergaſilus eſtne hic, procul quem video?
Collecto quidem eſt pallio. quidnam acturu 'ſt!
ER. Move abs te moram, atque Ergaſile age hanc rem.
Eminor interminorque, ne quis mî obſtiterit obviàm,

INTERPRETATIO.

HE. *QUantò magis repete id in animo, mihi eſt tantò major dolor, me eſſe luſum hoc modo hodie, neque potuiſſe agnoſcere id: quando hoc ſcietur in urbe, irridebor. Quando advenient in forum quivis uno tempore, fabulabuntur de hoc. Ille ſenex eſt luſus, hic deceptus eſt. Sed eſtne ille Ergaſilus, quem video procul? Eſt quidem pallio collecto. Quidnam eſt acturus?* ERG. *Rumpe omnes moras, & age hoc, Ergaſile. Minitor, interminorque, ne quis obſtet mihi in viâ.*

ANNOTATIO.

10. *Age hanc rem.*] Erat formula conciliandæ attentionis, cùm res divina ageretur. *Hoc age*, unde hæc ſumpta, & in aliis rebus uſurpari ſolita, *Age hanc rem*, idem.

Niſi qui ſat diu vixiſſe ſeſe homo arbitrabitur.
Nam qui obſtiterit, ore ſiſtet. *HE.* hic homo pugilatum incipit,
ER. Facere certum eſt. proinde ut omnes itinera inſiſtant ſua,
Ne quis in hâc plateâ negotî conferat quicquam ſui.
Nam meus eſt balliſta pugnus, cubitus catapulta eſt mihi,
Humerus aries. tum genu ad quemque jecero, ad terram dabo.
Dentilegos omnes mortales faciam, quemque offendero.
HE. Quæ illæc eminatio eſt? nam nequeo mirari ſatis.
ER. Faciam ut ejus diei, locique, meique ſemper meminerit:
Qui mihi in curſu obſtiterit, faxo vitæ is extemplò obſtiterit ſuæ.
HE. Quid hic homo tantum incipiſcit facere cum tantis minis?
ER. Prius edico, ne quis propter culpam capiatur ſuam.
Continete vos domi, prohibete à vobis vim meam.
HE. Mira edepol ſunt, ni hic in ventrem ſumpſit confidentiam.
Væ miſero illi, cujus cibo iſte factus eſt impenſior.
ER. Tum piſtores ſcrophipaſci, qui alunt furfure ſues,
Quarum odore prætorire nemo piſtrinum poteſt:
Eorum ſi quojuſquam ſcropham in publico conſpexero,
Ex ipſis dominis meis pugnis exculcabo furfures.
HE. Baſilicas edictiones atque imperioſas habet.

INTERPRETATIO.

niſi ille qui exiſtimabit ſe vixiſſe ſatis diu. Nam qui erit obvius, dabo vultum in terram. HE. *Hic homo orditur pugillatum.* ER. *Conſtitutum eſt dare operam ut univerſi proſequantur iter inſtitutum: ne quis conferat de quoquam ſuo negotio in hâc plateâ: nam meus pugnus eſt baliſta, meus cubitus eſt Catapulta, humerus Aries: tum ad quemcumque impreſſero genu, dabo in terram: efficiam ut univerſi mortales quos offendero, habeant ſuos dentes colligendos.* HE. *Quæ interminatio eſt illa? Nam nequeo ſatis mirari.* ER. *Efficiam ut recordetur ſemper hujus diei, & loci, & mei: qui occurrerit mihi in curſu, efficiam ut is extemplò ieriſ contra vitam.* HE. *Quid hic homo incipit facere cum tantis minis?* ER. *Edico prius, ne quis in me incidat ſuâ culpâ: continete vos domi, prohibete meam vim à vobis.* HE. *Hæc ſunt mira per ædem Pollucis, niſi hic duxit ſpem explendi ventris. Væ illi infelici cibo, in quem hic factus eſt propenſior!* ER. *Tum piſtores ſcrophipaſci, qui alunt ſues furfure, odore quarum nemo poteſt preterire per piſtrinum, ſi conſpexero ſcropham cujuſquam eorum in publico, excutiam pugnis furfures ex meis dominis ipſis.* HE. *Condit Edicta Regia, atque plena autoritatis:*

ANNOTATIONES.

13. *Ore ſiſtet.*] id eſt, ſiſtet pugnum meum, colapho in os impacto: aut, ſternam: *Ie luy feray donner du nez en terre.*

Pugilatum incipit.] Ut pugii ſeſe ad pugnam accingit, explicatis lacertis, complicatis pugnis.

16. *Baliſta.*] Machina bellica excutiendis in hoſtes lapidibus idonea: Catapulta erat ad contorquenda tela. Sed duo hæc nomina deinceps promiſcuè ſunt accepta.

17. *Aries.*] Machina bellica lignea, evertendis mœnibus apta: feriebat ferro armata, in modum & figuram capitis arietini, unde nomen accepit.

31. *Baſilicas edictiones.*] Regia Edicta.

Satur homo eſt: habet profectò in ventre confidentiam.
ER. Tum piſcatores, qui præbent populo piſces fœtidos,
Qui advehuntur quadrupedanti crucianti canterio:
Quorum odos ſubbaſilicanos omnes abigit in forum,
Eis ego ora verberabo ſurpiculis piſcariis:
Ut ſciant, alieno naſo quam exhibeant moleſtiam.
Tum lanii autem, qui concinnant liberis orbas oves,
Qui locant cædundos agnos, & duplam agninam dant,
Qui petroni nomen indunt verveci ſectario;
Eum ego ſi in viâ petronem publicâ conſpexero,
Et petronem & dominum reddam mortales miſerrimos,
HE. Eugepæ! edictiones ædilitias hic habet quidem:
Mirúmque adeò eſt, ni hunc fecêre ſibi Aetoli agoranomum.
ER. Non ego nunc Paraſitus ſum, ſed regum rex regalior:
Tantus ventri commeatus meo adeſt in portu cibus.
Sed ego ceſſo hunc Hegionem onerare lætitiâ ſenem?
Quî homine adæquè nemo vivit fortunatior.
HE. Quæ illæc eſt lætitia, quam illic lætus largitur mihi?
ER. Heus ubi eſtis? ecquis hoc aperit oſtium?

INTERPRETATIO.

eſt homo ſatur: habet certè in ventre confidentiam. ER. *Tum piſcatores qui vendunt populo piſces fœtidos, qui apportantur equo claudo, cui eſt pes triplex, equites diſcrucianti gravitate inceſſus, quorum odor arcet quoſvis, qui ſub Baſilicâ ambulant in foro, ego eis feriam os ſcirpiculis piſcariis per horam, ut ſentiant quam moleſtiam inferant naſo alieno. Tum Lanii qui efficiunt oves orbas agnis, qui conducunt agnos quaſi cædendos; ſed dant carnem altero tanto vetuſtiorem agnina, qui tribuunt arietibus nomen vervecis ſectarii; ſi ego conſpicatus fuero arietem in viâ publicâ, reddam & arietem & ductorem miſerrimos mortalium.* HE. *Eugepæ! hic quidem habet Edicta ædilitia, & eſt mirum adeò, niſi Ætoli fecerunt hunc ſuum Ædilem rerum venalium.* ER. *Ego non ſum nunc Paraſitus, ſed rex magnificentiſſimus regum: adeò magnus eſt commeatus ciborum in portu pro meo ventre. Sed ego cunctor cumulare hunc ſenem Hegionem gaudio, quo homine nemo eſt perinde felix.* HE. *Quæ eſt illa lætitia quam hic lætus mihi affert?* ER. *Heu! ubi eſtis vos! equis aperit oſtium?*

ANNOTATIONES.

34. *Crucianti canterio.*] Auſonio, eſt caballus tripes, & claudicans, & ærumnoſus, & ſuptus terga verbere. Lucilio, *ſuccuſſarii.*

35. *Subbaſilicanos.*] Otioſos homines, qui in ædificiis publicis, audiendis narrandiſque nunciis paſſim operam dabant. *Subroſtranos* appellat Tullius, à *roſtris*; quæ erant apud Romanos, quod *Baſilica* apud Græcos. Tales apud nos ſunt, qui uno eodémque conſilio apud Palatium conveniunt juridicum.

40. *Petroni.*] *Petrones* arietes ſunt quorum, quoniam prædura eſt caro, coctúque difficilis ac eſu, & quodammodo petrea, *Petrones* dicuntur, à *petra*. *Petrones* etiam appellantur Ruſticani, quoniam vulgò rudes & intractabiles ſunt.

Vervex ſectarius.] id eſt, *ſectus aries, un mouton.*

43. *Edictiones Ædilitias.*] Edicta Ædilis, minoris videlicet & plebeii, cujus erat ſtatuere de rebus venalibus. Alii Ædiles erant, qui majores & Curules erant. Hic ludit in verbo, & *edilis* eſt ab *edo*, non ab *ædibus.*

44. *Agoranomum.*] Idem erat apud Athenienſes, qui apud Romanos Ædilis.

HE. Hic homo ad cœnam recipit ſe ad me. *ER*. aperite haſce ambas fores,
Priuſquam pultando vel aſſulatim foribus exitium affero.
HE. Perlubet hunc hominem colloqui. Ergaſile. *ER*. Ergaſilum qui vocat?
HE. Reſpice. *ER*. Fortuna quod tibi nec facit, nec faciet
Hoc me jubes. ſed qui eſt? *HE*. reſpice ad me, Hegio ſum. *ER*. oh mihi
Quantum eſt, hominum optumorum optume, in tempore advenis.
HE. Neſcio quem ad portum nactus es, ubi cœnes, eò faſtidis.
ER. Cedò manum. *HE*. manum? *ER*. manum, inquam, cedò tuam actutum. *HE*. tene.
ER. Gaude. *HE*. quid ego gaudeam? *ER*. quia ego impero. age gaude modò.
HE. Pol, mœrores mî antevortunt gaudiis. *ER*. noli iraſcier,
Jam ego ex corpore exigam omnes maculas mœrorum tibi.
Gaude audacter. *HE*. gaudeo, etſi nil ſcio, quod gaudeam.
ER. Benè facis: jube. *HE*. quid jubeam? *ER*. ignem ingentem fieri.
HE. Ignem ingentem? *ER*. ita dico. magnus ut ſit. *HE*. quid? me, volturi,
Tuân' cauſsâ ædeis incenſurum cenſes? *ER*. noli iraſcier,

INTERPRETATIO.

HE. *Hic homo ſe recipit ad me ad cœnam.* ER. *Aperito haſce ambas fores, antequam eis affero exitium, eas comminuendo fruſtatim.* HE. *Perlubet alloqui hunc hominem, Ergaſile.* ER. *Quis vocat Ergaſilum?* HE. *Reſpice.* ER. *Hoc me mandas facere quod fortuna nec aget nec egit. Sed quid eſt?* HE. *Reſpice ad me. Hegio ſum.* ER. *Oh mihi quàm benè eſt, optime omnium hominum, advenis tempeſtivè.* HE. *Nactus es neſcio quem ad portum ubi cœnes, idcircò aſpernaris.* ER. *Da manum.* HE. *Manum?* ER. *Tuam manum, inquam, cedò jam.* HE. *Accipe,* ER. *Gaude.* HE. *Quare gaudeam ego?* ER. *Quia ego mando, age, gaude modò.* HE. *Per Pollucem mœror antevertit mea gaudia.* ER. *Noli iraſci, ego jam tibi abſtergam omnes mœrores ex corpore. Gaude audacter.* HE. *Gaudeo, etſi neſcio cur gaudeam.* ER. *Benefacis, Jube.* HE. *Quid jubeam?* ER. *Accende luculentum focum.* HE. *Luculentum focum?* ER. *Dico ut ſit luculentum.* HE. *Quid vulturie? *Exiſtimáſne me incenſurum meas ædes tuâ causâ?* ER. *Noli iraſci,*

ANNOTATIONES.

54. *Reſpice.*] id eſt, retrò *aſpice*, quod ejus eſt qui jam præteriit. Reſpondet Ergaſilus non ita cum Hegione fortunam agere, quia aſpicit, non reſpicit; favet ſemper, nunquam præterit.

63. *Ingentem.*] *Ingens* eſt idem ac *immenſus*. Græcè Τελωμέγιστος. Terent. *Magnas verò agere gratias Thais mihi?* Gnato Paraſitus reſpondet, *Ingentes.* Ad quod Cicero, *Satis erat reſpondere. Magnas Ingentes, inquit, ſemper auget aſſentatio id, quod is, cujus ad voluntatem dicitur, vult eſſe magnum.*

64. *Vulturi.*] pro *Vulturie.* Vulturium vocat Ergaſilum, quod *Vultur* ſit avis longè voraciſſima.

Juben' an non jubes aſtitui aulas? patinas elui?
Laridum atque epulas foveri foculis ferventibus?
Alium piſces præſtinatum abire? *HE.* hic vigilans ſomniat.
ER. Alium porcinam, atque agninam, & pullos gallinaceos?
HE. Scis benè eſſe, ſi ſit unde. *ER.* pernam atque ophthalmia,
Horæum, ſcombrum, & trigonum, & cetum, & mollem caſeum.
HE. Nominandi iſtorum tibi erit magis quàm edundi copia
Hîc apud me, Ergaſile. *ER.* meân' me cauſâ hoc cenſes dicere?
HE. Nec nihil hodie, nec multò plus tu hîc edes, ne fruſtra ſis.
Proin' tu tui quotidiani victi ventrem ad me afferas.
ER. Quin ita faciam, ut te cupias facere ſumptum, etſi ego vetem.
HE. Egóne? *ER.* tute. *HE.* tum tu mî igitur herus es. *ER.* imò
  benè volens.
Vin' te faciam fortunatum? *HE.* malim, quàm miſerum quidem.
ER. Cedò manum. *HE.* hem! manum. *ER.* dî te omnes adjuvant.
  HE. nihil ſentio.
ER. Non enim es in ſenticeto, eò non ſentis. ſed jube
Vaſa tibi pura apparari ad rem divinam citò,
Atque agnum afferri proprium, pinguem. *HE.* cur? *ER.* ut ſacrufices.
HE. Cui deorum? *ER.* mihi hercle. nam ego tibi nunc ſum
  ſummus Juppiter.
Idem ego ſum Salus, Fortuna, Lux, Lætitia, Gaudium.
Proin' tu deum huncce ſaturitate facias tranquillum tibi.

INTERPRETATIO.

mandas an non mandas ollas ſtare ad ignem, *abſtergi patinas, imponi laridum & epulas foco ardenti? Alios proficiſci ad emendos piſces.* HE. *Hic ſomniat vigilando.* ER. *Alios parare porcinam, & agninam, & pullos gallinaceos?* HE. *Scis edere* delicatè, *ſi eſſet unde* parares. ER. *Pernam & ophthalmia, horæum, ſcombrum, & trigonum, & cetum, & mollem caſeum.* HE. *Tibi erit magis copia nominandorum iſtorum* obſoniorum, *quàm comedendorum apud me.* ER. *Exiſtimaſne me loqui hæc mei gratiâ?* HE. *Tu edes hodie aliquid hic, nec multò plus ſolito, ne erres. Itaque affer ad me ventrem qui contentus ſit victu quotidiano.* ER. *Quin efficiam ut optes te facere ſumptum, quanquam ego vetem.* HE. *Egóne?* ER. *Tu.* HE. *Tum tu es ergo meus herus.* ER. *Immò amicus. Viſne reddam felicem?* HE. *Malim ſanè quàm infelicem.* ER. *Da manum.* HE. *Do manum.* ER. *Cuncti dii tibi opitulentur.* HE. *Sentio nihil auxilii.* ER. *Quia non es in ſenticeto, idcircò non ſentis. Verùm manda tibi comparari vaſa pura ad rem divinam, & celeriter afferri agnum pinguem.* H.E. *Quare?* ER. *Ut ſacrifices.* HE. *Cui deorum?* ER. *Mihi per Herculem. Nam ego tibi ſum ſummus Jupiter. Idem ego ſum Salus, Fortuna, Lux, Lætitia, Gaudium. Proinde tu tibi reddes huncce deum propitium.*

ANNOTATIONES.

66. *Aſtitui aulas.*] conſtitui in pedes ad focum.

67. *Foculis.*] Alii legunt *coculis. Cocula* autem ſunt vaſa ænea, qualia ſunt quæ à nobis dicuntur *Coquemar.*

68. *Præſtinatum.*] Feſtus. *Præſtinare apud Plautum eſt emere, & emendo tenere.*

Vigilans ſomniat.] Lucretius. *Vigilans ſtertis.*

70. *Ophthalmia.*] Plinio *oculata*, quod appellatio græca ſonat.

75. *Victi.*] pro *victus.*

80. *Senticeto.*] Digna Paraſito alluſio ad *ſentio*,

HE. Eſurire mihi vidêre. *ER.* mihi quidem eſurio, non tibi.
HE. Tu arbitratu facilè patior. *ER.* credo, conſuetus puer.
HE. Juppiter te dîque perdant. *ER.* te hercle mî æquum eſt gratias
Agere ob nuncium: tantum ego nunc porto à portu tibi boni.
Nunc tu mihi places. *HE.* abi ſtultus, ſerò poſt tempus venis.
ER. Igitur olim ſi adveniſſem, magis tu tum iſtuc diceres:
Nunc hanc lætitiam accipe à me quam fero. nam filium
Tuum modò in portu Philopolemum vivum, ſalvum, & ſoſpitem
Vidi in publicâ celoce, ibidémque illum adoleſcentulum
Alium, unà & tuum Stalagmum ſervum, qui aufugit domo,
Qui tibi ſurripuit quadrimum puerum filiolum tuum.
HE. Abi in malam rem: ludis me. *ER.* ita me amabit ſanctaSaturitas,
Hegio, itaque ſuo me ſemper condecoret cognomine, [meúm:
Ut ego vidi. *HE.* meum gnatum? *ER.* tuum gnatum, & Genium
HE. Et captivum illum Alidenſem? *ER.* μὰ τὸν Ἀπόλλω. *HE.* & ſervolum
Meum Stalagmum, meum qui gnatum ſurripuit? *ER.* νὴ ταὶ Σόραι.
HE. Jam diu? *ER.* νὴ ταὶ Πραινέστω. *HE.* venit? *ER.* νὴ ταὶ Σιγνίαν.
HE. Certón'? *ER.* νὴ ταὶ Φρουσινῶνα. *HE.* vide ſis. *ER.* νὴ τὸ Ἀλάτειον.

INTERPRETATIO.

HE. *Mihi videris eſurire.* ER. *Equidem mihi eſurio, non tibi.* HE. *Patior facilè te eſurire tuo arbitrio.* ER. *Credo, conſueviſti pati à puero.* HE. *Jupiter & dii te perdant.* ER. *Per Herculem par eſt te mihi agere gratias ob nuntium, adeò eſt magnum bonum quod tibi affero nunc à portu. Nunc mihi places.* HE. *Abi, ſtulte, venis ad cœnam exacto tempore.* ER. *Ergo ſi olim veniſſem, tum tu diceres id magis. Nunc accipe à me hanc lætitiam quam ad te affero. Nam vidi modo in navi publicâ in portu tuum filium Philopolemum vivum, ſalvum & incolumem, & ibidem illum alium adoleſcentulum unà, & tuum ſervum Stalagmum, qui aufugit domo, qui tibi ſurripuit tuum filiolum, puerum quadrimum.* HE. *I in malam crucem: ludificaris me.* ER. *Ita Sancta Saturitas me amet, Hegio, & ita me afficiat ſuo nomine, ut ego vidi.* HE. *Meum gnatum?* ER. *Tuum filium & meum Genium.* HE. *Et illum captivum Elienſem?* ER. *Per Apollinem.* HE. *Et meum ſervulum Stalagmum, qui ſurripuit meum filium?* ER. *Per Soream* coloniam. HE. *Jampridem.* ER. *Per Præneſte.* HE. *Venis?* ER. *Per Signiam.* HE. *Eſtne verum?* ER. *Per Phruſinonam* coloniam. HE. *Vide ſi vis.* ER. *Per Alatreum* coloniam.

ANNOTATIONES.

97. *Sancta ſaturitas.*] Ita fit ut pro diis deabúſque ſint nobis quæ cæteris anteponimus. Non abſimile eſt illud Pauli, *quorum Deus venter eſt*, & illud aliud optimi Poëtæ *Nos facimus fortuna deam.* Paraſiti Dea, *ſancta Saturitas.*

100. μὰ τὸν Ἀπόλλω.] *per Apollinem.* Quod veteres Græci μὰ & νὴ proponebant, Latinis erat *me*, & *e*. Sic *mecaſtor, mediusfidius, mehercule, ejuno, equirine, ecere, epol, ecaſtor.*

101. νὴ ταὶ Σόραν.] pro τὴν, Æolica dialecto *Sora* colonia Campaniæ.

102. νὴ ταὶ Πραινέστω.] *Præneſte*, urbs Campaniæ.

νὴ ταὶ Σιγνίαν.] *Signia*, urbs Campaniæ.

103. νὴ ταὶ Φρουσινῶνα.] *Fruſinone*, urbs Campaniæ.

νὴ τὸ Ἀλάτειον.] *Aletrinum*, Campaniæ oppidum.

HE. Quid tu per barbaricas urbes juras? *ER.* quia enim item aſpera
Sunt, ut tuum victum autumabas eſſe. *HE.* væ ætati tuæ.
ER. Quippe quando mihi nihil credis, quod ego dico ſedulò.
Sed Stalagmus quojus erat tunc nationis, cùm hinc abiit?
HE. Siculus. *ER.* at nunc Siculus non eſt: Boius eſt, Boiam terit.
Liberorum quærundorum cauſsâ ei, credo, uxor data 'ſt.
HE. Dic, bonân' fide tu mihi iſtæc verba dixiſti? *ER.* bonâ.
HE. Dî immortales, iterum gnatus videor, ſi vera autumas.
ER. An tu dubium habebis etiam ſanctè cùm jurem tibi?
Poſtremò, Hegio, ſi parva jurijurando 'ſt fides,
Viſe ad portum. *HE.* facere certum 'ſt. tu intus cura quod opus eſt.
Sume, poſce, prome quidvis. te facio cellarium.
ER. Nam hercle niſi mantiſcinatus probè ero, fuſti pectito.
HE. Æternum tibi dapinabo victum, ſi vera autumas.
ER. Unde id? *HE.* à me meoque gnato. *ER.* ſponden' tu iſtud? *HE.* ſpondeo.
ER. At ego tuum tibi adveniſſe filium, reſpondeo.
HE. Cura quàm optumè potes. *ER.* benè ambula, & redambula.

INTERPRETATIO.

HE. *Quare juras tu per urbes barbaricas?* ER. *Quia ſunt etiam aſperæ, ut dicebas eſſe tuum victum.* HE. *Væ tuæ ætati.* ER. *Quippe quia non mihi credis, quando loquor ſedulò. Verùm cujus nationis erat Stalagmus, quando abiit hinc?* HE. *Siculus.* ER. *Sed non eſt nunc Siculus; eſt Boyus, terit Boyam. Credo, ei data eſt uxor ad quærendos liberos.* HE. *Dic,* Ergaſile, *dixiſtine hæc verba ſeriò?* ER. *Seriò.* HE. *Dii immortales! videor natus denuò, ſi dicis vera.* ER. *An in dubium revocabis etiam, quando tibi jurabo religioſè. Demum, Hegio, ſi fides eſt parva jurejurando, perge ad portum.* HE. *Conſtat facere. tu cura in ædibus quod opus eſt, ſume, poſce, prome, quid plura? Te conſti uo meum cellarium.* ER. *Etenim verò certè niſi divinavero rectè, pecte eum fuſte.* HE. *Tibi decernam victum ſempiternum, ſi dicis vera.* ER. *Unde id?* HE. *A me & meo filio.* ER. *Spondesne iſtud?* HE. *Spondeo.* ER. *At ego tibi reſpondeo tuum filium adveniſſe.* HE. *Cura quàm optimè potes.* ER. *Benè ambula, & revertere.*

ANNOTATIONES.

105. *Væ ætati tuæ.*] imprecatio,

108 *Boius eſt, Boiam terit.*] Alluſio ad *Boios* Galliæ populos. *Boia* autem eſt vel lorum *bubulum*, vel collare ferreum. *Terit*, id eſt, in ſplendorem dat.

110. *Bonáne fide.*] Erat alius temporis jusjurandum.

116. *Mantiſcinatus.*] A μάντις factum, quod *Vatem* ſignificat. Sed & alludit ad manticam aſſeclam perpetuam paraſiticâ.

117. *Dapinabo victum.*] Eſt fictum a *dapibus* verbum.

ACTUS QUARTUS. SCENA TERTIA.

ARGUMENTUM.

GRATULATUR ſibi Ergaſilus, quòd Hegio permiſerit ſummam rerum culinariarum: acuit dentes: ventrem comparat ad omnia voranda.

ERGASILUS.

ILLIC hinc abiit: mihi rem ſummam credidit cibariam.
Dî immortales, jam ut ego collos prætruncabo tergoribus!
Quanta pernis peſtis venier! quanta labes larido!
Quanta ſumini abſumedo! quanta callo calamitas!
Quanta laniis laſſitudo! quanta porcinariis!
Nam ſi alia memorem, quæ ad ventris victum conducunt, mora eſt.
Nunc ibo ad præfecturam, & jus dicam larido,
Et quæ pendent indemnatæ pernæ, eis auxilium ut feram.

INTERPRETATIO.

ERG. *Ille migravit hinc, mihi credidit rem ſummam cibariam. Dii immortales! ut ego præcidam modò colla tergoribus! quanta peſtis accidet pernis! quanta labes larido! quanta abſumedo ſuminis! quanta calamitas! quanta laſſitudo laniis! quanta porcinariis! Nam ſi memorem cætera quæ conducunt ad victum ventris, longus fuero. Nunc ibo ad præfecturam, & dicam jus larido; & ut feram auxilium eis pernis quæ pendent indemnatæ.*

ANNOTATIONES.

1. *Collos.*] *colla.*
4. *Callo.*] *Callus* ſeu *callum aprugnum*, eſt quod nos dicimus *échinée*.

ACTUS QUARTUS. SCENA QUARTA.

ARGUMENTUM.

PUER Hegionis conqueritur de petulantiâ Ergaſili, & de ejus voracitate.

PUER HEGIONIS.

DIESPITER te dîque, Ergaſile, perdant & ventrem tuum,
Paraſitóſque omnes, & qui poſthàc cœnam Paraſitis dabit.
Clades calamitáſque, intemperies modò in noſtram advenit domum.
Quaſi lupus eſuriens, metui ne in me faceret impetum.
Nimiſque hercle ego illum malè formidabam: ita frendebat dentibus.
Adveniens deturbavit totum cum carne carnarium.

INTERPRETATIO.

PUER HEG. *Jupiter & dii te perdant & tuum ventrem, Ergaſile, & omnes Paraſitos, & qui dabit deinceps cœnam Paraſitis. Clades & calamitas, intemperies incidit mox in ædes noſtras. Metui ne faceret quoque impetum in me, quaſi lupus eſuriens! Per Herculem illum pertimeſcebam nimis malè, adeò ringebat dentibus. Suo adventu evertit totum carnarium cum carne.*

Arripui

Arripuit gladium, prætruncat tribus tergoribus glandia.
Aulas, calicéſque omnes confregit, niſi quæ modiales erant.
Cocum percontabatur, poſſéntne ſeriæ ferveſcere.
Cellas refregit omnes intus, recluſitque armarium.
Aſſervate iſtunc, ſultis, ſervi. ego ibo ut conveniam ſenem.
Dicam ut ſibi penum aliud ornet, ſiquidem ſeſe uti volet.
Nam hic quidem ut adornat, aut jam nihil eſt, aut jam nihil erit.

INTERPRETATIO.

Arripuit gladium, abſcidit glandulas à tribus tergoribus ſuilibus: *confregit cunctas ollas & calices, præter eas quæ non erant unius modii. Sciſcitabatur à coquo, utrum poſſent ſeriæ* foco impoſitæ *ferveſcere: perfregit intus omnes cellas, recluſit armarium.*

Aſſervate iſtum, ſi vultis, ſervi. Ego ibo ut adeam ſenem. Dicam ut ſibi adornet aliam penum, ſi volet uti penu. *Nam, ut hic ſeſe accingit, aut nunc eſt nihil* domi, *aut modò erit nihil.*

ANNOTATIONES.

7. *Glandia.*] *Glandium*, pars ſuis, ſeu ſylveſtris ſeu domeſtici, quâ collum cum capite committitur. A *glandulis* quæ ſubſunt, dictum. Hæc in deliciis erat Romanis. Plinius. *Neque ex alio animali numeroſior materia ganeæ: quinquaginta propè ſapores, cum cæteris ſinguli. Hinc cenſoriarum Legum paginæ interdictáque cœnis abdomina glandia,* &c.

8. *Modiales.*] Id fermè fit etiamnum ab inſignibus nepotibus, qui calices & cyathos confringunt, qui non videntur ſatis capaces ad explendam bibendi libidinem.

9. *Seriæ.*] *Saloir.* Erant *ſeriæ* fictiles ut plurimùm. Non contentus Paraſitus depromere fruſta ſuilla è ſeriis, totas ſerias vult foco imponi.

12. *Penum.*] hic hæc hoc *penus*, hoc *penum*.

ACTUS QUINTUS.

ARGUMENTUM.

RECIPIUNTUR Philopolemus, Philocrates, & Stalagmus, & reducitur è lapicidinis Tyndarus.

ACTUS QUINTUS. SCENA PRIMA.

ARGUMENTUM.

IN gratiam fidei ſuæ in redeundo, reducendoque Philopolemo, petit Philocrates ab Hegione Tyndarum ſibi reſtitui ſuum.

HEGIO, PHILOPOLEMVS, PHILOCRATES.

HEGIO.

JOvi diiſque ago gratias meritò magnas,
Quom te reducem tuo patri reddiderunt,
Quomque ex miſeriis plurimis me exemerunt,
Quæ adhuc te carens, dum hîc fui, ſuſtentabam:
Quomque hunc conſpicio in poteſtate noſtrâ,
Quomque hæc reperta eſt fides firma nobis.
Satis jam dolui ex animo, & curâ me ſatis
Et lacrumis maceravi. hoc! ſatis jam audivi
Tuas ærumnas, ad portum mihi quas memoraſti.
Hoc agamus. *PHILOC.* quid nunc, quoniam tecum ſervavi fidem,
Tibique hunc reducem in libertatem feci? *HE.* feciſti, ut tibi,
Philocrates, nunquam referre gratiam poſſim ſatis,
Proinde ut tu promeritus de me & filio. *PHILOP.* imò potes,
Pater, & poteris, & ego potero: & dî eam poteſtatem dabunt,
Ut beneficium benemerenti noſtro meritò muneres.
Sicut tu huic potes, pater mi, facere meritò maxumè.
HE. Quid opu'ſt verbis? lingua nulla eſt, quâ negem quicquid roges.
PHILOC. Poſtulo abs te, ut mihi illum reddas ſervom, quem hîc reliqueram
Pignus pro me, qui mihi melior, quàm ſibi ſemper fuit!
Pro benefactis eius uti pretium poſſim reddere.
HE. Quod benefeciſti, referetur gratia, id quod poſtulas,
Et id, & aliud, quod me orabis, impetrabis. atque te
Nolim ſuccenſere, quòd ego iratus ei feci malè.

INTERPRETATIO.

HE. *MEritò ago magnas gratias Jovi & diis, quòd te reſtituerunt reducem tuo patri, & quòd me vindicarunt ex plurimis calamitatibus quas pertuli hucuſque privatus te, dum fui hic, & quando conſpicor hunc in noſtrâ poteſtate, & quando fides Philocratis eſt inventa inviolabilis erga nos. Satis dolui jam ex animo, & me ſatis afflictavi ſollicitudine & lacrymis. Satis audivi jam tuas ærumnas, quas mihi narraviſti ad portum. Nunc agamus hoc.* PHILOC. *Quid facies nunc, quia ſervavi fidem, & tibi feci hunc reducem in libertatem?* HE. *Effeciſti, Philocrates, ut nunquam tibi queam referre ſatis gratiam, ut tu promeritus es de me & meo filio.* PHILOP. *Imò potes pater, & poteris, & ego potero, & dii dabunt hanc poteſtatem, ut muneres munus benemerenti noſtro merito. ſicut tu huic potes facere meritò maximè, pater mi.* HE. *Quid opus eſt verbis? Eſt nulla lingua quâ negem quidquid poſtules.* PHILOC. *Abs te rogo ut mihi reſtituas ſervum quem hic reliqueram pignus pro me, qui mihi fuit ſemper melior quàm ſibi, ut poſſim ei reddere præmium pro ejus beneficiis.* HE. *Referam gratiam quod me affeciſti munere, impetrabis quod poſtulas, & id & aliud quod me rogabis, atque nolim te ſuccenſere mihi, quòd ego iratus ei feci malè.*

PHILOC. Quid feciſti ? *HE.* in lapicidinas compeditum condidi,
Ubi reſcivi mihi data eſſe verba. *PHILOC.* væ miſero mihi!
Propter meum caput labores homini eveniſſe optumo.
HE. At ob eam rem mihi libellam pro eo argenti ne duis.
Gratis à me, ut ſit liber, abducito. *PHILOC.* edepol, Hegio,
Facis benignè. ſed, quæſo, hominem ut jubeas arceſſi. *HE.* licet.
Ubi eſtis vos? ite actutum, Tyndarum huc arceſſite.
Vos ite intrò. interibi ego ex hâc ſtatuâ verbereâ volo
Erogitare, meo minore quid ſit factum filio.
Vos lavate interibi. *PHILOP.* ſequere hàc, Philocrates, me intrò.
PHILOC. ſequor.

INTERPRETATIO.

PHILOC. *Quid feciſti?* HE. *Dedi in latomias vinctum compedibus, ubi reſcivi mihi eſſe data verba.* PHILOC. *Væ mihi infelici! labores eveniſſe optimo viro propter me.* HE. *Sed non mihi dabis libellam pecuniæ pro eo ob eam rem. Habete à me gratis ut ſit liber.* PHILOC. *Per ædem Pollucis, Hegio, facis benignè. Sed obſecro ut mandes accerſi hominem.* HE. *Licet. Ubi eſtis vos? Ite velociter, arceſſite huc Tyndarum. Vos ite intrò. Interim ego volo ſciſcitari ex hoc ſtipite cædendo verberibus, quid ſit factum de meo filio minore. Vos lavate interim.* PHILOP. *Sequere me hàc intrò, Philocrates.* PHILOC. *Sequor.*

ANNOTATIONES.

27. *Libellam argenti.*] id eſt, *ne teruncium quidem*, id eſt, *nihil*. Minimam pecuniæ partem dicebant *aſſem* & *libellam*.

31. *Statua verberea.*] Homo qui verberibus induruit.

ACTUS QUINTUS. SCENA SECUNDA.

ARGUMENTUM.

STALAGMUS interrogatus quid fecerit de Pægnio, quem abſtulerat fugiens, ſic reſpondet Hegioni, ut intelligat Tyndarum eſſe Pægnium ſuum.

HEGIO, STALAGMUS.

HEGIO.

AGe tu: illuc procede, bone vir, lepidum mancupium meum.
STA. Quid me oportet facere, ubi tu talis vir falſum autumas?
Fui ego bellus, lepidus, bonus vir nunquam, neque frugi bonæ,
Neque ero unquam: ne tu ſpem ponas me bonæ frugi fore.
HE. Propemodum ubi loci fortunæ tuæ ſint, facilè intellegis.
Si eris verax, tuâ ex re facies; ex malâ meliuſculam.
Recta & vera loquere: ſed neque verè, neque rectè adhuc
Feciſti unquam. *STA.* quod ego fatear, credin' pudeat, cùm autumes?
HE. At ego faciam ut pudeat: nam in ruborem te totum dabo.
STA. Eia! credo ego, imperito plagas minitaris mihi.
Tandem iſta aufer, dicque quid fers, ut feras hinc quod petis.
HE. Satis facundu's. ſed jam fieri dictis compendium volo.
STA. Ut vis, fiat. *HE.* benè morigerus fuit puer: nunc non decet.
Hoc agamus. jam animum advorte, ac mihi quæ dicam, ediſſere.
Si eris verax, tuis rebus feceris meliuſculas.
STA. Nugæ iſtæc ſunt. non me cenſes ſcire quid dignus ſiem?
HE. At ea ſubterfugere potis es pauca, ſi non omnia.
STA. Pauca effugiam ſcio. nam multa evenient, & merito meo.
Quia & fugi, & tibi ſurripui filium, & eum vendidi.

INTERPRETATIO.

HE. *AGe tu, procede illuc, bone vir, mi lepide ſerve.* STA. *Quid mihi faciendum eſt ſervo? Si tu dominus ejuſmodi vir dicis falſum; nunquam ego fui bellus, feſtivus, bonus vir, neque bona frugi, neque ero unquam: ne tu ſperes me fore probum.* HE. *Vides facilè quo loci devenerint tua fortuna. Si vera dixeris, efficies ex tuâ re, quæ eſt mala, meliuſculam. Dic recta & vera: verùm neque rectè, neque verè feciſti hucuſque unquam.* STA. *Exiſtimaſne quantum pudeat quod ego fateor, quia dicis?* HE. *Sed ego efficiam ut pudeat: nam efficiam ut erubeſcas totus ſanguine.* STA. *Eia: ego exiſtimo quòd mihi minitaris verbera inexperto. Denique amitte minas, & aperi quid tibi velis, ut accipias à me quod poſtulas.* HE. *Satis diſertus es: ſed volo rem contrahi paucis verbis.* STA. *Fiat ut poſtulas.* HE. *Fuit puer benè morigerus. Nunc non decet. Simus toti in hoc uno, & mihi quæ rogabo ſi vera dixeris, reddideris tuas res paulò meliores.* STA. *Sunt iſta nugæ: etenim exiſtimas me intelligere quid commeruerim?* HE. *Sed potes declinare pauca, ſi non univerſa mala.* STA. *Arcebo pauca, ſcio. Nam plura evenient & meo merito, quia & fugi, & tibi ſuffuratus ſum tuum filium, & eum vendidi.*

ANNOTATIONES.

2. *Quid me facere oportet.*] Argumentum à minori ad majus. *Si herus meus eſt mendax* inquit Stalagmus, *quid mirum ſi mendax ſum?* Mendacem autem Hegionem probat, quòd ab eo vocetur *bonus vir.*

8. *Quod ego fatear.*] *Non pudet fateri quod tu affirmas.*

9. *In ruborem.*] Jocus in impudentem, qui ſi non vultu ob pudorem, ſaltem humeris ob vibices rubeat.

HE. Cui homini? *STA.* Theodoromedi in Alide Polypluſio
Sex minis. *HE.* proh dî immortales! is quidem hujus eſt pater
Philocratis. *STA.* quin meliùs novi, quàm te, & vidi ſæpiùs.
HE. Serva, Juppiter ſupreme, & me & meum gnatum mihi.
Philocrates, per tuum te ingenium obſecro, exi: te volo.

INTERPRETATIO.

HE. *Cui homini?* STA. *Theodoromedi in Elide Polypluſio ſex minis.* HE. *Proh dii immortales! is quidem eſt pater hujus Philocratis.* STA. *Quin novi melius, & vidi ſæpiùs quàm te.* HE. *Jupiter ſupreme, ſerva mihi & me & meum gnatum. Philocrates, obſecro te per tuum genium: exi: te volo.*

ACTUS QUINTUS. SCENA TERTIA.

ARGUMENTUM.

AGNOSCIT Hegio Tyndarum eſſe ſuum Pægnium, olim furtò ablatum.

PHILOCRATES, HEGIO, STALAGMUS.

PHILOCRATES.

HEGIO, aſſum: ſi quid me vis, impera. *HE.* hic gnatum meum
Tuo patri ait ſe vendidiſſe ſex minis in Alide.
PHI. Quàndiu id factum eſt? *STA.* hic annus incipit viceſimus.
PHI. Falſa memorat. *STA.* aut ego, aut tu nam tibi quadrimulum
Tuus pater peculiarem parvulum puero dedit.
PHI. Quid erat ei nomen? ſi vera dicis, memora dum mihi!
STA. Pægnium vocitatu 'ſt: pòſt vos indidiſtis Tyndaro.
„ *PHI.* Cur ego te non novi? *STA.* quia MOS EST oblivіſci hominibus,
„ Neque noviſſe, cujus nihili ſit faciunda gratia.
PHI. Dic mihi: iſne iſtic fuit, quem vendidiſti meo patri,
Qui mihi peculiaris datus eſt, hujus filius?
HE. Vivitne is homo? *STA.* argentum accepi, nihil curavi cæterum.

INTERPRETATIO.

PHI. *ADſum, Hegio: ſi vis me aliquid, manda.* HE. *Hic ait ſe vendidiſſe in Elide ſex minis meum filium tuo patri.* PHI *Quandiu id eſt factum?* STA. *Hic annus viceſimus incipit.* PHI. *Dicit falſa.* STA. *Aut ego, aut tu dicis. Nam tuus pater tibi addidit puero parvulum quadrimum, peculiarem ſervum.* PHI. *Dic mihi igitur quod nomen ei erat, ſi dicis vera.* STA. *Vocatus eſt Pægnium, poſteà vos dediſtis Tyndaro.* PHI. *Quare ego non te novi?* STA. *Quia eſt mos hominibus obliviſci, neque noviſſe cujus gratia nihili ſit facienda.* PHI. *Dic mihi, illene fuit iſtic, quem vendidiſti meo patri, qui mihi additus eſt peculiaris, hujus filius?* HE. *Is homo vivitne?* STA. *Accepi pecuniam, cæterorum nihil curavi.*

HE. Quid tu ais? *PHI* quin iſtic ipſu 'ſt Tyndarus tuus filius;
Ut quidem hic argumenta loquitur. nam is mecum à puero puer
Benè pudicèque educat' ſt uſque ad adoleſcentiam.
HE. Et miſer ſum, & fortunatus, ſi vos vera dicitis:
Eò miſer ſum, quia malè illi feci, ſi gnatus meu 'ſt.
Eheu! cur ego plus minuſque feci, quàm æquom fuit!
Quod malè feci, crucior modò, ſi infectum fieri poſſiet.
Sed eccum, incedit huc, ornatus haud ex ſuis virtutibus.

INTERPRETATIO.

HE. *Quid dicis tu?* PHI. *Quin iſte eſt ipſe tuus filius Tyndarus, ut quidem hic indicat ſignum. Nam is educatus eſt mecum puer à puero uſque ad adoleſcentiam benè pudicèque.* HE. *Sum & fortunatus & infortunatus, ſi vos dicitis vera: idcircò ſum miſer, quia illi malefeci, ſi eſt meus filius. Eheu! cur ego feci plus minuſque quàm par fuit! Crucior modò quòd ego malefeci, ſi poſſit fieri infectum. Sed ecce accedit huc ornatus haud ex ſuis meritis.*

ANNOTATIONES.

15. *Benè pudicéque.*] Ea eſt præcipua educationis puerilis laus, ſi *pudica* ſit.

19. *Crucior.*] Sed infectum eſſe non poteſt quod factum eſt haud ex ſuis virtutibus, id eſt *meritis.*

ACTUS QUINTUS. SCENA QUARTA.

ARGUMENTUM.

TYNDARUS è vinculis eximitur, in vincula detruditur Stalagmus.

HEGIO, PHILOCRATES, TYNDARUS, STALAGMUS.

TYNDARUS.

VIDI ego multa ſæpè picta, quæ Acherunti fierent
Cruciamenta: verùm enimverò nulla adæquè eſt Acheruns,
Atque ubi ego fui in lapidicinis. illic ibi demum eſt locus,
Ubi labore laſſitudo omni 'ſt exigunda ex corpore.
Nam ubi illò adveni, quaſi patriciis pueris, aut monedulæ,
Aut anates, aut coturnices dantur, quîcum luſitent,
Itidem hæc mihi advenienti upupa, quî me delectet, data eſt.

INTERPRETATIO.

TYN. *EGo vidi plerumque multos cruciatus depictos, qui infligerentur in inferis: ſed nulli inferi ſunt ſimiles lapidicinis à quibus prodeo. Eſt ille locus in quo omnis defatigatio ſuſcipienda eſt membris. Nam ubi acceſſi ad hunc locum, quemadmodum dantur aut monedulæ, aut anates, aut coturnices pueris patriciorum, quibuſcum luſitant: itidem hic malleus mihi datus eſt advenienti ad me oblectandum.*

ANNOTATIONES.

1. *Acherunti.*] Patet hinc illis temporibus depicta fuiſſe in tabulis ſupplicia, quibus reorum animæ poſt mortem mactantur; idque ad avertendos à vitio homines.

7. *Upupa.*] Jocus ſumptus ab oblectamentis puerilibus *upupa* dicitur, & de ave hujus nominis *Hupe*, & de Ligone cujus forma non abſimilis roſtro upupino eruendis lapidibus idoneo.

Sed herus eccum ante oſtium, & herus alter eccum ex Alide
Rediit. *HE.* ſalve, exoptate gnate mi. *TYN.* hem! quid, gnate mi?
Attat! ſcio cur te patrem aſſimules eſſe, & me filium:
Quia mihi, item ut parentes, lucis das tuendæ copiam.
PHI. Salve, Tyndare. *TYN.* & tu, quojus cauſsâ hanc ærumnam exigo,
PHI. At nunc liber in divitias faxo venies. nam tibi
Pater hic eſt; hic ſervus, qui te huic hinc quadrimum ſurpuit.
Vendidit patri meo te ſex minis. is te mihi
Parvulum peculiarem parvulo puero dedit.
Illic indicium fecit. nam hunc ex Alide huc reducimus.
TYN. Quid, hujus filium? *PHI.* intus eccum fratrem germanum tuum.
TYN. Quid tu ais? adduxtin' illum hujus captivum filium?
PHI. Quin, inquam, intus hic eſt. *TYN.* feciſti edepol & rectè & benè.
PHI. Nunc tibi pater hic eſt: hic fur eſt tuus, qui parvum hinc te abſtulit.
TYN. At ego hunc grandis grandem natu, ob furtum, ad carnificem dabo.
PHI. Meritus eſt. *TYN.* ergo edepol meritam mercedem dabo.
Sed dic oro: Pater meus túne es? *HE.* Ego ſum, gnate mi.
TYN. Nunc demum in memoriam redeo, cùm mecum cogito,
Nunc edepol demum in memoriam regredior, audiſſe me

INTERPRETATIO.

Verùm ecce herus ante januam, & ecce alter herus reverſus eſt ex Elide. HE. *Salve, gnate mi exoptate.* TYN. *Hem! quid, gnate mi? Atat: ſcio cur fingas te eſſe patrem, & me filium: quia mihi tribuis facultatem intuendæ lucis, ſicut parentes.* PHI. *Salve, Tyndare.* TYN. *Et tu, cujus gratiâ perfero hanc ærumnam.* PHI. *Sed jam faciam ut venias liber in divitias: nam hic eſt tuus pater, hic ſervus qui te ſurripuit huic quadrimum, & te vendidit meo patri ſex minis: is te dedit mihi parvulum parvulo puero. Ille fecit indicium: nam hunc revocavimus ex Elide huc.* TYN. *Quid, hujus filium?* PHI. *Ecce eſt in ædibus tuus frater germanus.* TYN. *Quid dicis tu? Adduxiſtine illum ejus filium captivum?* PHI. *Quin, inquam, eſt in ædibus.* TYN. *Feciſti per ædem Pollucis & rectè & benè,* PHI. *Nunc hic eſt tuus pater: hic eſt tuus fur, qui te abſtulit hinc parvum.* TYN. *Sed ego dabo hunc grandem natu grandis ad carnificem, ob furtum.* PHI. *Meritus eſt.* TYN. *Ego per ædem Pollucis dabo huic præmium meritum. Sed dic, rogo, eſne tu meus pater?* HE. *Ego ſum, gnate mi.* TYN. *Nunc demum ego redeo in memoriam, quando cogito mecum; nunc demum redeo in memoriam per ædem Pollucis, me audiviſſe*

ANNOTATIO.

11. *Lucis tuendæ.*] id eſt, *intuendæ.* Porrò parentum eſt edere in lucem liberos, ut Hegio è tenebris lapidicinarum edit Tyndarum.

Quaſi per nebulam Hegionem patrem meum vocarier.
HE. Ego ſum. *PHI.* compedibus, quæſo, ut tibi ſit levior filius,
Atque hic gravior ſervus. *HE.* certum eſt principium id prævortier.
Eamus intrò, ut arceſſatur faber: ut iſtas compedes
Tibi adimam, huic dem. *STA.* cui peculii nihil eſt, rectè fęceris.

INTERPRETATIO.

quaſi per nebulam meum patrem vocari Hegionem. HE. *Ego ſum.* PHI. *Rogo ut tuo filio eximantur compedes, & addantur huic ſervo.* HE. *Conſtitum eſt inde incipere: introeamus ut arceſſatur faber, ut tibi adimam has compedes, & dem huic.* STA. *Rectè feceris homini, cui nihil eſt peculii.*

ANNOTATIONES.

27. *Per nebulam.*] Tranſlatio à ſenſu ad ſenſum: videmus per nebulam, non audimus.

31. *Peculii nihil eſt.*] Jocatur Tyndarus quòd Hegio dandas eſſe compedes dicat: *Rectè*, inquit, *feceris: nam mihi non erat peculium.*

GREX.

ARGUMENTUM.

COMMENDATUR hæc Fabula, & uno verbo abſolvitur, quòd in eâ boni meliores fiant.

SPECTATORES, ad pudicos mores facta hæc Fabula eſt.
Neque in hâc ſubigitationes ſunt, neque ulla amatio,
Nec pueri ſuppoſitio, nec argenti circumductio:
Neque ubi amans adoleſcens ſcortum liberet clàm ſuum patrem.
Hujuſmodi paucas Poëtæ reperiunt Comœdias,
Ubi boni meliores fiant. nunc vos, ſi vobis placet,
Et, ſi placuimus, neque odio fuimus, ſignum hoc mittite:
Qui pudicitiæ eſſe voltis præmium, plauſum date.

INTERPRETATIO.

GREX. *HÆc Fabula accomodata eſt moribus caſtis, ô Spectatores! neque in hâc ſunt motus inverecundi, neque ullus amor, nec ſuppoſitio pueri, nec defraudatio pecuniæ: neque ubi adoleſcens amans manumittat meretricem clàm ſuum patrem. Poëtæ reperiunt paucas Comœdias hujuſmodi, in quibus boni fiant meliores: Nunc ſi hac Comœdia vobis placet, & ſi odio non fuimus, vos date hoc indicium, qui vultis dari præmium pudicitiæ, date plauſum.*

ANNOTATIO.

7. *Signum.*] quo apparet placuiſſe Fabulam. *Signum* autem hoc *plauſus* eſt.

FINIS CAPTIVORUM.

M. ACCII PLAUTI CURCULIO.

ARGUMENTUM.

FILIUS Periphanis & Cleobulæ Therapontigonus, miles Epidaurienſis, emit Planeſium puellam Epidaurienſem à Cappadoce lenone Epidaurienſi triginta minis. Eam relinquit apud lenonem uſque eo dum revertatur è Caria, quò profectionem adornat. Non numerat quidem pecuniam Cappadoci lenoni Miles; ſed deponit illam apud Lyconem trapezitam, mandatque ne cuiquam det, niſi ei qui afferat à ſe litteras ſuo annulo obſignatas. In eo annulo erat imago Militis, cum clypeo, elephantem obtruncantis. Rebus ita conſtitutis, miles Therapontigonus proficiſcitur in Cariam. Intereadum ibi commoratur Therapontigonus, Phædromus adoleſcens Epidaurienſis amore Planeſii capitur: ſed ut eâ fruatur, & eſt leno Cappadox corrumpendus, & eſt aſſeranda in libertatem Planeſium, & ad utrumque opus eſt pecuniâ. Phædromus omnem lapidem movet ut comparet, & eo conſilio mittit in Cariam paraſitum ſuum Curculionem ad quærendam mutuam. Alios atque alios adit, ſed nuſquam invenit. Demum occurrit ei Therapontigonus miles, invitat ad cœnam Curculionem, bibitur largiùs. Inter pocula & ſcyphos, quod fit, Miles aperit Curculioni à ſe & emptam fuiſſe Planeſium, & pretium eſſe apud Lyconem trapezitam depoſitum, uſque eodum det ad eum litteras ſuo annulo obſignatas. Curculio, his auditis, de circumveniendo Milite ſtatim cogitat. Menſis remotis, Miles ſomno vinóque gravis, it cubitum. Curculio dormienti altiſſimè, & crapulam efflanti, educit ex digito annulum; proficiſcitur à Milite Curculio; revertitur Epidaurum; fabricatur unà cum Phædromo litteras tanquam à Milite ſcriptas; obſignant ſigillo Militis; reddit Paraſitus litteras Lyconi; Lyco numerat pecuniam Cappadoci lenoni; Leno dat puellam Curculioni; tanquam à Milite miſſo abducendam. Videt Planeſium annulum Militis, & agnoſcit eſſe patris ſui. Intereà ſupervenit Miles, rixatur

cum Phædromo, cum Curculione, repetit vel pecuniam vel Planeſium, Phædromus unà cum Planeſio rogant à Milite, unde habeat annulum quem ei ſurripuit Paraſitus? Dicit accepiſſe ſe à patre Periphane, matrem fuiſſe Cleobulam, Archeſtratam nutricem. Addit quomodo in Ludis Dionyſiacis ablata fuerit, & depromit annulum quem habebat tum cùm rapta eſt, & quem ſemper ſervavit. Miles agnoſcit annulum ad ſororem à ſe miſſum ejus die natali. Collocatur in matrimonium Planeſium Phædromo, & cogitur leno reddere triginta minas pro Planeſio acceptas à Lycone & Curculione.

Hæc Fabula vocatur CURCULIO, à Paraſiti nomine, qui præcipuas in hàc Comœdiâ partes ſuſtinet, videlicet ſubducto Militis annulo efficit ut cedat Planeſium Phædromo, ut in libertatem aſſeratur, ut Miles eam agnoſcat ſororem ſuam, ut tradat in uxorem Phædromo Planeſium. Partibus tantùm duabus conſtat, Fabula ſcilicet & Epilogo. Sola eſt ex omnibus Plautinis quæ Prologo caret. Fabula conſtat Protaſi, Epitaſi, & Cataſtrophe. *Protaſis* patet ab initio, ad Actus 2. Scenam 3. In hac enim parte Phædromus ſpem inter & metum fluctuat in expectatione Curculionis Paraſiti, quem miſit in Cariam ad pecuniam mutuam quærendam, ſine quâ Phædromo carendum eſt Planeſio quam amat impenſiùs. A Scenâ 3. ad Actum 5. eſt *Epitaſis*; hîc enim Therapontigonus circumventus fraudibus Curculionis, erumpit in tragicos clamores tragicáſque minas. *Cataſtrophe* eſt ἀναγνωρισμὸς Planeſii. In hâc Fabulâ ſic lenæ & lenonis turpitudo depingitur, ut cuivis impudicitiæ odium incutere poſſit.

Mores Fabulæ ſunt: NIHIL CLYPEUS ET MACHÆRA ADVERSÙS FRAUDEM. Therapontigonus enim, glorioſus Miles, quaſi ad fortitudinis oſtentationem, in Annulo gerebat inciſum elephantem, quem macherâ clypeatus obtruncabat: ſed nihilominus Curculionis fraude ſuperatur.

SCENA EST EPIDAURI.

PERSONÆ.

CHORAGUS.

THERAPONTIGONUS, Miles Epidaurienſis.

PLANESIUM, Soror Therapontigoni.

PHÆDROMUS, juvenis Epidaurienſis.

CURCULIO, Paraſitus Phædromi.

COQUUS anonymus Phædromi.

PALINURUS, Servus Phædromi.

LYCO, Trapezita.

LENA anonyma.

CAPPADOX Leno.

EPILOGUS.

PERIOCHA ACROSTICHA.

CURCULIO miſſus Phædromi it Cariam,
Ut petat argentum. ibi ille eludit annulo
Rivalem, ſcribit atque obſignat litteras.
Cognoſcit ſignum Lyco, ubi vidit, militis:
Ut amicam mittat, pretium lenoni dedit.
Lyconem Miles ac lenonem in jus rapit.
Ipſus ſororem, quam peribat, repperit:
Oratu cujus Phædromo nuptum locat.

INTERPRETATIO.

Curculio Paraſitus *Phædromi proficiſcitur in Cariam, ut roget pecuniam à* quopiam ſodali ſuo. *Curculio ſuffuratur annulum ejus rivalis*, Therapontigoni militis, in Caria. *Scribit litteras, & obſignat* eodem annulo. *Quando Lyco* Trapezita *videt ſignum Therapontigoni, id ſtatim agnoſcit, & numerat Cappadoci lenoni pretium, ut Planeſium amicam Therapontigoni dimittat. Therapontigonus vocat in jus Lyconem* Trapezitam, *& lenonem* Cappadocem. *Therapontigonus agnoſcit* Planeſium, *quam deperit*, eſſe ſuam *ſororem. Planeſium* Therapontigonum fratrem *rogat, ut tradatur nuptui Phædromo.*

ANNOTATIO.

1. *It Cariam.*] id eſt, *in Cariam. Caria* eſt regio minoris Aſiæ, inter Lyciam & Ioniam, nunc *Lango*. Ex hâc Fabulâ colligere licet *Cariam* non abfuiſſe Epidauro, quæ eſt urbs Peloponeſi, niſi quatriduo: quod difficile eſt ſtatuere de *Cariâ* minoris Aſiæ.

ACTUS PRIMUS.

ARGVMENTVM.

PHÆDROMUS miſſo in Cariam Paraſito Curculione ad quærendam pecuniam quâ emat Planeſium amicam à Cappadoce lenone, Palinuro ſervo comite, convenit lenam, cujus operâ liceat videre Planeſium, & libertatem pollicetur intra triduum.

ACTUS PRIMUS. SCENA PRIMA.

ARGVMENTVM.

PHÆDROMUS, Palinuro comite, habitu nauclerico, id eſt amatorio, pergit ad Cappadocis lenonis ædes, apud quas lenæ operâ videat Planeſium: & quoniam vinoſiſſima eſt lena, fert ad eam vinum, de quo fundit ad limen januæ, ad excitandam evocandámque ejus odore vetulam.

PALINVRVS, PHÆDROMVS.

PALINVRVS.

QUo ted hoc noctis dicam proficiſci foras
Cum iſthoc ornatu, cumque hâc pompâ, Phædrome?
PH. Quò Venus Cupidóque impetat, ſuadétque Amor.

INTERPRETATIO.

PA. *IN quem locum contendis tam provectâ nocte, cum illâ veſte & cum hoc apparatu, Phædrome?* PH. *Quò Venus Cupidóque jubet, & Amor invitat.*

ANNOTATIONES.

2. *Cum iſtoc ornatu.*] Suus erat amatoribus apparatus, ut eo uno dignoſceres à cæteris, ſicut ſuum erat peregrinorum, nautarum, &c. Ex eo apparatu amatorio erat, quòd fax cerea & funalis iis præferretur, præirent ſervi qui vinum & jentaculum ferrent Veneri: quod vocat Palinurus *pompam.*

Phædrome.] Eſt dactylus in Plauto, atque adeò penultima eſt correpta, quanquam deſcendat à Φαίδρωμος Græcè, cujus eſt penultima producta. Ratio eſt, quia Latini in pronunciatione vocum ſecuti ſunt accentum Græcarum à quibus eſſent factæ. Sic dixerunt *Idola, Trigenus, Philippus, Aratus.* Et quia in pronunciatione penultima eſt brevis, fecerunt & brevem in quantitate *Prudentius, Auſonius, Sidonius.* Sic *Sidonius, Marsiam, Euripidem,* quia accentus in Græcis eſt in penultimâ. Contrà *Neſtórem, Hectórem,* temporibus Plauti dixerunt, decepti analogiâ *rectóris* à *rector, mensóris* à *menſor.*

3. *Cupido.*] Nonius. *Cupido & Amor idem ſignificare videntur: ſed eſt diverſitas. Cupido enim eſt inconſiderata neceſſitatis: Amor, judicii. Plautus in Curculione diſcrevit, & vim ejuſdem diſcretionis expreſſit.*

Si media nox eſt, ſive eſt prima veſpera!
Si ſtatus condictus cum hoſte intercedit dies,
Tamen eſt eundum, quò imperant, ingratiis.
PA. At tandem tandem. *PH.* tandem es odioſus mihi.
PA. Iſtuc quidem nec bellum eſt, nec memorabile:
Tute tibi puer es lautus, luces cereum.
Egon' apicularum operâ congeſtum non feram,
Ex dulci oriundum, melliculo dulci meo?
PA. Nam quò te dicam ego ire? *PH.* ſi tu me roges,
Dicam, ut ſcias. *PA.* ſi rogitem, quid reſpondeas?
PH. Hoc Æſculapî fanum eſt. *PA.* plus jam anno ſcio.
PH. Huic proximum illud oſtium occluſiſſimum.
Salve: valuiſtin' uſque, oſtium occluſiſſimum?
PA. Caruitne febris te heri, vel nudiuſtertius?
Et heri cœnaviſtine? *PH.* deridéſne me?
PA. Quid tu ergo, inſane, rogitas, valeátne oſtium?
PH. Belliſſimum hercle vidi, & taciturniſſimum.
Nunquam ullum verbum muttit: cùm aperitur, tacet:
Cùm illa noctu clanculum ad me exit, tacet.
PA. Nunquid tu, quod te aut genere indignum ſit tuo

INTERPRETATIO.

Sive eſt media nox, ſive adveſperaſcit, ſive occurrit dies conſtitutus, denuntiatus peregrino, tamen ire oportet, etiam invitò, quò jubent. PA. *Sed demum demum.* PH. *Demum es mihi inviſus.* PA. *Id profectò neceſt pulchrum nec laudabile. Tu tibi ipſe es miniſter ſcitus, præfers facem.* PH. *Egone non geſtarem quod geſſerunt parvulæ apes ſecretum è ſuavi cera, ſuavi melli meo amicæ?* PA. *Quonam affirmabo ego te vadere?* PH. *Si tu à me petas, aperiam quò intelligas.* PA. *Si poſtulem, quid reponas?* PH. *Adeſt Templum Æſculapii.* PA. *Novi id jam ampliùs anno.* PH. *Hæc janua junctiſſima huic contigua. Salve. limen optimè junctum, ſanúmne fuiſti semper?* PA. *Febris téne deſeruit heſternâ die, vel à duobus diebus? Et epulatú'ne es heſternâ luce?* PH. *Illudis mihi.* PA. *Quare igitur, amens, tu poſtulas valeátne oſtium?* PH. *Per Herculem animadverti pulcherrimum, & ſecreto aptiſſimum; nunquam effert ullum dictum: ſilet cùm panditur: & cùm illa egreditur ad me occultè nocte, muta eſt.* PA. *Nonne tu agis quod alienum ſit à te, aut à tuâ proſapiâ,*

ANNOTATIONES.

4. *Si media.*] *ſi* pro *ſive*, ut *ni* pro *nive*.

5. *Status dies.*] Feſtus, *Status dies eſt qui judicii causâ eſt conſtitutus cum hoſte, id eſt, peregrino: ejus enim generis ab Antiquis hoſtes appellabantur, quòd erant pari jure cum populo Romano: atque hoſtire ponebatur pro æquare.*

9. *Tute tibi puer es lautus.*] In apparatu nuptiali erant pueri elegantes & formâ & veſtibus, qui lucem præferrent ſponſis. Hîc ſibi ipſe lucem miniſtrat Phædromus.

Luces cereum.] Hell. *per cereum. Cereum præfers tibi lucentem.* Cic. *Prælucere* bonam ſpem, præferre, oſtendere.

15. *Occluſiſſimum.*] Alii *oculiſſimum*, id eſt *cariſſimum in oculis*.

17. *Caruitne te febris.*] Orationem inſulſam domini ſui Phædromi irridet Palinurus aliâ oratione ridiculâ perinde: nam dicitur *caret febri*, non *febris caret eo. Valuiſtine, oſtium?* & *Caruitne te febris?* orationes inſulſæ ambæ. Palinurus portò ſubnotat verba heri ſui eſſe hominis, aut ex febri, aut ex largiori cœnâ delirantis.

Facis, aut inceptas facinus facere, Phædrome?
Num tu pudicæ cuipiam inſidias locas?
Aut quam pudicam oportet eſſe? *PH.* nemini.
Nec me ille ſinit Juppiter. *PA.* ego item volo.
Ita tuum conferto amare ſemper, ſi ſapis,
Ne id quod ames, populus ſi ſciat, tibi ſit probro.
Semper curato ne ſis inteſtabilis.
Quod amas, amato teſtibus præſentibus.
PH. Quid iſtuc eſt verbi? *PA.* cautè ut incedas viâ.
PH. Quin leno hîc habitat. *PA.* nemo hinc prohibet nec vetat,
Quin quod palàm eſt venale, ſi argentum eſt, emas.
„ Nemo ire quenquam publicâ prohibet viâ.
„ Dum ne per fundum ſeptum facias ſemitam,
„ Dum tete abſtineas nuptâ, viduâ, virgine,
„ Juventute, & pueris liberis; ama quid lubet.
PH. Lenonis hæ ſunt ædes. *PA.* malè iſtis eveniat.
PH. Quî? *PA.* quia ſceleſtam ſervitutem ſerviunt.
PH. Obloquere. *PA.* fiat maximè. *PH.* etiam taces?
PA. Nempe obloqui me juſſeras. *PH.* at nunc veto.
Id uti occœpi dicere; ei ancillula eſt.
PA. Nempe huic lenoni, qui hîc habitat? *PH.* rectè tenes.
PA. Minùs formidabo ne exedat. *PH.* odioſus es.

INTERPRETATIO.

aut auſpicaris quoddam crimen, Phædrome? An tu inſidiaris alicui caſtæ; aut ei quæ debet eſſe caſta? PH. *Nulli. neque ille Jupiter me patitur facere.* PA. *Ego opto etiam, colloca ſemper ſic tuum amorem. ſi conſultus es. ne ſi plebs condiſcat id quod amas, tibi ſit dedecori. Vide ſemper ne evadas indignus qui teſteris: ama quod amas, adhibitis teſtibus.* PH. *Quodnam eſt hoc dicti?* PA. *Quò nitaris viâ prudenti.* PH. *Quin leno hic manet.* PA. *Nullus prohibet neque vetat, quominus emas hic quod eſt venale coràm, ſi habes pecuniam. Nemo impedit quemquam ire regiâ viâ. Modò non aperias iter per agrum clauſum: modò temet contineas à nuptâ, viduâ, virgine, juventute, & pueris ingenuis: ama quidquid placuerit.* PH. *Hæc eſt domus lenonis.* PA. *Malè iſtis accidat.* PH. *Cur?* PA. *Quoniam ſubjiciuntur ſervituti ſceleratæ.* PH. *Obloqueris.* PA. *Faciam lubenter.* PH. *Non tacebis?* PA. *Nimirum mihi ſtatim imperaſti ut obloquerer.* PH. *Sed accipe nunc ſicut cœpi hoc aperire: habet ancillulam.* PA. *Scilicet hic leno qui hic manet?* PH. *Benè tenes.* PA. *Minùs pertimeſco ne effluat memoria.* PH. *Odioſus es.*

ANNOTATIONES.

28. *Tuum amare.*] pro *tuum amorem.* ut in bono Poëta, *Scire tuum nihil eſt.* Hell. Nos vernaculo noſtrò dicimus, *ton ſçavoir*, ſaltem in noſtrâ Poëſi.

30. *Inteſtabilis.*] Ei cui inuſta erat nota infamiæ, teſtimonium dicere non licebat, nec teſtamentum morienti condere.

35. *Prohibet.*] *Prohibere* eſt, avertere & impedire ne quid fiat, Prohibitoria Edicta Prætorum. *Vetare*, eſt dictis reſiſtere. Porrò hæc oratio Palinuri quàm parum conveniat cum Lege Dei, ſtatim agnoſcit Chriſtianus. Neque enim ſatis eſt *abſtinere à nuptâ, virgine, viduâ, juventute & pueris liberis*, ſed ab omni prorſus libidine, cujus ſtabula videtur hac aperire oratione Palinurus.

45. *Ne exedat.*] *Si tenea puellam. minùs metuo ne exedat*, id eſt, *veret leno.*

Eam volt meretricem facere : ea me deperit.
Ego autem cum illâ facere nolo mutuum.
PA. Quid ita? *PH.* quia proprium facio: amo pariter ſimul.
» *PA.* Malus clandeſtinus eſt amor, damnum 'ſt merum.
PH. Eſt hercle ita ut tu dicis. *PA.* jámne ea fert jugum?
PH. Tam à me pudica eſt, quaſi ſoror mea ſit. niſi
Si eſt oſculando quippiam impudicior.
» *PA.* Semper tu ſcito, Flamma fumo eſt proxima.
» Fumo comburi nihil poteſt, flammâ poteſt.
» Qui è nuce nucleum eſſe volt, frangit nucem.
Qui volt cubare, pandit ſaltum ſaviis.
PH. At illa eſt pudica, neque dum cubitat cum viris.
PA. Credam, pudor ſi cuipiam lenoni ſiet.
PH. Imò, ut illam cenſes? ut quæque illi occaſio eſt
Surripere ſe ad me, ubi ſavium oppegit, fugit.
Ideò fit, quia hic leno ægrotus incubat
In Æſculapii fano. is me excruciat. *PA.* quid eſt?
PH. Aliàs me poſcit pro illâ triginta minas,
Aliàs talentum magnum. neque quicquam queo

Interpretatio.

Cupit eam proſtituere: ea me perditè amat, ego verò nolo habere mutuam illam. PA. *Quare?* PH. *Quia volo habere peculiarem. Redamo pariter illam.* PA. *Amor occultus eſt nequam, eſt mera pernicies.* PH. *Eſt per Herculem ita ut tu affirmas.* PA. *Jamne cuiquam mancipata eſt?* PH *Eſt adeò caſta ex meâ parte, quàm ſi ſit mea ſoror. niſi ſi eſt paulò impudicior oſculis.* PA. *Pro certo habeto flammam eſſe ſemper proximam fumo. Nihil poteſt conſumi fumo, poteſt flammâ. Qui cupit comedere nucleum nucis, frangit nucem: qui vult cubare, incipit à ſuaviis.* PH. *Sed illa eſt caſta, necdum cubat cum viris.* PA. *Credam, ſi ſit lenonis alicui pudor.* PH. *Immò qualem cenſes illam eſſe? Quando ſeſe offert occaſio ſeſe ſurripiendi, ut veniat ad me, ſtatim atque dedit oſculum, fugit. Id fit, quoniam leno æger cubat hic in Templo Æſculapii: ille me enecat.* PA. *Quare?* PH. *Modò à me petit triginta minas pro illâ, modò magnum talentum, neque poſſum obtinere*

Annotationes.

47. *Facere nolo mutuum.*] Cic. *Quod autem ita ſcribis pro mutuo inter nos animo, quid tu exiſtimas eſſe in amicitiâ mutuum, neſcio: equidem hoc arbitror, cùm par voluntas accipitur & redditur.*

50. *Jamne ea fert jugum.*] pro *matrimonio* accipitur: unde *conjux, conjugium*, metaphoricum nomen ab illis belluis ſumptum, quæ cùm eſſent anteà liberæ & ſolutæ, jugo ſubjiciuntur, ut hominibus eſſe utiles poſſint.

53. *Flamma.*] Exactæ pudicitiæ eſt, neque ferre, neque inferre ullum libidinis indicium vel leviſſimum.

62. *Incubat in Æſculapii fano.*] Moris erat ut paſſim in deorum Templis cubarent, quorum opem expectarent. Quò fit ut eorum reſponſa eſſent ferè mera ſomnia. Virgil.

— *ca\[æ\]sarum ovium ſub nocte ſilenti*
Pellibus incubuit ſtratis, ſomnoſque petivit.

64. *Talentum magnum.*] Valet centum minas; minæ, centum drachmas. Mina valet ſeptemdecim libras turonenſes cum ſemiſſe.

Æqui bonique ab eo impetrare. *PA.* injurium eſt:
Qui, quod lenoni nulli 'ſt, id ab eo petas.
PH. Nunc hinc Paraſitum in Cariam miſi meum,
Petitum argentum à meo ſodali mutuum:
Quod ſi non affert, quò me vortam neſcio.
PA. Si deos ſalutas, dextrovorſum cenſeo.
PH. Nunc ara Veneris hæc eſt ante horunc fores.
Me inferre Veneri vovi jam jentaculum.
PA. Quid? an te pones Veneri à jentaculo?
PH. Me,te,atque hoſce omnes. *PA.* tum tu Venerem vomere vis?
PH. Cedò, puere, ſinum. *PA.* quid facturus? *PH.* jam ſcies.
Anus hîc ſolet cubitare cuſtos, janitrix,
Nomen ei eſt lenæ, multibiba atque merobiba.
PA. Quaſi tu lagenam dicas, ubi vinum ſolet
Chium eſſe. *PH.* quid opu 'ſt verbis? vinoſiſſima eſt.
Eáque extemplò ubi vino has conſperſi fores,
De odore adeſſe me ſcit, aperit illicò.
PA. Eine hic cum vino ſinus fertur? *PH.* niſi nevis.
PA. Nolo hercle. nam iſtunc qui fert, afflictum velim.
Ego nobis afferri cenſui. *PH.* quin tu taces?
Si quid ſuper illi fuerit, id nobis ſat eſt.

INTERPRETATIO.

ab eo quidquam juſti ac recti. PA. *Injuriam facis homini, ut qui ab eo flagites id quod in nullo lenone eſt.* PH. *Jam miſi meum Paraſitum hinc in Cariam, rogatum pecuniam mutuam à meo ſodali. Niſi apportat, neſcio quò me vertam.* PA. *Si ſalutas deos, exiſtimo te vertendum eſſe in dexteram.* PH. *Hoc Altare Veneris eſt jam ante horum limen. Vovi jam me offerre jentaculum Veneri.* PA. *Quid. poneſne te ante Venerem pro jentaculo?* PH. *Me,te,& hoſce omnes.* PA. *Tum tu vis Venerem vomere.* PH. *Da poculum, puer.* PA. *Quid facies?* PH. *Jam intelliges. Vetula ſolet hic cubitare, & cuſtodire januam. Vocatur nomine Lena multùm bibens.& merum bibens.* PA. *Tu dicas quaſi lagenam, in quam vinum laudatiſſimum conſuevit infundi.* PH. *Quid neceſſe eſt verbis? Eſt vino deditiſſima: & cùm primùm infudi vinum huic januæ, extemplò ſcit me adeſſe per odorem vini, reſerat ſtatim.* PA. *Eine datur cum vino hic ſinus.* PH. *Fertur,niſi vetas.* PA. *Nolo per Herculem: nam opto hunc qui fert afflictum caſu. Ego exiſtimavi nobis apportari.* PH. *Quin tu obmuteſcis: ſi illi ſuperfuerit aliquid, nobis ſufficit.*

ANNOTATIONES.

70. *Dextrovorſum.*] Qui deos venerabantur, versùs dextram ſeſe convertebant. *Salutare deos*, eſt *adorare deos*, *venerari*. Tacitus. *adorare vulgum*, pro *ſalutare vulgum*.

72. *Inferre Veneri jentaculum.*] Quia eſculenta & potulenta fert lenæ & Planeſio Phædromus, dicit Palinuro ſe *ferre Veneri jentaculum*. Per *Venerem* intelligit Planeſium. *Jentaculum* eſt primus diei cibus, fermè uſurpatus ab ſolis pueris.

Surgite, jam vendit pueris jentacula piſtor. Martial.

75. *Sinum*] vaſis genus ventrioſum.

Puere] *Puer.* Varro *Primo gradu uſque ad annum 15. pueri ſunt dicti, quòd puri ſint atque impuberes.* Unde *pullus* à *puerus*.

78. *Quaſi tu lagenam.*] Anus vino dedita dicitur *lagena*, ut ab Autoribus corpus noſtrum *uter*, *cortex*, *follis*. Varro. *Sic invitata anima corpoream corticem facilè relinquit.*

79. *Chium vinum.*] Ex inſulâ *Chio* Ægei Maris allatum.

PA.

„ *PA.* QUISNAM ISTIC fluvius eſt, quem non recipiat mare?
PH. Sequere hàc, Palinure, me ad fores: ſi mî obſequens.
PA. Ita faciam. *PH.* agite, bibite, feſtivæ fores,
Potate, ſite mihi volentes propitiæ.
PA. Voltiſne olivas, aut pulpamentum, aut capparim?
PH. Exuſcitate voſtram huc cuſtodem mihi.
PA. Profundis vinum. quæ te res agitant? *PH.* ſine.
Viden' ut aperiuntur ædes feſtiviſſimæ?
Num muttit? cardo eſt lepidus. *PA.* quin das ſavium.
PH. Tace: occultemus lumen & vocem. *PA.* licet.

INTERPRETATIO.

PA. *Quodnam hoc flumen eſt, quod mare non ebibat?* PH. *Veni hàc, Palinure, poſt me ad oſtium, ſis mihi morigerus.* PA. *Sequor.* PH. *Agite, bibite, feſtiva limina, potate, eſtote mihi benevolentes faventes.* PA. *Vultis olivas, aut pulpamentum, aut capparim?* PH. *Exſuſcitate mihi huc veſtram cuſtodem.* PA. *Effundis vinum, quæ furiæ te vexant?* PH. *Sile: aſpicisne ut janua feſtiviſſima aperitur? Non cardo ſtrepit, eſt ſcitus.* PA. *Quin figis ſuavium.* PH. *Tace, abſcondamus lumen, & vocem premamus.* PA. *Licet.*

ANNOTATIONES.

87. *Fi.*] id eſt, *eſto*, Horat.
——— *ſi cognitor ipſe.*

88. *Bibite.*] Solebant amatores, & effundere merum ad fores amicarum, & eas ornare floribus.

90. *Vultiſne olivas?*] Herum irridet Palinurus.

94. *Quin das ſavium.*] foribus, videlicet *irriſio*.

ACTUS PRIMUS. SCENA SECUNDA.

ARGUMENTUM.

LENA excitata odore vini, quod profudit Phædromus, ad limen venit; ſuam operam pollicetur in corrumpendâ Planeſio, modò adſit ſemper vinum laudatiſſimum.

PHÆDROMUS, PALINURUS, LENA.

LENA.

FLos veteris vini meis naribus objectus eſt.
Ejus amos cupidam me huc prolicit per tenebras.
Ubi ubi eſt, propè me eſt. evax habeo. Salve, anime mi,
Liberi lepos. ut veteris vetuſti cupida ſum!

INTERPRETATIO.

LE. *ODor vini veteris pervenit ad meas nares: ejus deſiderium me prolectat huc in tenebris: Ubi ubi eſt! Eſt juxta me: profectò teneo, Salve, mi anime, deliciæ Bacchi, quanto deſiderio teneor vetuſti vetuſtioris!*

ANNOTATIONES.

1. *Flos veteris vini.*] id eſt, *odor vini*, vel *vinum exquiſitiſſimum*, &, ut ita dicam, omnium *vinorum flos*, Sic dicitur *flos ætatis, flos gentis, flos amicorum*, &c.

2. *Amos.*] *colos, vapos, nidos, odos, lepos*, ut etiamnum *flos*.

4. *Liberi lepos.*] Varro, *Hilaritatis ſeminarium, medela ægritudinum.* Athenæus, *Vinum, lac Veneris.* Apuleius, *Vinum Veneris hortator & armiger.*

Veteris vetuſti.] *Vetus veteris*, & *vetuſtum vetuſti*, id eſt, *vinum vetuſtiſſimum.*

Nam omnium unguenrûm odor præ tuo, nautea eſt.
Tu mihi ſtacte, tu cinnamomum, tu roſa,
Tu crocinum & caſia es, tu bdellium: nam ubi
Tu profuſus, ibi ego me pervelim ſepultam.
Sed quum adhuc naſo odos obſequutus es meo,
Da viciſſim meo gutturi gaudium.
Nihil ago tecum. ubi eſt ipſus? ipſum expeto
Tangere! invergere in me liquores tuos
Sino ductim. ſed hàc abiit, hàc perſequar.
PH. Sitit hæc anus. *PA.* quantillum ſitit? *PH.* modica eſt,
Capit quadrantal. *PA.* pol, ut tu prædicas,
Vindemia hæc huic anui non ſatis eſt ſoli.
Canem eſſe hanc quidem magis par fuit: ſagax
Naſum habet. *LE.* amabò, cuja vox ſonat procul?
PH. Cenſeo hanc appellandam anum. adibo. redi,
Et reſpice huc ad me, Lena. *LE.* imperator quis eſt?
PH. Vini pollens, lepidus Liber,
Tibi qui ſcreanti, ſiccæ, ſemiſomnæ
Affert potionem, & te ſedatum it.
LE. Quàm longè à me abeſt! *PH.* lumen hoc vide.
LE. Grandiorem gradum ergo fac ad me, obſecro.

INTERPRETATIO.

Nam odor omnium aromatum eſt ſentina pra tuo: tu mihi flos myrrha, tu cinnamomum, tu roſa, tu crocinum & caſia es, tu bdellium: etenim in eo loco in quo effuſum es, ego peroptem me ſepultam. At quoniam odore afflatus eſt tantum meus naſus, perfunde etiam gaudio meum guttur. nihil te moror, ubi eſt ipſe odor? Expeto ipſum tenere, patere ut infundam jugiter in meum guttur tuos latices. Sed acceſſit hàc, occurram hàc. PH. *Hac vetula ſicca eſt.* PA. *Aliquantum ſitit!* PH. *Eſt parvo contenta: ſiccat vas octo & quadraginta ſextariorum.* PA. *Per Pollucem, ut tu dicis, integra vindemia non ſufficit huic uni vetula. Præſtitit ſanè illam eſſe canem: ſunt illi nares ſagaces.* LE. *Obſecro, qua vox auditur à longè?* PH. *Exiſtimo eam eſſe accerſendam vetulam. Conveniam. Revertere huc, & adſpice ad me, Lena.* LE. *Quis mihi imperat?* PH. *Vinipotens, feſtivus Bacchus. qui tibi propinat vinum ſitibunda, ſcreanti, inſomni, & accedit ad te ſedandam.* LE. *Quàm remotus à me!* PH. *Aſpice hanc facem.* LE. *Accede ergo paſſu majori ad me, amabò,*

ANNOTATIONES.

6. *Stacte.*] Theophr. *Latex oleumve à cinnamomo & myrrhâ incuâ ſudans.*

Cinnamomum.] Aroma fragrantiſſimum. *Cinnamum & cinamum.*

7. *Crocinum.*] E *croco*, unguentum.

13. *Sine.*] E *ſino*, vaſe vinario.

Ductim.] *Tout d'un trait, ἀπνευστί, ſans reprendre haleine.*

14. *Quantillum ſitit?*] Scriptum cum interrogatione; ſed commodiùs citra interrogationem: quaſi unus dicat, *La bonne femme a ſeif*; & alter, quod fit, alus verbis fermè idem: *Ouy, la bonne femme a un peu ſeif.*

15. *Quadrantal.*] Vas unius pedis in quadrum, quod octo & quadraginta ſextarios capit: *amphora* Græca ab anſis, quibus utrinque tollebatur.

17. *Naſum.*] olim genere neutro.

PH. Salve. *LE.* egón' ſalva ſim, quæ ſiti ſicca ſum?
PH. At jam bibes. *LE.* diu fit. *PH.* hem tibi anus lepida.
LE. Salve, oculiſſime homo. *PA.* age effunde hoc citò
In barathrum: properè prolue cloacam. *PH.* tace,
Nolo huic maledici. *PA.* faciam igitur malè potiùs.
LE. Venus, de paulo paululum hoc tibi dabo,
Haud lubenter. nam tibi amantes propinantes,
Vinum potantes dant omnes: mihi haud ſæpè
Eveniunt tales hæreditates. *PA.* hoc vide ut
Ingurgitat impura in ſe merum avariter,
Faucibus plenis! *PH.* perii hercle: huic quid primùm dicam
Neſcio. *PA.* hem iſtuc, quod mibi dixti. *PH.* quid id eſt?
PA. Periiſſe ut te dicas. *PH.* malè tibi dî faciant!
PA. Dic iſti. *LE.* ah! *PA.* quid eſt? ecquid lubet? *LE.* lubet.
PA. Etiam mihi quoque ſtimulo fodere lubet te.
PH. Tace, noli. *PA.* taceo. ecce autem bibit arcus. pluet
Credo hercle hodie. *PH.* jámne ego huic dico? *PA.* quid dices?
PH. Me periiſſe. *PA.* agè dice. *PH.* anus audi. hoc volo
Scire te, perditus ſum miſer, *LE.* at pol ego oppidò
Servata. ſed quid eſt, quid lubet perditum
Dicere te eſſe? *PH.* quia id, quod amo, careo.

INTERPRETATIO.

PH. *Salve.* LE. *Simne ſalva? Exæſtuo ſiti.* PH. *At bibes ſtatim.* LE. *Quàm longum id* jam! PH. *Accipe id, jucunda vetula.* LE. *Salve, vir ſuaviſſime.* PA. *Age inverge id celeriter in gurgitem: imple velociter voraginem.* PH. *Sile, ægrè fero huic dici convitium.* PA. *Infligam ergo ei potiùs malum.* LE. O *Venus! tibi propinabo parum vini de pauco, non ultrò: etenim amatores libantes tibi quando bibunt, offerunt cuncti merum: non frequenter mihi contingunt ejuſmodi bona.* PA. *Id aſpice quomodo ſceleſta vorat avidè vinum in ſe toto gutture.* PH. *Occidi per Herculem: quid priùs eloquar huic. ignoro.* PA. *Hem! id quod mihi locutus es.* PH. *Quid eſt illud?* PA. *Ut clames te occidiſſe.* PH. *Dii te perdant!* PA. *Dic iſti.* LE. *Ah!* PA. *Quid vis? Ecquid lubet?* LE. *Lubet.* PA. *Mihi placet etiam te ſcindere ſtimulo.* PH. *Sile, noli.* PA. *Sileo: ecce verò Iris potat: exiſtimo per Herculem futurum ut pluat hodie.* PH. *Huicne dico ego nunc?* PA. *Quid dices?* PH. *Me perditum eſſe.* PA. *Age effare.* PH. *Auſculta, vetula, id opto te intelligere; perii infelix.* LE. *Per Pollucem en ego incolumis maximè. Sed quid eſt? quid lubet affirmare te interiiſſe?* PH. *Quoniam eo privatus ſum quod depereo.*

ANNOTATIONES.

28. *Oculiſſimum.*] id eſt, *cariſſimum in oculis.* Catullus.

Ambobus mihi quæ carior eſt oculis.
Oculitùs amare, impenſiſſimè amare.

29. *Barathrum.*] Feſtus. *Barathrum Græci appellant locum præcipitem, unde emergi non poſſit. Dictum ab eo quod eſt βαθύ.* Horat. *barathrum macelli* helluo, qui quidquid in macello eſt, vorare poſſit.

41. *Bibit arcus.*] Virgil.

——— *bibit ingens*
Arcus. ———

Propert.

Purpureus pluvias cur bibit arcus aquas?

Martial.

Caſuras altè ſi rapit Iris aquas.

Plautus hîc notat curvam ſenectute anum & arcuatam, & unà bibaciſſimam.

LE. Phædrome mi, ne plora, amabò. tu me
Curato ne ſitiam, ego tibi, quod amas, jam huc adducam.
PH. Tibi næ ego, ſi fidem ſervas mecum,
Vineam pro aureâ ſtatuâ ſtatuam, quæ tuo
Gutturi ſit monimentum. qui me in terrâ æquè
Fortunatus erit, ſi illa ad me bitet,
„ Palinure? *PA.* edepol, QUI AMAT, ſi eget, miſerâ afficitur
Ærumnâ. *PH.* non ita res eſt. nam confido
Paraſitum hodie adventurum cum argento ad me.
PA. Magnum inceptas, ſi id exſpectas, quod nuſquam 'ſt.
PH. Quid ſi adeam ad fores, atque occentem? *PA.* ſi lubet,
Neque veto, neque jubeo: quando ego te video
Immutatis moribus eſſe, here, atque ingenio.
PH. Peſſuli, heus peſſuli, vos ſaluto lubens,
Vos amo, vos volo, vos peto, atque obſecro,
Gerite amanti mihi morem amœniſſimi:
Fite cauſâ meâ Lydî barbari,
Suſſilite obſecro, & mittite iſtanc foràs,
Quæ mihi miſero amanti ebibit ſanguinem.
Hoc vide ut dormiunt peſſuli peſſumi,
Nec meâ gratiâ commovent ſe ocyùs.
Reſpicio nihili meam vos gratiam facere.
Sed tace, tace. *PA.* taceo hercle. quid eſt? *PH.* ſentio ſonitum.
Tandem edepol mihi morigeri peſſuli fiunt.

INTERPRETATIO.

LE. *Phædrome mi, noli lacrymari, obſecro: tu vide ne ego ſitiam, ego jam tibi adducam huc id quod deperis,* PH. *Certè ego tibi offeram vineam pro aureâ ſtatuâ quæ ſit tuis faucibus monimentum, ſi mihi ſis fida. Quis erit ſic beatus ut ego in vitâ, ſi hæc ad me veniat, Palinure?* PA. *Per ædem Pollucis amator, ſi inops eſt, experitur luctuoſam calamitatem.* PH. *Res non ita ſe habet. Nam ſpero Paraſitum adventurum ad me hodie cum pecuniâ.* PA. *Moliris rem magnam, ſi experiris id quod nuſquam gentium exiſtit.* PH. *Quid ſi accedam ad januam, atque cantem ante eam?* PA. *Si placet, nec prohibeo, nec impero: quoniam ego te animadverto eſſe inſtitutis aliis & mente, here.* PH. *Peſſuli, heus peſſuli, vos ſalutatos volo ultrò, vos diligo, vos exopto, vos rogo & obteſtor, eſtote morigeri mihi amanti, jucundiſſimi evadite meâ gratiâ. Lydii, Italici, ſaltate rogo vos, atque hanc dimittite foras, quæ mihi ebibit ſanguinem infelici amanti. Vides ut obſurdi ſunt maligni peſſuli, neque ſeſe ſubducunt celeriter meâ cauſâ. Video vos flocci facere meam amicitiam. Sed ſile, ſile.* PA. *Taceo per Herculem: quid eſt?* PH. *Audio crepitum. Denique per ædem Pollucis peſſuli mihi obſequuntur.*

ANNOTATIONES.

60. *Peſſuli.*] Moris erat apud Antiquos ut amicarum fores inſcriberent laudibus, coronarent floribus, aſpergerent vino, occantarent, Perſ.

—— *dum Chryſidis udas*
Ebrius ante fores extinctâ cum face canto.

Mos ille necdum apud nos deſiit: hinc quæ noctu, quæ primâ luce ſymphoniæ audiuntur. *Les Serenades & les Aubades.*

63. *Lydii barbari.*] *Lydii* erant ſaltationibus deditiſſimi, & iis utplurimùm in choreis hiſtriones utebantur. *Barbari* dicuntur, id eſt, *Italici.*

ACTUS PRIMUS. SCENA TERTIA.

ARGVMENTVM.

PHÆDROMUS amore inſanus ad peſſulos canit, & invocat amicam quam adducit ad eum Lena. Pollicetur Phædromus libertatem intra diem tertium.

PHÆDROMVS, PALINVRVS, LENA, PLANESIVM.

LENA.

PLACIDE egredere, & ſonitum prohibe forum, & crepitum cardinum:
Ne quod hîc agimus, herus percipiat fieri, mea Planeſium.
Mane, ſuffundam aquulam. *PA.* viden', ut anus tremula medicinam facit?
Eapſe merum condidicit bibere, foribus dat aquam quam bibant.
PLA. Ubi tu es, qui me convadatus Veneriis vadimoniis?
Ubi tu es, qui me libello Venerio citaviſti? ecce me.
Siſto ego tibi me, & mihi contrà itidem te ut ſiſtas ſuadeo.
PH. Aſſum. nam ſi abſim, haud recuſem quin mihi malè ſit mel meum.
PLA. Anime mi, procul amantem abeſſe haud conſentaneum eſt.
PH. Palinure, Palinure. *PA.* eloquere. quid eſt, quod Palinurum voces?
PH. Eſt lepida. *PA.* nimis lepida. *PH.* ſum deus. *PA.* imò haud magni pretî.
PH. Quid vidiſti, aut quid videbis magis diis æquiparabile?
PA. Malè valere te, quod mihi ægrè eſt. *PH.* malè mihi morigerus, tace.
„ *PA.* Ipsus ſe excruciat, qui homo quod amat, videt, nec potitur dum lîcet.

INTERPRETATIO.

LE. *PRodi placidè, atque impedi crepitum januæ, & murmur cardinum, ne dominus ſentiat fieri hîc quod gerimus, mea Planeſium. Sine, inſtillavero parum aquæ.* PA. *Aſpice quemadmodum vetula tremens miſcet medicamenta: ipſa novit potare vinum. invergit aquam januæ quam potet.* PLA. *Adeſdum qui mihi dixiſti vadimonium amatorium? Adeſdum qui me vocaſti tabulis amatoriis? Præſto ſum. Ego memet offero tibi, atque hortor ut te offeras obviàm etiam mihi.* PH. *Adſum: nam ſi non adſim, non deprecabor à me quodvis malum, mel meum.* PLA. *Anime mi, non eſt æquum profectò amantem diſtare longè.* PH. *Palinure, Palinure.* PA. *Dic: quid eſt quòd Palinurum appellas?* PH. *Eſt feſtiva.* PA. *Nimis feſtiva.* PH. *Sum deus.* PA. *Imò* homo es *parvifaciendus.* PH. *Quid conſpexiſti, vel quid conſpicies quo propiùs accedam ad deos?* PA. *Quòd inſanias, hoc indignè fero.* PH. *Tace, mihi immorigerus.* PA. *Homo qui conſpicit quod deperit, nec fruitur dũ licet, ſe excruciat ipſe.*

ANNOTATIO.

5. *Vadimoniis.*] *Convadatus, vadimoniis, libello, citaviſti, ſiſto, ſiſtas,* & *ilicet* versûs 30. à Foro tranſlata ad res amatorias verba nota ſunt.

PH. Rectè objurgat. ſanè haud quicquam 'ſt, magis quod cupiam tamdiu.
PLA. Tene me,amplectere ergo. *PH.* hoc etiam eſt,quamobrem cupiam vivere.
Quia te prohibet herus, clàm hero potior. *PLA.* prohibet, nec prohibere quit,
Nec prohibebit, niſi mors meum animum abs te abalienaverit.
PA. Enimverò nequeo durare, quin ego herum accuſem meum:
„ Nam BONUM eſt, pauxillum amare ſanè; inſanè, non bonum eſt.
Verùm totum inſanum amare, hoc eſt, quod meus herus facit.
PH. Sibi ſua habeant regna reges, ſibi divitias divites:
Sibi honores, ſibi virtutes, ſibi pugnas, ſibi prælia:
Dum mihi abſtineant invidere, ſibi quiſque habeant quod ſuum eſt.
PA. Quid? tu Venerin' pervigilare te voviſti, Phædrome?
Nam hoc quidem edepol haud multò pòſt luce lucebit. *PH.* tace.
PA. Quid taceam? quin tu is dormitum? *PH.* dormio, ne occlamites:
PA. Tu quidem vigilas. *PH.* at meo more dormio: hic ſomnu 'ſt mihi.
„ *PA.* Heus tu mulier! MALE MERERI de immerente inſcitia eſt.
PLA. Iraſcere, ſi te edentem hic à cibo abigat. *PA.* ilicet.
Pariter hos perire amando video. uterque inſaniunt!
* * * * * * * * *
„ * * * *PLA.* NULLI EST homini perpetuum bonum.

INTERPRETATIO.

PH. *Benè obſtrepit. Profectò nihil eſt quod ardentiùs exoptem dudum.* PLA. *Tene me, amplectere ergo.* PH. *Id eſt etiam cur optem vivere: quoniam dominus vetat, fruor inſcio domino.* PLA. *Nec vetat, nec vetare valet, nec vetabit, niſi lethum ſejunxerit meam mentem abs te.* PA. *Profectò non poſſum temperare, quominùs ego inſimulem dominum meum. Etenim bonum eſt amare parum ſapienter; non eſt bonum, inſipienter: ſed amare prorsùs inſanè, id eſt quod meus dominus committit.* PH. *Reges ſervent ſua ſceptra, opulenti opes, ſibi honores, virtutes, ſibi pugnas, ſibi certamina, dummodo non mihi invideant, conſervet quilibet quod ad ſe pertinet.* PA. *Quod tu votum nuncupaſti te pervigilatim Veneris celebraturum, Phædrome? Etenim hoc cælum per ædem Pollucis mox illuſtrabitur lumine.* PH. *Sile.* PA. *Quare ſilebo? Quare tu non is dormitum?* PH. *Dormio; ne obloquare.* PA. *Tu profectò excitatus es.* PH. *Sed dormio, ut ſoleo, hic mihi eſt ſomnus.* PA. *Heus tu mulier! amentia eſt malè mereri de immerito.* PLA. *Moleſtè feras, ſi hic te depellat menſâ cœnantem.* PA. *Ilicet. Video hos perire amando: uterque inſaniunt:* * * * * * * * * * * PL. *Nullus homo perenni felicitate fruitur.*

ANNOTATIONES.

21. *Inſanum.*] *inſanè.*

22. *Sibi ſua habeant regna.*] Eſt luculenta amplificatio, in qua utinam eſſet tantùm moris boni, quantùm eſt artis.

30. *Ilicet.*] pro *ire licet.* Vox erat Prætoris judicia dimittentis.

Jam huic voluptati hoc adjunctum eſt odium. *PA.* quid ais propudium ?
Tun' etiam cum noctuinis oculis odium me vocas ?
Ebriola, perſolla : nugæ. *PH.* tun' meam Venerem vituperas ?
Quod quidem mihi polluctus virgis ſervus ſermonem ſerat.
At næ tu hercle cum cruciatu magno dixiſti id tuo.
Hem tibi maledictis pro iſtis : dictis moderari ut queas.
PA. Tuam fidem, Venus noctuvigila. *PH.* pergin' etiam verbero?
PLA. Noli, amabò, verberare lapidem, ne perdas manum.
PA. Flagitium probrúmque magnum, Phædrome, expergefacis:
Benè monſtrantem pugnis cædis, hanc amas : nugas meras.
Hoccine fieri, ut immodeſtis te hîc moderêre moribus ?
PH. AURO CONTRA cedò modeſtum amatorem. à me aurum accipe.
PA. Cedò mihi contra aurichalco, cui ego ſano ſerviam.
PLA. Benè vale, ocule mi : nam ſonitum & crepitum clauſtrorum audio,
Æditmum aperire fanum. quouſque, quæſo, ad hunc modum
Inter nos amore utimur ſemper ſubrepticio ?

INTERPRETATIO.

Hac moleſtia hanc ſequitur jucund tatem. PA. *Quid dicis, infame ſcortum ? Túne vocas me moleſtum, tu cui ſunt oculi bubonis ? Ebriola, larvula, nugacula.* PH. *Túne maledicis mea amica ? Quod quidem mancipium conciſus virgis mihi ogganniat. Sed per Herculem tu id attuliſti tuo magno infortunio. Ecce id tibi perſolvo pro iſtis conviciis, ut queas abſtinere probris.* PA. *Adeſto mihi, Venus, qua noctu vigilas.* PH. *Addiſne quid adhuc, maſtigia ?* PLA. *Ne percutias ſaxum, rogo, ne elidas manum.* PA. *Committis, Phædrome, ingens ſcelus & pudendum ; percutis pugnis rectè monentem, & hanc deperis : nugas meras canis. Idne fieri par eſt, ut te geras coram cupiditate immoderatâ.* PH. *Affer econtrà unum amatorem moderatum, numerato auro : accipe à me aurum.* PA. *Profer mihi econtrà aurichalco appenſo, cui ego miniſtrem ſapienti.* PLA. *Benè vale, cor meum : nam exaudio ſonitum & crepitum clauſtrorum, Cuſtodem Templi aperire Templum ; ad quod tempus, rogo, uſurpamus ambo ſic ſemper amorem furtivum ?*

ANNOTATIONES.

34. *Propudium.*] id eſt, *profligati pudoris.*

35. *Noctuinis oculis.*] Laus oculorum vertitur in probrum ab Palinuro. *Glauci* enim & *noctuini oculi* apud Græcos, apud quos eſt Scena, ut apud Romanos *nigri*, erant in pretio.

36. *Perſolla.*] diminut. *perſonula : petite ſotte.*

37. *Polluctus virgis.*] id eſt, *refertus, cumulatus virgis.* Ab Arâ Herculi ſacrâ umpta metaphora.

40. *Noctuvigila.*] Venus *noctuvigila* dicitur, quòd tenebras amet, utpote furtis aptas, & pudoris quaſi quoddam velamen. Iſtis compoſitionibus gaudebant Veteres, ad imitationem Græcorum : ſed ſermo Romanus non eſt tam aptus ad compoſitiones. *Noctiluca* Luna : ſomnus *intervigilus* : canes *leviſomni*. *Marvigila* clamabant jamjam commiſſuri prælium duces.

46. *Aurichalcum.*] *du laiton.* Melius *orichalchum* quàm *aurichalchum*. Horat.
Tibia non, ut nunc, orichalco vincta.

48. *Æditmus.*] Ab *æde tuendâ* : quod ait Varro. Apud nos, *Marguillier.*

PH. Minimè. nam Paraſitum miſi nudiuſquartus Cariam
Petere argentum: is hodie hîc aderit. *PL.* nimium conſultas diu.
PH. Ita me Venus amet, ut ego te hoc triduum nunquam ſinam
In domo eſſe iſtâc, quin ego te liberalem liberem.
PL. Facito ut memineris. tene etiam, priuſquam hinc abeo, ſavium:
PH. Siquidem hercle mihi regnum detur, nunquam id potiùs perſequar.
Quando ego te videbo? *PL.* hem! iſtoc verbo vindictam para.
Si amas, eme. ne rogites; facito ut precio pervincas tuo.
Benè vale. *PH.* jámne ego relinquor? pulchrè, Palinure, occidi.
PA. Ego quidem, qui & vapulando & ſomno pereo. *PH.* ſequere me.

INTERPRETATIO.

PH. *Nequaquam. Etenim miſi à diebus quatuor Paraſitum in Cariam, quæſitum pecuniam: is redibit hodie huc.* PLA. *Procraſtinas diutiùs.* PH. *Ita me amet Venus, ut ego te patiar nunquam tribus hinc diebus manere in iſtis ædibus, quin ego te in libertatem aſſeram.* PLA. *Fac ut recorderis. Accipe etiam oſculum antequam hinc proficiſcor.* PH. *Per Herculem ſi mihi offeratur imperium, nunquam accipiam lubentiùs id, quàm ego videbo te.* PLA. *Ehem! para vindictam hoc verbo præſtito: redime, ſi amas: ne rogites ampliùs: cœnare ut ſuperes quemvis pretio. Benè vale.* PH. *Jamne ego deſeror? Palinure, jucundè perii.* PA. *Equidem pereo ipſe vapulando & vigilando.* PH. *Sequere me.*

ANNOTATIONES.

53. *Liberalem liberem.*] Pleonaſmus: quaſi dicat, *liberem libertate.* Alia enim eſſe poteſt liberatio, ut à periculo, ab ære alieno.

56. *Vindictam para.*] *Vindicta* erat bacillus, quo feriebantur qui manumittebantur.

ACTUS SECUNDUS.

ARGUMENTUM.

CURCULIO Paraſitus Phædromi revertitur è Cariâ cum ſigillo Therapontigoni.

ACTUS SECUNDUS. SCENA PRIMA.

ARGUMENTUM.

CAPPADOX leno prodit è fano Æſculapii, in quo pernoctavit ad rogandam valetudinem, quia erat hydrops. Irridetur à Palinuro.

CAPPADOX,

PHÆDROMUS perſona muta, *CAPPADOX*, *PALINURUS*.

CAPPADOX.

MIGRARE certu 'ſt jam nunc è fano foras,
Quando Æſculapî ita ſentio ſententiam,
Ut qui me nihili faciat, nec ſalvom velit.
Valetudo decreſcit, accreſcit labor.
Nam jam, quaſi zonâ, liene cinctus ambulo.
Geminos in ventre habere videor filios.
Nihil metuo, niſi ne medius diſrumpar miſer.
PA. Si rectè facias, Phædrome, auſcultes mihi,
Atque iſtam exturbes ex animo ægritudinem.
Paves, Paraſitus quia non rediit Cariâ?
Afferre argentum credo. nam ſi non ferat,
Tormento non retineri potuit ferreo,
Quin reciperet ſe huc eſum ad præſepim ſuam.
CA. Quis hic eſt qui loquitur? *PA.* quojam vocem ego audio?
CA. Eſtne hic Palinurus Phædromi? *PA.* qui hic eſt homo,
Cum collativo ventre, atque oculis herbeis?
De formâ novi, de colore non queo
Noviſſe. jamjam novi: leno eſt Cappadox.

INTERPRETATIO.

CA. *Conſtitui excedere jam ex Templo. Nam animadverte ſic placere Æſculapio, utpote qui aſpernatur meas preces, & ſanare non vult. Vires minuuntur, morbus augetur. Etenim jam ſum ſuccinctus liene, quaſi quodam cingulo: credas me geſtare in ventre geminos filios: unum timeo, videlicet ne diſrumpar medius.* PA. *Si facias benè, Phædrome, audias me, atque ejice ex mente illam moleſtiam. Anxius es, quoniam Paraſitus non reverſus eſt ex Cariâ? Spero allaturum eſſe pecuniam. Nam ſi non afferas, non potuit illic impediri vinculo vel ferreo quominus repeteret huc eſum ad ſuum ſtabulum.* CA. *Quis hic eſt qui loquitur?* PA. *Cujus vocem audio?* CA. *Eſtne hic Palinurus ſervus Phædromi?* PA. *Quis eſt hic homo cum ventre protento, & oculis luridis? Formam novi hominis, non poſſum noſſe colorem. Jam novi: leno eſt Cappadox.*

ANNOTATIONES.

5. *Quaſi zonâ cinctus liene.*] Reverâ viſcus illud interius abdomen cingit, ut exterius zona.

12. *Tormento ferreo.*] Machinæ bellicæ rudentibus contortis contendebantur, quò gravior eſſet earum in muros hoſtiles impreſſio. A *torqueo*, *torquimentum*, *tormentum*. Unde *contorquere* telum, pro vibrare.

13. *Præſepim ſuam.*] *Præſepes præſepis*, aut *præſepis præſepis*, *præſepe præſepis*, *præſepia præſepia*, & *præſepium præſepii*. Hoc vocabulo movetur in Paraſitos contemptus, & in eos qui ultrò admittunt: illi enim belluæ, hi belluarum nutritii innuuntur.

Congrediar. *CA.* Salve, Palinure. *PA.* ô ſcelerum caput;
Salveto. quid agis? *CA.* vivo. *PA.* nempe ut dignus es.
Sed quid tibi eſt? *CA.* lien necat, renes dolent,
Pulmones diſtrahuntur, cruciatur jecur,
Radices cordis pereunt, hiræ omnes dolent.
PA. Tum te igitur morbus agitat hepatarius.
,, *CA.* Facile eſt miſerum irridere. *PA.* quin tu aliquot dies
Perdura, dum inteſtina exputeſcunt tibi,
Nunc dum ſalſura ſat bona 'ſt. ſi id feceris;
Vænire poteris inteſtinis vilius.
CA Lien dierectu 'ſt. *PA.* ambula, id lieni optumum 'ſt.
CA. Aufer iſtæc, quæſo, atque hoc reſponde quod rogo.
Potin' conjecturam facere, ſi narrem tibi,
Hâc nocte quod ego ſomniavi dormiens?
PA. Vah! ſolus hic homo 'ſt, qui ſciat divinitus.
Quin Conjectores à me conſilium petunt:
Quod eis reſpondi, eâ omnes ſtant ſententiâ.

INTERPRETATIO.

Convenio hominem. CA. *Salve. Palinure.* PA. *O ſcelerum caput. ſalveto. Quid facis?* CA. *Vivo.* PA. *Nimirum ut mereris. Sed quid tibi eſt?* CA. *Lien perimit, renes dolent, pulmones diſtrahuntur, cruciatur jecur. pereunt radices cordis omnes, hira dolent.* PA. *Tum te igitur vexat morbus hepatis.* CA. *Facile eſt miſerum jocari.* PA. *Quin tu perfers aliquot diebus uſque eodum inteſtina tibi computruerint: Nunc dum ſalſura ſatis bona eſt. ſi id feceris, vendi poteris vilius inteſtinis* ademptis. CA. *Lien diſtentus eſt.* PA. *Ambula, id lieni ſalubre eſt.* CA. Omitte *iſta, rogo, atque repone hoc quod rogo. Potéſne interpretari, ſi tibi retferam, quod ego ſomniavi dormiens hac nocte.* PA. *Vah! hic homo eſt unus qui novit divinare. Etiam ipſi conjectores me conſulunt: quidquid eis edixi. omnes manent in meâ ſententiâ.*

ANNOTATIONES.

26. *Collativo ventre,*] diſtentus venter, ut prægnantis. Feſtus. *Magno & turgido quia in eum omnia edulia conferantur.*

Oculis herbeis.] Virides oculi morbum indicant.

23. *Hira.*] Feſtus. *Hira quæ diminutive dicitur hilla, quam Græci dicunt* νῆστιν*, inteſtinum eſt quod jejunum vocant.*

26. *Exputeſcunt.*] Cicero. *Ut non inſcitè illud dictum videatur in ſue, animam illi pecudi datam pro ſale ne putiſceret.*

28. *Vænire poteris.*] id eſt, *ſi inteſtina tua condiantur. ſalſura etiam te toto carior.* Hoc dicterio nequitiam Cappadocis vellicat.

29. *Dierectus.*] *Dierectus* apud Plautum ubique idem eſt ac *in crucem actus.* Hoc loco *lien* eſt ita diſtractus ac diſtentus, ut videatur eſſe *in crucem actus.* Aliis *diſruptus, diruptus.*

Ambula, id lieni optimum eſt.] Celſus, *Vitium lienis quiete augetur, exercitatione minuitur.* Id experientiâ comprobatum narrat Plutarchus Laomedontis Orchomenii, qui in expugnando lienis vitio Curſor evadit præſtantiſſimus. Idem & Oratori Demoſtheni contigit.

33. *Sciat divinitus.*] *Divinus.* μάντις. Horatius.

Imbrium divina avis imminentum.
Cornix. Idem. ——— *divina futuri.*
Martialis. *Non ſum divinus.* ———
Cicero. *Falli ſperat Chaldæos. cæterò ſque divinos.* Hoc dicit Palinurus de ſeipſo, velut admotâ ad pectus manu, ad ſe demonſtrandum: quaſi dicat: *Te moques-tu? Il n'y a que Palinure qui y entende quelque choſe.*

ACTUS SECUNDUS. SCENA SECUNDA.

ARGUMENTUM.

CAPPADOX leno narrat ſuum ſomnium Phædromo & Palinuro, imò & Coquo.

PHÆDROMUS, PALINURUS, COQUUS, CAPPADOX.

COQUUS.

PALINURE, quid ſtas? quin depromuntur mihi,
Quæ opus ſunt: Paraſito ut ſit paratum prandium,
Quom veniat. *PA.* Maneſis, dum huic conjicio ſomnium.
CO. Tute ipſe, ſi quid ſomniaſti, ad me refers.
PA. Fateor. *CO.* abi! deprome. *PA.* age, tu intereà huic ſomnium
Narra. meliorem, quàm ego ſum, ſuppono tibi.
Nam quod ſcio, omne ex hoc ſcio. *CA.* operam ut det. *PA.* dabit.
CA. Facit hic quod pauci, ut ſit magiſtro obſequens.
Da mihi igitur operam. *CO.* tametſi non novi, dabo.
CA. Hâc nocte in ſomnis viſus ſum viderier,
Procul ſedere longè à me Æſculapium,
Neque eum ad me adire, neque me magnipendere
Viſu'ſt. *CO.* item alios deos facturos ſcilicet.
Sanè illi inter ſe congruunt concorditer.
Nihil eſt mirandum, melius ſi nihil ſit tibi:
Namque incubare ſatius te fuerat Jovi,
Qui tibi auxilium in jurejurando fuit.

INTERPRETATIO.

CO. *QUid ſtas, Palinure? Quin mihi proferuntur quæ ſunt neceſſaria, quo cœna apponatur Paraſito cùm revenerit.* PA. *Exſpecta, ſi placet, uſque eodum explico hujus ſomnium.* CO. *Tu ipſe conſulis me, ſi quid ſomnii fuerit.* PA. *Confiteor.* CO. *Proficiſcere.* PA. *Age, tu refer huic interim ſomnium: tibi ſuppono pro me, peritiorem me. Etenim quicquid ſcio, ſcio illo magiſtro.* CA. *Sed audiet.* PA. *Audiet.* CA. *Hic præſtat quod pauci* præſtant, *ut ſit morigerus ſuo magiſtro. Audi me ergo attentè.* CO. *Quanquam non noſco te, audiam.* CA. *Putabam videre dormiens hâc nocte Æſculapium ſedentem longè à me, neque eum accedentem ad me, neque magnifacientem me.* CO. *Oportet te ſcire alios deos facturos idem: ſine dubio illi conſentiunt unà inter ſe. Nihil mirum, ſi meliùs non te habeas: meliùs feciſſes ſi excubias egiſſes in Templo Jovis, qui tibi auxilio fuit pejeranti.*

ANNOTATIONES.

4. *Ad me refers.*] *Referre* eſt verbum narrandis ſomnis proprium apud conjectores.

6. *Narra.*] *Narrare* eſt idem ac *referre*.

16. *Jovi.*] Vide Not. Act. 1, Sc. 1, 62.

CA. Siquidem incubare velint, qui perjuraverint,
Locus non præberi potis eſt in Capitolio.
CO. Hoc animum advorte: pacem ab Æſculapio
Petas, ne fortè tibi eveniat magnum malum,
Quod in quiete tibi portentum 'ſt. *CA.* benè facis.
Ibo atque orabo. *CO.* quæ res malè vortat tibi.
PA. Proh dî immortales, quem conſpicio! qui illic eſt?
Eſtne hic Paraſitus, qui miſſu 'ſt in Cariam?
Heus Phædrome! exi! exi! exi, inquam, ocyùs!
PH. Qui iſtic clamorem tollis? *PA.* Paraſitum tuum
Video occurrentem: ellum uſque in plateâ ultimâ.
Hinc auſcultemus quid agat. *PH.* ſanè cenſeo.

INTERPRETATIO.

CA. Profectò *ſi excubias illas agant, qui perjuri fuere, non poteſt eſſe ſatis loci in Capitolio.* CO. *Hæc adhibe mentem, poſtula pacem ab Æſculapio, ne fortè tibi accidat ingens malum quod eſt objectum tibi in ſomnio.* CA. *Rectè facis: ibo atque deprecabor.* CO. *Quod tibi infauſtum ſit.* PA. *Proh dii immortales! quem video? Quis ille eſt? Eſtne hic Paraſitus qui miſſus eſt in Cariam? Heus prodi, Phædrome! prodi! prodi! prodi, inquam, velociter.* PH. *Quis eſt qui ita clamorem tollit?* PA. *Proſpicio tuum Paraſitum accurrentem. En illum uſque ab extremâ plateâ. Hinc obſervemus quid faciat.* PH. *Certè cenſeo.*

ANNOTATIONES.

19. *In Capitolio.*] *Capitolium* olim dicebatur quodvis Templum inſignis magnitudinis. Alioquin lapſus eſſet Poëta in hoc verbo, ut qui Scenam Epidauri eſſe fingat, ubi non erat verum *Capitolium.*

20. *Pacem ab Æſculapio petas.*] id eſt, *veniam. Pacem* autem *petere*, eſt hominis, qui cùm reus ſit nonnullius delicti, antequam quidquam roget à Deo, reconciliari cum eo debet: alioquin fruſtrà rogaverit, ut hoſtis ab hoſte.

22. *Portentum 'ſt.*] *Portentum* à *portendo. Portentus*, a, um. *Portendere* autem eſt, ſignificare aliquid periculi adventare à longè, idque prodigioſo aliquo ſigno, quod movet ante malum mali metum.

ACTUS SECUNDUS. SCENA TERTIA.

ARGUMENTUM.

CURCULIO gaudio exultans revertitur ex Cariâ, ſine pecuniâ quidem, ſed cum annulo Therapontigoni, qui eſt inſtar pecuniæ, ſuppoſitis Therapontigoni & nomine & obſignatis litteris, quibus pecunia habeatur. In hâc Scenâ eſt totum fermè Fabulæ Argumentum.

PHÆDROMVS, CVRCVLIO, PALINVRVS.

CVRCVLIO.

DAte viam mihi, noti atque ignoti, dum ego hîc officium meum
Facio: fugite, omnes, abite, & de viâ ſecedite:
Ne quem in curſu capite, aut cubito, aut pectore offendam, aut genu.
Ita nunc ſubitò, properè, & celerè objectum 'ſt mihi negotium.
Nec quiſquam ſit tam opulentus, qui mihi obſiſtat in viâ,
Nec ſtrategus, nec tyrannus quiſquam, nec agoranomus,
Nec demarchus, nec comarchus, nec cum tantâ gloriâ,
Quin cadat, quin capite ſiſtat in viâ de ſemitâ.
Tum iſti Græci palliati, capite operto qui ambulant,
Qui incedunt ſuffarcinati cum libris, cum ſportulis,
Conſtant, conferunt ſermones inter ſeſe drapetæ:
Obſtant, obſiſtunt, incedunt cum ſuis ſententiis,
Quos ſemper videas bibentes eſſe in Thermopolio,

INTERPRETATIO.

CUR. *PAndite mihi ſpatium, cogniti atque incogniti, dum ego fungor meo officio: fugite cuncti, abſiſtite & declinate de viâ, ne in quempiam capite in itinere incurram, aut cubito, aut pectore, aut genu; adeò repentè, velociter & celeriter mihi nunc demandatum eſt negotium. Nullus ſit tam dives qui occurrat mihi in viâ, nec Imperator, nec ullus Rex, nec Ædilis, nec Tribunus plebis, nec Vicimagiſter, nec alius ſimilis conditionis, quin corruat, quin tangat terram capite. Tum iſti Græci palliati, qui incedunt capite involuto, qui commeant cum libris, onuſti cum ſportulis, adſtant, miſcent colloquia fugitivi: obſtant, obſiſtunt, obambulant cum ſuis effatis. Hos conſpicias perpetuò bibere in cauponis:*

ANNOTATIONES.

6. *Strategus.*] Dux, Imperator, Prætor, è Græco factum.

Agoranomus.] Ædilis rerum venalium; Præfectus foro & annonæ.

7. *Comarchus.*] Præfectus vico, ſeu Vicimagiſter.

8. *Capite ſiſtat.*] ne levatus à me, in caput præceps affligatur: *luy mettre la teſte où il a les pieds. Capite ſiſtere* eſt idem atque *catomio* ſuſpendi, *la teſte en bas. Catomium* autem eſt vinculum, quo pedibus in altum verſis, dejectôque capite, rei ſuſpendebantur.

In viâ de ſemitâ.] id eſt, *Si mihi occurrat in ſemitâ quam inivi, & ſequor, ſupplantatum dejiciam in caput in viam, ſeu in alterutram regionem via, qua hinc inde eſt juxta ſemitam.*

9. *Græci palliati.*] *Pallium* Græcis, *toga* Latinis fuit.

Capite operto.] Interdum vel ne cognoſcerentur, vel ut calorem, vel etiam ut frigus arcerent, reductâ in caput laciniâ pallii ambulabant. Molliorum erat curioſiùs caput contegere.

10. *Suffarcinati libris.*] Paraſitica comparatio: nam ab eduliis eſt *ſuffarcinare* quod idem cum *farcire. Libri* enim ſub axillâ palliôque poſiti, tumidiorem exhibent hominem: quod *farcimen* in eduliis *farciendis* facit.

11. *Drapetæ.*] Levitas Græcorum hoc vocabulo notatur, quòd incertis ſedibus & ſtationibus vagari delectarentur. A δρίμω.

13. *Thermopolio.*] Ubi cibi calidi & molliores apponuntur. Alii *Hermopolio.* Forſitan ſub ſigno Mercurii erat caupona.

Ubi quid ſurripuêre, operto capitulo calidum bibunt,
Triſtes atque ebrioli incedunt: eos ego ſi offendero,
Ex unoquoque eorum exciam crepitum polentarium.
Tum iſti qui ludunt datatim ſervi ſcurrarum in viâ,
Et datores, & factores omnis ſubdam ſub ſolum.
Proinde ſe domi contineant; vitent infortunio.
PH. Rectè hic monſtrat, ſi imperare poſſit. nam ita nunc mos viget,
Ita nunc ſervitium 'ſt: profectò modus haberi non poteſt.
CV. Ecquis eſt, qui mihi commonſtret Phædromum, genium meum?
Ita res ſubita eſt: celeriter mihi hoc homine convento eſt opus.
PA. Te ille quærit. *PH.* quid ſi adeamus? heus, Curculio! te volo.
CV. Quis vocat? quis nominat me? *PH.* qui te conventum cupit.
CV. Haud magis cupis, quàm ego te cupio. *PH.* ô mea Opportunitas!
Curculio exoptate, ſalve. *CV.* ſalve. *PH.* ſalvum gaudeo
Te advenire. cedò tuam mihi dextram. ubi ſunt ſpes meæ?
Eloquere, obſecro, hercle. *CV.* eloquere, te obſecro, ubi ſunt ſpes meæ?

INTERPRETATIO.

quando quippiam ſuffurati ſunt, bibunt calidum involuto capite. ambulant inceſti atque titubantes: ego ſi in eos incidero, exprimam à ſingulis crepitum polentarium. Tum peſſundabo omnes ſervos iſtos ſcurrarum, qui colludunt pilâ in vicis. qui dant pilam, & qui recipiunt. Itaque maneant apud ſe, declinent perniciem. PH. *Hic oſtendit benè ſe dominum eſſe poſſe. Nam uſus nunc ſic invaluit. Hæc ſervitutis ratio eſt: ſanè in officio non poteſt contineri.* CUR. *Quis mihi oſtendat Phædromum, meum deum? Negotium adeò inſtat, oportet conveniam hunc hominem velociter.* PA. *Ille te quærit.* PH. *Quid, ſi accedamus? Heus, Curculio, te volo.* CUR. *Quis appellat? Quis me nominat?* PH. *Qui exoptat te alloqui.* CUR. *Non deſideras magis, quàm ego deſidero.* PH. *O mea felicitas! Curculio optatiſſime, ave.* CUR. *Salve.* PH. *Lætor te reverti incolumem: da mihi tuam manum: Ubi ſunt ſpes meæ* argentariæ? *Dic, rogo, per Herculem* CUR. *Dic, te obteſtor. ubi ſunt ſpes meæ* cibariæ?

ANNOTATIONES.

14. *Operto capitulo.*] Quòd *operto* molles, quòd *capitulo* leves notantur; quòd *calidum bibunt*, voluptuoſi; quòd *triſtes* affectatâ gravitate, ridiculi.

16. *Crepitum polentarium.*] Flatum ventris ex comeſtâ *polentâ* natum. *Polenta* autem erat farina hordei; cibus Stoïcorum Philoſophorum quotidianus, ut delicias in cibis vitarent. *Crepitus* eſt in vocibus quas nemo, niſi Paraſitus, aut paraſiticâ ſcurrilitate nominet urbanè & honeſtè.

17. *Ludunt datatim.*] id eſt, *pilâ*. Datores, *ceux qui ſervent*; factores, *ceux qu'on ſert*. In *factiones* dividebantur *factores*. Factio, *une partie*; *ludere datatim, ſervir*; *raptim, joüer*; *expulſim, repouſſer & renvoyer. Ludere datatim*, Metaph. *S'entr'envoyer la balle.*

19. *Vitent infortunio.*] id eſt, *caveant infortunio*. Alii *infortunia*.

21. *Ita nunc ſervitium eſt.*] Tales nunc ſervi ſunt.

26. *Opportunitas.*] Dea.

PH. Quid tibi eſt? *CV.* tenebræ oboriuntur, genua inediâ ſuccidunt.
PH. Laſſitudine hercle credo. *CV.* retine, retine me, obſecro.
PH. Viden' ut expalluit! datin' iſti ſellam, ubi aſſidat, citò,
Et aqualem cum aquâ? properatin' ocyùs? *CV* animo malè eſt.
PH. Vin' aquam? *CV.* ſi fruſtulenta eſt, da obſecro hercle, abſorbeam.
PH. Væ capiti tuo! *CV.* obſecro hercle, facite ventum ut gaudeam.
PH. Maximè. *CV.* quid facitis, quæſo? *PA.* ventum. *CV.* nolo equidem mihi
Fieri ventulum. *PH.* quid igitur vis? *CV.* eſſe, ut ventum gaudeam.
PH. Juppiter te dîque perdant. *CV.* perii, proſpicio parum,
Os amarum habeo, dentes plenos, lippiunt fauces fame,
Ita cibi vacivitate venio laxis lactibus.
PH. Jam edes aliquid. *CV.* nolo hercle aliquid: certum quàm aliquid mavolo.

INTERPRETATIO.

PH. *Quid habes?* CUR. *Tenebræ obcæcant, genua ſupplicantur.* PH. *Laſſitudine per Herculem exiſtimo.* CUR. *Suſtine, ſuſtine me, rogo.* PH. *Cerniſne ut expalluit? Date iſti ſellam, ubi ſedeat celeriter, & aqualam cum aquâ. Accelerate velociter.* CUR. *Animus deficit.* PH. *Viſne aquam?* CUR. *Si fruſta innatent* eſculenta, *præbe, precor, abſorbeam per Herculem.* PH. *Dii te perdant!* CUR *Obteſtor per Herculem, facite ventum ut gaudeam.* PH. *Maximè.* CUR. *Quid agitis, rogo?* PA. *Ventum.* CUR. *Nolo equidem mihi concitari ventum.* PH. *Quid vis igitur?* CUR. *Edere, ut grátuler mihi de meo adventu.* PH. *Jupiter diique te perdant!* CUR. *Interii! hebeſcunt oculi, amareſcit os, dentibus eſt ærugo, fauces ſordeſcunt inediâ; adeò laxa ſunt inteſtina cibo vacua.* PH. *Comedes modò aliquid.* CUR. *Nolo per Herculem* aliquid: *malo* certum *quàm* aliquid.

ANNOTATIONES.

30. *Succidunt.*] Lucretius. *Caligare oculos, ſonare aures, ſuccidere artus*, indicia ſunt fatiſcentis corporis & valetudinis.

34. *Fruſtulenta.*] Fruſtis eſculentis mixta

39. *Os amarum.*] Vas eſt quod Græci appellant κύστιν χοληδόχον, quo fel ſeſe inſinuat in ſtomachum ad titillandam famem: ſed propter inediam ex ſtomacho amarities exurgit ad linguæ radicem. Hic Plautum Medicum agnoſce.

Dentes plenos.] Alii *blennos*. à βλέννα *mucus*, id eſt. *ſordidos & impeditos carie & rubigine:* quo alludat ad ferrum, quod niſi deteratur uſu, rubigine ſordeſcit. Ita dentes paraſitici.

Lippiunt fauces.] *Lippiendo* eſt humor craſſior qui oculos occupat, prurigine moleſtus. Reverâ in inedia inſidet faucibus primis humor aliquis perinde moleſtus nauſcâ quam movet, quàm lippitudo eſt oculis.

40. *Laxis lactibus.*] Hæ *lactes* pluralis numeri. Dictæ à *lacio* antiquo, quòd inteſtina ſint quæ cibum alliciant. Quæ ſint illa inteſtina, non conveniunt Medici. Hoc loco ſumuntur pro toto ventre vacuo & pendente. Alii *laſſis lactibus*. Sed idem apud Antiquos *laſſis* & *laxis*, ut *adaſſint* & *adaxint*. *Lactes* ſignificat etiam *la lecte du poiſſon*, quod maſculorum eſt, ut ſunt ova fœminarum.

PH. Imò ſi ſeias, reliquiæ quæ ſint. *CV.* ſcire nimis lubet
Ubi ſient. nam illis conventis ſanè opus eſt meis dentibus.
PH. Pernam, abdomen, ſumen, ſuis glandium. *CV.* ain' tu omnia hæc?
In carnario fortaſſe dicis. *PH.* imò in lancibus:
Quæ tibi ſunt parata, poſtquam ſciimus venturum. *CV.* vide,
Ne me ludas. *PH.* ita me amabit, quam ego amo, ut ego haud mentior.
Sed quò te miſi, nihilo ſum certior. *CV.* nihil attuli.
PH. Perdidiſti me. *CV.* invenire poſſim, ſi mihi operam datis.
Poſtquam tuo juſſu profectus ſum, perveni in Cariam:
Video tuum ſodalem: argenti rogo uti faeiat copiam.
Seires velle gratiam tuam; noluit fruſtrarier:
Ut decet velle hominem amicum amieo, atque opitularier:
Reſpondit mihi paucis verbis, atque adeò fideliter;
Quod tibi eſt, item ſibi eſſe magnam argenti inopiam.
PH. Perdis me tuis dictis. *CV.* imò ſervo, & ſervatum volo.
Poſtquam mihi reſponſum eſt, abeo ab illo mœſtus ad forum
Me illò fruſtrà adveniſſe. fortè aſpicio militem.
Aggredior hominem: ſaluto adveniens. Salve, inquit mihi,
Prehendit dextram, ſeducit, rogat quid veniam Cariam.
Dico me illò adveniſſe animi eauſsâ. ibi me interrogat,
Eequem in Epidauro Lyeonem trapezitam noverim?
Dico me noviſſe. quid lenonem Cappadocem? annuo
Viſitaſſe. ſed quid eum vis? quia de illo emi virginem

INTERPRETATIO.

PH. *Imò ſi ſeias quæ ſuperfuerint.* CUR. *Utinam notum eſſet ubi ſint! Nam neceſſe eſt profectò meos dentes illas reliquias convenire.* PH. *Pernam, abdomen, uber, jugulum ſuis.* CUR. *Diciſne tu cuncta hæc eſſe? Narras fortè eſſe in carnario.* PH. *Imò in ferculis tibi paratis, quando novimus te venturum.* CUR. *Cave me irrideas.* PH. *Sic me amet quam ego depereo, ut ego minimè mentior. Sed nihilo ſum certior de his quæ feciſti in Cariâ.* CUR. *Nihil attuli.* PH. *Perdidiſti me.* CUR. *Poſſim reperire, ſi me attentè audiatis. Poſtquam diſceſſi hinc tuo mandato, perveni in Cariam. Video tuum ſocium: oro ut commodet pecuniam. Dicas eum optare de te benè mereri: noluit ſpe inani ducere, ut decet amicum hominem velle amico & opem ferre. Mihi reſpoſuit breviter, atque adeò fideliter, item ſibi eſſe quod tibi eſt, ſummam inopiam pecuniæ.* PH. *Enecas me tuis verbis.* CUR. *Imò ſervo, & volo ſervatum. Poſtquam mihi reſpondit, diſcedo ab illo ad forum, triſtis me veniſſe illò perperam. Fortè video militem. Aggredior hominem. Salve, ait mihi. Apprehensâ manu ſeducit: petit quæ mihi cauſa adventus in Cariam? Aio me veniſſe illò oblectationis gratiâ. Hic à me ſciſcitatur ecquem cognoſcam Epidauri Lyconem argentarium? Dico me noviſſe. Quid lenonem Cappadocem? Annuo vidiſſe. Sed quid eum vis? Quia emi de illo virginem*

ANNOTATIONES.

50. *Caria.*] regio Aſiæ minoris, juxta Mæandrum. Hinc incipit narratio, & ad verſum 85. patet luculenta illa, & Plauto digna.

62. *Epidaurus.*] urbs Peloponneſi.

Triginta

Triginta minis, veſtem, aurum : & pro iis decem coaccedunt minæ.
Dediſti tu argentum ? inquam. imò apud trapezitam ſitum eſt,
Illum quem dixi Lyconem : atque ei mandavi, qui annulo
Meo tabellas obſignatas attuliſſet, ut daret
Operam, ut mulierem à lenone cum auro & veſte abduceret.
Poſtquam hoc mihi narravit, abeo ab illo. revocat me illicò,
Vocat ad cœnam. religio fuit : denegare nolui.
Quid ſi adeamus, ac decumbamus ? inquit. conſilium placet.
Neque diem decet me morari, neque nocti nocerier.
Omnis res parata 'ſt : & nos, quibus paratum eſt, aſſumus.
Poſtquam cœnati atque appoti, talos poſcit ſibi in manum.
Provocat me in aleam, ut ego ludam : pono pallium.
Ille ſuum annulum oppoſivit. invocat Planeſium.
PH. Meóſne amores ? *CV.* tace parumper : jacit voltorios quatuor.

INTERPRETATIO.

triginta minis, veſtem, aurum ; & adduntur decem minæ pro iis. Numeraſti pecuniam ? dicam. Imò apud illum argentarium ſita eſt, quem nominavi, Lyconem, & imperavi ut daret operam ei qui obtuliſſet litteras obſignatas ſigillo meo, ut redimeret virginem à lenone cum auro & veſte. Poſtquam mihi narravit hoc, recedo ab illo, revocat me ſtatim, invitat ad convivium, nefas eſſe putavi non ire, *recuſare nolui. Quid ſi adeamus, ac menſæ accumbamus, inquit ? Sententia arridet : neque enim Paraſitum* invitatum *retardari decet à cœnâ, ullâ* horâ *aut diei aut noctis. Omnis cœna inſtructa eſt, & nos aſſumus quibus eſt inſtructa. Poſtquam comedimus atque bibimus, talos petit ſibi in manum, invitat ad ludendum ſecum in aleam. Depono pallium, ille ſuum ſigillum deponit ; invocat Planeſium.* PH. *Meamne amicam ?* CUR. *Sile tantiſper : jacit quatuor vulturios :*

ANNOTATIONES.

71. *Religio fuit.*] *J'ay fait conſcience.*

73. *Me morari*] Moris erat ut nonniſi ſub veſperam, eamque provectam, cibum caperent Antiqui : alioquin ſi de nimiâ die cœnarent, vitio illis vertebatur. Hîc Paraſitus profitetur ſe non morari diem ; id eſt, non curare diéſne ſit adhuc multus, necne : neque ſi injuriam faciat nocti, ut qui uſurpet de die cibum, nocte ſolâ adventante capiendum.

75. *Talos poſcit.*] *Talus* propriè eſt officulum quoddam pedis animalium biſulcorum. Vulgò virgunculæ arietinis cum ſphærulâ luſitant, ſed nullâ compunctis notâ. Hîc eſt officulum quatuor lateribus detritum, ut ſunt taxilli noſtri, quos vernaculè vocamus *Dez*, niſi quòd duo coaleſcant in unum, & in utrâque parte extremâ vacent punctis. In uno latere punctum unum eſt, quod vocatur *Canis* ſeu *Canicula*. Hæc *damnoſa Canicula* dicitur à Perſio ; quia qui jactaverat, converſo in caniculam talo, nummum unum ſine lucro deponebat, ſeu addebat pignori victoriæ è ludo. Ejus oppoſitum latus ſeptena puncta continet, & *Venus* ſeu *Cous* dicebatur. Converſus in eam partem talus, jus dabat in nummos ſex ſortis luſorii, & in damna caniculæ. Ternarius *Chius* : & quaternarius *Senio* ; quia lucri nummos quatuor hic, ille tres tribuebat. *Dexter Senio* dicitur à Perſio, quia fauſtiſſimus erat poſt *Venerem* numerus.

78. *Jacit volturios quatuor.*] *Vulturius* idem eſt cum *Cane*. Jactus infauſtus ſic dictus, quòd canis inſtar & vulturis voret ſubſtantiam ludo deditorum.

Talos arripio, invoco almam meam nutricem Herculem.
Jacto baſilicum. propino magnum poculum. ille ebibit:
Caput deponit: condormiſcit. ego ei ſubduco annulum.
Deduco pedes de lecto clàm, ne miles ſentiat.
Rogant me ſervi, quò eam? me dico ire quò ſaturi ſolent.
Oſtium ubi conſpexi, exinde me illico protinam dedi.
PH. Laudo. *CU.* laudato, quando illud quod cupis, effecero.
Eamus nunc intrò, ut tabellas conſignemus. *PH.* num moror?
CU. Atque aliquid priùs obtrudamus, pernam, ſumen, glandium.
Hæc ſunt ventri ſtabilimenta, panem & aſſa bubula,
Poculum grande, aula magna: ut ſatis conſilia ſuppetant.
Tu tabellas conſignato: hic miniſtrabit: ego edam.
Dicam quemadmodum conſcribas, ſequere me hàc intrò. *PH.* ſequor.

INTERPRETATIO.

ſumo talos: invoco meam almam nutricem Herculem. Jacto baſilicum: miſceo victo Militi *magnum poculum: Miles ſiccat, cubat, indormiſcit. Ego ei ſurripio ſigillum: detraho pedes clàm de ſtrato, ne Miles ſentiat. Petunt à me ſervi quò vadam? Dico me ire quò benè pranſi conſueverunt. Ubi vidi januam, ego inde me dedi in fugam protinus illico:* PH. *Laudo.* CUR. *Laudabis quando præſtitero id quod optas. Eamus jam intrò, ut obſignemus tabulas.* PH. *Num retineo?* CUR. *Atque voremus anteà quippiam, pernam, ſumen, glandium. Hæc ſunt ventris ſtabilimenta, panis & aſſa bubula, grande poculum, olla capaciſſima, ut non deſint conſilia. Tu conſigna litteras: hic mihi ſerviet: ego comedam: docebo quomodo ſcribas. Sequere me hàc intrò.* PH. *Sequor.*

ANNOTATIONES.

79. *Nutricem Herculem.*] Moris erat, ut alibi notavimus, ut qui talos jacerent, deum aliquem invocarent, ut jactus eſſet fœlix. Sic milites Martem, amatores Venerem aut amicam. Paraſiti invocabant Herculem, quia Herculi decimas offerebant, è quibus epulum præbebatur tenuioribus civibus, in quibus erant Paraſiti. Alii *nutricem herem.* Feſtus. *Herem Martiam Antiqui acceptâ hereditate colebant, quæ à nomine appellabatur heredum, & eſſe una ex Martis comitibus putabatur.*

80. *Jacto baſiliſcum.*] *Baſiliſcus* jactus idem eſt qui *Venerius*, quando videlicet facies nulla jactorum talorum quatuor conveniret.

83. *Quo ſaturi ſolent.*] Honeſtè dictum, pro *ad exonerandam ſeu alvum ſeu veſicam.*

84. *Protinam.*] *Protinus.*

88. *Stabilimenta,*] id eſt, *fundamenta,* Horatius.

Deficient inopem venæ te; ni cibus, atque
Ingens accedat ſtomacho fultura ruenti.

Panem.] Veteres *pane* neutrum, & *panis* efferebant. Nonius. *Panis conſuetudine maſculino genere dicitur, neutro Plautus Curculione.*

ACTUS TERTIUS.

ARGUMENTUM.

SUPPOSITIS litteris quaſi à Therapontigono ſcriptis & obſignatis, pergit cum Lycone Curculio ad Cappadocem lenonem ad abducendam Planeſium.

LYCO, CURCULIO, LENO.

LYCO:

BEATUS videor: ſubduxi ratiunculam,
Quantum æris mihi ſit, quantumque alieni ſiet:
Dives ſum, ſi non reddo eis, quibus debeo:
Si reddo illis quibus debeo, plus alieni eſt.
Verùm hercle verò cùm bellè recogito,
Si magis me inſtabunt, ad Prætorem ſufferam.
Habent hunc morem pleique argentarii,
Ut alius alium poſcant, reddant nemini:
Pugnis rem ſolvant, ſi quis poſcat clariùs.
,, QUI HOMO maturè quæſivit pecuniam,
,, Niſi eam maturè parcit, maturè eſurit.
Cupio aliquem emere puerum, qui uſurarius

INTERPRETATIO.

LY. *Mihi videor fælix: ſubduxi rationes quantùm habeam pecuniæ, quantumque ſit alienı: Dives ſum, ſi non reſtituo iis quibus debeo: Si reſtituo illis quibus debeo, plus alieni æris eſt. Verùm enimvero quando ſeriò mecum reputo, ſi me urgebunt, patiar potiùs ad Prætorem trahi. Compluribus trapezitis mos eſt ut mutuò accipiant alius ab alio, reddant nemini: Solvant controverſiam pugnis, ſi quis petat altiori voce. Qui citò comparavit argentum, niſi eo parcè utatur citò, citò eſurit. Statui emere quempiam puerum uſurarium:*

ANNOTATIONES.

1. *Beatus.*] dives.

2. *Æris mihi.*] Ulpianus. *Æs alienum eſt quod nos aliis debemus: æs ſuum eſt quod nobis alii debent.*

6. *Me inſtabunt.*] urgebunt.

10. *Qui homo.*] Una hæc eſt ſententia Plautina, quam præter cæteras habebat in ore Pater ille Populi Ludovicus XII. Francorum Rex: Quæ quanquam videtur eſſe hominis in re ſuâ, ſeu tuendâ, ſeu etiam augendâ imprimis diligentis & attenti; tamen nullus unquam extitit Princeps tam magnificus. Vel hoc uno intelliget SERENISSIMUS DELPHINUS manus regias non abhorruiſſe à contrectatione hujus noſtri molitoris.

11. *Eam parcit.*] pro *ei parcit.*

12. *Puer uſurarius.*] *Puer* quo ſeu *utatur*, ſeu *abutatur* ad certum tempus, ut in Amphitryone uxorem uſurariam dixit;

Nunc mihi quæratur. uſus eſt pecuniâ.
CV. Nil tu me ſaturum monueris: memini & ſcio.
Ego hoc effectum lepidè tibi tradam: tace.
Edepol næ ego hîc me intus explevi probè,
Et equidem reliqui in ventre cellæ uni locum,
Ubi reliquiarum reliquias reconderem.
Quis hîc eſt, qui operto capite Æſculapium
Salutat? attat quem quærebam! ſequere me.
Simulabo quaſi non noverim. heus tu! te volo.
LY. Unocule, ſalve. *CV*. quæſo, deridéſne me?
LY. De Coclitum proſapiâ te eſſe arbitror:
Nam ii ſunt unoculi. *CV*. catapultâ hoc ictum eſt mihi
Apud Sicyonem. *LY*. nam quid id refert meâ,
An aulâ quaſsâ cum cinere effoſſus ſiet?
CV. Superſtitioſus hic quidem eſt: vera prædicat:
Nam illæc catapultæ ad me crebrò commeant.
Adoleſcens, ob Rempublicam hoc intus mihi
Quod inſigne habeo, quæſo, ne me incomities.
LY. Licétne inforare, ſi incomitiare non licet?
CV. Non inforabis me quidem: nec mihi placent
Tuum profectò nec forum, nec comitium.
Sed hunc, quem quæro, commonſtrare ſi potes,
Inibis à me ſolidam & grandem gratiam.
Lyconem quæro trapezitam. *LY*. dic mihi

INTERPRETATIO.

opus eſt mihi & pecuniâ. CUR. *Ne tu adhorteris me benè cœnatum: memini & ſcio. Ego tibi præſtabo lepidè hoc officium. Sile. Per ædem Pollucis ego me egregiè explevi in his ædibus. Et quidem ſervavi in ventre unam cellam in quâ reponerem reliquias reliquiarum. Quis eſt ille qui veneratur Æſculapium capite obvelato? Atat is eſt quem quærebam: ſequere me: fingam me minimè noſſe. Adeſdum: te volo alloqui.* LY. *Ave, ô Cocles!* CUR. *Amabò, ludificariſne?* LY. *De genere Coclitum te natum puto: nam illi ſunt unius oculi.* CUR. *Id mihi inflictum eſt tormento apud Sycionem.* LY. *Quid meâ intereſt, an ſit ereptus cum cinere ollâ comminutâ.* CUR. *Profectò hic divinat, vera renuntiat: etenim iſtæ catapultæ vibrantur frequenter in me. Obſecro, adoleſcens, ne me voces in comitium, & vituperes, quoniam illam notam inſignem gero quam accepi pro Republicâ.* LY *Licetne vocare in forum, ſi non licet vocare in comitium?* CUR. *Non me vocabis in forum, neque tuum forum & tuum comitium placet. Verùm ſi potes indicar hunc quem quæro, me afficies magno & inſigni beneficio: quæro Lyconem argentarium.* LY. *Aperi mihi*

ANNOTATIONES.

23. *De Coelitum proſapiâ.*] Horatius, reverâ *Cocles*, propter virtutem ſingularem, autor fuit proſapiæ clariſſimæ apud Romanos, de quâ qui naſcerentur, etiam cum binis oculis, nihilominùs *Coclites* appellabantur. Varro. *Cocles quaſi ocles, qui unum haberet oculum.* Plinius. *Qui altero lumine orbi naſcerentur, coclites vocabantur: qui parvis utriſque, ocellæ ſive ocelli.*

30. *Incomitiare.*] id eſt, *ad comitia vocare.* Feſtus. *Incomitiare ſignificat, Tale convitium facere, pro quo neceſſe ſit in comitium, hoc eſt, in conventum venire.*

32. *Inforare,*] *ad forum vocare.*

Quid eum nunc quæris, aut cujatis? *CU.* eloquar.
Ab Therapontigono Platagidoro milite.
LY. Novi edepol nomen: nam mihi iſtoc nomine,
Dum ſcribo, explevi totas ceras quattuor.
Sed quid Lyconem quæris? *CU.* mandatum 'ſt mihi,
Ut has tabellas ad eum ferrem. *LY.* quis tu homo es?
CU. Libertus illius, quem omnis Summanum vocant.
LY. Summane, ſalve. quî? Summanus? fac ſciam.
CU. Quia veſtimenta, ubi obdormivi ebrius,
Summano. ob eam rem me omnes Summanum vocant.
LY. Alibi te meliu 'ſt quærere hoſpitium tibi,
Apud me profectò nihil eſt Summano loci.
Sed iſtum quem quæris, ego ſum. *CU.* quæſo, túne is es
Lyco trapezita? *LY.* ego ſum. *CU.* multam me tibi
Salutem juſſit Therapontigonus dicere,
Et has tabellas dare me juſſit. *LY.* mihin'? *CU* ita.
Cape, ſignum noſce. noſtin'? *LY.* quid ni noverim?
Clypeatus elephantum ubi machærâ diſſicit.
CU. Quod iſtic ſcriptum eſt, id te orare juſſerat,
Profectò ut faceres, ſuam ſi velles gratiam.
LY. Conſede, inſpiciam quid ſit ſcriptum. *CU.* maximè,
Tuo arbitratu, dum auferam abs te id quod peto.
LY. Miles Lyconi in Epidauro hoſpiti ſuo
Therapontigonus Platagidorus plurimam
Salutem dicit. *CU.* meus hic eſt: hamum vorat.

INTERPRETATIO.

quare eum quæris jam? aut cujas es? CUR. *Aperiam. Venio ab milite Therapontigono Platagidoro.* LY. *Per ædem Pollucis novi hoc nomen: nam dum ſcribo, explevi hoc nomine quatuor paginas integras. Verùm quare quæris Lyconem?* CUR. *Mihi imperatum eſt ut ad eum deferrem has litteras.* LY. *Quis es tu? Libertus illius, quem cuncti appellant Summanum.* LY. *Salve, Summane. Qui? Summanus? Fac noſcam.* CUR. *Quoniam quando obdormivi temulentus* alicubi, *rapio veſtimenta* eorum quibuſcum dormivi, *ſicut Summanus: idcircò cuncti me appellant Summanum.* LY. *Præſtat te parare domicilium alibi. Sanè non eſt locus pro Summano: ſed ego ſum iſte quem quæris.* CUR. *Eſne tu ille Lyco nummularius?* LY. *Ego ſum.* CUR. *Therapontigonus mihi mandavit ut tibi dicam ſalutem, & imperavit me dare has litteras.* LY. *Mihine?* CUR. *Ita. Accipe, agnoſce ſigillum. Agnoſciſne?* LY. *Cur non noverim, in quo Miles clypeatus diſſecat enſe elephantem.* CUR. *Iſte mandaverat à te rogare ut faceres quod eſt ſcriptum iſtic, ſi velles eſſe ejus amicus.* LY. *Conſede, videbo quid ſit ſcriptum.* CUR. *Maximè, ut voles, dummodò conſequar abs te id quod poſtulo.* LY. *Miles Therapontigonus Platagidorus dicit plurimam ſalutem Lyconi ſuo hoſpiti in Epidauro.* CUR. *Hic eſt meus, deglutit hamum.*

ANNOTATIONES.

43. *Summanus.*] *Summus* Manium deus Pluto. Unde *ſummanare* eſt *rapere: Summani*, ideſt, *Plutonis more. Submanare* eſt *ſub Manes ducere.* Videtur hîc jocum captare ex alluſione *manus.*

54. *Diſſicit.*] *Diſſecat*, antiquè dictum, ut in uſu eſt *condis*, *condis*, à, *cum*, & *do*, *das*; non *condo*, *condas*.

LY. Tecum oro, & quæſo, qui has tabellas afferet
Tibi, ut ei detur, quam iſtic emi virginem,
Quod te præſente iſtic egi, teque interprete,
Et aurum, & veſtem: jam ſcis, ut convenerit.
Argentum des lenoni: huic des virginem.
LY. Ubi ipſus? cur non venit? *CU.* ego dicam tibi:
Quia nudiuſquartus venimus in Cariam
Ex Indiâ: ibi nunc ſtatuam volt dare auream
Solidam faciundam ex auro Philippeo, quæ ſiet
Septempedalis: Factis monumentum ſuis.
LY Quamobrem iſtuc? *CU.* dicam: quia enim Perſas, Paphla-[gonas,
Synopeas, Arabas, Caras, Cretanos, Syros,
Rhodiam atque Lyciam, Perediam & Perbibeſiam,
Centauromachiam, & Claſſiam Unomammiam,
Libyámque oram omnem Conterobromiam,
Dimidiam partem nationum uſque omnium
Subegit ſolus intra viginti dies.
LY. Vah! *CU.* quid mirare? *LY.* quia enim in caveâ ſi forent
Concluſi, itidem uti pulli gallinacei,
Ita non potuêre uno anno circumirier.
Credo hercle te eſſe ab illo: nam ita nugas blatis.
CU. Imò etiam porrò, ſi vis, dicam. *LY.* nihil moror.
Sequere hàc: ted abſolvam, quâ adveniſti gratiâ.
Atque eccum video. Leno, ſalve. *LE.* dî te ament.
LY. Quid hoc, quod ad te venio? *LE.* dicas quid velis.

INTERPRETATIO.

LY. *Rogo te, & obteſtor, ut detur ei qui tibi afferet has litteras, ea virgo quam emi hic, quod feci iſtic te præſente & te adjutore, ut detur etiam aurum & veſtis. Scis jam ut convenerit, da pecuniam lenoni: da illi virginem.* LY. *Ubi eſt ipſe? Quare non venit?* CUR. *Ego tibi aperiam. Quoniam à tribus diebus venimus in Cariam ex Indiá, ubi vult dare nunc ſtatuam auream ſolidam fundendam ex auro Philippeo, quæ ſit ſeptempedalis, ut ſit monumentum ſuorum præclarè factorum.* LY. *Quare iſtud?* CUR. *Dicam. Quia ipſe Perſas, Paphlagonas, Synopeas, Arabes, Caras, Cretanos, Syros, Rhodiam atque Lyciam, Perediam & Perbibeſiam, Centauromachiam, & Claſſiam Unomammiam Lybiámque, & oram omnem Conterebromiam, dimidiam partem nationum uſque omnium ſubegit ſolus intra viginti dies.* LY. *Vah!* CUR. *Quid admiraris?* LY. *Quia ſi eſſent incluſi in caveâ, ut pulli gallinacei, non poſſent ita circumiri uno anno. Credo per Herculem te pertinere ad illum, adeò deblateras nugas.* CUR. *Imò adhuc plura dicam, ſi placet.* LY. *Non curo iſta: ſequere hàc: exequar ea propter quæ adveniſti: & ecce eum video. Salve, leno.* LE. *Dii te ament.* LY. Sciſne *quare ad te venio?* LE. *Dic quid velis.*

ANNOTATIO.

74. *Perediam, Perbibeſiam, Conterebromiam.*] Fictæ ſunt à Poëtâ voces. Duæ primæ faciles, ultima ab aſſiduitate bibendi dicitur *bromia trita & contrita regio.* Per *bromiam* intelligit, aut regionem vino feracem, aut Baccho ſacram, qui *Bromius* appellatur. Feſtus. *Perediam & Perbibeſiam Plautus quando dixit, intelligi voluit cupiditatem edendi & bibendi.*

LY. Argentum accipias, cum illo mittas virginem.
LE. Quid quod juratus ſum? *LY.* quid id refert tuâ,
Dum argentum accipias? *LE.* Qui monet, quaſi adjuvat.
Sequimini. *CU.* Leno, cave in te ſit mihi mora.

INTERPRETATIO.

LY. *Accipe argentum, mitte virginem cum illo.* LE. *Quid quòd juravi traditurum virginem Phædromo?* LY. *Quid tuâ intereſt, dummodò accipias pecuniam.* LE. *Qui monet, quaſi adjuvat. Sequimini.* CUR. *Cave, leno, ne me retardes.*

ACTUS QUARTUS.

ARGUMENTUM.

NUMERATA lenoni pecuniâ, & Planeſio abductâ, adeſt Therapontigonus: Trapezitæ Lyconi, deinde & Cappadoci lenoni, graves movet rixas.

ACTUS QUARTUS. SCENA PRIMA.

ARGUMENTUM.

CHORAGUS, qui ornamenta ſcenica locavit hiſtrionibus, Satyram quandam affert in Scenam adversùs vitia Urbis omnia.

CHORAGUS.

EDEPOL nugatorem lepidum lepidè hunc nactu' ſt Phædromus.
Halophantam an ſycophantam hunc magis eſſe dicam neſcio.
Ornamenta, quæ locavi, metuo ut poſſim recipere.
Quanquam cum iſtoc mihi negotî nihil eſt, ipſi Phædromo

INTERPRETATIO.

CHOR. *PEr ædem Pollucis Phædromus invenit pulchrè hunc nugatorem feſtivum. Neſcio utrùm halophantam an ſycophantam appellem. Vereor ne non poſſim recipere ornamenta quæ locavi, quamvis nihil mihi eſt rei cum illo. Credidi*

ANNOTATIONES.

Tit. *Choragus.*] *Choragus*, ut Græcum ſonat, eſt qui ducit *Chorum*. *Chorus* autem eſt id quod aut dicitur aut canitur inter duos Actus. Eſt & qui è re ſuâ *Chorum* conducit, ſeu Scenam exhilarat *Choro* conductis hiſtrionibus. Hîc *Choragus* eſt, qui locat ornamenta ſcenica hiſtrionibus.

2. *Halophantam.*] Feſtus legit *halapantam*. *Halapanta ſignificat omnia mentientem*: ἀπὸ τῆς ἅλης, id eſt, πλάνης & ἅπαντα. Sed viſum eſt aliis melius *halophantam*, παρὰ τὴν ἅλα, quo notet impoſtorem marinum; ſicut per *ſycophantam*, παρὰ τὸ σῦκον, urbanum. Jamjam enim Curculio reverſus mari ex Cariâ.

Credidi. tamen aſſervabo. ſed dum hic egreditur forâs,
Commonſtrabo, quo in quemque hominem facilè inveniatis loco.
Ne nimio opere ſumat operam, ſi quem conventum velit,
Vel vitioſum, vel ſine vitio: vel probum, vel improbum.
Qui perjurum convenire vult hominem, mitto in Comitium.
Qui mendacem & glorioſum, apud Cloacinæ ſacrum.
Ditis damnoſos maritos ſub Baſilicâ quærito.
Ibidem erunt ſcorta exoleta, quique ſtipulari ſolent.
Symbolarum collatores apud forum piſcarium.
In foro infimo boni homines, atque dites ambulant.
In medio prope Canalem, ibi oſtentatores meri,
Confidentes, garrulique, & malevoli ſuprà Lacum,
Qui alteri de nihilo audacter dicunt contumeliam,
Et qui ipſi ſat habent, quod in ſe poſſit verè dicier.
Sub Veteribus, ibi ſunt qui dant, quique accipiunt fœnore.
Ponè ædem Caſtoris, ibi ſunt, ſubitò quibus credas malè.
In Tuſco vico, ibi ſunt homines, qui ipſi ſeſe venditant.
In Velabro vel piſtorem, vel lanium, vel aruſpicem,
Vel qui ipſi vortant, vel qui aliis ut verſentur, præbeant.
Ditis damnoſos maritos apud Leucadiam Oppiam.
Sed interim fores crepuêre. linguæ moderandum eſt mihi.

INTERPRETATIO.

Phædromo ipſi: tamen cuſtodiam. Verùm intereadum hic prodit foras, judicabo in quo loco reperiatis facilè quemvis hominem, ne laboret plus juſto, ſi velit convenire quempiam vel vitioſum vel ſine vitio, vel bonum vel malum: qui vult adire hominem perjurum, mitto in Comitium: qui mendacem & ſuperbum, apud phanum Cloacinæ: quæro ſub Baſilicâ maritos dites profuſos. Erunt ibidem meretrices exoletæ, & qui ſolent facere ſtipulationes: qui conſerunt ſymbolas apud forum piſcium: boni homines & dites expatiantur in foro imo: in medio, juxta Canalem, ſunt in eo loco oſtentatores meri, confidentes, garruli, & malevoli ſuprà Lacum. Qui inferunt aliis contumeliam de nihilo, & qui ipſi habent ſatis quod poſſit dici verè in ſe. Sub veteribus tabernis ſunt qui dant & recipiunt fœnore. Ponè ædem Caſtoris ſunt quibus tu malè des pecuniam extemplò. Homines qui ſeſe vendunt ipſi. ſunt in vico Tuſco: ii qui vel fraudant ipſi piſtorem, vel lanium, vel aruſpicem, vel qui adjuvant alios in iiſdem fraudandis, in Velabro. Apud Leucadiam libertam Oppiorum ſunt mariti divites prodigi. Sed intereà fores crepuêre. Parcendum eſt linguæ.

ANNOTATIONES.

9. *Comitium.*] Locus habendis *comitiis* deſignatus.

10. *Cloacinæ ſacrum.*] Primi Romani cùm in *cloacâ* reperiſſent effigiem, quam eſſe Numinis arbitrabantur, ei eodem loci Aram ſtruxerunt, & *Cloacinam* appellarunt.

11. *Sub Baſilicâ.*] unde *ſubbaſilicani, baſilicanus, baſilicarius.*

12. *Exoleta.*] Feſtus, *Exoletus qui oleſcere, id eſt, creſcere deſiit.*

15. *Canalem.*] Feſtus. *Canalicolæ forenſes homines pauperes, dicti quòd circa canalem fori conſiſterent.*

23. *Vortant.*] id eſt, *verſuram faciunt:* id eſt, *æs alienum, contracto ære alieno, alio diſſolvere.*

24. *Leucadiam Oppiam.*] Intelligit forſitan ædes Oppii cujuſdam, ad quas erat ſtatio maritis malis.

ACTUS

ACTUS QUARTUS. SCENA SECUNDA.

ARGUMENTUM.

LYco, viſis litteris ſuppoſitis à Curculione & Phædromo, numerat argentum lenoni Cappadoci, & abducit ſecum Planeſium.

CURCULIO, LYCO, CAPPADOX, PLANESIUM perſ. muta.

CURCULIO.

Itu præ, virgo: non queo, quod ponè me eſt, ſervare.
Et aurum, & veſtem omnem ſuam eſſe aiebat, quicquid hæc haberet.
CA. Nemo it inficias. *CUR.* attamen meliuſculum eſt monere:
LY. Memento promiſiſſe te, ſi quiſquam hanc liberali
Cauſsâ manu aſſereret, mihi omne argentum redditum iri,
Minas triginta. *CA.* meminero: de iſtoc quietus eſto.
Et nunc idem dico. *CUR.* & commeminiſſe ego hæc volam te.
CA. Memini, & mancipio tibi dabo. *CUR.* egon' ab lenone quicquam
Mancipio accipiam? quibus ſui nihil eſt, niſi una lingua
Quî abjurant, ſi quid creditum eſt. alienos mancupatis,
Alienos manumittitis, alieniſque imperatis.
Nec vobis auctor ullus eſt, nec voſmet eſtis ulli.
Item genus eſt lenonium inter homines, meo quidem animo,
Uti muſcæ, culicéſ*que*, pedéſque, puliceſque.
Odio & malo & moleſtiæ; bono uſui eſtis nulli.
Nec vobiſcum quiſquam in foro frugi conſiſtere audet.

INTERPRETATIO.

CUR. PRoficiſcere tu antè, ô virgo! nequeo obſervare quod eſt ponè me. *Dicebat* Miles *& aurum & omnes ejus veſtes, & quæcumque illa poſſideret, ad ſe pertinere.* CA. *Nemo negat.* CUR. *Verumtamen eſt melius admonere.* LY. *Recordare te eſſe pollicitum, te, ſi aliquis illam in libertatem aſſereret, mihi reddendam omnem pecuniam, videlicet triginta minas.* CA. *Recordabor, eſto quietus de hoc, & nunc dico idem.* CUR. *Et ego volam te recordari hujus rei.* CA. *Recordor, & tibi dabo quaſi de meâ re.* CUR. *Accipiamne ego quidquam à lenone, quaſi ſit id ejus? Qui nihil habent niſi linguam, quâ negant perjurio, ſi eſt creditum aliquid. Capitis manu alienos, mittitis manu alienos, dominamini in alienos, & nullus eſt qui vobis vendat rem ſuo periculo, nec voſmet venditis ulli veſtro periculo. Lenones ſunt inter homines, meo quidem judicio, veluti muſcæ, & culices, & pediculi, & pulices. Eſtis odio, & moleſtiæ, & incommodo, nulli bono uſui, nec quiſquam frugi audet verſari vobiſcum in foro:*

ANNOTATIONES.

8. *Mancipio dabo.*] *Mancipio dare* alicui, eſt ita *dare*, ut quod erat anteà *dantis*, deinde fiat *accipientis*, & evictionis periculum in ſe recipere: *vendre avec garantie.*

10. *Abjurant.*] *Abjurant* eſt, rem alienam perjurio negare. Virgil.

——— *abjurataque rapina.*

11. *Autor ullus eſt.*] Autoris eſt rem periculo ſuo vendere, *vendre avec garantie.*

Qui conſtitit, culpant eum, conſpuitur, vituperatur:
Eum rem fidémque perdere, tametſi nihil fecit, aiunt.
LY. Edepol Lenones, meo animo, noviſti, luſce, lepidè.
CUR. Eôdem hercle vos pono & paro. pariſſimi eſtis iibus.
Hi ſaltem in occultis locis proſtant, vos in foro ipſo.
Vos fœnore, hi malè ſuadendo, & luſtris lacerant homines.
Rogitationes plurimas propter vos populus ſcivit,
Quas vos rogatas rumpitis: aliquam reperitis rimam.
Quaſi aquam ferventem, frigidam eſſe, ita vos putatis leges.
LY. Tacuiſſe mavellem. *CAP.* au! malè meditate malè dicax es.
„ *CUR.* Indignis ſi maledicitur, maledictum id eſſe dico:
„ Verùm ſi dignis dicitur, benedictum 'ſt, meo quidem animo.
Ego mancipem te nihil moror, nec lenonem alium quemquam.
Lyco, nunquid vis? *LY.* benè vale. *CUR.* vale. *CA.* heus tu! tibi ego dico.
CUR. Eloquere, quid vis? *CA.* quæſo ut hanc cures, benè ut ſit iſti.
Benè ego iſtam eduxi meæ domi & pudicè. *CUR.* ſi hujus miſeret,
Ecquid das, quî benè ſit? *CA.* malum. *CUR.* tibi opus eſt hoc, quî te procures.
CA. Quid, ſtulta, ploras? ne time, benè hercle vendidi ego te.

INTERPRETATIO.

qui conſiſtit vobiſcum, culpatur, conſpuitur, vituperatur, dicunt eum amittere rem & fidem, etiamſi agit nihil. LY. *Per ædem Pollucis Lenones noviſti meo animo, luſce, feſtivè.* CUR. *Per Herculem vos repono & refero in eumdem numerum. Vos eſtis ſimillimi iis. Ii certè venales ſunt in locis abſconditis, vos in foro ipſo. Vos voratis homines fœnore, hi malè ſuadendo interimunt in luſtris. Populus rogavit complures leges propter vos, quas vos perfringitis rogatas,* quando *invenitis nonnullam rimam: vos exiſtimatis Leges ita ſeſe habere, ut aquam modò ferventem, jam frigidam.* LY. *Mallem tacuiſſe.* CA. *Auh! es contumeliosior, & accedis huc meditatus ad maledicendum.* CUR. *Si maledicatur immeritis, exiſtimo id eſſe maledictum: verùm ſi dicitur meritis, eſt benedictum meâ quidem mente. Ego non curo te eſſe prædem, nec quemquam alium lenonem. Lyco, viſne aliquid?* LY. *Vale benè.* CUR. *Vale.* CA. *Heus tu! ego tibi dico.* CUR. *Dic quid vis?* CA. *Rogo ut cures hanc, ut ſit benè iſti. Ego educavi benè & pudicè iſtam meæ domi.* CUR. *Si te miſeret ejus, quid das, quo ſit lautè?* CA. *Malum.* CUR. *Et tibi opus eſt hoc quo te cures meliùs.* CA. *Quid lacrymaris, inſana? ne metue ego te carè vendidi per Herculem.*

ANNOTATIONES.

20. *Iibus.*] id eſt, *iis.*

23. *Rogationes.*] Tribunitias leges, plebiſcita.

25. *Quaſi aquam ferventem.*] Comparatio ſumpta ex trivio, ſed appoſita. *Aquam* videlicet *ferventem* tangere nemo audet; frigidam factam nemo formidat. Leges recèns latæ, formidabiles; vetuſtæ ſpernuntur.

26. *Malè meditate male dicax es.*] Alii & meliùs: *Haud in malè meditantem malè dicaſſis.* Dicaſſis pro *dixeris.* Veteribus enim *dicere* & *dicare*; *lavere* & *lavare*, unde *lavi* in præterito: *tonere* & *tonare*: *boere* & *boare.*

29. *Mancipem te.*] *Manceps. præs. fidejuſſor, cautior.* Pollicetur emptori ſe periculum præſtiturum: *garantie.*

Fac ſis bonæ frugi ſies. ſequere iſtum bella bellè !
LY. Summane, nunquid nunc jam me vis? *CUR.* vale atque ſalve,
Nam & operam & pecuniam benignè præbuiſti.
LY. Salutem multam dicito patrono. *CUR.* nunciabo.
LY. Nunquid vis, Leno? *CA.* iſtas minas decem, qui me procurem,
Dum melius fit mihi, des. *LY.* dabuntur. cras peti jubeto.
CA. Quando benè geſſi rem, volo hîc in fano ſupplicare.
Nam illam minis olim decem puellam parvolam emi.
Sed eum qui mihi illam vendidit, nunquam poſtillà vidi:
Poriiſſe credo. quid id meâ refert? ego argentum habeo.
„ Quoi homini dei ſunt propitii, lucrum ei profectò objiciunt.
Nunc rei divinæ operam dabo: certum eſt benè me curare.

INTERPRETATIO.

Da operam ut ſis bona frugi. Sequere hunc bellè. LY. *Summane, mihi vis aliquid jam?* CUR. *Vale & ſalve. nam præbuiſti liberaliter & operam & pecuniam.* LY. *Dicito Patrono multam ſalutem.* CUR. *Nuntiabo.* LY. *Viſne aliquid, Leno?* CA. *Numera decem minas, quibus me procurem, intereadum ſit meliùs.* LY. *Dabuntur cras, manda peti.* CA. *Quandoquidem benè geſſi rem, volo ſacra facere hic in Templo: nam emi illam puellam parvulam olim minis decem. Verùm nunquam vidi poſteà eum qui mihi illam vendidit, credo periiſſe: quid meâ refert! Ego habeo argentum: dii objiciunt lucrum ſine dubio ei homini, cui ſunt faventes. Nunc dabo operam rei divinæ. Deliberatum eſt me benè tractare.*

ACTUS QUARTUS. SCENA TERTIA.

ARGUMENTUM.

THERAPONTIGONUS reverſus ex Cariâ, à Lycone repetit pecuniam. Lyco irridet hominem. Hinc gravis altercatio.

THERAPONTIGONUS, LYCO.

THERAPONTIGONUS.

NOn ego nunc mediocri incedo iratus iracundiâ,
Sed eapſe illâ, quâ excidionem facere condidici oppidis.
Nunc niſi tu mihi properas dare jam triginta minas,
Quas ego apud te depoſivi, vitam propera ponere.

INTERPRETATIO.

THE. *EGo ſum nunc incitatus non mediocri irâ. Verùm eâ illâ quâ ſoleo exſcindere urbes. Nunc niſi tu acceleras mihi numerare celeriter triginta minas. quas ego depoſui apud te, feſtina oppetere mortem.*

ANNOTATIO.

1\. *Iratus iracundiâ.*] Atticiſmus primis Romanæ linguæ ſæculis uſitatus.

LY. Non edepol nunc ego te mediocri macto infortunio.
Sed eopſe illo, quo mactare ſoleo, quoi nihil debeo.
TH. Ne te mihi facias ferocem, aut ſupplicare cenſeas.
LY. Nec tu me quidem unquam ſubiges, redditum ut reddam tibi,
Nec daturus ſum. *TH.* idem ego iſtuc quum credebam, credidi
Te nihil eſſe redditurum. *LY.* cur nunc à me igitur petis!
TH. Scire volo quoi reddidiſti. *LY.* Luſco liberto tuo,
Is Summanum ſe vocari dixit. eii reddidi,
Qui has tabellas obſignatas attulit. *TH.* quas tu mihi tabulas,
Quos tu mihi Luſcos libertos, quos Summanos ſomnias?
Nec mihi quidem libertus ullu 'ſt. *LY.* facis ſapientiùs
Quàm pars latronum, libertos qui habent, & eos deſerunt.
TH. Quid feciſti? *LY.* quod mandaſti, feci tui honoris gratiâ;
Tuum qui ſignum ad me attuliſſet, nuncium ne ſpernerem.
TH. Stultior ſtulto fuiſti, qui iis tabellis crederes.
LY. Quîs res publica & privata geritur, nónne iis crederem?
Ego abeo. tibi res ſoluta 'ſt rectè. bellator vale.
TH. Quid, valeam? *LY.* at tu ægrota, ſi lubet, per me, ætatem quidem.
TH. Quid ego nunc faciam? quid refert me feciſſe regibus,
Ut mihi obedirent, ſi hic me hodie umbraticus deriſerit?

INTERPRETATIO.

LY. *Per ædem Pollucis ego macto jam malo non mediocri. Verùm eo ipſo quo ſoleo mactare eum cui debeo nihil.* THE. *Nec te præbeas mihi elatum, aut exiſtimes me tibi futurum ſupplicem.* LY. *Nec unquam tu me coges ut tibi reſtituam jam reſtitutum, nec ſum daturus.* THE. *Quando ego tibi credebam illud, idem credidi te redditurum eſſe nihil.* LY. *Quare ergo à me poſtulas nunc?* THE. *Cupio noſſe cui reddidiſti.* LY. *Tuo liberto Cocliti: is dixit ſe appellari Summanum: ei reddidi qui attulit has tabulas obſignatas.* THE. *Quas tabulas mihi narras? Quos libertos Coclites, quos Summanos mihi narras tu? Equidem nullum habeo libertum.* LY. *Agis ſapientiùs quàm plerique milites qui habent libertos, & eos deſerunt.* THE. *Quid feciſti?* LY. *Feci quod imperaſti, tui honoris causâ, ne viderer aſpernatus nuntium qui ad me attuliſſet tuum ſignum.* THE. *Fuiſti amentior amentiſſimo, qui habuiſti fidem iis tabulis.* LY. *Nonne haberem fidem iis quibus res privata & publica adminiſtratur. Ego proficiſcor: res tibi eſt ſoluta rectè. Vale, Miles.* THE. *Quid valeam?* LY. *At tu ægrota per me licet, ſi lubet, & totam ætatem quidem.* THE. *Quid agam ego nunc? Quid prodeſt me adegiſſe Reges, ut mihi obtemperarent; ſi hic imbellis me ludificatus fuerit hodie.*

ANNOTATIONES.

16. *Latronum.*] id eſt, *militum.*

20. *Bellator vale.*] Lyconis trapezitæ ad *bellatorem* Therapontigonum vox riſu plena, admixto contemptu.

24. *Umbraticus.*] *Umbraticus*, vox & per contemptum dicta de trapezitâ, qui procul ab armis in *umbrâ* vivit; miles in luce & gloriâ.

ACTUS QUARTUS. SCENA QUARTA.

ARGUMENTUM.

THERAPONTIGONUS petit Planeſium à lenone Cappadoce. Leno irridet hominis ſtoliditatem, & dimittit vacuum.

CAPPADOX, THERAPONTIGONUS.

CAPPADOX.

QUoi homini dii ſunt propitii, ei non eſſe iratos puto.
Poſtquam rem divinam feci, venit in mentem mihi,
Ne trapezita exulatum abierit, argentum ut petam:
Ut ego potiùs comedim, quàm ille. *THE.* juſſeram ſalvere te.
CA. Therapontigonoplatagidore, ſalve: ſalvus quum advenis
In Epidaurum, hîc hodie apud me nunquam delinges ſalem.
THE. Benè vocas. verùm vocata res eſt, ut malè ſit tibi.
Sed quid agit meum mercimonium apud te? *CA.* nihil apud me quidem.
Ne facias teſtis: neque equidem debeo quidquam. *TH.* quid eſt?
CA. Quod fui juratus, feci. *THE.* reddin', an non, virginem,
Priuſquam te huic meæ machæræ objicio, maſtigia?
CA. Vapulare ego te vehementer jubeo. ne me territes.
Illa abducta eſt: tu auferêre hinc à me: ſi perges mihi
Malè loqui profectò: cui ego, niſi malum, nihil debeo.
TH. Mihin' malum minitare? *CA.* atque edepol non minitabor, ſed dabo,

INTERPRETATIO.

CAP. *NOn exiſtimo deos eſſe infenſos ei homini cui favent. Poſtquam obrui rem divinam, mihi venit in animum ut petam pecuniam ab argentario: ut ego potiùs comedam quàm ille.* THE. *Mandaveram te ſalvere.* CA. *Therapontigenoplatagidore, ſalve. quando advenis ſalvus in Epidaurum, non delinges ſalem hodie apud me.* THE. *Invitas urbanè: ſed es vocatus ad infortunium. Sed quid facit apud te puella quam mercatus ſum?* CA. *Puella nihil facit apud me: ne appelles teſtes; neque debeo quidquam.* THE. *Quid eſt?* CA. *Feci quod juravi me facturum.* THE. *Reſtituiſne virginem, furcifer, antequam te obtrunco hoc meo gladio.* CA. *Ego te jubeo pœnas dare ingentes. Ne me territes. illa eſt abducta: te ſic excipiam, ut ſis auferendus alienis manibus, ſi perges mihi eſſe moleſtus: ego non tibi debeo aliud, niſi infortunium.* THE. *Mihine minitaris malum?* CA. *Et per ædem Pollucis non modò minitabor, ſed infligam,*

ANNOTATIONES.

5. *Salvus quum advenis.*] Ellipſis, *gaudeo. Vous ſoyez le bienvenu.* Formula gratulantium de amici adventu.

32. *Vapulare.*] Feſtus. *Vapula Papiria, in proverbio Antiquis fuit: de quo Somnius Capito refert, tum dici ſolitum eſſe, cùm vellent minantibus ſignificare, ſe eos negligere & non curare, fretos jure libertatis.* Lex enim *Papyria*, id eſt, *in Papyrium lata*, fuit, ne quis in hominem liberum quidquam auderet.

Mihi ſi pergis moleſtus eſſe. *THE.* Leno minitatur mihi?
Meæque pugnæ præliares plurimæ obtritæ jacent?
At ita me machæra & clypeus
Benè juvent pugnantem in acie, niſi mihi virgo redditur,
Jam ego te faciam ut hîc formicæ fruſtillatim differant.
CA. At ita me volſellæ, pectẽn, ſpeculum, calamiſtrum meum
Benè me amaſſint, meáque exicia, linteúmque exterſum,
Ut ego tua magnifica verba, neque iſtas tuas magnas minas
Non pluris facio quàm ancillam meam, quæ latrinam lavat.
Ego illam reddidi, qui argentum à te attulit. *THE.* quis is eſt homo?
CA. Tuum libertum ſeſe aiebat eſſe Summanum. *THE.* meum?
Attat! Curculio hercle verba mihi dedit, quum cogito.
Is mihi annulum ſurripuit. *CA.* perdidiſtin' tu annulum?
Miles pulchrè centuriatus eſt expuncto in manipulo.
Ubi nunc Curculionem inveniam? *CA.* in tritico facillimè
Vel quingentos Curculiones pro uno faxo reperias.
Ego abeo. vale atque ſalve. *THE.* malè vale; malè ſit tibi.
Quid ego faciam? maneam an abeam? ſiccine mihi eſſe os oblitum?
Cupio dare mercedem, qui illunc, ubi ſit, commonſtret mihi.

INTERPRETATIO.

ſi pergis mihi eſſe incommodus. THE. *Leno mihi minitatur, & mea certamina cruenta innumera jacent contempta? Sed machæra & clypeus ita me benè juvent decertantem in acie; niſi mihi reſtituitur virgo, ego te jam concidam adeò minutatim, ut formicæ te differant.* CA. *Sed me volſellæ, pecten, ſpeculum, calamiſtrum, forfices, & linteum ad extergendum me, ita benè amaverint, ut ego non facio pluris tua magnifica verba, neque iſtas tuas magnas minas, quàm ancillam meam quæ lavat latrinam: ego reddidi puellam ei qui attulit argentum à te.* THE. *Quis eſt is homo?* CA. *Dicebat ſeſe eſſe Summanum, tuum libertum?* THE. *Meum libertum? Atat! Curculio per Herculem mihi dedit verba, quando ego reputo. Is mihi ſuffuratus eſt annulum.* CA. *Tune perdidiſti annulum. Miles centuriate in manipulo expuncto.* THE. *Ubi reperiam nunc Curculionem?* CA. *In tritico facillimè efficiam ut invenias vel quingentos Curculiones pro uno. Ego abeo: vale, atque ſalve.* THE. *Malè vale: tibi ſit malè. Quid faciam? Maneam an proficiſcar? Siccine mihi eſſe illuſum? Cupio dare mercedem ei qui mihi indicet ubi ille ſit.*

ANNOTATIONES.

17. *Præliares pugnæ.*] quibus opponuntur velitationes, *de juſtes combats.*

18. *At ita me machæra & clypeus.*] Formula jurandi, & jurando affirmandi, uſitata militibus.

21. *At ita me volſellæ.*] Juramentum lenonium, ad exſibilandum militare confictum.

22. *Exicia.*] Forfex quo ſecantur capilli. *Exicare. exſecare:* alii *excutia*, ſcopæ parvæ, *des broſſes, des vergettes.*

24. *Latrinam.*] *Lavatrinam, latrinam. Latrina* eſt balneum privatum.

29. *Centuriatus miles.*] in Centuriâ ſcriptus & adſcriptus.

Expuncto in manipulo.] *Centuriati milites*, ſeu *ſcripti*, expungebantur, *on les caſſoit*, quando diſcedere à militiâ cogebantur. Lecti milites in tabulas & codices, quos vocabant *pittacia, breves, laterculum, matriculam* referebantur. In eaſdem tabulas referebant nomina mortuorum, & notabant unâ ϑ, quia eſt initium ϑάνατος, *mors.* Unde & reorum fronti inurebatur ϑ, ut victimis juſtitiæ debitis,

ACTUS QUINTUS.

ARGUMENTUM.

PLANESIUM agnoſcit annulum patris à fratre Therapontigono allatum, & ex annulo patrem & matrem. Eſt ſolutio.

ACTUS QUINTUS. SCENA PRIMA.

ARGUMENTUM.

NARRAT Curculio Planeſium, ſtatim atque vidit annulum Therapontigoni à ſe ex Cariâ allatum, voluiſſe extorquere omni ratione.

CURCULIO.

ANTIQUUM Poëtam audivi ſcripſiſſe in Tragœdiâ,
Mulieres duas pejores eſſe, quàm unam. res ita eſt.
Verùm mulierem pejorem quàm hæc amica eſt Phædromi,
Non vidi, neque audivi, neque pol dici, nec fingi poteſt
Pejor, quàm hæc eſt: quæ ubi me habere hunc conſpicata eſt annulum,
Rogat unde habeam. quid id tu quæris? quia mihi quæſito 'ſt opus.
Nego me dicere. ut cum eriperet, manum arripuit mordicùs.
Vix foràs me abripui, atque effugi. apage iſtanc caniculam!

INTERPRETATIO.

CUR. *Accepi veterem Poëtam ſcripſiſſe in Tragœdiâ. duas mulieres eſſe nequieres unâ. Res ſe habet ita. Verum non vidi nequiorem mulierem hâc amicâ Phædromi; neque audivi, neque per Pollucem dici poteſt. nec fingi deterior hâc. Statim atque vidit me habere hunc annulum, rogat unde habeam. Quare tu rogas id? Quia mihi opus eſt quæſito, inquit Planeſium, recuſo aperire. Arripuit mordicus manum, ut eum eriperet. Vix me proripui foràs, & aufugi. Apage iſtam canem!*

ANNOTATIONES.

5. *Quæ ubi me hunc.*] Hinc incipit ἀναγνωρισμὸς, id eſt, *agnitio*, quæ in Theatri diſciplinâ vocatur vernaculo noſtro *le dénoüement.*

7. *Canicula.*] Sic Planeſium virgo appellatur, quæ adhibitis dentibus ut canis, annulum ab Curculione extorquere conata eſt.

ACTUS QUINTUS. SCENA SECUNDA.

ARGUMENTUM.

EST agnitio Planeſii, & ſolutio.

THERAPONTIGONUS, PHÆDROMUS, PLANESIUM, CURCULIO.

PLANESIUM.

PHÆDROME, propera. *PH.* quid properem? *PLA.* Paraſitum ne amiſeris.
Magna res eſt. *PH.* nulla eſt mihi: nam quam habui, abſumpſi celeriter.
PLA. Tene. *PH.* quid negotii eſt? *PLA.* rogita, unde iſtunc habeat annulum:
Pater iſtum meus geſtitavit. *CUR.* at mea matertera.
PLA. Mater ei utendum dederat. *CUR.* pater tuus rurſum tibi.
PLA. Nugas garris. *CUR.* ſoleo. nam propter eas vivo faciliùs.
Quid nunc? *PLA.* obſecro, parentéſne meos mihi prohibeas!
CUR. Quid? ego ſub gemmân' abſtruſos habeo tuam matrem & patrem?
PLA. Libera ego ſum nata. *CUR.* & alii multi, qui nunc ſerviunt.
PLA. Enimverò iraſcor. *CUR.* dixi equidem tibi, unde ad me hic pervenerit.
Quoties dicendum eſt? eluſi militem, inquam, in aleâ.
THE. Salvos ſum! eccom quem quærebam. quid agis, bone vir? *CUR.* audio.

INTERPRETATIO.

PLA. *Phadrome, accelera.* PH. *Quid accelerem?* PLA. *Ne paſſus fueris abire Paraſitum. Eſt magna res.* PH. *Nullam habeo: nam abſumpſi velociſſimè omnem rem quam habui.* PLA. *Tene Curculionem, ne fugiat cum annulo.* PH. *Quare?* PLA. *Roga unde habeat iſtum annulum. meus pater portavit iſtum.* CUR. *Sed per Pollucem ſoror mea matris.* PLA. *Mater ei commodaverat.* CUR. *Tuus pater rurſum tibi commodaverat.* PLA. *Nugaris.* CUR. *Soleo: nam idcircò vivo faciliùs. Quid nunc?* PLA. *Obſecro, prohibeáſne mihi meos parentes?* CUR. *Quid? egóne habeo tuam matrem & patrem incluſos ſub gemmâ?* PLA. *Ego ſum nata libera.* CUR. *Et alii multi, qui ſerviunt nunc.* PLA. *Enimverò iraſcor.* CUR. *Equidem aperui tibi unde hic inciderit in meas manus. Quoties eſt dicendum! Fefelli militem, inquam, in aleâ.* THE. *Sum ſalvus: ecce quem quærebam. Quid agis, bone vir?* CUR. *Audio.*

ANNOTATIO.

11. *Eluſi.*] Donatus. *Eludere eſt Gladiatorum, cùm vicerunt, & ludo finem impoſuerunt.*

Si

Si vis tribus bolis, vel in chlamydem. *THE.* quin tu is in malam crucem
Cum boletis, cum bulbis: redde etiam argentum, aut virginem.
PH. Quod argentum, quas tu mihi tricas narras? quam tu virginem
Me repoſcis? *THE.* quam ab Lenone abduxti hodie, ſcelus viri.
PH. Nullam abduxi. *THE.* certè ecc'iſtam video. *PH.* virgo hæc libera eſt.
THE. Mean' ancilla libera ut ſit? quam ego nunquam emiſi manu.
PH. Quis tibi hanc dedit mancipio? aut unde emiſti? fac ſciam.
THE. Ego quidem pro iſtâc rem ſolvi ab trapezitâ meo.
Quam ego pecuniam quadruplicem abs te & Lenone auferam.

INTERPRETATIO.

Si vis ludam tribus jactibus talorum, *vel in chlamydem.* THE. *Quin tu is in malam crucem cum boletis & bulbis: redde mihi jam pecuniam, aut virginem.* PH. *Quam pecuniam, quas tricas mihi narras tu? Quam virginem à me repetis tu?* THE. *Quam abduxiſti hodie à lenone, ſceleſtiſſime vir.* PH. *Nullam abduxi.* THE. *Profectò ecce illam video.* PH. *Hæc virgo eſt libera.* THE. *Meáne ancilla, ut ſit libera, quam ego nunquam manumiſi.* PH. *Quis tibi dedit hanc mancipio, aut unde emiſti? Fac intelligam.* THE. *Equidem ſolvi pecuniam pro iſtâ à meo argentario: quam pecuniam ego auferam à te & ab argentario, interpoſitâ pœnâ quadrupli.*

ANNOTATIONES.

13. *Tribus bolis.*] βόλος, *jactus.*

Chlamydem.] *chlamys*, veſtis militaris ſtrictioribus manicis ad genua deſcendens, qualem nunc ſubjiciunt equites noſtri balteo, & quam vocamus noſtrâ linguâ, *juſte-au-corps.* eique ad arcendam pluviam ſuperjiciunt pallium. *Vel in chlamydem*, ſupple *ludam*, id eſt, in tuam veſtem militarem: *je vous joüeray voſtre juſte-au-corps.*

14. *Boletum.*] *Boletum* eſt ſpecies fungi. A *bulbo* fit *boletum*. *Bulbus* autem eſt radix rotunda tunicata. Alludit ad *bolos* ſuperioris verſus. Vulgus craſſius abundat ejuſmodi annominationibus.

15. *Tricas narras.*] Nos vernaculè, *tricherie.* Lucilius.

Hic tricoſu' bovinatórque ore improbu' duro.

16. *Me repoſcis.*] id eſt, *à me repoſcis. Me* accuſativi caſus eſt: ut *rogo te*, pro *rogo à te.* Quæ verba, quoniam affinia ſunt, niſi quòd hoc eſt ſupplicis, illud imperantis, affinem etiam habent ſyntaxim.

Scelus viri.] *ſceleſtiſſime vir.* Metonymia eſt adjunctæ vocis pro ſubjectâ, *ſceleris* pro *ſceleſto.* Et ſita eſt amplificatio inſignis in hâc voce: quaſi dicas, *Non eſt tam ſceleſtus quàm ipſum ſcelus.* Hoc convitium crebrò contorquet in Piſones ſuos, Claudios, Gabinios, Catilinas Tullius.

19. *Dedit mancipio?*] Quis tibi hanc ſic vendidit, ut in ſe periculum evictionis receperit? *Qui vous l'a venduë avec garantie?*

21. *Pecuniam quadruplicem.*] Lex erat, ut qui in manifeſto furto deprehenſus eſſet, pœnâ *quadruplici* multaretur.

PH. Qui ſcias mercari furtivas atque ingenuas virgines,
Ambula in jus. *THE.* non eo. *PH.* licet te anteſtari? *THE.* non licet.
PH. Juppiter te *te* malè perdat! inteſtatus vivito.
CUR. At ego, quem licet, te. *PH.* accede huc. *THE.* ſervum anteſtari? vide.
CUR. Hem! ut ſcias me liberum eſſe. *THE.* ergo ambula in jus. hem tibi!
CUR. O cives, cives! *THE.* quid clamas? *PH.* quid iſtum tibi tactio eſt!
THE. Quia mihi libitum eſt. *PH.* accede huc tu: ego illum tibi dedam: tace.
CUR. Phædrome, obſecro, ſerva me, *PH.* tanquam me, & Genium meum.

INTERPRETATIO.

PH. *Veni ad Judicem, ut condiſceas emere virgines furto ablatas, & natas liberas.* THE. *Nolo ire.* PH. *Licetne mihi appellare teſtes?* THE. *Non licet.* PH. *Jupiter te malè perdat! vive inteſtatus.* CUR. *Sed ego adſum*, ô Phædrome, *potes me* vocare teſtem. PH. *Veni huc*, ut auriculam apprehendam, ô Curculio! THE. *Oportetne ſervum te teſtem ſiſtere! Vide.* CUR. *Hem! ut intelligas me eſſe liberum.* THE. *Igitur veni ad Judices. Hem tibi* alapa. CUR. *O cives, cives!* THE. *Quid vociferaris!* PH. *Quare eum pulſas tu?* THE. *Quia mihi libet.* PH. *Veni huc tu. Miles, ego tibi Curculionem dedam: tace.* CUR. *Phædrome, obſecro, ſerva me.* PH. *Te ſervabo tanquam me, & meum Genium.*

ANNOTATIONES.

22. *Qui ſcias mercari furtivas atque ingenuas virgines.*] Qui quempiam quem ſciebat liberum, aut alienum ſervum, emebat retinebatque domi, vocatus eſt *plagiarius*; quia Lege Flaviâ plagis afficiebatur. Hoc loco Phædromus interminatur pœnam plagii Therapontigono, ut qui commercium inſtituat perſonarum liberarum in Planeſio.

23. *Licet te anteſtari?*] Viſne ut teſtes vocem, quibus conſtet quemadmodum recuſas in judicium venire?

Non licet.] Quia videlicet nullus adeſt liber. Porrò non licebat ſervum teſtari.

24. *Inteſtatus vivito.*] Et qui moritur nullo confecto Teſtamento, & cujus hereditas non eſt Teſtamento adita, *inteſtatus* appellatur. Cicero. *Inteſtatò moritur*, id eſt, non ſcripto Teſtamento. *Inteſtabilis* dicitur qui neque teſtimonium dicere; neque recipere poteſt. Et erat gravis nota infamiæ homini libero, ut qui in conditionem ſervilem deſcendiſſe videretur. Horatius.

——— *uter Ædilis fuerit, vel*
Veſtrûm Prætor, is inteſtabilis & ſacer
eſto.

25. *Accede huc.*] ut auriculam apprehendam; quia teſtes, auriculâ apprehenſâ, monebantur, & in jus venientium, & eorum quæ vidiſſent aut audiſſent, recordandum.

27. *O cives! cives!*] Solebat ille cui vis aliqua fiebat, ſi ruri ageret, *jubilare*. ſi verò Romæ, *quiritare*, quod eſt, *Quirites conclamare*, ait Donatus, ſeu *in auxilium vocare.*

28. *Accede huc tu.*] Hoc loco videtur redire in gratiam cum Therapontigono Phædromus, quò in gratiam ſuæ Planeſii placidè roget, & dicat unde habeat annulum ſignatorium. Itaque pollicetur Therapontigono ſe dediturum eſſe Curculionem furem annularium.

29. *Tanquam me, & Genium meum*] Alii *tanquam met genium meum*, id eſt, *meum met genium*. ſupple *ſervat*. *Met* & *med* pro *me*. Alii, & meliùs, *tanquam met Genium meum*,

Miles, quæſo ut mihi dicas, unde illunc habeas annulum,
Quem Paraſitus hic te eluſit. *PLA.* per tua genua te obſecro,
Ut nos facias certiores. *THE.* quid iſtuc ad vos attinet?
Quæratis chlamydem & machæram hanc, unde ad me pervenerit.
CUR. Ut faſtidit glorioſus! *THE.* mitte iſtum: ego dicam omnia.
CUR. Nihil eſt, quicquid ille dicit. *PLA.* fac me certiorem, obſecro.
THE. Ego dicam: ſurge: hanc rem agite, atque animum advortite.
Pater meus habuit Periphanes. *PLA.* Periphanes?
THE. Is, priuſquam moritur, mihi dedit tanquam ſuo,
Ut æquum fuerat, filio. *PLA.* proh Juppiter!
„ *THE.* Et iſte me hæredem fecit. *PLA.* PIETAS mea,
„ Serva me, quando ego te ſervavi ſedulò.
Frater mi, ſalve. *THE.* quî credam iſtuc ego? cedò,
Si vera memoras: quæ fuit mater tua?
PLA. Cleobula. *THE.* nutrix quæ fuit? *PLA.* Archeſtrata.
Ea me ſpectatum tulerat per Dionyſia.
Poſtquàm illò ventum eſt, jam ut me collocaverat,
Exoritur ventus turbo, ſpectacula ibi ruunt:
Ego pertimeſco: tum ibi me neſcio quis arripit
Timidam atque pavidam, nec vivam, nec mortuam.

INTERPRETATIO.

Miles, obſecro ut mihi aperias unde habeas illum annulum, quem hic Paraſitus tibi ſurripuit. PLA. *Te rogo per tua genua, ut nos facias certiores.* THE. *Quid illud ſpectat ad vos? Quæratis etiam unde hæc chlamys & machæra pervenerit ad me.* CUR. *Ut ferox eſt & ſuperbus!* THE. *Dimitte Curculionem*, Phædrome, *ego patefaciam omnia.* CUR. *Quidquid loquitur Miles, eſt nihil.* PLA. *Obſecro, fac me certiorem.* THE. *Ego dico: ſurge: hoc agite, & animadvertite. Meus pater Periphanes habuit.* PLA. *Periphanes?* THE. *Ille antequam moreretur mihi tradidit, tanquam ſuo filio, ut par erat.* PLA. *O Jupiter!* THE. *Et iſte me ſcripſit hæredem.* PLA. *Mea Pietas, tuere me, quoniam ego te ſervavi ſedulò. Mi frater, ſalve.* THE. *Quomodo ego credam iſtud? Dic, quæ fuit tua mater, ſi vera memoras?* PLA. *Cleobula.* THE. *Quæ fuit nutrix?* PLA. *Archeſtrata. Ea me tulerat per Dionyſia, ad ſpectandos ludos. Poſtquam ventum eſt illuc, cùm me collocaſſet ibi ad ſpectandum, turbo venti exoritur. Tum ornamenta Theatri corruunt: Pertimeſco illa: tum neſcio qui me comprehendit ibi trepidam atque territam, ſemianimem.*

ANNOTATIONES.

37. *Pater meus habuit Periphanes.*] ἀναγνωρισμὸς.

45. *Dionyſia.*] Feſti dies Baccho ſacri.

47. *Exoritur ventus turbo.*] Apuleius. *Turbo dicitur, qui repentinus flatibus proſilit, & omnia turbat,* Lucretius. *Ventus verſabundus.*

Spectacula.] Moris ſemper fuit, ut in feſtis diebus, aut nundinis & mercatibus celebribus exhiberentur ſpectacula; quia tum frequentiores celebrantur conventus, & ſpectatorum turba major.

Nec, quo me pacto abſtulerit, poſſum dicere.
THE. Meminiſtin' hanc turbam fieri! ſed tu dic mihi,
Ubi is eſt homo qui te ſurripuit? *PLA.* neſcio.
Verùm hunc ſervavi ſemper mecum unà annulum.
Cum hoc olim perii. *THE.* cedò ut inſpiciam. *CUR.* ſanan' es,
Quæ iſti committas? *PLA.* ſine modò! *THE.* proh Juppiter!
Hic eſt quem ego tibi miſi natali die.
Tam facilè novi, quàm me. ſalve, mea ſoror.
PLA. Frater mi, ſalve. *PH.* deos volo benè vortere
Iſtam rem vobis. *CUR.* & ego nobis omnibus;
Tu ut hodie adveniens cœnam des ſororiam:
Hic nuptialem cras dabit. *PH.* promittimus.
THE. Tace tu. *CUR.* non taceo, quando res vortit benè.
Tu iſtanc deſponde huic, Miles: ego dotem dabo.
PH. Quid dotis? *CUR.* egóne? ut ſemper, dum vivat, me alat.
THE. Verum hercle dico; me lubente feceris.
Et leno hic debet nobis triginta minas.
PH. Quamobrem iſtuc? *THE.* quia ille ita repromiſit mihi:
Si quiſquam hanc liberali aſſeruiſſet manu,
Sine controverſiâ omne argentum redderet.
PH. Nunc eamus ad Lenonem. *THE.* laudo. *PH* hoc prius volo,
Meam rem agere. *THE.* quid id eſt? *PH.* ut mihi hanc deſpondeas.
CUR. Quid ceſſas, Miles, hanc huic uxorem dare?
THE. Si hæc vult. *PLA* mi frater, cupio. *THE* fiat. *CUR.* benè facis.

INTERPRETATIO.

Nec poſſum dicere quomodo me abripueris. THE. *Recordariſne quomodo iſta perturbatio acciderit? Sed tu, dic mihi, Ubi eſt hic homo qui te ſurripuit?* PLA. *Neſcio: ſed ſervavi ſemper hunc annulum unà mecum. Perii olim cum hoc.* THE. *Da ut inſpiciam.* CUR. *Eſne ſana,* Planeſium, *quæ committis annulum fidei* militis. PLA. *Sine modo.* THE. *Proh Jupiter! eſt ille quem ego tibi miſi die natali. Novi tam benè, quàm me novi. Salve, mea ſoror.* PLA. *Salve, mi frater.* PH. *Cupio deos vobis vertere benè hanc rem.* CUR. *Et ego cupio ut tu nobis des omnibus hodie cœnam, ſorore repertà in tuo adventu: Phadromus dabit cras nuptialem.* PH. *Pollicemur.* THE. *Sile tu.* CUR. *Non ſileo, quia res vertit benè. Miles, deſponde tu Phadromo iſtam: ego dabo dotem.* PH. *Quid dotis?* CUR. *Egóne? Ut me nutriat ſemper dum vivet.* THE. *Per Herculem dico verum: egeris me lubente: & hic Leno nobis debet triginta minas.* PH. *Quare id?* THE. *Quoniam ille mihi ſic reſtipulatus eſt, ſi quiſquam hanc aſſeruiſſet manu ut liberam, ut redderet ſine controverſiâ omnem pecuniam.* PH. *Eamus jam ad Lenonem.* THE. *Volo.* PH. *Volo priùs agere mecum meam rem.* THE. *Quid eſt id?* PH. *Ut mihi hanc deſpondeas.* CUR. *Quid moraris, Miles, huic dare hanc uxorem?* THE. *Si hæc vult.* PLA. *Mi frater, opto.* THE. *Eſto.* CUR. *Rectè,*

ANNOTATIONES.

60. *Cœnam des ſororiam.*] *Cœna ſororia*, quæ ſorori repertæ datur; *adventoria*, quæ advenienti è longinquo.

67. *Repromiſit.*] Repromittere eſt, ſtipulanti *promittere*, hoc modo: *Spondes? Spondeo. Promittis? Promitto.*

PH. Spondéſne, Miles, mihi hanc uxorem? *THE.* ſpondeo.
CUR. Et ego hoc idem unum ſpondeo. *THE.* lepidè facis!
Sed eccum Lenonem, incedit, theſaurum meum.

INTERPRETATIO.

PH. *Mihíne ſpondes hanc uxorem?* THE. *Spondeo.* CUR. *Et ego ſpondeo hoc idem unum.* THE. *Facis feſtivè. Sed ecce Leno, meus theſaurus, pergit huc.*

ANNOTATIO.

76. *Theſaurum meum.*] id eſt, *triginta minæ in ejus poteſtate poſitæ.*

ACTUS QUINTUS. SCENA TERTIA.

ARGUMENTUM.

THERAPONTIGONUS contendit à Cappadoce, ut datæ pro Planeſio minæ triginta reddantur.

THERAPONTIGONUS, PHÆDROMUS, PLANESIUM, CAPPADOX.

CAPPADOX.

ARGENTARIIS malè credi qui aiunt, nugas prædicant.
Nam & benè & malè credi dico: id adeò hodie ego expertus ſum.
Non malè creditur, qui nunquam reddunt, ſed prorſum perit.
Velut decem minas dum *hic* ſolvit, omnis menſas tranſiit.
Poſtquam nihil fit, clamore hominem poſco. ille in jus me vocat.
Peſſumè metui, ne mihi hodie apud Prætorem ſolveret.
Verùm amici compulerunt, reddit argentum domo.
Nunc domum properare certum 'ſt. *THE.* Heus tu, Leno, te volo.
PH. Et ego te volo. *CA.* at ego vos nolo ambos. *THE.* ſta ſis illicò,

INTERPRETATIO.

CAP. *Qui dicunt committi pecuniam malè trapezitis, dicunt nugas. Nam contendo committi & benè & malè, id adeò ego periclitatus ſum hodie. Non malè committitur iis qui nunquam reſtituunt. Sed perit omninò, ſicut dum hic numeravit decem minas, cunctas menſas adiit. Poſtquam eſt nihil, flagito hominem clamore: ille me vocat in judicium: magnopere timui ne mihi ſolveret hodie, factâ ceſſione coram Prætore. Sed noſtri amici communes compulerunt ut Lyco redderet pecuniam è ſuo. Nunc libet ire velociter domum.* THE. *Heus tu, Leno, te volo.* PH. *Et ego te volo.* CA. *Sed ego vos volo ambos.* THE. *Sta ſi vis illicò,*

ANNOTATIONES.

5. *Clamore hominem poſco.*] Id *pipulum* antea vocavit Plautus, quo videlicet is cui debebatur, ante ædes debitoris, conceptis verbis, præſentibus teſtibus, debitorem compellabat.

6. *Apud Prætorem ſolveret.*] id eſt, *foro cederet:* quod eſt compendium æris alieni diſſolvendi.

Atque argentum properè propera vomere. *CA.* quid mecum eſt tibi,
Aut tecum? aut? *THE.* quia ego ex te hodie faciam pilum catapultarium:
Atque ita te nervo torquebo, itidem uti catapultæ ſolent.
PH. Delicatum te hodie faciam cum catello ut accubes,
Ferreo ego dico. *CA.* at ego vos ambo in robuſto carcere
Ut pereatis. *THE.* collum obſtringe, abduce iſtum in malam crucem.
PH. Quid, quid eſt? ipſe ibit potiùs. *CA.* proh deûm atque hominum fidem.
Hoccine pacto indemnatum atque inteſtatum me arripi?
Obſecro, Planeſium, & te, Phædrome, auxilium ut feras.
PLA. Frater, obſecro te, noli hunc condemnatum perdere.
Benè & pudicè me domi habuit. *THE.* haud voluntate id ſuâ
Æſculapio huic habeto, quom pudica es, gratiam:
Nam ſi is valuiſſet, jampridem, quoquo poſſet, mitteret.
PH. Animum advortite, ſi potiſſum hoc inter vos componere.
Mitte iſtunc. accede huc, Leno. dicam meam ſententiam.
Siquidem vultis, quod decreto, facere. *CA.* tibi permittimus:
Dum quidem hercle ita judices, ne quiſquam à me argentum auferat.
THE. Quódne promîſti? *CA.* quî promiſi? *PH.* linguâ. *CA.* eâdem nunc nego.

INTERPRETATIO.

& accelera celeriter reddere argentum. CA. *Quid rei eſt tibi mecum, aut mihi tecum?* THE. *Quoniam ego faciam hodie pilum catapultarium ex te, & te ejiciam fune, ſicut ſolent catapultæ.* PH. *Efficiam ut mollis cubes hodie cum catello. ego dico ferreo.* CA. *Sed ego efficiam ut vos ambo pereatis in carcere, non ita molli, ſed in valido.* THE. *Trahe collo obſtricto, adduc eum in malum cruciatum.* PH. *Quidquid eſt? Ipſe ibit potiùs ultrò.* CA. *Proh fidem deorum atque hominum! hoccine modo me arripis indemnatum & inteſtatum! Rogo, Planeſium, & te, Phædrome, ut feras auxilium.* PLA. *Frater, te quaſo, noli perdere hunc condemnatum* judicio Prætoris: *me ſervavit domi benè & pudicè.* THE. *Si es pudica, id habes non ex ejus arbitrio, ſed gratiâ hujus Æſculapii. Nam ſi fuiſſet ſanus, jamdudum miſiſſet quocumque potuiſſet.* PH. *Animadvertite ſi poſſim componere veſtram controverſiam. Dimitte hunc. Accede huc, Leno, aperiam meam mentem, ſi vultis agere quod decrevero.* CA. *Tibi concedimus, dummodò per Herculem ita ſtatuas, ne quiſquam auferat à me pecuniam.* THE. *An quod pollicitus es?* CA. *Quo pacto pollicitus ſum?* PH. *Linguâ.* CA. *Nego nunc eadem.*

ANNOTATIONES.

12. *Nervo.*] Ferrum quo & collum & pedes includebantur, *nervus* appellabatur. In vincula autem creditori licebat conjicere debitorem, niſi æs intra dies triginta redderet a judicio lato.

13. *Catellus.*] Feſtus. *Catellus, genus quoddam vinculi, qui interdum canis appellatur: à catena, catella, catellum.*

17. *Inteſtatum.*] *teſtibus* minimè convictum.

19. *Condemnatum.*] Alii *indemnatum*.

Dicendi, non rem perdendi gratiâ hæc nata eſt mihi.

THE. Nihil agit: collum obſtringe homini. *CA.* jamjam faciam ut juſſeris.

THE. Quando vir bonus es, reſponde, quod rogo. *CA.* roga quod lubet.

THE. Promîſtin', ſi liberali quiſquam hanc aſſereret manu,

Te omne argentum redditurum? *CA.* non commemini dicere.

THE. Quid? negas? *CA.* nego hercle verò. quo præſente? quo in loco?

THE. Meipſo præſente, & Lycone trapezitâ. *CA.* non taces?

THE. Non taceo. *CA.* non ego te floccifacio, ne me territes.

THE. Meipſo præſente, & Lycone, factum eſt. *PH.* ſatis credo tibi.

Nunc adeò, ut tu ſcire poſſis, Leno, meam ſententiam:

Libera hæc eſt, hic hujus frater eſt, hæc autem illius ſoror.

Hæc mihi nubet: tu huic argentum redde. hoc judicium meum eſt.

THE. Tu autem in nervo jam jacebis, niſi mihi argentum redditur.

CA. Hercle iſtam rem judicaſti perfidiosè, Phædrome.

Et tibi oberit: & te, Miles, dî deæque perduint!

Tu me ſequere. *THE.* quò ſequar ego te? *CA.* ad trapezitam meum,

Ad Prætorem. nam inde rem ſolvo omnibus, quibus debeo.

THE. Ego te in nervom, haud ad Prætorem hinc rapiam, ni argentum refers.

CA. Ego te vehementer perire cupio, ne tu me neſcias.

INTERPRETATIO.

Hæc mihi tributa eſt loquendi causâ, non amittendæ rei. THE. *Nugatur, conſtringe collum homini.* CA. *Mox faciam ut præcepiſti.* THE. *Quoniam es vir bonus, reſponde quod peto.* CA. *Poſtula quod lubet.* THE. *Eſne pollicitus te redditurum omnem pecuniam, ſi quiſquam aſſereret Planeſium ut ingenuam.* CA. *Non recordor me dixiſſe.* THE. *Quid? negas?* CA. *Nego per Herculem · quo præſente? quo in loco?* THE. *Meipſo præſente, & Lycone trapezitâ.* CA. *Non files?* THE. *Non ſileo.* CA. *Non? ego flocciſacio te, ne me terreas.* THE. *Meipſo præſente, & Lycone, actum eſt.* PH. *Tibi ſatis confido.* *Nunc adeò, ut tu queas tenere meam mentem, Leno; hæc eſt libera. hic eſt ejus frater, hæc verò ejus ſoror: hæc mihi nubet: tu redde illi pecuniam. Hæc eſt mea ſententia.* THE. *Tu verò jacebis jam in nervo, niſi mihi redditur pecunia.* CA. *Per Herculem judicaſti perfidiosè hanc rem, Phædrome, & tibi nocebit. & te, Miles, dii deæque perdant: tu, ſequere me.* THE. *Quò ego te ſequar?* CA. *Ad meum nummularium, ad Prætorem. nam capio inde unde ſolvam rem quibus debeo* THE. *Ego te rapiam in nervum, non ad Prætorem, niſi refers argentum.* CA. *Ego exopto vehementer te perire, ne tu meam mentem ignores.*

ANNOTATIO.

46. *Ne tu me neſcias.*] Alii *ne tu me noceas.* *Me* pro *mi*, ſive *mihi*. Sic *nis* olim pro *nobis*. Feſtus. *Calim* Antiqui dicebant pro *clam*. ut *nis* pro *nobis*; *ſam* pro *ſuam*; *im* pro *eum*.

THE. Itáne verò? *CA.* ita hercle verò. *THE.* novi ego hos pugnos meos.
CA. Quid tum? *THE.* quid tum? rogitas? hiſce ego, ſi tu me irritaveris,
Placidum ted hodie reddam. *CA.* age ergo recipe actutum. *THE.* licet.
PH. Tu, Miles, apud me cœnabis. hodie fient nuptiæ.
THE. Quæ res benè vortat mihi & vobis. Spectatores, plaudite.

INTERPRETATIO.

THE. *Itáne verò?* CA. *Sic per Herculem.* THE. *Ego novi hos meos pugnos.* CA. *Quid tum?* THE. *Quid tum rogas? Si tu mihi bilem moveris, ego te efficiam hodie manſuetum hiſce.* CA. *Age igitur, accipe modò.* THE. *Licet.* PH. *Tu, Miles, cœnabis apud me: celebrabuntur hodie nuptiæ.* THE. *Quæ res mihi vertat benè & vobis. Plaudite, Spectatores.*

FINIS CURCULIONIS.

M. ACCII

M. ACCII PLAUTI CASINA.

ARGUMENTUM.

STALINO erat Civis Athenienſis. Habebat Cleoſtratam uxorem: ex eâ filium ſuſcepit Euthynicum. Servos habebant duos, & unum villicum. Alter fuit Chalinus armiger Euthynici, alter anonymus. Villicus erat Olympio. Vicinum habebant Alceſimum, cujus uxor erat Myrrina. Anonymus, qui eſt hâc in Comœdiâ muta perſona, & quem decumbere in lecto dicit feſtivè Poëta, ne Spectatores putent fore ut prodeat in Scenam, cùm primâ luce iter haberet per Urbem, incidit in mulierem quæ exponebat puellam recèns natam. Servus orat mulierem ut ſibi det puellam: dat mulier: defert ad herâm ſervus, quæ magnâ curâ educat puellam. Cùm puella eſſet annos ſexdecim nata, Stalino & Euthynicus, pater & filius, depereunt virginem: alterius alteri notus amor: ſed Cleoſtrata, utpote & Stalinonis uxor, & Euthynici mater, & nutricia Caſinæ, ſemper eſt in ſpeculis, ne Caſinæ aut vis ulla fiat, aut laqueus ullus doli nectatur ejus pudicitiæ. Patri filius, filio pater, uterque Cleoſtratæ & Caſinæ ſtruit inſidias. Demum, quoniam aperto Marte non poſſunt, per cuniculos pudicitiam Caſinæ adoriuntur, & Stalino quidem ſummittit Olympionem villicum ſuum ad petendam à Cleoſtratâ Caſinam in matrimonium, pactâ libertatis mercede, ſi frui Caſinâ nuptiis initis liceret. Euthynicus verò filius, cognito patris conſilio, ſummittit & Chalinum armigerum ſuum ad petendam in matrimonium Caſinam à Cleoſtratâ, pactâ eâdem mercede iiſdem conditionibus; & quò vindicet ad ſuas partes matrem Cleoſtratam, Euthynicus detegit patris Stalinonis fraudem. Cleoſtrata ignara conſiliorum Euthynici, non obſcurè ſignificat Stalinoni favere magis Chalino quàm Olympioni. Stalino id artibus filii Euthynici fieri arbitratus, rivalem ſuum in longinquam peregrinationem mittit. Cleoſtrata, quæ & hoc ſenſit fieri in gratiam Olympionis, magis magiſque tuetur partes Chalini. Tandem ventum ad ſortes, quæ quidem injectæ ſunt in ſitulam aquâ plenam, è ligno fuerint an metallo, an terrâ concoctâ & induratâ Sole vel igne, an ex

aliâ materiâ, non notatur. Inſcripta erant nomina ſortibus & Chalini & Olympionis, Cleoſtrata ipſa educit ex ſitulâ & aquâ ſortem Olympionis, cui favebat Stalino maritus. Chalinus, dolore & ſenio confectus, quòd ceſſerit Olympioni Caſina, quam deperibat, quòd quaſi ad triumphum victus omni contumeliarum genere, etiam plagis oppugnatus fuerit ab Olympione, ſtatuit perſequi dolorem ſuum: offert ſtatim ſeſe occaſio. Nam auſcultat ex occulto quem locum ſeligerent Stalino & Olympio, ut ſuis amoribus indulgeat Stalino. Homo ulciſcendi avidus, rem defert ad Cleoſtratam, & ipſam mœſtam quòd Chalinus victus fuiſſet, & ſollicitam, quia ei perſpecta erant conſilia Stalinonis mariti, itaque conferunt eò omnem aciem mentis, ut & Olympionem & Stalinonem peſſimè habeant.' Statuit Stalino cum Olympione efficere ut Cleoſtrata vocet ad auxilium ſuum Myrrinam vicinam, & Alceſimus eat aliquò rus, ut vacua ſit amoribus Stalinonis & Caſinæ domus. Cleoſtrata cum Myrrinâ fraudem comminiſcuntur ad ludificandum amorem Stalinonis. Nimirum earum imperio Pardaliſca ancilla admonet Stalinonem, eſſe duos gladios Caſinæ ad interimendos Stalinonem & Olympionem. Rogat Stalino Pardaliſcam etiam atque etiam ut conetur placare Caſinam, & eorum interimendorum adimere voluntatem. Myrrina & Cleoſtrata induunt veſtibus Caſinæ Chalinum ſervum, & die inclinatâ deduci mandant loco Caſinæ. Reverâ quando accedere vult Olympio ad Chalinum, ratus eſſe Caſinam, hominem pugnis impetit, & malè mulctatum apud Alceſimum cum Stalinone reliquit, propinatque, & Stalinonem & Olympionem omnibus ridendos. Porrò hæc Caſina erat filia Alceſimi & Myrrinæ, quæ poſteà eſt cognita, & data in matrimonium Euthynico Stalinonis filio, & rivali.

Hæc Fabula vocatur CASINA, quia eò deſinunt quæcumque in hâc Comœdiâ inſunt, ut Caſinæ fortunam explicent. Apud Diphilum hujus Autorem Græcum vocata eſt Κληρούμενοι, id eſt, *ſortientes*, ab Olympionis & Chalini ſortibus. Conſtat Prologo, Fabulâ, & Epilogo. *Protaſis* patet ab initio Fabulæ ad Scenam 3. Actus 2. A Scenâ 3. Actus 2. ad Actum 4. eſt *Epitaſis*. Nam quidquid erat turbarum graviorum hactenus patet. In reliquo Opere eſt *Solutio*. Res enim ex voto Cleoſtratæ fluere incipiunt: unde riſus captatur. Hîc Poëta ſuo more amorum ſenilium ſucceſſus parùm felices innuit, & hâc ſaltem ratione tacitè dehortatur Senes ab amore, utpotè illis pudendo. Mores igitur hujus Fabulæ ſic contrahe: DEDECET AMOR SENEM.

Hæc Comœdia eſt vicibus pluribus exhibita, & viſa eſt inter alias aliorum Poëtarum illius temporis Fabulas optima. Patet jampridem hanc Fabulam editam fuiſſe, quia mortui erant & Poëtæ qui ſcribebant, quando & hæc primùm exhibita eſt, & Spectatores, qui ei ſtatim atque conſcripta eſt, affuerant.

SCENA EST ATHENIS.

PERSONÆ.

PROLOGUS.

STALINO Senex, Civis Athenienſis.

CLEOSTRATA, Uxor Stalinonis.

EUTHYNICUS, Filius Stalinonis & Cleoſtratæ; perſona muta.

SERVUS anonymus, qui projectitiam Caſinam dedit heræ Cleoſtratæ: perſona muta.

OLYMPIO, Villicus Stalinonis.

CHALINUS, Armiger Euthynici.

PARDALISCA, Ancilla Stalinonis.

ALCESIMUS, Senex, Athenienſis Civis, vicinus Stalinonis.

MYRRINA, Uxor Alceſimi.

CASINA, Filia Alceſimi & Myrrinæ, muta perſona.

COQUUS.

ANCILLÆ.

GREX.

PERIOCHA ACROSTICHA.

CONSERVAM uxorem conſervi duo expetunt.
Alium ſenex allegat, alium filius.
Sors adjuvat ſenem: verùm decipitur dolis.
Ita ei ſubjicitur pro puellâ ſervulus
Nequam, qui dominum mulcat atque villicum.
Adoleſcens ducit civem Caſinam cognitam.

INTERPRETATIO.

DUo *ſervi* Stalinonis, Chalinus armiger & Olympio villicus, *petunt* Caſinam *ſervam in matrimonium. Stalino allegat* Olympionem: Euthynicus *filius* Stalinonis *allegat* Chalinum. *Sors ducta favet* amoribus *Stalinonis: ſed fraudantur artibus* Cleoſtratæ, Myrrinæ, Chalini, & Pardaliſcæ. *Itaque Chalinus nequam ei* habitu puellari *ſummittitur pro Caſinâ, Hic malè excipit* Stalinonem *herum, &* Olympionem *villicum*, rivalem. Euthynicus *adoleſcens ducit Caſinam, quam cognoſcit eſſe civem* liberam, filiam Alceſimi & Myrrinæ.

ANNOTATIONES.

2. *Allegat.*] id eſt, *ſummittit.* Quia videlicet pater & filius, rivales, non audent profiteri amores ſuos, quibus Caſinam depereunt, propter metum Cleoſtratæ, ſummittunt ſervos ſibi fidos, hic armigerum ſuum, ille villicum, qui ſervam ſervi in matrimonium petant.

3. *Sors adjuvat ſenem.*] id eſt, ſortibus ductis vincit ſenex. Conflatur hîc invidia fortunæ & ſorti, quæ adjuvat immeritos & indignos.

5. *Nequam.*] *Nequam* aliquando dicitur de moribus, aliquando de pretio rei: hîc pro utroque. *Nequam*, quia occupat occaſionem ulciſcendi doloris ſui, quòd victus fuiſſet ſorte, & ſpe Caſinæ dejectus. *Nequam*, quia ſi conferretur cum Caſinâ, nihilo erat cum eâ comparandus.

Mulcat.] Alii *mulctat*, alii *multat*, alii *mulgat*. Eodem recidunt quatuor illa verba, quorum priora duo uſus retinet.

6. *Adoleſcens.*] Ultra terminos huic Comœdiæ poſitos excurrit hoc Argumentum. Nam Fabula clauditur fraudatis & irriſis amoribus Stalinonis. Reverâ Poëta conſultus ſuæ artis, in concluſione, atque adeò extra Scenam, narrat quod futurum eſt, & nuptias Caſinæ futuras.

PROLOGUS.

ARGUMENTUM.

JUſtus Lipſius 1. Elect. cap. 11. dicit, Prologum Caſinæ non Plauti eſſe, ſed Plauto dignum. Acidalius, Prologum Caſinæ non eſſe Plauti, ſed ejuſmodi eſſe, ut ejus Plautum pudere non poſſit. Alciatus Parergων lib. 6. 16. conjicit non Plautum ejus eſſe Autorem Progi, ſed Apulum quemdam Comœdum, & ſcriptum & præfixum

Plautinæ Fabulæ à ſe repræſentatæ & editæ. Sed pace tantorum virorum dixerim me non ſatis videre cur hic Prologus non ſit Plauti. Nam præterquàm quod eſt germanus Plauti ſtilus, accedit etiam ut pateat, ex 14. verſu eoſdem ſedere Spectatores, qui olim adfuerant quando primâ vice exhibita eſt. Conſtat autem Romæ actam eſſe primâ vice, neque dimovere quemquam debet ab hâc mente, quòd antiqua Comœdia dicatur. Nam nihil impedit quominùs juvenis Plauti juvenes fuerint Spectatores, & ſenis ſenes, ut Cornelii jam apud nos noſtri ſi aliqua Fabula reponatur, nihil impediat quominùs qui audierint Fabulas Cornelii juvenis juvenes, audiant jam ſenis ſenes. Eſt fortè quod graviùs moveat Lectorem, nempe quòd verſu 72. videatur hæc Fabula exhiberi ab Apulo & in Apuliâ: ſed in pluribus Manuſcriptis eſt *in noſtrâ terrâ*, atque *in Apuliâ*. Per ſuam terram intelligit Romanos. Porrò Prologus hic conſtat quinque partibus, ſalutatione, commendatione Fabulæ, rogatione attentionis, argumento Comœdiæ, valedictione. In ſalutatione obblanditur; nomine bonitatis, vocat optimos; nomine fidei, caram illis fidem, caros eoſdem fidei ipſi prædicat; rogat ſignum ab iis, quo conſtet eis eſſe gratam ſalutationem, & eos futuros benevolos. Commendationem Caſinæ inſtituit: primò quòd ſit vetus, idque explicat comparatione vini veteris cum novo; verborum antiquorum & morum, cum novis; veterum nummorum; cum recentioribus. Studium populi explicatur flagitatione Plautinarum Fabularum, à theſi ad hypotheſim: à Fabulis veteribus & Plautinis ad Caſinam deſcendit. Comparat cum cæteris cæterorum Poëtarum ejuſdem temporis Fabulis. In rogatione attentionis, ab oppoſitis attentionis, curâ & ſollicitudine, metu creditorum, comparatione cum Alcyonis diebus quibus eſt tranquillum mare. In Argumento Fabulæ eſt duplex digreſſiuncula. De perſonis duabus mutis in Fabulâ, prima eſt Servus anonymus, qui projectitiam Caſinam ſuſtulit humo, & detulit ad Cleoſtratam heram, & feſtivè morbo vel lecto decumbere dicitur. Secunda, filius Stalinonis & Cleoſtratæ Euthynicus, qui profectus eſt in longinquam peregrinationem. Hunc dicit non venturum in Scenam Poëta: dicit impedimento fore quòd pons interruptus ſit. Eſt & tertia digreſſio de nuptiis ſervilibus: defenduntur exemplo Græcorum, Carthaginenſium, & Apulorum. In valedictione optat ut Rempublicam benè gerant, ut vincant.

PROLOGUS.

SALVERE jubeo ſpectatores optimos,
Fidem qui maximi facitis; & vos Fides.
Si verum dixi, ſignum clarum date mihi,
Ut vos mihi eſſe æquos jam inde à principio ſciam.
,, QUI UTUNTUR vino vetere, ſapientes puto,
,, Et qui libenter veteres ſpectant Fabulas.
Antiqua opera & verba quum vobis placent,
Æquum placere eſt ante veteres Fabulas.
,, Nam, NUNC NOVÆ quæ prodeunt, Comœdiæ,
,, Multò ſunt nequiores, quàm nummi novi.
Nos poſtquam populi rumorem intelleximus,
Studioſè expetere vos PLAUTINAS FABULAS;
Antiquam ejus edimus Comœdiam,
Quam vos probaſtis, qui eſtis in ſenioribus:
Nam juniorum qui ſunt, non norunt, ſcio.
Verùm ut cognoſcant, dabimus operam ſedulò.
Hæc quum primùm acta eſt, vicit omnes Fabulas.
Eâ tempeſtate flos Poëtarum fuit,
Qui nunc abierunt hinc in communem locum.
Sed abſentes tamen proſunt præſentibus.

INTERPRETATIO.

Vobis opto ſalutem, Spectatores optimi, qui æſtimatis plurimùm fidem, & quos fides plurimùm æſtimat. Si dixi verum, applaudite mihi jam inde à Prologo, ut intelligam vos mihi favere. Sicut ii qui utuntur vino veteri, ſunt ſapientes: ſic puto eos qui ſpectant ultrò veteres Comœdias, eſſe ſapientes. Quoniam mores antiqui & oratio antiqua vobis placent, eſt par veteres Fabulas approbari à vobis. Nam Comœdia nova quæ luduntur nunc, ſunt longè inaccuratiores quàm pecunia nova. Poſtquam nos animadvertimus ex rumore populi vos expectare avidè Fabulas Plauti, edimus antiquam Comœdiam illius, quam vos laudaſtis, qui eſtis ſeniores. Nam juniores non norunt, quod ſcio: ſed ut intelligant, dabimus operam diligenter. Quando hæc eſt exhibita primâ vice, ſuperavit cunctas Comœdias. Tamen eximii Poëtæ florebant, qui ſunt nunc mortui, & qui mortui ſunt utiles vivis.

ANNOTATIONES.

5. *Qui utuntur vino.*] Comparat vetus vinum cum veteribus Fabulis, à pari. Contrà Pindarus. αἴνει δὲ παλαιὸν μὲν οἶνον, ἄνθεα δ' ὕμνων νεωτέρων. id eſt, *Lauda quidem vinum vetus, flores autem hymnorum recentiorum.*

10. *Nummi novi.*] Seneca. *Nec voles quod debeo, niſi in aſpero & probo accipere. Aſperum* & *probum* ſignificant pecuniam ab incude recentem, cujus aſperæ ſunt & nondum uſu detritæ ſuperſcriptiones.

18. *Flos Poëtarum.*] Sophocl. ἄνθος ἀοιδῶν. Cicero. *Flos Equitum Romanorum, flos Legatorum, flos Populi.* Suprà, *flos vini.*

19. *Communem locum.*] *Communis locus* eſt *Orcus*, vel *Terra.* Lucretius.

Omnipotens eadem rerum commune ſepulcrum.

Mortui à Græcis οἱ πολλοὶ, οἱ πλείονες, μακαρεῖται, apud Latinos *fœlices.* Horatius.

Omnes compoſui fœlices: nunc ego reſto: Conſice.

Apud Chriſtianos *beati. Mori* apud Græ-

Vos omnes opere magno eſſe oratos volo;
Benignè ut operam detis ad noſtrum gregem.
Ejicite ex animo curam atque alienum æs:
Ne quis formidet flagitatorem ſuum.
Ludi ſunt. ludus datus eſt argentariis.
Tranquillum eſt: Alcedonia ſunt circum forum.
Ratione utuntur, ludis poſcunt neminem,
Secundùm ludos reddunt autem nemini.
Aures vacivæ ſi ſunt, animum advortite:
Comœdiæ nomen dare vobis volo.
CLERUMENOE vocatur hæc Comœdia
Græcè, Latinè SORTIENTES. Diphilus
Hanc Græcè ſcripſit, pòſt id rurſum denuò
Latinè PLAUTUS cum latranti nomine.

INTERPRETATIO.

Opto vos orare enixè ut audiatis humaniter turbam noſtrorum Actorum, & excludite animo omnem curam æris alieni, ne quis metuat ſuum creditorem. Hi ſunt ludi ex quibus ſunt & Daniſtæ: itaque relinquent debitores quietos. Sunt dies Alcyonis in foro, ſunt æqui, à nemine poſcunt pecuniam inter ludos, & nemini reddunt inter ludos. Si veſtræ aures vacant, adhibete mentem. Volo jam vobis dicere nomen Comœdiæ. Hæc Comœdia vocatur Græcè Clerumenoe, Latinè Sortientes. Diphilus hanc ſcripſit Græcè: poſteà Plautus edidit rurſus cum ſuo nomine latranti.

ANNOTATIONES.

cos, ἀπῆλθεν. ἀπῆλθεν παρὰ τοὺς πλείονας. ἀπῆλθεν εἰς κοινὸν τόπον. Apud Latinos *abire*. *Abire in communem locum. abire ad plures. Facere quod ſibi faciendum fuit. ſi quid de me fuat*: ſive ſic alibi, *ſi quid humanitus acciderit*, pro *moriatur*. Locus in quo plura ſepulcra erant, Græcis κοιμητήριον, quaſi dicas *dormitorium*: πολυάνδριον, quaſi *ubi multi homines ſunt unà*: κοινὸς τόπος, Latinis eſt *cœmeterium*, *ſepulcretum*, *communis locus*, *oſſuaria*, *cineraria*. *Loci communes* familiaria ſepulcra erant, in quæ conferebantur ejuſdem familiæ mortui: publica, in quæ qui honoris causâ de publico ſepeliebantur.

25. *Ludus datus eſt.*] Olim Ludimagiſtri certis diebus, non ita ſtatis ut nunc ſunt, dabant pueris ludendi copiam. Id vocabatur, *dare ludum pueris*. *Ludus datus eſt argentariis*, id eſt, *non urgent creditores, nec imminent pro more.*

26. *Alcedonia.*] Servius. *Hæ aves nidos faciunt in mari, mediâ hyeme, quibus diebus tanta eſt tranquillitas, ut penitus nihil in mari poſſit moveri.*

27. *Ludis poſcunt neminem.*] Tempore ſpectaculorum neque libellos dare, neque in jus vocare quemquam licebat.

29. *Aures vacivæ.*] id eſt, *vacuæ*: alii *votivæ*. id eſt, *voto obſtrictæ ad audiendum.*

30. *Comœdiæ.*] In quibuſdam exemplaribus eſt *Comœdiai*, ſicut eſt in Virgilio *aulai in medio*, pro *aulæ in medio*. Hinc ſtatuere licet quomodo eſſet pronuntiandum *Comœdiæ*, *aulæ*. Nam eſt pronuntiandum ut *ai*. diductioribus dentibus, quàm pronunciamus: ut dativo plurali Græco ἄλαις, κωμῳδίαις, ſi removeatur *s*.

31. *Clerumenoe.*] κληρούμενοι, *ſortientes*. Quomodo pronunciandum ſit *oe*, patet ex ſcriptione *Clerumenoe* litteris Romanis, videlicet eſt pronunciandum ut *moy*, *toy*.

34. *Cum latranti nomine.*] Feſtus. *Plauti appellantur canes, quorum aures languidæ ſunt ac flaccidæ, & latiùs videntur patere, ut latrans nomen poſitum ſit à Comico pro canino.*

Senex hîc maritus habitat : eii eſt filius.
Is unà cum patre in illiſce habitat ædibus.
Eſt eii quidam ſervus, qui in morbo cubat,
Imò hercle verò in lecto, ne quid mentiar.
Is ſervos, ſed abhinc annos factum eſt ſedecim,
Quum conſpicatus eſt primo crepuſculo
Puellam exponi. adit extemplò ad mulierem,
Quæ illam exponebat : orat ut eam det ſibi :
Exorat, aufert, detulit rectà domum :
Dat heræ ſuæ, orat ut eam curet, educet.
Hera facit, educavit magnâ induſtriâ,
Quaſi ſi eſſet ex ſe nata, non multò ſecùs.
Poſteaquam adolevit ad eam ætatem, uti viris
Placere poſſet, amare puellam eam hic ſenex
Efflictim occipit; ut item *hujus* contrà filius.
Sibi nunc uterque contrà legiones parat,
Patérque, filiúſque, clàm alter alterum:
Pater allegavit villicum, qui poſceret
Sibi iſtam uxorem : is ſperat, ſi eii ſit data,
Sibi fore paratas, clam uxorem, excubias foris.
Filius autem armigerum allegavit ſuum,
Qui ſibi eam uxorem poſcat. ſcit, ſi id impetret,
Futurum, quod amat, intra præſepis ſuas.
Uxor ſenis ſenſit virum amori operam dare,
Propterea *ea* unà conſentit cum filio.
Ille autem poſtquam ſenſit filium ſuum
Eandem illam amare, & eſſe impedimento ſibi,
Hinc adoleſcentem peregrè ablegavit pater.
Sciens ejus mater ei dat operam, abſenti tamen.

INTERPRETATIO.

Stalino Cleoſtrata maritus, ſenex, habitat hic. Habet filium: ille unà cum patre manet in iiſce adibus. Habet quemdam ſervum qui decumbit in morbo, imò per Herculem in lecto, ne quid mentiar: Sed contigit ut hic ſervus abhinc ſexdecim annos cùm vidit exponi puellam primo crepuſculo, ſtatim pergit ad mulierem qua illam exponebat, orat ut eam det ſibi, conſequitur, aufert, defert rectà domum, dat Cleoſtrata hera, orat ut eam curet, nutriat. Hera facit, educavit magnâ diligentiâ non minùs ac ſi eſſet nata ex ſeſe. Poſtquam excrevit ad eam atatem, ut poſſet placere viris, Stalino ſenex cœpit deperire eam puellam, ut item contrà ejus filius Euthynicus. Uterque inſtruit jam ſuas copias; pater contra filium, filius contra patrem, alter inſcio altero. Pater allegavit villicum, qui rogaret ſibi iſtam uxorem. Is ſperat, ſi ſit ei conceſſa, ſibi futurum eſſe locum in quo excubet foris clam uxorem. Filius verò allegavit ſuum armigerum, qui ſibi poſcat eam uxorem. Scit, ſi impetret eam quam amat futuram in ſuâ poteſtate. uxor ſenis animadvertit virum amare: propterea ea conſentit ſimul cum filio. Ille autem poſtquam ſenſit ſuum natum amare eamdem, & ſibi eſſe contrarium, miſit eum peregrè. Quod cùm intellexiſſet mater, ei favet abſenti.

Is, ne exſpectetis, hodie in hâc Comœdiâ
In urbem non redibit: PLAUTUS noluit:
Pontem interrupit, qui erat ei in itinere.
Sunt hîc, quos credo nunc inter ſe dicere:
Quæſo hercle quid iſtuc eſt? ſerviles nuptiæ?
Servíne uxorem ducent, aut poſcent ſibi?
Novum attulerunt, quod fit nuſquam gentium.
At ego aio hoc fieri in Græciâ & Carthagini,
Et hîc in noſtrâ terrâ in Apuliâ.
Majoreque operâ ibi ſerviles nuptiæ,
Quàm liberales etiam curari ſolent.
Id ni fit, mecum pignus, ſi quis volt, dato
In urnam mulſi, Pœnus dum judex ſiet,
Vel Græcus adeò, vel meâ cauſsâ Apulus.
Quid nunc? nihil agitis, ſentio: nemo ſitit.
Revertor ad illam puellam expoſititiam,
Quam ſervi ſummâ vi ſibi uxorem expetunt.
Ea invenietur & pudica & libera;
Ingenua Athenienſis: neque quicquam ſtupri
Faciet profectò in hâc quidem Comœdiâ.
Mox hercle verò, tranſactâ fabulâ,
Argentum ſi quis dederit, ut ego ſuſpicor,
Ultrò ibit nuptum, non manebit auſpices.
Tantum eſt. valete, benè rem gerite, & vincite
Virtute verâ, quod feciſtis antidhac.

INTERPRETATIO.

Is non revertetur hodie in Urbem, in hâc Comœdiâ, ne expectotis: Plautus vetuit: evertit pontem qui ei erat in itinere. Sunt hic quos exiſtimo dicere nunc inter ſe: Obſecro per Herculem quid hic eſt? Serviles nuptiæ? Servi ducentne uxorem, aut ſibi poſcent? Attulerunt novum quod fit nuſquam gentium. Sed ego dico id fieri in Græciâ, & Carthagini, & hic in Apuliâ noſtrâ terrâ, & ſolent inſtrui majore apparatu nuptiæ ſervorum, quàm perſonarum etiam liberarum. Niſi hoc ſe habet ita, deponat quivis mecum pignus, in urnam mulſi, dummodò Carthaginenſis ſit Judex, vel Græcus, vel Apulus, meâ causâ. Quid dicitis nunc? Non deponitis. Intelligo: nemo ſitit. Redeo ad illam puellam expoſititiam, quam ſervi ſibi poſcunt uxorem ſummâ vi. Ea deprehendetur & caſta & libera, ingenua, Athenienſis; neque committet certè quidquam impudici in hâc Comœdiâ. Mox per Herculem poſtquam Fabula erit peracta, ſi quis dederit dotem, ibit ultrò nuptum, ut ego auguror; non expectabit auſpicia. Ecce totum quod habebam dicere. Valete, gerite rem fœliciter, & vincite virtute verâ, ſicut viciſtis hactenus.

ANNOTATIONES.

68. *Serviles nuptiæ.*] Varro. *Neque enim juſtæ ſerviles ſunt nuptiæ ex jure civili, neque ſervorum mulieres dicuntur uxores, ſed conjunctæ.*

86. *Non manebit auſpices.*] Cicero. *Nihil ferè quondam majoris rei, niſi auſpicatò, ne privatim quidem gerebatur: quod & nunc nuptiarum auſpices declarant, qui re omiſsâ, nomen tamen tenent.* Sed poſtquam *auſpices* defierunt, *proxenetæ, conciliatores, pronubi, paranymphi* ſucceſſerunt, qui comprecationibus piis & fauſtis conjuges proſequebantur.

ACTUS PRIMUS.

ARGUMENTUM.

STALINO ſummittit Olympionem villicum ſuum ad petendam in matrimonium Caſinam, eâ ſpe ductus, ut ad arbitrium, Caſinæ amoribus frueretur. Filius hujus Euthynicus, & ipſe captus amore Caſinæ, ad aſſequendum votum allegat Chalinum armigerum ſuum, mandátque ut rivalem ſuum Olympionem conſequatur, ut umbra corpus Paret Chalinus, itaque iraſcitur Olympio. Se variis conviciis miniſque ultrò citroque laceſſunt. Exprobrat Olympioni Chalinus, quòd ruſticus in urbem veniat. Olympio, quaſi certus de nuptiis Caſinæ, interminatur quodlibet malorum genus. Primum, Anthliam, ſeu in hauriendâ aquâ moleſtias extremas: interminatur caveam clathris pellucidis, ut poſſit intervidere ſuos cum Caſinâ amores. Eos explicat per proſopopeiam impuram quidem, ſi res; ſed ſi verba ſpectes, puriſſimam.

OLYMPIO, CHALINUS.

OLYMPIO.

NOn mihi licere meam rem me ſolum, ut volo,
Loqui atque cogitare, ſine ted arbitro?
Quid tu (malùm) me ſequere? *CH.* quia certum eſt mihi,
Quaſi umbra, quoquò ibis tu, te perſequi.
Quin edepol etiam, ſi in crucem vis pergere,
Sequi decretum eſt. dehinc conjicito cæterum,
Poſſiſne, necne, clam me ſutelis tuis
Præripere Caſinam uxorem, proinde ut poſtulas.
OL. Quid tibi negotî mecum eſt? *CH.* quid is impudens?
Quid in urbe reptas, villice, hîc magni pretii?
OL. Libet. *CH.* quin ruri es in præfecturâ tuâ?
Quin potius, quod legatum eſt tibi negotium,
Id curas, atque urbanis rebus te abſtines?

INTERPRETATIO.

OL. *NOn mihi licere me loqui & meditari ſolum mea negotia, ut cupio, ſine te teſte? Quare, malùm, me ſequeris tu?* CH. *Quia mihi deliberatum eſt te perſequi, quaſi* ſim *umbra, quocumque tu iveris. Quin per ædem Pollucis, ſi vis ire in crucem, eſt certum ſequi. Judica hoc de cæteris, utrum poſſis mihi præripere Caſinam uxorem, ſicut exoptas tuis fraudibus, me inſcio.* OL. *Quid rei eſt tibi mecum?* CH. *Quid dicis, impudens? Quid reptas hic in urbe, villice, hîc magni pretii?* OL. *Libet.* CH. *Cur non es ruri in tuâ præfecturâ? Quin potiùs curas id negotium quod tibi eſt demandatum, & abſtines à rebus urbanis?*

Huc veniſti ſponſam præreptum meam.
Abi rus, abi dierectus tuam in provinciam.
OL. Chaline, non ſum ego oblitus officium meum.
Præfeci, rure rectè qui curet. tamen
Ego, huc quod veni in urbem, ubi impetravero
Uxorem ut iſtanc ducam, quam tu deperis,
Bellam & tenellam Caſinam, conſervam tuam:
Quando ego eam mecum rus uxorem abduxero,
Rure incubabo uſque in præfecturâ meâ.
CH. Tun' illam ducas? hercle me ſuſpendio,
Quàm tu ejus potior fias, ſatius eſt mortuum.
OL. Mea præda eſt illa: proin' tu te in laqueum induas.
CH. Ex ſterquilinio effoſſe, tua illæc præda ſit?
OL. Scies hoc ita eſſe. væ tibi! quot te modis,
Si vivo, habebo in nuptiis miſerum meis!
CH. Quid tu mihi facies? *OL.* egóne quid faciam tibi?
Primùm omnium huic lucebis novæ nuptæ facem.
Poſtilla, ut ſemper improbus nihilque ſis.
Poſt id locorum, quando ad villam veneris,
Dabitur tibi amphora una, & una ſemita,
Fons unus, unum ahenum, & octo dolia:
Quæ niſi erunt ſemper plena, ego te implebo flagris.
Ita te aggerundâ curvum aquâ faciam probè,

INTERPRETATIO.

Quare veniſti huc præreptum meam ſponſam? Abi rus, abi, furcifer, in tuam provinciam. OL. *Chaline, ego ſum recordatus meum officium: præpoſui alium muneri mihi demandato, qui curet rure. Attamen ſtatim atque impetravero ut ducam iſtam uxorem quam tu deperis, pulchram tenerámque Caſinam, tuam conſervam, cujus causâ veni in urbem, quando ego eam abduxero mecum rus uxorem, hærebo ſemper rure in meâ præfecturâ?* CH. *Illámne ducas tu? Per Herculem melius eſt me mortuum ſuſpendio, quàm tu fias ejus compos.* OL. *Illa eſt mea præda, itaque inſere caput tuum in laqueum.* CH. *Illa præda tibi cedat, effoſſe ex ſterquilinio.* OL. *Intelliges id ſe habere ſic.* CH. *Væ tibi!* OL. *Quot modis, ſi vivo, te reddam infœlicem in meis nuptiis!* CH. *Quid mihi facies tu?* OL. *Quid ego tibi faciam? Primò præferes facem huic novæ nuptæ, deinde efficiam ut ſis ſemper contemptus ac vilis; poſteà, quando veneris ad villam, tibi dabitur una amphora, & una via, & unus fons, & unum ahenum, & octo dolia, quæ niſi erunt ſemper plena, ego te concidam flagris: ſic ego te reddam curvum in congerendâ aquâ,*

ANNOTATIONES.

30. *Lucebis novæ nuptæ facem.*] Quinque faces præferebantur in nuptiis, quia ex primo pari & primo impari numerus quintus conſtat, quod eſt ſymbolum maris & fœminæ. Fiebant tedæ ex ſpinâ, corylo, & carpino, quia vim eſſe credebant in illis arboribus ad depellenda maleficia. Qui præferebant faces, appellabantur *Daduchi* à Græcis, à Latinis *Pueri lauti.* Unde Plautus in Curcul.

Tute tibi puer es lautus, luces cereum.

Servi erant qui præferebant faces, quia eſſe aliquid ominoſi in illo miniſterio putabant: idcircò utebantur facibus in nuptiis, quia *noctu* deducebatur ſponſa.

36. *In aggerendâ aquâ curvum.*] Erat ſupplicium apud Romanos frequens, ut *piſtrinum*, & *lapidicinæ*; ut ad *anthliam*

Ut poſtilena poſſit ex te fieri.
Poſt autem, ruri niſi tu acervum ederis,
Aut quaſi lumbricus, terram; quod te poſtules
Guſtare quicquam: nunquam edepol jejunium
Jejunium eſt æquè, atque ego ruri reddibo te.
Poſt id, quum laſſus fueris & famelicus,
Noctu ut condignè te cubes, curabitur.
CH. Quid facies? *OL.* concludere in feneſtram firmiter,
Unde auſcultare poſſis, quum ego illanc oſculer:
Quum mihi illa dicet, Mi animule! mi Olympio!
Mea vita! mea mellila! mea feſtivitas!
Sine tuos ocellos deoſculer, voluptas mea!
Sine amabò te amari, meus feſtus dies!
Meus pullus paſſer! mea columba! mi lepus!
Quum mihi hæc dicentur dicta, tum tu furcifer,
Quaſi mus, in medio pariete verſabere.
Nunc ne tu te mihi reſpondere poſtules,
Abeo intrò; tædet ſermonis tui. *CH.* te ſequor.
Hîc quidem pol certò nihil ages ſine me arbitro.

INTERPRETATIO.

ut fieri poſſit ex te poſtilena. Tum, niſi tu ederis ervum ruri, aut terram, quaſi vermis; ſi poſtules comedere aliquid, per ædem Pollucis jejunium non eſt perinde jejunium, atque ego te reddam ruri. Poſteà quando fueris feſſus & eſuries, curabitur ut cubes noctu condignè te. CH. *Quid ages?* OL. *Includere fortiter in caveâ, unde poſſis audire quando ego illam oſculabor, quando illa mihi dicet: Mi amicule, mi Olympio, mea vita, mea medulla, mea feſtivitas, patere deoſculer tuos oculos, mea voluptas: ſine amabò te amari, meus dies feſtus, meus pullus paſſer, mea columba, mi lepus. Quando hæc verba mihi dicentur, tum tu, nefarie, verſaberis in medio pariete, quaſi mus. Nunc ne tu velis mihi reponere: introeo: tædet tuæ orationis.* CH. *Te conſequor. Hic quidem certè per Pollucem facies nihil, me inſcio.*

ANNOTATIONES.

damnarentur rei. Sueton, *ad antliam damnari*, id eſt, ad hauriendam aquam. Ejuſmodi ſupplicium ſtatutum eſt hodie in mendicantes vagos & robuſtos in Batavia.

37. *Poſtilena.*] Eſt lorum ad retinendum in dorſo ephippium, ne fluat in collum equi in declivi. Eſt autem hyperbolica mina, quia Olympio minitatur tantos labores, & tantam inde maciem, ut ex ejus corpore conduplicato fieri poſſit poſtilena.

38. *Acervum.*] Ex *acus aceris*, pala, & *ervum*, legumen viſſiæ ſimile. Fit autem *acus-ervum*, ut *rete-jaculum*, *nugæ-ambages*.

44. *Feneſtram.*] Antiqui codices *feſtram*. Feſtus. *Antiqui dicebant feſtram quod nos feneſtram. Feneſtra* eſt hoc loco, non qua lumen in ædes admittitur: ſed cavea è clathris conſtans, in quam includendum minatur Chalinum.

ACTUS SECUNDUS.

ARGUMENTUM.

CONTENDIT Stalino dandam eſſe Caſinam Olympioni, & Cleoſtrata Chalino. Hinc Stalino Chalinum ſeu rogat ſeu mandat deponere ducendæ Caſinæ conſilium: illinc Cleoſtrata idem urget apud Olympionem. Res venit ad ſortes: vicit Olympio, atque adeò Stalino. Victus Chalinus, atque adeò Cleoſtrata, meditantur ultionem: Cleoſtrata, & Chalinus & ejus anſam præbent ſermones, quos inter ſe conferunt Stalino & Olympio de dirigendis Alceſimi ædibus ad libidinem Stalinonis explendam.

ACTUS SECUNDUS. SCENA PRIMA.

ARGUMENTUM.

SUBODORATA Stalinonis amores Cleoſtrata, in eum cum Pardaliſcâ omne convitiorum genus, muliebri impotentiâ, eâque illiberali, deblaterat: & quod fit ad Myrrinam vicinam, quo eadem iteret, contendit.

CLEOSTRATA, PARDALISCA.

CLEOSTRATA.

OBSIGNATE cellas, referte annulum ad me:
Ego huc tranſeo in proximum ad meam vicinam:
Vir ſi quid volet me, facite hinc me arceſſatis.
PAR. Prandium juſſerat ſenex ſibi parari.

INTERPRETATIO.

CLE. *Obſignate cellas, referte ad me annulum* obſignatorium: *ego vado huc in proximum ad meam vicinam. Si vir me volet aliquid, revocate me hinc.* PAR. *Senex mandaverat ſibi parari prandium.*

ANNOTATIO.

1. *Obſignate cellas.*] Moris erat apud Veteres, in quibus erat nonnulla rei familiaris diligentia, ut inſtrumenta, ſupellectilia, utenſilia ſuis quæque cellis reponerent, & obſignarent annulis ſuis, ut non inde depromerentur nec moverentur, niſi cùm opus foret. Tacitus. *Viliſſima utenſilium annulo clauſa.* De annulo ſignatorio accipe in quo erat character aliquis. Vopiſcus in Aureliano vocat *annulum* illum *ſigillaritium.* Plinius. *At nunc cibi quoque & potûs annulo vindicantur à rapinâ.* Martialis.

Nunc ſignat meus annulus lagenam.

Oſtendit obſignatas fuiſſe laudatioris vini lagenas, ne mutarentur. Quintus Cicero. *Sicut olim matrem noſtram facere memini, quæ lagenas etiam inanes obſignabat, ne dicerentur inanes aliquæ fuiſſe, quæ furtim eſſent exſiccatæ.*

CL. St, tace, atque abi. neque paro, neque hodie
Coquetur: quando is mihi & filio advorſatur
Suo, animi amoriſque cauſsâ ſui.
Flagitium illud hominis: ego illum fame, ego illum
Siti, maledictis, malefactis, amatorem
Ulciſcar: ego pol illum probè incommodis
Dictis angam: faciam uti, proinde ut eſt dignus,
Vitam colat; Acheruntis pabulum, flagitii
Perſequentem, ſtabulum nequitiæ. nunc hinc
Meas fortunas eo queſtum ad vicinas.
Sed foris concrepuit. atque ea ipſa eccam egreditur
Foràs. non pol per tempus iter mihi incepi.

INTERPRETATIO.

CL. *St, ſile, & proficiſcere: neque apparo hodie prandium, neque apparabo; quoniam is adverſatur mihi & ſuo nato, animi ſue causâ & amoris. Scelus illud hominis! ulciſcar illum amatorem fame; ego illum ſiti, maledictis, malefactis: per Pollucem ego illum opprimam egregiè moleſtis verbis; efficiam ut trahat vitam perinde atque eſt dignus; præda inferorum, flagitiorum architectus, ſentina vitiorum. Eo jam hinc queſtum meis calamitatibus apud vicinas. Sed fores* Myrrinæ *increpuerunt: ecce autem ea ipſa prodit foras. Per Pollucem ſuſcepi iter intempeſtivè.*

ANNOTATIONES.

5. *St, tace.*] *St,* vox imperfecta ſilentium imperantis.

8. *Flagitium illud hominis!*] *Le ſcelerat qu'il eſt!* Cicero hoc convitio utitur in ſuum quemvis & Reipublicæ hoſtem. Vocat etiam *ſcelus hominis, ſcelum*

12. *Acheruntis pabulum.*] *tiſon d'enfer.* Horatius. *Orci victima.*

13. *Stabulum nequitia.*] *Stabulum* à *ſtando*: quaſi dicas, eum in quo flagitium ſtationem habet fixam firmámque.

ACTUS SECUNDUS. SCENA SECUNDA.

ARGUMENTUM.

CLEOSTRATA convenit Myrrinam, ut quidquid eſt acerbitatis in virum apud eam evomat: ſed fida vicina monitis ſuis eam placare, & ad meliorem mentem revocare conatur, commemorato virorum in uxores imperio, peculii uxorii ratione, metuque repudii.

MYRRINA, CLEOSTRATA.

MYRRINA.

SEQUIMINI comites in proximum me huc.
Heus vos! ecquis hæc quæ loquar audit? ego hic ero,
Vir ſi, aut quiſpiam quæret. nam ubi domi ſola ſum,
Sopor manus calvitur. juſſin' colum
Ferri mihi? *CL.* Myrrina, ſalve. *MY.* ſalve
Mecaſtor: ſed quid tu es triſtis, amabò?
CL. Ita ſolent omnes quæ ſunt malè nuptæ,
Domi & foris ægrè quod ſit, ſatis ſemper eſt.
Nam ego ibam ad te. *MY.* & pol ego iſtuc ad te. ſed quid eſt
Quod tuo nunc animo ægrè eſt? nam quod tibi eſt
Ægrè, idem mihi eſt dividiæ. *CL.* credo ecaſtor;
Nam vicinam neminem amo merito magis, quàm te:
Nec quâ cum plura ſunt mihi, quæ ego velim.
MY. Amo te, atque iſtuc expeto ſcire quid ſit.
CL. Vir me habet peſſumis deſpicatam modis,
Nec mihi jus meum obtinendi optio eſt.
MY. Hem! quid eſt? dic idem hoc: nam pol haud ſatis meo

INTERPRETATIO.

MY. *Sequimini me huc comites in proximas ædes. Heus vos! ecquis audit ea quæ dico? Si maritus, aut quivis alius me quærat, ego ero hic. Nam quia ſum ſola domi, omnia excidunt è manibus præ ſopore. Nonne mandavi mihi afferri colum?* CLE. *Salve, Myrrina.* MYR. *Salve per Caſtorem. Sed quare es tu mœſta, obſecro?* CLE. *Omnes quæ ſunt malè nuptæ, ſolent ſic eſſe affectæ: eſt illis ſemper ſatis domi & foris quod ſit moleſtum. Nam ego pergebam ad te.* MYR. *Et per Pollucem ego veniebam iſtuc ad te. Sed quid eſt quod ſit ægrè nunc tuo animo. Nam quod tibi eſt acerbum, idem mihi acerbum eſt.* CLE. *Credo per ædem Caſtoris. Nam nulla eſt vicinarum quàm amem æquiùs quàm te: neque eſt ulla cum quâ mihi ſint plura* tractanda. MYR. *Te diligo, & opto ſcire quid ſit illud* quod tibi eſt ægrè. CLE. *Meus maritus me excipit peſſimâ ratione, & deſpicatur, nec mihi eſt ullus locus obtinendi mei juris.* MYR. *Hem! quid eſt? Dic idem hoc. nam per Pollucem non ſatis*

ANNOTATIONES.

1. *Sequimini comites.*] Moris ſemper fuit, ut virgines & matronæ lautiores non prodirent in publicum ſine comitatu ancillarum priùs, ſed deinceps eunuchorum; quo videlicet & culpam & ſuſpicionem ipſam à ſe amolirentur. Ciſtellaria,

Adſtat ea in viâ ſola: Proſtibulum ſanè eſt.

4. *Calvitur.*] Lexicon Latino-Græc. ἐξαπατᾷ *fruſtratur, decipitur.* Tibullus.

At circa gravibus penſis affixa puella
Paulatim ſomno feſſa remittit onus.

11. *Dividia.*] Nonius. *Dividiam dixerunt triſtitiam Veteres.* Propertius.

Dividiæ mentis conficit omnis amor.

Feſtus. *Dividia diſcordia eſt.*

14. *Amo te.*] ſupple *eam ob rem.* Cicero. *De eâ re multum te amo:* id eſt, *gratias ago tibi.*

16. *Optio eſt.*] *Optiones* in militiâ erant quos ſibi *optarent*, ſeu *adoptarent* adjungeréntque Centuriones, tanquam adjutores rerum gerendarum. Hinc *optio* per tranſlationem quemvis rei gerendæ adjutorem ſignificat. Venuſtè ergo Cleoſtrata *optionem* ſibi eſſe negat, id eſt, *auxilium* ad jus ſuum perſequendum. Ab veteri *opio* eſt *optio*: ab eodem frequentativum *opto*, ut ab *apio apto*, à *rapio rapto*.

Corde accepi querelas tuas, obſecro.
CL. Vir me habet peſſumis deſpicatam modis.
MY. Mira ſunt, vera ſi prædicas. nam viri
Jus ſuum ad mulieres obtinere haud queunt.
CL. Quin mihi ancillulam ingratis poſtulat, quæ mea eſt,
Quæ meo educata ſumptu eſt, villico ſuo ſe dare.
Sed ipſus eam amat. *MY.* obſecro tace. *CL.* nam hîc. nunc
Licet dicere. nos ſumus. *MY.* ita eſt. unde ea tibi eſt?
„ Nam PECULI probam nihil habere addecet
„ Clam virum: & quæ habet partum, ei haud commodi eſt,
„ Quin viro aut ſubtrahat, aut ſtupro invenerit.
„ Hoc viri cenſeo eſſe omne, quicquid tuum eſt.
CL. Tu quidem adverſum tuam amicam omnia loqueris.
MY. Tace ſis ſtulta, & mihi auſculta: noli ſis tu illi
Advorſari. ſine amet, ſine quod libet, id faciat;
Quando tibi nil domi deliquum eſt.
CL. Satin' ſana es? nam tu quidem advorſus tuam iſta rem
Loquere. *MY.* inſipiens! ſemper tu huic verbo vitato
Abs tuo viro. *CL.* cui verbo? *MY.* I foràs, mulier. *CL.* ſt!
Tace. *MY.* quid eſt? *CL.* hem! *MY.* quis eſt quem vides?
CL. vir eccum it.

INTERPRETATIO.

comprehendo animo tuas querimonias, quæſo. CLE. *Meus maritus me deſpicatur ratione indignâ.* MYR. *Miror ſi dicis verè: nam viri fermè nequeunt frui juribus ſuis in mulieres.* CLE. *Quin vult dari ſuo villico* Olympioni *ancillam quæ ad me pertinet, quæ enutrita eſt meo ſumptu: ſed ipſe eam amat.* MYR. *Quæſo, ſile.* CLE. *Hic licet nunc dicere: nos ſumus* ſolæ. MYR. *Eſt verum: ſed unde ea eſt tibi? Nam non oportet pudicam uxorem habère ullum peculium, viro inſcio: & quæ habet aliquod, non poteſt vertere in ſuum commodum, quin aut viro ſuffurata ſit, aut ſtupro comparavit. Quidquid habet, exiſtimo id omne pertinere ad virum.* CLE. *Tu quidem dicis omnia contra tuam amicam.* MYR. *Sile, ſi vis, inſana, & me audi: noli tu illi adverſari, ſi vis: ſine amet, ſine agat quod libet, ſi nihil te deficit domi.* CLE. *Eſne ſatis ſana?* Nam *tu quidem dicis hæc contra rem tuam.* MYR. *Inſana, cave ne tuus vir tibi dicat hoc verbum.* CLE. *Quod verbum?* MYR. *I foras, mulier.* CLE. *St: ſile.* MYR. *Quid eſt?* CLE. *Hem!* MYR. *Quis eſt quem vides?* CLE. *Ecce meus maritus accedit.*

ANNOTATIONES.

19. *Deſpicatam.*] paſſivè, id eſt, *contemptam, deſpectam.* Cicero. *Ceſſi deſpicatiſſimi hominis furori.*

20. *Nam viri.*] *Viri* imperium habere debent in uxores: ſed jus ſuum obtinere non poſſunt.

25. *Nos ſumus.*] ſupple *ſolæ.* Sed Myrrinæ interturbatæ oratione Cleoſtratæ vocem hanc addere non licuit. *Nos ſumus,* ſine voce additâ idem ſignificat ac *nos ſumus ſolæ: obſecro, tace: nam hic,* ſupple, *ſunt aliqui.*

33. *Deliquum.*] Feſtus. *Deliquum apud Plautum ſignificat minus. Deliquum* quod deeſt, ut *reliquum* quod ſupereſt, utrumque à *linquo.* Si nullum mariti boni officium erga te deſiderari patiatur.

36. *I foras, mulier.*] Divortii formula erat. Martial.

Uxor, vade foras, aut moribus utere [*noſtris.*

Juven.

Collige ſarcinulas, dicet libertus, & exi.

MY.

MY. Intrò abi, appropera age amabò! *CL.* impetras.
Abeo. *MY.* mox magis cùm orium mihi & tibi erit,
Igitur tecum loquar, nunc vale. *CL.* valeas.

INTERPRETATIO.

MYR. *Age ingredere: accelera, obſecro.* CLE. *Pareo, abeo.* MYR. *Quando nobis erit otium, loquemur de iis amplius: nunc vale.* CLE. *Valeas.*

ACTUS SECUNDUS. SCENA TERTIA.

ARGUMENTUM.

CLEOSTRATA reſtatur dolorem ſuum apud Stalinonem, quòd Olympioni faveat ad nuptias Caſinæ. Stalino utcumque defendit factum ſuum: demum eò res redeunt, ut Cleoſtrata Olympionis, & Stalino Chalini à propoſitis nuptiis deducendi in ſeſe provinciam recipiant, ſeu potiùs ſibi invicem deferant.

STALINO, CLEOSTRATA.

STALINO.

OMNIBUS rebus ego amorem credo, & nitoribus nitidis antevenire.
Nec potis quicquam commemorari, quod plus ſalis, pluſque leporis hodie
Habeat. coquos equidem nimis demiror, qui tot utuntur condimentis,
Eos eo condimento uno non utier, omnibus quod præſtat.
Nam ubi amor condimentum inerit, cuivis placiturum credo.
„ NEQUE SALSUM, neque ſuave eſſe poteſt quicquam, ubi amor non admiſcetur.
„ Fel quod amarum eſt, id mel faciet: hominem ex triſti, lepidum & lenem.
Hanc ego de me conjecturam domi facio, magis quàm ex auditis.
Qui poſtquam amo Caſinam, magis initio munditiis munditiam antideo.

INTERPRETATIO.

STA. *EGo exiſtimo amorem antecellere omnibus rebus & amœnitatibus exquiſitiſſimis, neque poteſt afferri quidquam quod habeat plus jucunditatis hodie & ſuavitatis. Equidem demiror valde coquos, qui adhibent tot condimenta, & non utuntur eo condimento quod præſtantius eſt omnibus. Nam cibi in quibus inerit condimentum amoris, placituri ſunt cuivis. Neque eſſe poteſt quidquam ſuave, in quo amor non admiſceatur. Amor convertet fel, quod eſt amarum, in mel: efficiet hominem hilarem ex mœſto. Ego conjicio ex me magis quàm ex auditis, qui ex quo amo Caſinam, evaſi lautior ipſis lautitiis quàm antea.*

ANNOTATIONES.

2. *Nec potis eſt.*] Hic & hæc *potis eſt*. & hoc *pote eſt*. pro *poteſt*.

9. *Munditiam antideo.*] pro *munditiam anteeo. ſupero.* Alii *munditianti deo:* id eſt, *deo munditiarum.* Unde error in ſcripturâ palam eſt. Nam cùm Librarii

Myropolas omnes ſollicito ; ubicumque eſt lepidum unguentum, ungor,
Ut illi placeam. & placeo , ut videor. ſed uxor me excruciat, quia vivit.
Triſtem aſtare aſpicio. blandè hæc mihi mala res appellanda eſt.
Uxor mea ! meaque amœnitas ! quid tu agis ? *CL.* abi, atque abſtine manum.
ST. Eja mea Juno ! non decet te eſſe tam triſtem tuo Jovi.
Quò nunc abis ? *CL.* mitte me. *ST.* mane. *CL.* non maneo. *ST.* at pol ego te ſequar.
CL. Obſecro, ſanu' n' es ? *ST.* ſanus,quando ted amo. *CL.* nolo ames. *ST.* non
Potes impetrare. *CL.* enecas. *ST.* vera dicas velim. *CL.* credo ego
Iſtuc tibi. *ST.* reſpice , oh ! mi lepos. *CL.* nempe ita uti tu mihi es.
Unde hîc, amabò, unguenta adolent ? *ST.* oh , perii ! manifeſto miſer
Teneor. ceſſo caput pallio detergere ? uti te bonus
Mercurius perdat myropola , qui hæc mihi dediſti. *CL.* eho tu

INTERPRETATIO.

Veſtigo univerſos Myropolas , ubicumque eſt ſuave unguentum , ungor ut illi placeam , & placeo ut video. Sed nunc eſt quod me diſcruciat , nempe quia uxor vivit. Video eam ſtare mœſtam : oportet ut eam compellam blandè. Mea uxor ! mea feſtivitas! quid agis tu? CLE. *Apage, & noli attingere.* STA. *Heus , mea Juno , non decet eſſe tam duram tuo Jovi: quò pergis nunc ?* CLE. *Dimitte me.* STA. *Mane.* CLE. *Non maneo.* STA. *Sed per Pollucem ego te comitor.* CLE. *Obſecro , eſne ſanus ?* STA. *Sum ſanus, quoniam te amo.* CLE. *Nolo te amare.* STA, *Non potes aſſequi.* CLE. *Interſmis.* STA. *Utinam diceres verum.* CLE. *Ego credo id de te.* STA. *Reſpice. ô mi lepos !* CLE. *Nimirum ego ſum tuus lepos , ut tu es meus lepos. Sed unde, obſecro , olent hic unguenta ?* STA. *O interii ! deprehendor in flagranti , infelix : quid moror detergere velociter caput pallio ? uti bonus Mercurius te perimat Myropola , qui mihi dediſti hæc.* CLE. *Ehe*

ANNOTATIONES.

veteres contraherent vocum elementa ad accelerandum calamum , & *an* cum lineolâ jacentes ſuperpoſitâ elemento *ā* contrahebant: *munditiam antideo* ſcribebant *munditiā ātideo.* Itaque omiſsâ lineâ, *a* ſuperjectâ , invenerunt *munditia antideo* , & perempto primo aut ultimo *a* , ſuperfuit *munditianti deo.* Ex illo errore natus eſt & alius in præcedenti verbo. Nam quum arbitrarentur ex illâ ſcripturâ eſſe *deum munditiantem ;* hæc duo verba *magis initio*, quæ nihil aliud ſignificant quàm *magis quàm anteà* , interpretati ſunt *magis initio* , id eſt, *magis ſacrifico. Munditianti* à *munditior, munditiaris*; ut *delicior , deliciaris*.

19. *Unguenta adolent.*] Olim elegantiores homines odoratis *unguentis* caput perfundere ſolebant. Martialis.

Si ſapis, Aſſyrio ſemper tibi crinis amomo
Splendeat. ———

Juven.

———*hirſuto ſpirant opobalſama collo.*

20. *Caput detergere.*] Alii eliſâ litterâ *detegere* , id eſt, *contegere :* minùs enim propagatur odor *incluſus* & *tectus*.

Nihili cana culex : vix teneor , quin , quæ decent te , dicam.
Senectâ ætate unguentatus per vias , ignave , incedis.
ST. Pol ego amico dedi cuidam operam , dum emit
Unguenta. *CL.* ut citò commentatus eſt !
Ecquid te pudet ? *ST.* omnia quæ tu vis. *CL.* ubi in luſtra jacuiſti ?
ST. Egóne in luſtra ? *CL.* ſcio plus , quàm tu me arbitrâre. *ST.* quid id eſt ?
Quid tu ſcis ? *CL.* te ſene omnium ſenem neminem eſſe ignaviorem.
Unde is nihili ? ubi fuiſti ? ubi luſtratus ? ubi bibiſti ?
Id eſt mecaſtor : vide, palliolum ut rugat. *ST.* dî me & te infelicitent ,
Si ego in os meum hodie vini guttam indidi. *CL.* imò age ut lubet ,
Bibe , es , diſperde rem. *ST.* ohe , jam ſatis uxor eſt ! comprime te : nimium tinnis.
Relinque aliquantum orationis , cras quod mecum litiges.
Sed quid ais ? jam domuiſti animum , potiùs ut quod vir velit
Fieri , id facias , quàm adverſere contrà ? *CL.* quâ de re ? *ST.* rogas ?
Super ancillâ Caſinâ , ut detur nuptum noſtro villico ,
Servo frugi , atque ubi illi benè ſit , ligno , aquâ calidâ , cibo ,
Veſtimentis , ubique educat pueros , quos pariat , potiùs

INTERPRETATIO.

tu periiſti , cana culex : vix tempero , quominus tibi dicam quæ mereris. Ætate devexâ incedis delibutus unguentis per vias , ô ignave. STA. *Per Pollucem auxiliatus ſum amico ementi unguenta.* CLE. *Ut commentus eſt celeriter* reſponſum ! *Nunquid te pudet ?* STA. *Omnia quæ tu cupis.* CLE. *Ubi decubuiſti in luſtris ?* STA. *Egóne decubui in luſtris ?* CLE. *Novi plura de te quàm tu arbitraris.* STA. *Quid eſt id ? Quid tu ſcis ?* CLE. *Eſſe nullum ſenem nequiorem te. Unde venis , homo improbiſſime ? Ubi fuiſti ? Ubi ſcortatus es ? Ubi potaſti ? Hoc ſe habet ita per Caſtorem : aſpice pallium , eſt plenum rugis.* STA. *Dii me perdant & te , ſi ego accepi hodie guttam vini in os meum.* CLE. *Imò age ut places , pota , liguri , dilapida rem.* STA. *Ohe ! uxor eſt ſatis : coërce te : nimium clamitas : ſerva aliquam partem hujus ſermonis ad contendendum mecum cras. Sed quid dicis ? Jam ſubegiſti mentem , ut agas potius quod velit vir , quàm obluctere contrà.* CLE. *De quâ re ?* STA. *Poſtulas ? de ancillâ Caſinâ , ut detur nuptum noſtro villico , bono ſervo , & apud quem Caſina ſit benè ligno , aquâ calidâ , cibo , veſtibus , & ubi educat pueros quos pepererit , potius*

ANNOTATIONES.

32. *Ohe , jam ſatis uxor eſt.*] *Tu una mihi es ſatis , ô Cleoſtrata ! nolo alteram.* Acutè & argutè dictum.

Tinnis.] *Nimis acutè clamitas.* Translatum ab ære , quod quando impellitur, ſonitum edit acutum.

Quàm illi ſervo nequam des armigero, nihili atque improbo,
Cui homini hodie peculî nummus non eſt plumbeus.
CL. Mirum ecaſtor te ſenectâ ætate officium tuum
Non meminiſſe? *ST.* quid jam? *CL.* quia, ſi facias rectè aut commodè,
Me ſinas curare ancillas, quæ mea eſt curatio.
ST. Qui (malùm!) homini ſcutigerulo dare lubet? *CL.* quia enim filio
Nos oportet opitulari unico. *ST.* at quanquam unicus eſt,
Nihilo magis unicus eſt ille mihi filius, quàm ego illi pater:
Illum mihi æquius eſt, quàm me illi, quæ volo concedere.
CL. Tu ecaſtor tibi, homo, malam rem quæris. *ST.* ſubolet, ſentio.
Egóne? *CL.* tu. nam quid friguttis? quid iſtuc tam cupidè cupis?
ST. Ut enim frugi ſervo detur potiùs quàm ſervo improbo.
CL. Quid ſi ego impetro, atque exoro à villico, cauſsâ meâ
Ut eam illi permittat? *ST.* quid ſi ego autem ab armigero impetro,
Eam illi permittat? atque hoc, credo, impetraſſere.
CL. Convenit. vis tuis Chalinum huc evocem verbis foràs?
Tu eum oraro, ego autem orabo villicum. *ST.* ſanè volo.

INTERPRETATIO.

quàm des Chalino *illi nequam ſervo armigero, vili & nefario, cui homini non eſt hodie nummus plumbeus peculii.* CLE. *Mirum per Caſtorem te non recordari tui officii, ætate provectâ.* STA. *Quid jam?* CLE. *Quia ſi rectè facias, aut commodè, patiaris me curare ancillas, quæ eſt mea cura.* STA. *Quomodo (malùm) vis dare Caſinam homini ſcutato?* CLE. *Quia oportet nos id dare filio unico* Euthymico. STA. *Sed tametſi ille eſt unicus filius, idem nihile mihi eſt magis unicus, quàm ego pater illi ſum unicus. Juſtius eſt filium patri concedere ea quæ vult pater, quàm patrem filio.* CLE. *Tu homo per ædem Caſtoris quæris malam rem.* STA. *Oderatur mea conſilia: video. Egóne?* CLE. *Quare tu fremis? Quare exoptas id tam cupidè?* STA. *Ut nimirum detur Caſina potiùs ſervo frugi, quàm improbo.* CLE. *Quid ſi ego aſſequor, & obtineo à villico ut concedat meâ cauſâ Caſinam armigero?* STA. *Quid ſi ego obtineo ab armigero ut concedat Caſinam Olympioni? Et credo impetraturum eſſe hoc.* CLE. *Convenit. Vis evocem huc foràs Chalinum tuis verbis. Tu ora eum; ego verò precabor villicum.* STA. *Sanè volo.*

ANNOTATIONES.

39. *Servo armigero.*] *Armiger. ſcutigerulus. ſtipater. ſatelles. ſtator. apparitor;* Græcis σωματοφύλαξ, δορυφόρος, ὁπλοφόρος. *Stator* eſt nuncius, maximè Magiſtratus. Cicero. *Litteras à te ſtator tuus mihi reddidit.*

42. *Quid jam.*] *quare, quamobrem.*

44. *Scutigerulo.*] caculæ militari.

49. *Friguttis.*] *Frigutire* eſt, geſtu corporis cupiditatem animi ſignificare.

54. *Convenit.*] ὁμολογοῦμεν. *verbis conſentimus.*

CL. Jam hîc erit. nunc experiemur, noſtrûm uter ſit blandior.
ST. Hercules dîque iſtam perdant! quod nunc liceat dicere.
Ego diſcrucior miſer amore: illa autem quaſi ob induſtriam
Mihi advorſatur. ſubolet hoc jam uxori, quod ego machinor:
Propter eam rem magis armigero dat operam de induſtriâ.

INTERPRETATIO.

CLE. *Erit modò hic: nunc faciamus periculum uter noſtrûm ſit potentior ad perſuadendum.* STA. *Hercules & dii perdant Cleoſtratam: nam licet nunc dicere hoc: ego diſpereo amore, infœlix; illa verò quaſi de induſtriâ mihi obſiſtit. Uxor jam odoratur id quod ego architector. Propterea favet magis armigero quàm mihi de compoſito.*

ACTUS SECUNDUS. SCENA QUARTA.

ARGUMENTUM.

STALINO quà precibus, quà minis, quà propoſitis muneribus conatur Chalinum deducere à ducendæ Caſinæ voluntate: ſed ludit operam adeò & Cleoſtratæ & Euthynici auxilio, artibuſque confidit Chalinus.

STALINO, CHALINUS.

STALINO.

QUI illum dî omnes deæque perdant! *CH.* te uxor aiebat tua
Me vocare. *ST.* ego enim vocari juſſi. *CH.* eloquere quid velis.
ST. Primùm ego te porrectiore fronte volo mecum loqui.
„ *CH.* STULTITIA EST ei te eſſe triſtem, cujus poteſtas plus poteſt.
ST. Proh! bonæ frugi hominem te jampridem eſſe arbitror.
CH. intellego.
Quin, ſi ita arbitrare, emittis me manu? *ST.* quin id volo:

INTERPRETATIO.

STA. *Utinam cuncti dii & deæ Chalinum exterminent.* CHA. *Tua conjux mihi dixit modò me à te deſiderari.* STA. *Revera imperavi te accerſi.* CHA. *Dic modò quid cupias?* STA. *In primis ego velim te diſſerere mecum vultu hilariore.* CHA. *Amens ſim, ſi me exhibeam moroſum ei cujus vires plus pollent.* STA. *Proh! jamdudum exiſtimo te eſſe virum laudatæ frugi.* CHA. *Fateor. Cur igitur non me manumittis, ſi ita videtur?* STA. *Sanè cupio id:*

ANNOTATIONES.

1. *Qui illum dii.*] *qui* pro *utinam*. Eſt imprecatio Stalinonis in Chalinum, quem ſentit amoribus ſuis adverſari. Sed hæc ſecum Stalino, & minimè audiente Chalino.

3. *Fronte porrectiore.*] Metonymia ſigni pro re ſignificatâ. Etenim indicium hilaritatis eſt frons explicata & ſine rugis; contracta triſtitiæ.

5. *Frugi.*] Indeclinabile eſt. *Homo frugi, frugi vita, frugi ædificium. Bona & perbona frugi* dicitur in genere feminino, & caſu genitivo.

Sed nihil eſt, me cupere factum, niſi tu factis adjuvas.
CH. Quod velis modò id velim me ſcire. *ST.* auſculta ergo: loquar:
Caſinam ego uxorem promiſi villico noſtro dare.
CH. At tua uxor, filiúſque, promiſerunt mihi. *ST.* ſcio.
Sed utrum nunc tu, cælibem te eſſe mavis liberum,
An maritum ſervum ætatem degere & gnatos tuos?
Optio hæc tua eſt: utram harum vis conditionem accipe.
CH. Liber ſi ſim, meo periclo vivam, nunc vivo tuo.
De Caſinâ certum eſt concedere homini nato nemini.
ST. Intrò abi, atque actutum uxorem huc evoca ante ædis citò,
Et ſitellam huc tecum efferto cum aquâ,& ſortis. *CH.* ſatis placet.
ST. Ego pol iſtam jam aliquo vorſum tragulam decidero.
Nam ſi ſic nihil impetrare potero, ſaltem ſortiar.
Ibi ego te & ſuffragatores tuos ulciſcar. *CH.* attamen.
Mihi obtinget ſors. *ST.* ut quidem pol pereas cruciatu malo.
CH. Mihi illa nubet. machinare, quod lubet, quovis modo.
ST. Abin' hinc ab oculis? *CH.* invitus me vides: vivam tamen.

INTERPRETATIO.

ſed eſt nihil, ſi cupiam id facere, niſi tu opitulere factu. CHA. *Ego velim ſcire id quod exoptes jam.* STA. *Audi igitur quod dicam; ego pollicitus ſum collocare noſtro villico Caſinam conjugem.* CHA. *Sed tua conjux natuſque mihi eam polliciti ſunt.* STA. *Scio: at utrùm mavis eſſe liber ſine* Caſinâ, *an agere vitam cum natis ſervus,* Caſinæ *maritus? Hac tibi eſt eligendi poteſtas; elige utram volueris harum conditionum.* CHA. *Si ſim liber, vivam meis damnis; nunc vivo tuis: propoſitum eſt mihi concedere Caſinam nulli homini nato.* STA. *Ingredere, & voca celeriter conjugem ante domum, & affer huc tecum urnam cum aquâ & ſortibus.* CHA. *Arridet ſatis.* STA. *Ego per Pollucem jam ſecuero aliquâ ex parte iſtud telum. Nam ſi nihil valuero conſequi hoc modo, ſaltem ſortes ducam; ego ulciſcar ibi te & tuos adjutores.* CHA. *Verumtamen ſors mihi continget.* STA. *Ut quidem per Pollucem intereas peſſimo ſupplicio.* CHA. *Ego ducam illam, molire quidquid collibuerit quavis ratione.* STA. *Abiſne hinc à conſpectu?* CHA. *Me intueris iniquo animo: attamen vivam.*

ANNOTATIONES.

13. *Optio tua eſt.*] *C'eſt une choſe qui eſt à voſtre choix.* Alibi aliud ſignificat *optio*: ſed ſuo dicetur loco,

Conditio.] *parti, offre.*

17. *Sitellam afferto cum aquâ, & ſortis.*] *Sitella,* ſeu *ſitula,* quod nos *un ſeau:* Veteribus Græcè *hydria,* Latinè *urna.* Primùm aquâ implebatur, deinde ſortes immittebantur, quæ quidem ligneæ erant vel fictiles. Ligneæ erant utplurimùm buxeæ; quia lignum hoc id habet, ut imam aquam petat, nec unquam ſupernatet, In ſortibus inſcribebantur ſortientium nomina, ſeu quidvis loco nominum, & utplurimùm numeri: cujus autem primùm ſors educebatur, is vincebat.

18. *Iſtam tragulam decidero.*] Feſtus. *Tragula genus teli, dicta, quod ſcuto infixa trahatur.* Inde forſan dicimus *un trait.* Hâc allegoriâ ſibi proponit Stalino Cleoſtratæ conjugis fraudibus occurrere.

20. *Suffragator.*] qui ſuo alium ſuffragio calculóque juvat.

ST. Sumne ego miſer homo! ſatin' omnes res ſunt advorſæ mihi.
Jam metuo, ne Olympionem mea uxor exoraverit,
Ne Caſinam ducat. ſi id factum eſt, ecce me nullum ſenem:
Si non impetravit, etiam ſpecula in ſortitu 'ſt mihi.
Si ſors autem decolaſſit, gladium faciam culcitam,
Eumque incumbam. ſed progreditur optimè, eccum, Olympio.

INTERPRETATIO.

STA. *Sumne ego infelix homo? Cunctane res mihi ſunt ſatis contraria? Nunc pertimeſco ne mea conjux deterruerit Olympionem à ducendâ Caſinâ. Si id ita ſe habet, ecce actum eſt de ſenectute meâ: ſi non conſecuta eſt, exigua ſpes adhuc ſupereſt in ſorte. Si autem ſors defuerit, efficiam enſem ſtratum meum, eique incumbam. Sed res cedit ex voto. Ecce Olympionem.*

ANNOTATIONES.

28. *Decolaſſit.*] *defluxerit, fefellerit ſpem.*

Faciam culcitam.] *in gladium incumbam: memet induam gladio meo, ad finem doloris faciendum. Culcita* eſt ſtratum quo decumbentes ſomnum capimus. Inde noſtrum *conty*.

ACTUS SECUNDUS. SCENA QUINTA.

ARGUMENTUM.

OLYMPIO narrat Stalinoni quàm acriter à ſe contenderit Cleoſtrata ne uxorem duceret Caſinam, & metum ſuum ſignificat, quòd Cleoſtrata, quòd Euthynicus, quòd familiares omnes Stalinonis ſibi infeſtos videat.

OLYMPIO, STALINO.

OLYMPIO.

UNA edepol operâ in furnum calidum condito,
Atque ibi torreto me pro pane rubido,
Hera, quàm iſtam operam à me impetres, quod poſtulas.
ST. Salvus ſum! ſalva ſpes eſt, ut verba audio.
OL. Quid tu me verò libertate territas?
Quid ſi tu nolis, filiuſque etiam tuus,

INTERPRETATIO.

OL. *HEra, conjice me potiùs uno tempore in clibanum ardentem, & me aſſa in eo ſicut panem crudum, quàm conſequaris à me id quod contendis.* STA. *Sum incolumis. ſpes eſt incolumis, ſicut accipio.* OL. *Cur verò perterrefacis tu me libertatis nomine? Quid ſi tu recuſes, tuuſque natus tecum,*

ANNOTATIONES.

2. *Pro pane rubido.*] Feſtus. *Rubidus panis vocatur parùm coctus cum rubro colore.* Iſidorus. *Rubidus panis, recoctus & rubefactus.* Quod nos vocamus *biſcuit*, cujus uſus eſt in mari, ut ſcilicet ſiccato omni humore minimè rauceat.

4. *Salva ſpes.*] Contrà *occiſa ſpes.* Horatius, *Occidit ſpes omnis.*

Vobis invitis atque amborum ingratiis
Unâ libellâ liber poſſum fieri.
ST. Quid iſtuc eſt? quîcum litigas, Olympio?
OL. Cum eâdem quâ tu ſemper. *ST.* cum uxorén*e* meâ?
OL. Quam tu mihi uxorem? quaſi venator tu quidem es,
Dies atque noctes cum cane ætatem exigis.
ST. Quid agit? quid loquitur tecum? *OL.* orat, obſecrat,
Ne Caſinam uxorem ducam. *ST.* quid tu poſteà?
OL. Negavi enim ipſi me conceſſurum Jovi,
Si is mecum oraret. *ST.* dî te ſervaſſint mihi.
OL. Nunc in fermento tota eſt, ita turget mihi.
ST. Edepol, ego illam mediam diruptam velim.
OL. Credo edepol eſſe, ſiquidem tu frugi bonæ es.
Verùm edepol tua mihi odioſa eſt amatio:
Inimica eſt tua uxor mihi, inimicus filius,
Inimici familiares. *ST.* quid id tuâ?
Unus tibi hic dum propitius ſit Juppiter,
Tu iſtos minutos cave deos flocciſeceris.
OL. Nugæ ſunt iſtæ magnæ; quaſi tu neſcias
Repente ut emoriantur humani Joves.
Sed tandem ſi tu Jupiter ſis emortuus,
Quum ad deos minores redierit regnum tuum,
Quis mihi ſubveniet tergo, aut capiti, aut cruribus?

INTERPRETATIO.

renuentibus vobis, & minimè faventibus ambobus, poſſum manumitti unâ libellâ. STA. *Quid id eſt? Quocum contendis, Olympio?* OL. *Cum eâdem quâcum tu perpetuò litigas.* STA. *Cum uxoréne meâ?* OL. *Quam mihi tu uxorem commemoras? Tu quidem es veluti venator, ducis vitam diu noctúque cum cane.* STA. *Quid ait? Quid tecum fabulatur?* OL. *Rogat, obteſtatur, ne ducam Caſinam conjugem.* STA. *Quid tu ad id?* OL. *Affirmavi ne quidem me conceſſurum ipſi Jovi. ſi is à me rogaret.* STA. *Dii te ſervent mihi.* OL. *Nunc eſt tota in fermento, ita intumeſcit iracundia.* STA. *Per ædem Pollucis ego optem hanc mediam diſrumpi.* OL. *Exiſtimo per ædem Pollucis rem ita eſſe uti narras, ſiquidem es vir bonus. At per ædem Pollucis tuus amor mihi moleſtus eſt: tua uxor mihi infeſta eſt, filius infeſtus, familiares infeſti.* STA. *Quid id tuâ intereſt? Dum hic Jupiter ſolus tibi ſit æquus, vide tu ne flocciſacias iſta minora numina.* OL. *Hæ ſunt ingentes ineptiæ: quaſi tu ignores quàm celeriter diſpereant Joves mortales. At demum ſi tu emoriaris Jupiter, quando tuum imperium pervenerit ad minora numina, quis opitulabitur meo tergo, aut capiti, aut cruribus?*

ANNOTATIONES.

8. *Libella.*] Eſt decima pars denarii, nummulus argenteus, qui & *as* dicebatur, & valebat quatuor denarios Franciciæ noſtræ monetæ; neque erat moneta ulla argentea minutior.

12. *Cum cane.*] *Canem* vocat uxorem, quòd ſit clamoſior, & crebrò oblatret ut canis.

17. *Turget.*] in ira ferè *turgent* os, oculi pectus. Petronius. *Odia detumeſcunt.* Idem, *detumuit imber.* Horatius,

Meum difficili bile tumet jecur.

In Bacchidibus. *Sufflatus ille huc veniet*, id eſt, *iratus*.

ST. Opi-

ST. Opinione meliùs res tibi habeat tua,
Si hoc impetramus, ut ego cum Caſinâ cubem.
OL. Non hercle opinor poſſe, ita uxor acriter
Tua inſtat, ne mihi detur. *ST.* at ego ſic agam:
Conjiciam ſortis in ſitellam, & ſortiar
Tibi & Chalino, ita rem natam intellego.
Neceſſum eſt vorſis gladiis depugnarier.
OL. Quid ſi ſors aliter, quàm voles, evenerit?
ST. Benedice. dîs ſum fretus, deos ſperabimus.
OL. Non ego iſtuc verbum emiſſim titivilitio.
Nam omnes mortales deis ſunt freti: ſed tamen
Vidi ego diis fretos ſæpè multos decipi.
ST. Tace parum. *OL.* quid vis? *ST.* eccum exit foras
Chalinus intus cum ſitellâ & ſortibus.
Nunc nos collatis ſignis depugnabimus.

INTERPRETATIO.

STA. *Res tua fluent meliùs quàm opinaris, ſi id conſequamur, ut ego ſim cum Caſinâ.* OL. *Per Herculem minimè reor poſſe, adeò tua uxor urget, ne mihi collocetur* Caſina. STA. *At ego ſic faciam: mittam ſortes in urnam, & ducam tibi & Chaline. Video rem eò eſſe redactam. Oportet decertare adverſis telis.* OL. *Quid ſi ſors contigerit ſecùs quàm expectas?* STA. *Bona verba, quæſo, innitor diis. in deos ſpero.* OL. *Ego non facio flocci iſtam* fiduciam ſpemque in deos: *etenim omnes diis innituntur. Attamen ego novi complures fruſtra diis inniti.* STA. *Sile tantiſper.* OL. *Quid tibi vis?* STA. *Ecce Chalinus prodit foras cum urnâ & ſortibus: jam decertabimus ſignis infeſtis.*

ANNOTATIONES.

36. *Depugnare gladiis vorſis.*] Seriò ſtrictis enſibus concurrere & digladiari. *Vorſis* pro *verſis*, à *verto*, & antiquiùs *vorto*, unde etiamnum *vortex*.

38. *Benedice.*] Ad emolliendum durius verbum, & malè ominoſum, vox uſurpari ſolita, & ad bonum omen captandum. Idem ſignificat atque *quod fœlix fauſtúmque ſit.* Nos, Chriſtiani, jamjam menſæ accubituri etiamnum eo verbo in eâ ſignificatione utimur. Hujus rei indicio fit quòd vox illa nullo modo cùm verbis loquentibus cohæreat: *Benedicite. Dominus nos & ea quæ ſumus ſumpturi, benedicat.*

39. *Titivilitium.*] Feſtus. *Nomen nullius ſignificationis eſt, ut apud Græcos* βλίτυρι. Latini vocant *futilia. Non ego iſtuc verbum emiſſim titivilitio*, id eſt, nihili facio ejuſmodi ſpem in diis poſitam. Eſt ſermo impius, dignus Olympione, homine agreſti, rudi religionis, ſceleribus operto. Nemo unquam Deo, niſi malè fretus decipitur: ſed Ethnici eſt de diis ethnicis ſermo.

44. *Depugnabimus collatis ſignis.*] Aperto Marte, non per cuniculos.

ACTUS SECUNDUS. SCENA SEXTA.

ARGUMENTUM.

SORTIBUS decertant Olympio & Chalinus de Caſinâ; ſed multò magis Stalino & Cleoſtrata. Vincitur Chalinus, atque adeò Cleoſtrata, & ſtatim experiuntur victorum petulantiam.

CLEOSTRATA, CHALINVS, STALINO, OLYMPIO,

CLEOSTRATA.

FACE, Chaline, certiorem me, quid meus vir me velit.
CH. Ille edepol videre ardentem te extra portam Metiam.
CL. Credo ecaſtor vellet. *CH.* at pol ego haud credo, ſed certò ſcio.
ST. Plus artificum eſt mî quàm rebar. ariolum hunc habeo domi.
Quid ſi propiùs attollamus ſigna, eamuſque obviam?
Sequere. quid vos agitis? *CH.* aſſunt quæ imperaviſti omnia,
Uxor, ſortes, ſitula, atque egomet. *ST.* te uno adeſt plus quàm ego volo.
CH. Tibi quidem edepol ira videtur: ſtimulus ego nunc ſum tibi;
Eò dico, corculum aſſudaſſit jam ex metu. *ST.* maſtigia!
CL. Tace, Chaline, comprime iſtum, * * *

INTERPRETATIO.

CLE. *Chaline, fac me certiorem quid meus conjux me cupiat.* CHA. *Per ædem Pollucis ille cupit te ſpectare rogo impoſitam extra portam Metiam.* CLE. *Puto per ædem Caſtoris, vellet.* CHA. *Sed per Pollucem ego non puto: verùm ſcio certò.* STA. *Sunt mihi plures artifices quàm putabam: habeo domi unum ariolum* Chalinum: *quid ſi efferamus vexilla, occurramúſque cominus? Sequere: quid facitis vos?* CH. *Adſunt cuncta quæ mandaſti uxor, ſortes, urna & ego.* STA. *Cùm ades unus, ſunt plures quàm ego vellem.* CHA. *Per ædem Pollucis ſic tibi videtur: ego nunc ſum tuum calcar: hoc dico, quia cor tuum ſudat jam præ timore.* STA. *Verbero.* CLE. *Sile, Chaline: Olympionem.* * * *

ANNOTATIONES.

2. *Porta Metia.*] Eadem & *Eſquilina* dicebatur. Extra urbem mortuorum corpora & comburebantur & ſepeliebantur, nunquam in urbe: juxta Legem: *In urbe ne ſepelito, néve urito.*

3. *Credo.*] Donatus. *Credere, dubitantis eſt; certum eſſe, fidentis.* Plus eſt *ſcire*, quàm *credere*: nam certior eſt *ſcientia*, quàm *fides*. Ariſtoteles. πίςις ἐςὶν ἰσχυρὰ ὑπόληψις. *Fides eſt firma ſeu valida exiſtimatio, ſive opinio. Scientia* eſt principiorum & primarum cauſarum cognitio.

4. *Ariolum habeo domi.*] Donatus. *Dicti ſunt arioli, vel à fatis & fando, quaſi fariolus: H enim pro F, & F pro H in multis nominibus ponebant. Vel ab halando. Nam harioli ſolent mortalem animam halitu quaſi ejicere, ſeu exhalare, ut immortalem & divinam recipiant.* Hæc verba ſunt Stalinonis, Cleoſtratam & Chalinum ex occulto fabulantes exaudientis.

5. *Attollamus ſigna.*] Metaphora ducta à re militari: ſublata enim ſigna ſunt indicium imminentis pugnæ.

8. *Stimulus ego ſum tibi.*] Quemadmodum calcar & *ſtimulus* ſeſſoris movere ſe & in omnem partem jactare ſe cogit æquum, ita Chalinus Stalinonem. Unde ei cor ejus ſudat, adeò vibratur ſpe, metu, iracundiâ, amore. Hæc omnia erat additurus Chalinus, niſi interturbaſſet eum herus Stalino hâc voce *maſtigia!*

10. *Comprime iſtum.*] Verba ſunt Cleoſtratæ, quæ quamvis iniqua viro Stalinoni, ſilentio Chalino impoſito, oratione ad Stalinonem converſâ, dicit, Quin,

ST. Appone hîc ſitellam, ſortis cedò mihi: animum advortite:
Atque ego cenſui abs te poſſe hoc me impetrare, uxor mea,
Caſina ut uxor mihi daretur: & nunc etiam cenſeo.
CL. Tibi daretur illa? *ST.* mihi enim? ah, non id volui dicere?
Dum mihi volui, huic dixi: atque adeò dum mihi cupio, perperam
Jamdudum hercle fabulor. *CL.* pol tu quidem, atque etiam facis.
ST. Huic, imò hercle mihi. vah! tandem redii vix veram in viam.
CL. Per pol ſæpè peccas. *ST.* ita fit, ubi quid tantopere expetas.
Sed te uterque tuo pro jure, ego atque hic oramus. *CL.* quid eſt?
ST. Dicam enim, mea mulſa: de iſtac Caſinâ huic noſtro villico
Gratiam facias. *CL.* at pol ego neque facio, neque cenſeo.
ST. Tum igitur ego ſortis utrinque jam. *CL.* quis vetat?
ST. Optimum atque æquiſſimum iſtud eſſe, jure judico.

INTERPRETATIO.

STA. *Colloca hîc hydriam, præbe mihi ſortes, adhibete mentem: & ego putavi, uxor mea, me poſſe id conſequi à te, ut concederetur mihi Caſina uxor, & jam etiam puto.* CLE. *Hæc tibi concederetur?* STA. *Mihi enimverò: Ah nolebam dicere id, quando uxori dixi velle mihi dari, atque adeò quando volo mihi dari, nugor per Herculem jampridem perperàm.* CLE. *Per Pollucem & tu fabularis perperam. & facis etiam.* STA. *Huic, imò per Herculem mihi. Vah! denique vix reverſus ſum in verum iter.* CLE. *Per ædem Pollucis plerumque erras.* STA. *Sic fit quando concupiſcis quidpiam vehementer: verùm te obſecramus ego atque hic uterque pro ſuo jure.* CLE. *Quid eſt?* STA. *Dicam ſanè, mea uxor ſuaviſſima: fac donum huic noſtro villico de hâc Caſinâ.* CLE. *Sed per Pollucem ego neque faciam, neque cenſeo faciendum.* STA. *Tum igitur ego mittam ſortes utrimque.* CLE. *Quidni?* STA. *Judice meritò id eſſe optimum & juſtiſſimum.*

ANNOTATIONES.

Stalino, animadvertis in audaciorem ſervum? quaſi nos diceremus: *Que ne luy donnez-vous ſur le nez?*

13. *Mihi daretur.*] Inducitur feſtivè à Poëtâ ſenex, qui crebro linguæ lapſu amoris ſui vim prodit. Et *mihi* crebrò pro *huic*, aut *Olympioni*. Admonitus à Cleoſtratâ fruſtrà colligit mentem, linguam damnat: identidem ardor animi ſeſe profert.

18. *Per Pol ſæpè peccas.*] *Pol perſæpè peccas.*

20. *Mea mulſa.*] *Mulſum* fit ex melle optimo & vino vetuſtiſſimo, & ſuaviſſimus eſt potus utiliſſimúſque, etiam ægrotis. Eſt & aqua *mulſa*, quæ diluto melle ſuam etiam habet & ſuavitatem & utilitatem. *Mea mulſa*, eſt vox Stalinonis ad Cleoſtratam, mariti uxorem demulcentis & palpantis, quò habeat æquiorem.

21. *Gratiam facias.*] Eſt, id non exigere quod jure poſſis: *Facio gratiam de cœnâ: Je vous diſpenſe de me donner à manger.* Hîc *gratiam facias*, id eſt, *que vous m'accordiez par grace.*

Poſtremò, ſi illuc quod volumus eveniet, gaudebimus:
Sin ſecus, patiemur animis æquis. tene ſortem tibi.
Vide quid ſcriptum eſt. *OL.* unum. *CH.* iniquum eſt: quia iſti prius quàm mihi eſt!
ST. Accipe hanc ſis. *CH.* çedò, mane: unum venit in mentem modò:
Vide, ne qua illic inſit alia ſortis ſub aquâ. *ST.* verbero,
Men' te cenſes eſſe? nulla eſt. habe quietum animum modò.
CH. Quod bonum atque fortunatum ſit mihi, tuum magnum malum.
OL. Tibi quidem edepol credo eveniet: novi pietatem tuam,
Sed manedum! num iſta aut populna ſors, aut abiegna eſt tua?
CH. Quid tu id curas? *OL.* quia enim metuo, ne in aquâ ſummâ natet.
ST. Euge: cave. conjicite ſortis nunc jam, amabò, huc. eccere,
Uxor, æqua. *OL.* nolim uxori credere. *ST.* habe animum bonum.
OL. Credo hercle hodie devotabit ſortis, ſi attigerit. *CH.* tace,

INTERPRETATIO.

Uno verbo lætabimur, ſi continget id quod optamus: ſin ſecùs, patiemur æquo animo. Accipe tuam ſortem: aſpice quid ſit inſcriptum. OL. *Unum numerum.* CHA. *Eſt injuſtum quòd Olympioni datur ſors priùs quàm mihi.* STA. *Accipe hanc, ſi vis.* CHA. *Da, mane: unum jam venit in animum: vide ne aliqua alia ſors ſubſit aquæ.* STA. *Maſtigia, exiſtimaſne me tui eſſe ſimilem? Nulla eſt ſors ſub aquâ. eſto jam quieto animo.* CHA. *Quod mihi ſit fauſtum atque felix, tibi magnum malum.* OL. *Exiſtimo ſanè id tibi eventurum: noſco tuam religionem. Sed manedum: an tua ſors iſta eſt ex populno ligno, aut abietino?* CHA. *Quid curas tu id?* OL. *Quia enim vereor ne natet in ſupremâ urnâ.* STA. *Euge: cave: mittite ſortes nunc jam huc, amabò. Per Cererem, uxor, adæqua.* OL. *Nolim confidere uxori.* STA. *Bono animo eſto.* OL. *Exiſtimo per Herculem, incantabit ſortes hodie, ſi contigerit,* CHA. *Sile,*

ANNOTATIONES.

28. *Sortis.*] pro *ſors*, ut ſit nominativus *ſortis*, genitivus *ſortis*.

31. *Novi pietatem tuam.*] Irridet Chalinum Olympio, quòd nunc primùm in ſummo periculo conſtitutus, deorum recordetur, aliàs nunquàm: quò fit, ut Olympio nihil ſibi timeat à diis & prece Chalini: Numen enim eſſe propitium non putat ei cui non eſt perpetua religionis cura.

33. *Ne ſumma.*] Sortes fiebant è ligno graviore, ut imam peterent aquam. Ejuſmodi erat robur ſeu quercus. Cicero. *Quis robur illud cecidit, dolavit, inſcripſit?*

34. *Eccere.*] Feſtus, *Eccere jusjurandum eſt. ac ſi dicatur ecaſtor, edepol. Alii eccere pro ecce accipiunt.*

35. *Æqua.*] id eſt, *æqua ſortes*. Conjectis nimirum in aquam ſortibus, obſervare potuerat aliquis quam in partem ſitulæ deſcendiſſet ſors potior. Itaque æquandæ erant ſortes, id eſt, commovenda & aqua & ſitula quò ſortes æquè eſſent ſortes, id eſt, fortuitæ contingerent, non oculis, aut manibus ducibus, eligerentur in aquâ. Cicero. *Dum tabellæ diribuuntur, dum ſitella defertur, dum æquantur ſortes, dum ſortitio fit.*

36. *Devotabit.*] id eſt, ſortes diris imprecationibus obligabit; id eſt, devotas & execratas efficiet. Cicero. *Quæ vis pa-*

OL. Taceo: deos quæſo. *CH.* ut quidem hodie tu canem & furcam feras.
OL. Mihi ut ſortitio eveniat. *CH.* ut quidem hercle pedibus pendeas.
OL. At tu ut oculos emungare ex capite per naſum tuos.
Quid times? paratum oportet eſſe jam laqueum tibi.
Periiſti. *ST.* animum advortite, amabò. *OL.* taceo. *ST.* nunc tu, Cleoſtrata,
Ne à me memores malitioſè de hâc re factum, aut ſuſpices,
Tibi permitto: tute ſorti. *OL.* perdis me. *CH.* lucrum facit.
CL. Benè facis. *CH.* deos quæſo, ut tua ſors ex ſitellâ effugerit.
OL. Ain' tu? quia tu es fugitivus, omnes te imitari cupis.
Utinam tua quidem, ſicut Herculeis prædicant
Quondam prognatis, iſta in ſortiendo ſors delicuerit.
CH. Tu ut liqueſcas, ipſe actutum virgis calefactabere.

INTERPRETATIO.

OL. *Sileo: oro deos.* CHA. *Ut tu quidem per Herculem portes catellum & furcam.* OL. *Ut ſortitio mihi contingat.* CHA. *Ut certè per Herculem pendeas pedibus.* OL. *Sed tu, ut vivas, emunctis tuis oculis ex capite per naſum. Quid tremis? Oportet nunc jam tibi comparatum eſſe laqueum: actum eſt de te.* STA. *Adhibete mentem, obſecro.* OL. *Taceo.* STA. *Nunc tu, Cleoſtrata, ne dicas me quidpiam in hâc re feciſſe malitioſè, aut ſuſpiceris, tibi permitto: tu ſortire.* OL. *Me jugulas.* CHA. *Lucratur.* OL. *Rectè facis: oro deos ut tua ſors effugerit ex urnâ.* OL. *Ain' tu? Quoniam tu es fugitivus, velis cunctos tibi ſimiles eſſe: verùm utinam quidem iſta tua ſors in ſortiendo liquata ſit, ut dicunt olim contigiſſe Herculis generi.* CHA. *Tu ipſe fervebis modò virgis, ut liqueſcas.*

ANNOTATIONES.

trem Decium, quæ filium devotavit. Devotatio hæc & incantationis genus eſt à veneficis in nuptiis adhiberi ſolitum. Apuleius. *Si quis devotatus defixuſque fuerit in ſuis nuptiis. Devotationes* hæ *defixioneſque* ſunt καταδεσμοι. Virgilius.

——— *Veneris, dic, vincula necto.*

Noüer l'aiguillette.

37. *Canem.*] *Canis* vinculum ferreum quo includebantur ſontium manus: unde *catellus* & *catena.*

Furcam.] *Furca* erat inſtrumentum quoddam quo includebatur reorum collum.

38. *Pedibus pendeas.*] Servi virgis aut loris verberabantur pedibus pendentes, & capite in terram verſo.

46. *Herculeis prognatis.*] id eſt, Ariſtodemi liberis: qui quidem Ariſtodemus erat de genere Herculis. Creſphontes & Ariſtodemi liberi ſortibus certarunt de Meſſeniâ, & aliis urbibus, ex æquo dividendis. Themenus conſtitutus inter eos arbiter, Creſphontæ Meſſeniam tribuere optabat: quod ut aſſequeretur, ſortes omnes ex terrâ conflat, & Creſphontæ quidem terra igne concocta: filiorum verò Ariſtodemi è terrâ Sole induratâ. Itaque cùm in aquam utræque ſortes fuiſſent immiſſæ, Creſphontæ ſors non eſt liquefacta, & educta eſt integra: Ariſtodemi verò ſortes, utpote minùs ſolidæ, ſunt liquefactæ.

ST. Hoc age ſis, Olympio. *OL*. ſi hic literatus me ſinat.
ST. Quod bonum atque fortunatum mihi ſit. *OL*. ita verò, & mihi.
CH. Non. *OL*. imò hercle. *CH*. imò mihi hercle. *ST*. hic vincet, tu vives miſer.
Præcîde os tu illi hodie. age: ecquid fit? *CL*. ne objexis manum.
OL. Compreſsân' palmâ an porrectâ ferio? *ST*. age, ut vis.
OL. hem tibi!
CL. Quid tibi iſtunc tactio eſt? *OL*: quia Juppiter juſſit meus.
CL. Feri mâlam tu illi rurſum. *OL*. perii, pugnis cædor, Juppiter.
ST. Quid tibi tactio hunc fuit? *CH*. quia juſſit hæc Juno mea.
ST. Patiundum eſt, ſiquidem me vivo mea uxor imperium exhibet.
CL. Tam huic loqui licere oportet, quàm iſti. *OL*. cur omen mihi
Vituperat? *ST*. malo, Chaline, tibi cavendum cenſeo.
CH. Temperi, poſtquam oppugnatum eſt os. *ST*. age, uxor mea, nunc jam
Sorti. vos advortite animum: præbe tu. *OL*. ubi ſim neſcio.
Perii! cor lienoſum opinor habeo, jamdudum ſalit:

INTERPRETATIO.

STA. *Hoc age, Olympio.* OL. *Si hic notatus me ſinat.* STA. *Quod mihi ſit fauſtum & fœlix.* OL. *Ita verò & mihi.* CHA. *Non.* OL. *Imò per Herculem.* CHA. *Imò mihi per Herculem.* STA. *Hic vinces ſortibus, tu eris infelix: cæde os illi hodie. Age: faciſne quod mando?* CHA. *Ne objeceris manum.* OL. *Percutiamne manu complicatâ an explicatâ?* STA. *Age ut vis.* OL. *Accipe alapam.* CLE. *Quare tu tangis illum?* OL. *Quia meus herus juſſit.* CLE. *Tu redde illi alapam.* OL. *Perii! percutior pugnis, here.* STA. *Quare tu tetigiſti hunc?* CHA. *Quia mea hera hæc imperat.* STA. *Ferendum eſt ſiquidem mea uxor imperat, me vivente.* CLE. *Tam oportet licere loqui huic quàm iſti.* OL. *Quare mihi vitiat auſpicium?* STA. *Chaline, exiſtimo tibi cavendum infortunio.* CHA. *Tempeſtivè, poſtquam os oppreſſum eſt.* STA. *Age, mea uxor, nunc jam ſortire: vos advertite mentem: præbe tu ipſe mentem.* OL. *Neſcio ubi ſim: perii! Credo habere me cor lienis morbo affectum, adeò ſalit.*

ANNOTATIONES.

49. *Litteratus.*] Nigrum *Theta* fronti ſontium inurebatur, ut hodie Lilium candens humero apud Gallos. *Theta* inurebatur, quia eſt initium vocis Græcæ *θάνατος*; quia hâc infamiâ mortuus erat inter cives ſuos is cui fuiſſet hæc littera inuſta. *Nigrum Theta* dicitur, quia inurebatur hæc littera candenti ferro; deinde quò longiùs latiúſque cerneretur, infundebatur atramentum: neque ſolùm littera una fronti inurebatur, ſed plura verba quæ ſummam cauſæ continerent. Damnati ejuſmodi erant, *Cave à fure, Cave à fugitivo:* quin & vultui toto, tanquam Cartæ, imprimebantur, & plura verba, & verſus integri, & Epigrammata. Zonaras in Annalibus refert, duos Monachos liberiùs monuiſſe Theophilum Imperatorem, & idcircò inſcriptos fuiſſe, & inſcriptionem illam fuiſſe duodecim verſuum inuſtorum videlicet vultui toto, tinctis atramento litteris, quo ſe diſtinctiùs lectui præberent. Apuleius infamiæ notas tres recenſet, *frontes litterati, & capillum ſemiraſi, & pedes annulati.*

61. *Cor lienoſum.*] id eſt, *turgidum,* quaſi *lienis affectum morbo.* Alii *ludicrum,* quòd præ metu ſaliat & emicet.

De labore pectus tundit. *CL.* teneo ſortem. *ST.* effer foras.
CH. Jamne mortuus? *OL.* oſtende, mea eſt. *CH.* mala crux ea eſt quidem.
CL. Victus es, Chaline. *ST.* tum nos diu vivere, Olympio, Gaudeo. *OL.* pietate factum eſt meâ, atque majorum meûm.
ST. Intrò abi uxor, atque adorna nuptias. *CL.* faciam ut jubes.
ST. Scin' tu ruri eſſe ad villam longè, quò ducat? *CL.* ſcio.
ST. Intrò abi: & quanquam hoc tibi ægrè eſt, tamen fac accures. *CL.* licet.
ST. Eamus nos quoque intrò, hortemur ut properent. *OL.* numquid moror?
ST. Nam præſente hoc plura verba non deſidero.

INTERPRETATIO.

pulſat pectus ob metum. CLE. *Teneo ſortem.* STA. *Educ extra urnam.* CHA. *Jamne victus ſorte?* OL. *Prabe. eſt mea.* CHA. *Mala crux eſt ea quidem.* CLE. *Superatus es, Chaline.* STA. *Jam nos hactenus vixiſſe lætor, Olympio.* OL. *Contigit id meâ virtute, & majorum meorum. Vade intrò, uxor, & compara nuptias.* CLE. *Instruam, ut imperas.* STA. *Sciſne tu ruri eſſe locum ad villam longè, quo Olympio ducat uxorem?* CLE. *Scio.* STA. *Abi intrò & tametſi hoc ægrè fers, tamen da operam ut accures.* CLE. *Licet.* STA. *Eamus nos quoque intrò, moneamus ut accelerent.* CLE. *Numquid hæreo?* STA. *Nam, præſente Chalino, non opus eſt pluribus verbis.*

ACTUS SECUNDUS. SCENA SEPTIMA.

ARGUMENTUM.

CHALINUS ſorte victus, & omnibus modis vexatus, jactatuſque ab Olympione rivali, in deſperationem agitur. Sed intereadum animum adhibet ad recogitandas injurias, repentè prodeunt Stalino & Olympio, concedit in latebras ut capret eorum orationem, & ex oratione ulciſcendi doloris anſam aliquam.

CHALINUS.

SI nunc me ſuſpendam, meam operam luſerim,
Et præter operam reſtim ſumptifecerim,
Et meis inimicis voluptatem creaverim.
Quid opus eſt, qui ſic mortuus? equidem tamen
Sorti ſum victus. Caſina nubet villico.
Atque id non tam ægrè 'ſt jam viciſſe villicum,
Quàm id expetiviſſe opere tam magno ſenem,
Ne ea mihi daretur, atque ut illi nuberet.
Ut ille trepidabat! ut feſtinabat miſer!
Ut ſuſſultabat, poſtquam vicit villicus!
Attat! concedam huc: audio aperiri fores
Mihi benevolentis. atque à me prodeunt.
Hinc ex inſidiis hiſce ego inſidias dabo.

INTERPRETATIO.

CHA. *SI me ſuſpendam nunc, ſumam operam inanem, & præter operam perdam funem, & oblectatus fuerim adverſarios. Quid* eſt *opus* ſuſpendio *homini jam mortuo? Attamen ego ſum victus culpâ fortunæ*, non meâ. *Villicus ducet Caſinam: Non eſt mihi tam moleſtum, villicum ſuperaſſe, quàm Stalinonem tantopere optaſſe ne* Caſina *mihi concederetur, & ut* Olympioni *traderetur. Quantum ille æſtuabat! quantum agitabatur infelix! quantum geſtiebat! poſtquam Olympio ſorte vicit. Atat: me me recipiam huc: audio reſerari januam me amantem, & prodeunt è noſtris ædibus. Ego ſtruam inſidias* Stalinoni & Olympioni *ex hoc loco.*

ANNOTATIONES.

2. *Sumptifecerim.*] *ſumptifacere* ut *lucrifacere.*

3. *Inimicis voluptatem creaverim.*] Nimirum eſt in quo victus triumphum partiatur cum victore: nimirum ſi fortiter & conſtanter illatum damnum ferat. Petronius. *Attuliſſem mihi damnatas manus, ſi non inimici victoria invidiſſem.*

5. *Sorti ſum victus.*] *Sorti* pro *ſorte.* Ethnicum ſolatium eſſe Numen quoddam cæcum, quod arbitrio ſuo, non meritis hominum bonis aut malis inferiora regat. Fideles nutum Dei, quam appellant *Providentiam*, in adverſis proſperiſque intuentur ac venerantur.

Caſina nubet villico.] Moris eſt ut vulnera recentia fortunæ homines retractent, quaſi ad augendum dolorem. Sapiens in ſinum Providentiæ divinæ ſeſe confert, & inde ſolatium certum repetit.

12. *Atque à me prodeunt.*] Nonnulli manuſcripti *atque ameci*, id eſt, *amici prodeunt*, idque per ironiam. Feſtus. *Ab Antiquis ameci & ameca per e litteram efferebantur. Amicus compoſitum amaquus: ita animacus pro animaquus: ἰσόψυχος animaquus, patiens animo.*

ACTUS

ACTUS SECUNDUS. SCENA OCTAVA.

ARGUMENTUM.

CHALINUS audit ex latebris in quas conceſſit, quid ſtatuant Stalino & Olympio de voluptatibus ab Olympione cum Stalinone pactis; deſignatámque ad id Alceſimi domum, & fingendam eſſe idcircò profectionem in villam, & ſic deludendam Cleoſtratam.

OLYMPIO, STALINO, CHALINUS.

OLYMPIO.

SINE modò rus veniat, ego remittam ad te virum
Cum furcâ in urbem, tanquam carbonarium.
ST. Ita fieri oportet. *OL.* factum & curatum dabo.
ST. Volui Chalinum, ſi domi eſſet, mittere
Tecum obſonatum, ut etiam in mœrore inſuper
Inimico noſtro miſeriam hanc adjungerem.
CH. Receſſim cedam ad parietem, imitabor nepam.
Captandus eſt horum clanculùm ſermo mihi,
Nam illorum me alter cruciat, alter macerat.

INTERPRETATIO.

OL. *Patere modò* Chalinum *venire rus: ego remittam ad te in urbem hominem cum furcâ* geſtatoriâ, *veluti carbonarium.* STA. *Agendum ſic.* OL. *Puta factum & accuratum.* STA. *Conſtitui Chalinum invitare ad cœnandam tecum, ſi eſſet domi, ut cumulem etiam inſuper hoc dolore mœſtitiam noſtri inimici.* CHA. *Recedam ad parietem ſimilis ſcorpioni: eſt mihi auſcultanda clàm horum confabulatio. Nam alter illorum me diſcruciat: alter me enecat.*

ANNOTATIONES.

2. *Cum furca.*] Feſtus. *Ærumnulas Plautus refert furcillas, quibus religatas ſarcinas viatores ferebant. Ærumnula ab ærumna, les crochets d'un Crocheteur.* *Furca* apud Veteres erat patibulum, factum plerumque ex arbore ſuccisâ, ita ut rami duo, ſeu brachia duo, veluti furcæ cornua duo paterent: unde *patibulum* dictum. Duo autem illa brachia erant, in quibus clavis configebantur cruciarii manus. Porrò ſi quis deliquerat ſervus, & maximè in furto deprehenſus eſſet, circumducebatur cum furcâ, quaſi victima devota cruci, & ut ab eo caverent in poſterum.

Tanquam carbonarium.] id eſt, tot ictis ictus contuſum, ut ſit perſimilis *carbonario*, adeò erit lividus totus.

7. *Nepam.*] Feſtus. *Nepa Afrorum linguâ ſidus, quod Cancer appellatur, vel, ut quidam volunt, Scorpius.* Eſt autem, ſeu *Cancer*, ſeu *Scorpius*, meticuloſum animal, quod ad minimum murmur rimatur angulos & latebras. Inde feſtivitas comparationis à Chalino inſtitutæ.

9. *Macerat.*] Lucretius.

Macerat invidia, ante oculos illum eſſe potentem,

At candidatus cedit hic maſtigia:
Stimulorum loculi. protollo mortem mihi.
Certum eſt, hunc Acheruntem præmittam priùs.
OL. Ut tibi ego inventus ſum obſequens! quod maximè
Cupiebas, ejus copiam feci tibi.
Erit hodie tecum, quod amas, clàm uxorem. *ST.* tace.
Ita me dî benè ament, ut ego vix reprimo labra,
Ob iſtam rem quin te deoſculer, voluptas mea.
CH. Quid, deoſculer? quæ res? voluptas quæ tua?
OL. Ecquid amas nunc me? *ST.* imò edepol me, quàm te minùs.
Licétne amplecti te? *CH.* quid, amplecti licet?
ST. Ut quia te tango, mel mihi videor lingere!
* * * * * *
* * * * * * *
* * * * * *
* * * * * * *
* * * * * *
* * * * * * *
* * * * * *
OL. Ut tibi morigerus hodie! ut voluptati fui!

INTERPRETATIO.

Sed hic verbero obambulat cum veſte albâ: armamentarium flagrorum: procraſtinabo meam mortem. Propoſitum mihi eſt eum præmittere ad Orcum. OL. *Quàm me reperiſti morigerum! tibi commodavi id quod deſiderabas vehementer: id quod diligis, inſciâ uxore, erit hodie tecum.* STA. *Sile: ita me dii ament benè, ut ego vix teneo os, quominùs te deoſculer idcircò, mi ſuaviſſime.* CHA. *Quæ oſcula commemorat? Quid hoc eſt? Quam voluptatem narrat?* OL. *Quid hâc ætate me deperis?* STA. *Imò per ædem Pollucis me minùs amo quàm te. Licetne complecti?* CHA. *Quid complexum loquitur?* OL. *Licet.* STA. *Quàm mihi videor lambere mel, quia te tango.* OL. *Quàm tibi fui obſequens hodie! quàm fui oblectamento!*

ANNOTATIONES.

10. *Candidatus cedit.*] id eſt, *incedit candidatus.* Sponſi in candidâ veſte nuptias celebrabant, & ferè invitati ad nuptias candidis utebantur veſtibus. Liberti etiam utebantur veſte Romanâ, quæ erat candidâ. Olympio utitur veſte candidâ, & quia ſponſus, & quia libertus.

11. *Loculi ſtimulorum.*] Duriuſcula metaphora ducta à loculis in quos mittitur quidquid eſt pecuniarum. Sic innuit Chalinus nullam eſſe partem corporis in Olympione, quæ ad recipienda verbera parata eſſe non videatur.

12. *Acherontem præmittam.*] Homerus, ἄϊδι προϊάψαι.

ST. Ut tibi, dum vivam, benè velim plus quàm mihi!
Ut ego hodie Caſinam deoſculabor! ut mihi
Bona multa faciam, *clàm* meam uxorem! *CH.* attate.
Nunc pol ego demum in rectam redii ſemitam.
Hic ipſus Caſinam deperit. habeo viros! *ST.* jam
Hercle amplexari, jam oſculari geſtio.
OL. Sine priùs deduci. quid (malùm) properas? *ST.* amo.
OL. At non opinor fieri hoc poſſe hodie. *ST.* poteſt,
Siquidem cras cenſes poſſe te mitti manu.
CH. Enimverò huc aures magis ſunt adhibendæ mihi.
Jam ego uno in ſaltu lepidè apros capiam duos.
ST. Apud hunc ſodalem meum atque vicinum mihi
Locus eſt paratus. ei ego amorem omnem meum
Concredui. is mihi ſe locum dixit dare.
OL. Quid ejus uxor? ubi erit? *ST.* lepidè repperi.
Mea uxor vocabit huc eam ad ſe in nuptias.
Ut hîc ſit ſecum, ſe adjuvet, ſecum cubet.
Ego juſſi, & dixit ſe facturam uxor mea.
Illa hîc cubabit: vir aberit faxo domo.
Tu rus uxorem duces. id rus hoc erit,
Tantiſper dum ego cum Caſinâ faciam nuptias.
Hinc tu ante lucem rus cras duces poſteà.
Satin' aſtutè? *OL.* doctè. *CH.* age modò, fabricamini.

INTERPRETATIO.

STA. *Quàm tibi optem bene eſſe magis quàm mihi, quamdiu vixero! Quantùm ego deoſculabor Caſinam hodie! quàm multa mihi faciam bona clàm mea uxore!* CHA. *Atat nunc jam ego per Pollucem reverſus ſum in rectam viam. Stalino perditè amat Caſinam: teneo viros.* STA. *Per Herculem geſtio jam amplecti, jam oſculari.* OL. *Expecta dum deducatur: quare (malùm) ſic properas?* STA. *Amo.* OL. *At puto id minimè poſſe fieri hodie.* STA. *Poteſt, ſi exiſtimas te poſſe manumitti hodie.* CHA. *Profectò adhibendæ mihi huc ſunt aures attentiùs: jam ego capiam duos apros in uno ſaltu.* STA. *Eſt locus mihi paratus apud hunc meum ſocium & vicinum: egó ejus fidei commiſi omnes meos amores: ille mihi dixit ſe daturum locum.* OL. *Quid ejus uxor? Ubi erit?* STA. *Reperi lepidè: mea uxor eam invitabit huc ad ſe ad nuptias, ut comes ſit, ut opituletur, ut dormiat ſecum. Ego mandavi id uxori meæ, & dixit ſe id præſtituram. Illa cubabit hic: efficiam ut vir abſit domo: tu ſimulabis uxorem ducere rus: ſed hæc domus erit id rus, intereadum ego faciam nuptias tantiſper cum Caſinâ. Poſteà tu duces Caſinam hinc cras ante lucem. Satiſne callidè?* OL. *Sapienter.* CHA. *Age jam, architectamini.*

ANNOTATIONES.

33. *Redii in rectam ſemitam.*] Proverbialis eſt formula, cùm in perturbatis rebus lux aliqua ſeſe oſtendit, uſurpari ſolita, aut filum rei & orationis inturbatum recipimus.

40. *Jam ego capiam duos apros in uno ſaltu.*] Je feray d'une pierre deux coups. *In uno ſaltu*, id eſt, *in luſtro uno.*

Malo hercle' voſtro tam vorſuti vivitis.
ST. Scin' quid nunc facias? *OL.* loquere. *ST.* tene marſupium.
Abi atque obſonia propera: ſed lepidè volo
Molliculas eſcas, ut ipſa mollicula eſt. *OL.* licet.
ST. Emito ſepiolas, lepadas, lolligiunculas
Hordeias. *CH.* imò triticeias, ſi ſapis.
ST. Soleas. *CH.* quî quæſo potiùs, quàm ſculponeas,
Quibus batuatur tibi os, ſenex nequiſſime?
OL. Vin' lingulacas? *ST.* quid opus eſt, quando uxor domi eſt?
Ea lingulaca eſt nobis? nam nunquam tacet.
OL. In re præſenti, ex copiâ piſcariâ
Conſulere, quid emam, oportet. *ST.* æquum oras, abi.
Argento parci nolo: obſonato amplirer.
Nam mihi vicino hoc etiam convento eſt opus,
Ut quod mandavi, curet. *OL.* jámne abeo? *ST.* volo.
CH. Tribus non conduci poſſim libertatibus,
Quin ego illis hodie cómparem magnum malum;

INTERPRETATIO.

Per Herculem in veſtrum malum eritis adeò verſipelles. STA. *Sciſne quid nunc tibi faciendum?* OL. *Dic.* STA. *Accipe crumenam, abi. & obſonia coëme, accelera: at eme eſcas beuè delicatas, ut ipſa eſt delicata.* OL. *Licet.* STA. *Eme parvas ſepias, conchas teneras, parvas lolligines hordeias.* CHA. *Imò triticeas, ſi ſapis.* STA. *Soleas.* CHA. *Quare rogo potiùs ſoleas, quàm ſculponeas, quibus obruatur tibi os, nequam ſenex.* OL. *Viſne lingulacas?* STA. *Quid eſt opus? Quando uxor eſt domi, nobis eſt ea lingulaca: nam ſiles nunquam.* OL. *In re inſtanti potero mecum deliberare quid comparem ex foro piſcario.* STA. *Rogas rem æquam. Abi, nolo parci argento: obſonia para largiter; nam mihi eſt etiam conveniendus hic vicinus, ut curet quæ imperavi.* OL. *Jamne abeo?* STA. *Abi.* CHA. *Non adducar ſi tres libertates offerantur, quin ego illis infligam hodie ingens malum,*

ANNOTATIONES.

57. *Sepiolas.*] A *ſepia*, *ſepiola*, une petite Sechе.

Lepadas.] Genus piſcis conchilii, qui tam firmiter rupibus adhæret, ut niſi fruſtatim divellas in oris noſtræ Neuſtriæ, ac præſertim vallis Cereriæ. Sermone patrio appellamus *des gouſiques*.

Lolligiunculas.] Idem quod *ſepiolas*. Quæ repetitio hoc minùs miranda eſt, quòd Stalino præ amore inſaniat. *Hordeias* appellat ab *hordeo*, id eſt *pulchras*, quaſi ruſtico homini ſit pulchrum quod *hordeo* ſimile eſt; niſi fuerit ruſticum quoddam verbum ab uſu urbano alienum. Chalinus ex latebris ſuis irridet hominis fatuitatem, & pro inepto verbo ineptum reponit *triticeas*.

59. *Soleas.*] piſces. *Soles, Solo*, ſeu *Solea* calcei ſimiles.

Sculponea.] Calcei ruſtici genus, ut apud nos ſunt fermè lignei calcei, *des ſabots*; aut ſi ex corio, ita inelegantes, ut pes in eis natet: *ceſtus* etiam ſignificat. Portò ludit in verbo *Solea*, quaſi Stalino de *ſoleâ* calceamenti intelligat: & aliud genus calceamenti affert, quales ſunt *ſculponea*.

60. *Batuatur.*] *Batuo* vetus, *contundo*.

61. *Lingulacas.*] Feſtus. *Lingulaca genus piſcis, vel mulier argutatrix. A linguæ* formá dictus piſcis.

Quinque hanc omnem rem meæ heræ jam faciam palàm.
Manifeſtò teneo in noxâ inimicos meos.
Sed ſi nunc facere volt hera officium ſuum,
Noſtra omnis lis eſt: pulchrè prævortar viros:
Noſtro omine it dies: jam victi vicimus.
Ibo intrò: ut id, quod alius condivit cocus,
Ego nunc viciſſim ut alio pacto condiam,
Quicquid paratum eſt, ut paratum ne fiet;
Sitque ei paratum, quod paratum non erat.

Interpretatio.

quin jam aperiam mea hera omnem hanc rem. Teneo meos inimicos in manifeſto furto. At ſi hera vult nunc implere hanc partem officii, omnem noſtram litem vicimus: antevertam lepidè homines. Hic dies illuceſcit ex animi ſententiâ: jam vicimus victi. Ibo intrò: ut ego nunc viciſſim condiam alio pacto id quod alius coquus condiit, ut quidquid paratum eſt, ſit imparatum; ſitque paratum, quod erat imparatum.

Annotationes.

71. *Teneo manifeſtò in noxâ.*] Ils ont eſté pris ſur le fait.

74. *Noſtro omine.*] Id eſt *auſpicatò & fœliciter*. Nam *noſtrum omen*, id eſt, *omen nobis fauſtum*. Virglius.

Me ſi fata meis paterentur ducere vitam
Auſpiciis, & ſponte meas componere curas.

Victi vicimus.] Seneca.

——— vicimus, victi Phryges.
Benè eſt, reſurgit Troja: traxiſti jacens
Pares Mycenas, terga dat victor tuus.

76. *Viciſſim condiam.*] Allegoria eſt appoſita ad exprimendas turbas quas Chalinus modò concitabit: & hoc elegantior, quòd hujus inſtituendæ occaſionem capit ex convivio quod comparatur imperio Stalinonis.

ACTUS TERTIUS.

ARGUMENTUM.

CLEOSTRATA, acceptis à Chalino conſiliis Stalinonis & Olympionis, ea caſſa & irrita reddere aggreditur: ac primùm quidem Alceſimus pollicitus fuerat domum ſuam Stalinoni & Caſinæ vacuam eſſe futuram, oblatâ Myrrinæ operâ in apparando convivio. Cleoſtrata recuſat operam Myrrinæ, & hâc ratione Myrrina manet domi; atque adeò Alceſimi domus non eſt vacua, ſicut erat Stalinoni pollicitus: quin & Cleoſtrata Alceſimum inter & Stalinonem diſcordiam ſerit. Mox ad cumulum malorum Stalinonis, Pardaliſca, imperio Cleoſtratæ, nuntiat Caſinam in furorem eſſe lapſam, tenere pugionem, & Stalinoni & Olympioni minitari. Rixæ Stalinonis & Alceſimi, metuſque gravis mortis in Stalinone, epitaſeos partem præcipuam continent.

ACTUS TERTIUS. SCENA PRIMA.

ARGUMENTUM.

ALcesimus pollicetur domum ſuam Stalinonis amoribus vacuam futuram, ipſi Stalinoni roganti.

STALINO, ALCESIMUS.

STALINO.

NUnc amici, anne inimici ſis imago, Alceſime;
Mihi ſciam: nunc ſpecimen ſpecitur, nunc certamen cernitur.
Cur amem! exime caſtigare: id ponito ad compendium.
Câno capite! ætate alienâ! coaddito ad compendium.
Cui ſit uxor! id quoque illuc ponito ad compendium.
AL. Miſeriorem ego ex amore quàm te, vidi neminem.
ST Fac vacent ædes. *AL.* quin edepol ſervos, ancillas domo
Certum eſt omnis mittere ad te. *ST.* eho! nimium ſcitè ſcitus es.
Sed facito dum memineris versûs quos cantat Colax: Cibo

INTERPRETATIO.

STA. *JAm videro, Alceſime, utrùm mihi futurus ſis exemplum amici an inimici. Nunc ſpectabo hoc ſpecimine* utrùm ſis amicus an inimicus. *Nunc dimicas hâc dimicatione* de titulo veri amici. *Noli me caſtigare ſi amem. Lucrifacies reprehenſionem tuam. Capillis canis! provectâ ætate! & lucrifacito has voces. Qui habeas uxorem! lucrifacito tu quoque illud.* AL. *Nullum vidi infeliciorem te ex amore.* STA. *Fac ut domus tua vacet.* AL. *Per ædem Pollucis ſtatui ad te mittere omnes ſervos & omnes ancillas.* STA. *Eho es admodum ſcitus: ſed recordare verſuum quos Colax canit: Cura*

ANNOTATIONES.

1. *Imago amici.*] *le modello d'un veritable ami.*

2. *Specimen ſpecitur.*] id eſt, Tu qui hactenus *amici* veri *ſpecimen* es habitus, nunc expendendus es & examinandus utrùm reverâ ſis. *Nunc ſpecimen ſpecitur, nunc certamen cernitur*, non uno loco repetitum totidem verbis in Plauto, videtur fuiſſe formula loquendi, uſu quotidiano recepta: qualis eſt illa apud nos: *Il faut que vous faſſiez voir ce que vous ſçavez faire. Specimen* àb antiquo *ſpecio*, unde & *ſpecitur*.

2. *Nunc certamen cernitur.*] id eſt, titulum tibi ſemper tribui veri & conſtantis amici: nunc de hoc titulo decertas. Dignuſne an indignus eò fueris, oſtendes in amoribus meis juvandis. *Certamen* à *cerno*.

3. *Id ponito ad compendium.*] quaſi dicat: *Vous gagnerez autant de ne me point reprocher mes amours. Compendium* dicitur de contractâ impensâ. Porrò ubi eſt impenſa minor, ibi & genus quoddam lucri, quod minus eſt. *Id ponito ad compendium* verborum & orationis: id eſt, minùs verborum impende; & quò minùs impendes, hoc diſpendes diſperdéſque minùs.

9. *Verſus quos Colax cantat.*] Nævius vetus Comicus Fabulam ſcripſit, cujus nomen erat *Colax*, id eſt *adulator*, In eâ autem Fabulâ uſurpavit hoc proverbium tritum tunc temporis apud Romanos, ex

Cum ſuo quiqui facito uti veniant; quaſi eant Sutrium.
AL. Meminero. *ST.* hem! nunc enim te demum nullum ſcitum ſcitiu 'ſt.
Cura, ego ad forum modò ibo, jam hîc ero. *AL.* benè ambula.
ST. Fac habeant linguam tuæ ædes. *AL.* quid ita? *ST.* quum veniam, vocent.
AL. Attate, cædundus tu homo es: nimias delicias facis.
ST. Quid me amare refert, niſi ſim doctus dicax nimis?
Sed tu cave inquiſitioni mihi ſis. *AL.* uſque adero domi.

INTERPRETATIO.

ut veniat quiſque cum ſuo commeatu, quaſi migret Sutrium. AL. *Recordabor.* STA. *Hem! tum demum nulla res eſt tam ſcita, quàm tu es ſcitus. Cura hoc, ego proficiſcor ad forum. modò adero hîc.* AL. *Accelera.* STA. *Da operam ut tua domus prædità ſit linguâ.* AL. *Cur?* STA. *Ut me invitet quando revertar.* AL. *Attate, tu es homo caſtigandus, cogitas nimias voluptates.* STA. *Quid juvat amare, niſi ſim ſcurra valdè doctus? Sed vide ne ſis modò quærendus.* AL. *Ero ſemper domi.*

ANNOTATIONES.

quo Galli, Brenno duce, Romam expugnaverunt. Feſtus. *Sutrium quaſi eant, utique in proverbium abiit hâc de cauſsâ: Gallico tumultu à Camillo quondam edictum eſt, legiones Sutrii ut præſto eſſent cum cibo ſuo. Quod uſurpari cœptum eſt in iis, qui ſuis rebus opibúſque officium præſtarent quibus deberent.* Hoc autem dicit jocando Stalino, quaſi dicat: *Si tot mittas ad me familiares, unde eos enutriam, niſi fortè mittas cum ſuo cibo?* Sutrium eſt oppidum Hetruriæ.

11. *Te nullum ſcitum ſcitius eſt.*] quia Alceſimus pollicitus fuerat ſe miſſurum ſervos & ancillas Stalinoni, ut vacuam faceret ejus amoribus domum. Stalino dixerat, *nimium ſcitè ſcitus es.* Nunc quia pollicetur eos ſe miſſurum cum ſuo cibo, dicit, *te . . . nullum ſcitum ſcitius eſt:* quia aliud eſt urbanum eſſe, aliud ipsâ urbaniorem urbanitate.

13. *Quum veniam, vocent.*] *Inveniam apertas, & aperto oſtio quaſi invitantes me.* Videtur ſubeſſe aliquid turpitudinis in hâc formâ loquendi, aut ſaltem in geſtu & voce Stalinonis eam pronunciantis: alioquin quò pertinerent quæ ſequuntur, non ita conſtat.

14. *Nimias delicias facis.*] quaſi dicat, *Je vous battray, vous eſtes un railleur.*

15. *Quid me amare refert?*] *Il ne faut point ſe meſler d'eſtre amoureux, ſi on n'a le mot pour rire. Niſi ſim doctus dicax nimis:* id eſt, *niſi ſim dicax valdè acutus. Nimis* enim ſignificat *valde.*

ACTUS TERTIUS. SCENA SECUNDA.

ARGUMENTUM.

ALCESIMUS offert Cleoſtratæ vicinæ ſuæ operam, & auxilium Myrrinæ conjugis ſuæ; ſed recuſat accipere Cleoſtrata, non ignara conſiliorum & Stalinonis & Alceſimi. Nimirum idcircò Alceſimus offerebat Myrrinæ operam Cleoſtratæ, ut ſua domus eſſet vacua amoribus Stalinonis & Caſinæ. Atque adeò recuſatione Cleoſtratæ ruebant peſſum conſilia Stalinonis, hinc Alceſimi ingens ſollicitudo.

CLEOSTRATA, ALCESIMVS.

CLEOSTRATA.

UT properarem arceſſere hanc ad me vicinam meam, hoc erat
Ecaſtor id, quod me vir tanto opere orabat meus:
Liberæ ædes ut ſibi eſſent, Caſinam quò deduceret.
Nunc adeò nequaquam arceſſam, *ne quâ* ignaviſſumis
Liberi loci poteſtas ſit vetulis vervecibus.
Sed eccum egreditur ſenati columen, præſidium popli,
Meus vicinus, meo viro qui liberum præbet locum.
Non ecaſtor vilis emptu 'ſt modius, qui venît, ſalis.
AL. Miror huc jam non arceſſi in proximum uxorem meam;
Quæ jamdudum, ſi arceſſatur, ornata expectat domi.
Sed eccam, opinor, arceſſit. ſalve, Cleoſtrata. *CL.* & tu, Alceſime.
Ubi tua uxor? *AL.* intus illa te, ſi ſe arceſſas, manet:
Nam tuus vir me oravit, ut eam iſtuc ad te adjutum mitterem.
Vin' vocem? *CL.* ſine: nolo, ſi occupata eſt. *AL.* otium eſt.
CL. Nihil moror, moleſta ei eſſe nolo: pôſt convenero.
AL. Non ornatis iſtic apud vos nuptias? *CL.* orno & paro.

INTERPRETATIO.

CLE. *PEr ædem Caſtoris, idcircò meus maritus me rogabat tam obnixè ut celeriter accerſerem ad me hanc meam vicinam Myrrinam, ut domus vacaret in quam induceret Caſinam. Sed jam minimè accerſam, ne effœti illi verveces habeant locum opportunum* ſuis amoribus. *At ecce prodit firmamentum ſenatus, tutela plebis, meus vicinus Alceſimus, qui commodat locum opportunum* amoribus *mei mariti. Per ædem Caſtoris ille modius ſalis qui illi venit, non eſt emptus vili pretio.* AL. *Miror vicinum non jam advocaviſſe meam conjugem* Myrrinam, *quæ operitur jampridem domi ornata dum accerſatur. Verùm ecce, arbitror, accerſit. Ave, Cleoſtrata.* CLE. *Tu quoque, Alceſime. Ubi eſt tua conjux?* AL. *Illa te expectat in ædibus, dum à te accerſatur: nam tuus maritus me rogavit ut eam mitterem huc ad te juvandam. Viſne ut vocem?* CLE. *Sine eam: ne voces, ſi illa eſt impedita.* AL. *Otium eſt.* CLE. *Non admodum indigeo uxoris operá; nolo ei eſſe gravis, poſteà eam convenero.* AL. *Non comparatis hic apud vos nuptias?* CLE. *Comparo & inſtruo.*

ANNOTATIONES.

5. *Vetulis vervecibus.*] Metonymia ad notandam amoris in devexâ & effœtâ ætate amentiam. Arnobius *verveceum* Jovem appellat pro *libidinoſo*: ſed effœto. *Vervex*, mouton.

8. *Modius ſalis non eſt vilis.*] Metonymia ſigni: ſal enim ſignum eſt ſapientiæ. Porrò ironia eſt, quâ ſugillat Cleoſtrata Alceſimi vicini ſui ſimulatam & gravitatem, & probitatem, & ſapientiam: quaſi dicat: *Salis modius qui venit Alceſimo, non eſt vilis, ſed exquiſitus & carus:* quaſi ſeriò dicat cum Catullo.

Nulla eſt in tam magno corpore mica ſalis.

AL. Non

AL. Non ergo opu' ſt adjutrice? *CL.* ſatis domi eſt. ubi nuptiæ
Fuerint, tum iſtam convenibo. nunc vale: atque iſtam jube.
AL. Quid ego nunc faciam? flagitium maximum feci, miſer,
Propter operam illius hirqui improbi, edentuli,
Qui hoc mihi contraxit. operam uxoris polliceor foras,
Quaſi catillæ. tum flagitium hominis! qui dixit mihi
Suam uxorem hanc arceſſituram eſſe: ea ſe eam negat morarier.
Atque edepol mirum, ni ſubolet jam hoc huic vicinæ meæ.
Verùm autem altrovorſum cùm eam mecum rationem puto,
Si quid ejus eſſet, *eſſet* mecum poſtulatio.
Ibo intrò, ut ſubducam navim rurſum in pulvinarium.
CL. Jam hic eſt lepidè ludificatus. miſeri ut feſtinant ſenes!
Nunc ego illum nihili decrepitum, meum virum veniat velim,
Ut eum ludificem viciſſim, poſtquam hunc deluſi alterum.
Nam ego aliquid contrahere cupio litigii inter eos duos.
Sed eccum incedit! at, quum aſpicias triſtem, frugi cenſeas.

INTERPRETATIO.

AL. *Igitur minimè opus eſt opitulatrice?* CLE. *Eſt ſatis domi* adjutricum: *quando celebrabuntur nuptiæ, tum demum illam conveniam: jam vale, atque jube iſtam* ſalvere. AL. *Quid moliar ego jam? Admiſi crimen ingens, infelix, propter officium exhibitum huic hirco nequam & decrepito, qui mihi conflavit id* periculi. *Spondeo operam conjugis, quaſi circumforaneæ ſcorti: flagitioſiſſimus homo, qui mihi dixit ſuam conjugem hanc vocaturam eſſe! Ea dicit ſe non curare ejus operam, & per ædem Pollucis vereor ne hæc mea vicina Cleoſtrata hoc ſubodoretur. Sed quando expendo mecum attentè id, ſi reverà ſuſpicaretur, expoſtularet mecum. Ibo intus, ut ſubducam navim meam rurſus in ſtationem.* CLE. *Alceſimus eſt jam feſtivè irriſus; quantum jam infelices ſenes jactantur! Ego exoptem jam meum conjugem effœtum accedere, quò eum irrideam ſuâ vice, poſtquam irriſi hunc Alceſimum. Etenim ego pervelim ſparſiſſe non nihil contentionis inter illos duos: at ecce accedit* Stalino. *Quando conſpicis gravitatem hominis, exiſtimes eſſe hominem* bonæ *frugi.*

ANNOTATIONES.

20. *Hircus edentulus.*] Alceſimus hoc notat Stalinonis libidinem: *hirci* enim animalium ferè omnium ſunt libidinoſiſſimi.

22. *Catilla.*] *Catilla* hîc dicitur mulier, quæ ſuavioribus ineſcata cibis, per alienas domos quaſi *catula* curſitat.

27. *Subducam navim in pulvinarium.*] *Pulvinarium* ſunt tranſtra lignorum, quæ ſubjiciuntur carinæ navium in ſiccum ſubductarum. Allegoria eſt, quâ innuit Alceſimus fruſtrà vela feciſſe & velificaſſe amoribus Stalinonis. Cleoſtratam impedimento fuiſſe quominùs ſua navigatio eſſet proſpera: igitur ſeſe ſubducere navem in commodius tempus, commodioréſque ventos: id eſt, occaſionem expectare & aucupari commodandæ domus vacuæ Stalinonis amoribus.

ACTUS TERTIUS. SCENA TERTIA

ARGUMENTUM.

REVERSUS à foro Stalino, rogat à Cleoſtratâ utrùm Alceſimus miſerit Myrrinam ad opem ferendam in apparando convivio nuptiali, mentitur Cleoſtrata, iratum eſſe uxori ſuæ Alceſimum, & conqueritur eum noluiſſe mittere Myrrinam, idque facit nequiter ad movendam inter ſenes duos rixam.

STALINO, CLEOSTRATA.

STALINO.

STULTITIA magna eſt, meâ quidem ſententiâ,
Hominem amatorem ullum ad forum procedere
In eum diem, cui quòd amet in mundo fiet.
Sicut ego feci ſtultus. contrivi diem,
Dum aſto advocatus cuidam cognato meo,
Quem hercle ego litem adeò perdidiſſe gaudeo.
Ne me nequiquam ſibi hodie advocaverit.
Rogitare oportet priùs & *per*contarier,
Adſitne animus ei, necne adſit, quem advocet.
Si neget adeſſe, exanimatum amittat domum.
Sed uxorem ante ædis eccam. hei miſero mihi!

INTERPRETATIO.

STA. *Eſt inſignis amentia, ut equidem exiſtimo, eum qui amat, ire in quodvis forum, eo die quo* amica, *quam deperit, eum expectet parata.* Tamen *hoc feci amens. Contrivi diem totum, adſtans cuidam è meis cognatis, ut ei patrocinarer. Ego idcircò lætor per Herculem, hunc cecidiſſe causâ, ut pœnas aliquas det. quod voluerit me ſuum advocatum eſſe hodie. Oportet eum qui eligit advocatum, rogare ab eo, utrùm animus ejus adſit, an peregrinetur. Si dicat non adeſſe* animum, *dimittat advocatum domum ut amentem. Sed ecce mea uxor ante ædes adſtat. Me miſerũ!*

ANNOTATIONES.

3. *In mundo ſit.*] id eſt, cui àmica mundo ſuo muliebri adornata expectet; aut, cui ſit in promptu amica. Mulieres habent ut plurimùm arculam in quam includunt mundum ſuum & ornamenta. Cùm autem nihil eſt tam noſtrum, quàm quod in arcâ habemus incluſum, nihilque adeò ad voluntatem depromimus; idcircò quod maximè in noſtrâ poteſtate poſitum eſt; id in mundo habere dicimus. Suprà in Prologo, idem appellat *habere intra præſepes ſuas.*

5. *Adſto advocatus.*] *Advocati* dum cauſam dicebant, ſtabant. Idem Poëta in Menechmeis. *Hinc ſtas, illinc cauſam dicis.* Horatius.

——— *inteream, ſi*
Aut valeo ſtare, aut novi civilia jura.

10. *Exanimatum.*] *Exanimatus.* id eſt *exhauſto ſpiritu:* hic verò. *adeſſe corpore, abeſſe animo*

Metuo, ne non ſit ſurda, atque hæc audiverit.
CL. Audivi ecaſtor cum malo magno tuo.
ST. Accedam propiùs. quid agis, mea feſtivitas?
CL. Te ecaſtor præſtolabar. *ST.* jámne ornata res eſt?
Jamne hanc traduxti huc ad nos vicinam tuam,
Quæ te adjutaret? *CL.* arceſſivi ut juſſeras.
Verùm hic ſodalis tuus, amicus optimus,
Neſcio quid ſe ſufflavit uxori ſuæ.
Negavit poſſe, quando arceſſo, mittere.
ST. Vitium tibi iſtud maximum eſt: blanda es parum.
„ *CL.* NON MATRONARUM officium eſt, ſed meretricium,
„ Viris alienis, mi vir, ſubblandirier.
I tu, atque arceſſe illam: ego intus, quod facto eſt opus,
Volo accurare, mi vir. *ST.* propera ergo. *CL.* licet.
Jam pol ego huic aliquem in pectus injiciam metum.
Miſerrimum hodie ego hunc habebo amaſium.

INTERPRETATIO.

Vereor ne non obſurduerit, & audiverit hæc. CLE. *Audivi profectò cum tuo magno damno.* STA. *Accedam propiùs. Quid agis, mea voluptas?* CLE. *Per ædem Caſtoris te expectabam.* STA. *Convivium eſtne jam apparatum? Adduxiſtine jam huc ad nos hanc tuam vicinam Myrrinam, quæ tibi auxilio eſſet?* CLE. *Invitavi, ut imperaveras. Sed ne cio cur hic tuus ſocius, optimus amicus Alceſimus, iratus eſt ſuæ conjugi: quando accerſivi, recuſavit mittere.* STA. *Id tibi vitio vertetur: es parum comis.* CLE. *Non eſt honeſtarum matronarum, ſed meretricum, blandimentis delinire viros alienos.* I *tu atque accerſe: ego volo procurare intro, mi vir, quod opus eſt comparato.* STA. *Accelera igitur.* CLE. *Licet. Jam ego per Pollucem Stalinoni injiciam quemdam timorem. ego reddam hodie miſerrimum hunc amatorem* Caſinæ.

ANNOTATIONES.

19. *Sufflavit.*] id eſt, Inflata eſt iracundiâ Myrrina, propter injuriam ſibi ab Alceſimo illatam.

22. *Officium.*] *Officium* meretricis, *officium* lenonis, dixit Plautus. Cornificius ad Herennium, *officium calumniatoris*. κατάχρησις. *Officium* enim eſt tantùm in honeſtis & licitis.

Meretricium.] Genitivus pluralis *meretrices meretricium*, *civitates civitatium*, *homines hominium*, vetera ſunt.

27. *Amaſium.*] Hoc intereſt [illegible] amatorem & amaſium, quòd ille [illegible] non ſemper ametur: ſed *amaſius* ſemper ametur, ſive amet, ſive non amet. Ironia eſt Cleoſtratæ in virum ſuum rugoſum, edentulum, putidum.

ACTUS TERTIUS. SCENA QUARTA.

ARGUMENTUM.

STALINO ratus reverâ Alceſimum noluiſſe Myrrinam dimittere, quæ eſſet auxilio Cleoſtratæ, in eum debacchatur: quod ex ſycophantiâ ſuâ expectabat Cleoſtrata; mittit tamen Myrrinam Alceſimus

ALCESIMVS, STALINO.

ALCESIMVS.

Viſo huc, amator ſi à foro rediit domum,
Qui me atque uxorem ludificatus eſt larua.
Sed eccum ante ædis. ad te hercle ibam commodùm.
ST. Atque égo hercle ad te. quid ais, vir minimi preci?
Quid tibi mandavi? quid tecum oravi? *AL.* quid eſt?
ST. Ut benè vacivas ædis feciſti mihi!
Ut traduxiſti huc ad nos uxorem tuam!
Satin' propter te pereo ego, atque occaſio?
AL. Quin tu ſuſpendis te? nempe tute dixeras,
Tuam arceſſituram eſſe uxorem meam.
ST. Ergo arceſſiviſſe ait ſeſe; & dixiſſe te,
Eam non miſſurum. *AL.* quin ea ipſa ultrò mihi
Negavit ejus operam ſe morarier.
ST. Quin ea ipſa me allegavit, qui iſtam arceſſerem.
AL. Quin nihili facio. *ST.* quin me perdis. *AL.* quin benè eſt.
Quin etiam diu morabor, quin cupio tibi,
Quin aliquid ægrè facere, quin faciam libens.
Nunquam tibi hodie. Quin erit plus quàm mihi.
Quin hercle dî te perdant poſtremò quidem.

INTERPRETATIO.

AL. *Videro utrùm noſter amator redierit huc demum à mercatu, umbra illa, qui mihi illuſit & meæ uxori. At ecce hominem ante januam. Pergebam per Herculem ad te tempeſtivè.* STA. *Atque ego per Herculem ad te commeabam. Quid garris, homo inaniſſime Quid tibi commendavi? Quid à te rogavi?* AL. *Quid eſt?* STA. *Sic mihi diligenter reddidiſti tuas ædes vacuas! Sic deduxiſti huc ad nos tuam conjugem? Nonne & occaſio perimus propter te?* AL. *Quin te ſuſpendis tu? Nimirum tu pollicitus eras tuam uxorem arceſſituram eſſe hinc meam uxorem.* STA. *Illa mihi dixit ſeſe eam accerſiviſſe, téque noluiſſe eam mittere.* AL. *Imò verò ea Cleoſtrata mihi dixit ſe non indigere ejus operâ.* STA. *Quin ea ipſa me huc miſit ut illam accerſerem.* AL. *Non curo tuum* QUIN. STA. *Quin me perdis.* AL. *Benè eſt,* quòd perdo & perderis. *Nimis diu morabor* in te perdendo: *exopto tibi afferre quidd im ægrè, & afferam lubenter. Non habebis hodie ſæpiùs in ore tuum illud* QUIN, *quàm ego. Quin dii te perdant denique.*

ANNOTATIONES.

2. *Larva ludificatus eſt.*] *Larva* hominis *ludificatus eſt*, non *homo*, per appoſitionem dicitur; vt, ille *ſcelus*, pro ille *ſceleſtus* convenit Stalinoni, utpote exangui exſuccoque ſeni. *Larüa* per tres vocales, pro *larvâ*: ut paſſim *milüus*, pro *milvus*, trium ſyllabarum eſt.

9. *Quin ea ipſa.*] Vox ſæpiùs repetita, & ultrò citròque conjecta, ſenum eſt altercantium Stalinonis & Alceſimi. *Quin* autem, idem ſignificat ac *immo*.

15. *Quin nihili facio.*] *Je me ſoucie bien de voſtre* QUIN.

Quin me perdis.] *Cependant vous me perdez.*

Quin benè eſt.] Repetitio deinceps hujus particulæ nihil ſignificat niſi ogganientis Alceſimi iracundiam.

ST. Quid nunc? miſſuruſne es ad me uxorem tuam!
AL. Ducas, eáſque in maximam malam crucem,
Cum hâc, cum iſtâc, cumque amicâ etiam tuâ.
Abi, & aliud cura. ego jam per hortum juſſero
Meam iſtuc tranſire uxorem ad uxorem tuam.
ST. Nunc tu mihi amicus es in germanum modum.
Quâ ego hunc amorem mihi eſſe avi dicam datum?
Aut quod ego unquam erga Venerem iniquè fecerim,
Cui ſic tot amanti mihi obviam eveniant moræ?
Attat! quid illud clamoris, obſecro, in noſtrâ domo eſt?

Interpretatio.

STA. *Quid nunc miſſurus'ne es ad me tuam conjugem?* AL. *Ducas eam, & vade in malam crucem maximam, & cum hâc, & cum iſtâ, & cum tuâ amicâ* Caſinâ. *Abi, & cura alia: ego jam imperabo meam conjugem huc venire per hortum ad uxorem tuam.* STA. *Nunc tu mihi es amicus, ut verè germanus. Quibus autem auſpiciis hic amor me occupavit? aut quâ injuriâ ego affeci Venerem, propter quam tot moræ objiciuntur meis amoribus? Atat! quos clamores ego audio, obſecro, in noſtris ædibus?*

Annotationes.

23. *Aliud cura.*] Eſt vox pollicentis opem in aliquâ re certam.

25. *Amicus germanum in modum.*] Verus & non fucatus amicus.

ACTUS TERTIUS. SCENA QUINTA.

ARGUMENTUM.

Pardaliſca doctâ à Cleoſtratâ & Myrrinâ, ad illudendum ſeni convenit Stalinonem, & ſimulato metu nuntiat Caſinam tenere duos gladios, & palàm dicere ſibi eſſe altero Stalinonem, & Olympionem altero, confodiendos. Pollicetur plurima Pardaliſcæ munera Stalino, ſi quâvis ratione deducat Caſinam ab illâ mente, atque adeò amentiâ.

STALINO, PARDALISCA.

PARDALISCA.

NUlla ſum! nulla ſum! tota tota óccidi! cor metu mortuum eſt!
Membra miſeræ tremunt! neſcio unde auxilii, præſidii,
Perfugii mihi, aut opum copiam comparem aut expetam.
Tanta factis modò mira veris modis intus vidi,
Novam atque integram audaciam. cave tibi, Cleoſtrata, abſcede
Ab iſtâ, obſecro, ne quid in te mali faxit irâ percita.
Eripite iſti gladium, quæ ſui eſt impos animi.
ST. Nam quid eſt, quòd hæc huc timida atque exanimata exiluit foras?
Pardaliſca. *PA.* perii! unde meæ uſurpant aures ſonitum?
ST. Reſpice modò ad me. *PA.* here mi! *ST.* quid tibi eſt?
Quid timida es? *PA.* perii.
ST. Quid, periiſti? *PA.* perii, & tu periiſti. *ST.* aperi, quid tibi? *PA.* væ tibi!
ST. Imò iſtuc tibi fit. *PA.* ne cadam, amabò, tene me. *ST.* quicquid eſt,
Eloquere mihi citò. *PA.* contine pectus, face ventulum, amabò,
Pallio. *ST.* timeo hoc negotium, quid eſt, niſi hæc meraco
Se uſpiam percuſſit flore Libyco. *PA.* obtine aures, amabò.

INTERPRETATIO.

PAR. *Occidi! occidi! tota perii! ego ſum exanimata timore! totis artubus contremiſco, miſera! Non video à quo expectem aut petam auxilium, perfugium, præſidium, aut opem, adeò admirabilia ſunt quæ mox conſpexi in ædibus. Vidi audaciam novam atque inuſitatam: conſule tuæ ſaluti, Cleoſtrata: abſiſte, abſiſte ab iſtâ, rogo te, ne committat adverſum te aliquid mali ira præceps. Extorquete illi gladium, utpote quæ inops eſt ſuæ mentis.* STA. *Quare Pardaliſca perterrita & exanimata erupit huc foràs?* PAR. *Interii! unde meæ aures accipiunt vocem?* STA. *Converte modò oculos ad me.* PAR. *Here mi!* STA. *Quid habes! Quid formidas?* PAR. *Interii!* STA. *Quid interiiſti?* PAR. *Interii, & tu interiiſti!* STA. *Eloquere quid habeas.* PAR. *Væ tibi!* STA. *Imò væ tibiipſi!* PAR. *Suſtine me, quæſo, ne corruam.* STA. *Edic mihi celeriter.* PAR. *Contine pectus, ventila me pallii lacinia.* STA. *Non video quæ ſit hæc res, niſi Pardaliſca ſe proluit alicubi vino mero Lybiæ.* PAR. *Contine aures, quæſo.*

ANNOTATIONES.

9. *Audacia.*] Nonius. *Audacia eſt fortitudinis, audentia temeritatis. Audacia* θράσος, idque in vitio: *audentia* θάρσος, & hoc in laude.

8 *Timida.*] *timens, turbata.* Servius. *Timidus qui ſemper timet: timens verò qui ad tempus formidat.*

15. *Meraco.*] ſeul & pur. *Meraculum* vinum, in quo eſt quam minimum aquæ, *purum.*

16. *Flore Libyco.*] id eſt, præſtantiſſimo vino è *Libya* allato.

ST. I in malam crucem! pectus, auris, caput, téque dî perduint:
Nam niſi ex te ſcio, quicquid hoc ſit, citò; jam tibi iſtuc
Cerebrum diſpercutiam, excetra tu: ludibrio peſſimâ adhuc
Quæ me habuiſti. *PA.* here mi! *ST.* quid vis, mea ancilla? nimium ſævis.
ST. Numero dicis. ſed hoc quicquid eſt, loquere: in pauca refer.
Quid intus tumulti fuit? *PA.* ſcibis; audi malum peſſimum,
Quod hîc modò intus apud nos tua ancilla hoc pacto exordiri
Cœpit, quod haud Atticam condecet diſciplinam. *ST.* quid eſt id?
PA. Timor præpedit dicta linguæ. *ST.* quid eſt? poſſum ſcire ego iſtuc
Ex te, quid negotii eſt? *PA.* dicam: tua ancilla, quam tuo
Villico vis dare uxorem, ea intus. *ST.* quid intus? quid eſt?
PA. Imitatur malarum malam diſciplinam, viro ſuo quæ inter-
Minatur vitam. *ST.* quid ergo? *PA.* ah! *ST.* quid eſt? *PA.* interimere ait velle
Vitam. gladium. *ST.* hem! *PA.* gladium. *ST.* quid eum gladium? *PA.* habet. *ST.* hei miſero mihi!
Cur eum habet? *PA.* inſectatur omnis domi per ædis, nec quemquam

I N T E R P R E T A T I O.

STA. *I in malam crucem! dii, pectus, aures, caput, téque diſperdant! Nam niſi diſcam ex te ſubitò quid hoc ſit, jam tibi comminuam hoc caput. Tu vipera peſſima, quæ me ad hanc uſque horam luſiſti.* PAR. *Here mi!* STA. *Quid vis, mea ancilla.* PAR. *Nimis excandeſcis.* STA. *Nimium citò quereris: ſed loquere & enarra paucis id quidquid tandem ſit, Quis tumultus fuerit in ædibus.* PAR. *Scies, Accipe malum maximum, quod tua Caſina occœpit mox agitare in ædibus noſtris: quod minimè convenit Reipublicæ legibus.* STA. *Quid eſt hoc?* PAR. *Lingua hebeſcit metu.* STA. *Quid eſt? Poſſum ego condiſcere à te quid rei eſt?* PAR. *Eloquar: tua Caſina, quam vis collocare tuo villico Olympioni, eſt intus.* STA. *Quid intus? Quid eſt?* PAR. *Sequitur peſſimum inſtitutum malarum mulierum: minitatur eripere vitam ſuo viro.* STA. *Quid ergo?* PAR. *Ah!* STA. *Quid eſt?* PAR. *Ait ſe velle interimere vitam. Gladium tenet.* STA. *Hem!* PAR. *Gladium tenet.* STA. *Quare gladium tenet?* PAR. *Tenet.* STA. *Hei mihi infelici! Cur eum tenet?* PAR. *Inſequitur omnes domi per ædes. nec patitur quemvis*

A N N O T A T I O N E S.

19. *Excetra.*] hydra, ſerpens.

21. *Numero dicis.*] Alii *nimirum dicis. Vous le dites, que je ſuis trop fâcheux.* Porrò, *numero* factum eſt ex *nimirum.* Nam Veteres ſcribebant *u* pro *i*, item *e* pro *i*, *o* pro *u*. Itaque dictum *numero* pro *nimirum*.

22. *Audi malum peſſimum.*] Alii *peſſumumque*, *Peſſumum* eſt amplificatio; quaſi dicat non ſolùm *malum*, ſed *peſſimum*.

30. *Gladium.*] Hîc uno tempore loquuntur Stalino & Pardaliſca, ſeſeque viciſſim interturbant & interſecant Quod hominum eſt, incitato aliquo mentis affectu percitorum: & hoc Poëta abruptâ verbatim oratione exprimit.

Propè ad ſe ſinit adire : ita omnis ſub arcis , ſub lectis
Latentes metu muſſitant. *ST.* óccidi atque interii : quid illi
Objectum eſt mali tam repentè? *PA.* inſanit. *ST.* ſceleſtiſſimum
Me eſſe credo. *PA.* imò ſi ſcias dicta, quæ dixit hodie. *ST.* iſtuc
Expeto ſcire. quid dixit? *PA.* audi : per omnes deos & deas
Dejuravit, occiſurum eum hâc nocte, quicum cubaret.
ST. Me occidet? *PA.* an quippiam ad te attinet? *ST.* vah!
PA. quid cum eâ negotii
Tibi eſt? *ST.* peccavi: illuc dicere villicum volebam. *PA.* ſciens
De viâ in ſemitam degredere. *ST.* nunquid mihi minatur?
PA. Tibi infeſta ſoli eſt plus, quàm cuiquam. *ST.* quamobrem?
quia ſe des
Uxorem Olympioni: neque ſe tuam, nec ſe ſuam,
Neque viri vitam ſinet in craſtinum protolli. id huc miſſa ſum
Tibi ut dicerem, ab eâ ut caveas tibi. *ST.* perii hercle miſer!
Neque eſt, neque fuit me ſenex quiſquam amator adæquè miſer.
PA. Ludo ego hunc facetè : nam quæ facta dixi, omnia huic
Falſa dixi. hera, atque hæc dolum ex proximo hunc protulerunt:
Ego huc miſſa ſum ludere. *ST.* heus Pardaliſca! *PA.* quid eſt?
ST. eſt. *PA.* quid?
ST. Eſt, quod volo exquirere à te. *PA.* moram offers mihi.
ST. at tu mihi

INTERPRETATIO.

accedere ad ſe , ita cuncti occulunt ſeſe præ metu ſub arcis , ſub lectis, STA. *Perii, atque nullus ſum. Quid veneni injectum eſt illi tam celeriter?* PAR. *Stulta eſt.* STA. *Exiſtimo eſſe me infœliciſſimum.* PAR. *Imò ſi ſcias verba quæ protulit hodie.* STA. *Velim ſcire id: quid dixerit.* PAR. *Audi : juravit per omnes deos & deas, eum à ſe eſſe occidendum hâc nocte, quo cum decumberet.* STA. *Me interficiet?* PAR. *Utrùm id ſermonis ad te ſpectat?* STA. *Vah!* PAR. *Quid rei tibi eſt cum Caſinâ?* STA. *Erravi : cupiebam dicere illum villicum.* PAR. *Degrederis prudens de viâ in ſemitam.* STA. *Mihine minatur?* PAR. *Eſt infenſa tibi ſoli plus quàm cuiquam.* STA. *Quare?* PAR. *Quia datur à te uxor Olympioni, nec ſe eſſe tuam, nec ſe eſſe ſuam recordatur, neque patietur vitam mariti in craſtinum diem produci. Miſſa ſum huc, ut tibi aperirem id, ut tibi caveas ab eâ.* STA. *Interii per Herculem, infœlix! neque eſt, neque fuit ullus quiſquam ſenex amator æquè infelix.* PAR. *Hunc ludificor lepidè. Nam quæ ei narravi eſſe geſta, huic narravi univerſa falſa. Cleoſtrata hera, & hæc Myrrina vicina, commentæ ſunt hanc fraudem; ego miſſa ſum ad hunc ludendum.* STA. *Heus Pardaliſca!* PAR. *Quid eſt?* STA. *Eſt.* PAR. *Quid?* STA. *Eſt aliquid quod velim à te exquirere.* PAR. *Mihi objicis moras.* STA. *At tu mihi*

ANNOTATIO.

40. *De viâ in ſemitam.*] Irridet lapſum linguæ in Stalinone Pardaliſca, quâ videlicet amorem ſuum prodidit oblivioſus ſenex. Quaſi dicat: *Dicebas meliùs, ô Stalino! ne temet corrige. Via* enim lata tritior faciliorque *ſemitâ.*

Offers

Offers mœrorem. ſed etiámne habet & nunc Caſina
Gladium? *PA.* habet, ſed duos. *ST.* quid, duos? *PA.* altero te occiſurum ait,
Altero villicum hodie. *ST.* occiſiſſimus ſum omnium qui vivunt.
Loricam induam mihi, optimum eſſe opinor. quid uxor
Mea? non adiit atque ademit? *PA.* nemo audet propè accedere.
ST. Exoret. *PA.* orat. negat ponere alio modo ullo profectò,
Ni ſe ſciat villico non datum iri. *ST.* atque ingratiis, quia
Non vult, nubet hodie. nam cur non ego id perpetrem quod cœpi,
Ut nubat mihi? illud quidem volebam, non, ſed noſtro villico.
PA. Sæpiculè peccas. *ST.* timor præpedit verba. verùm,
Obſecro, dic me uxorem orare, ut exoret illam, gladium
Ut ponat, & redire me intrò ut liceat. *PA.* nunciabo.
ST. Et tu orato. *PA.* & ego orabo. *ST.* at blandè orato, ut ſoles. ſed audin'?
Si effexis hoc, ſoleas tibi dabo, & anulum in digito
Aureum, & bona plurima. *PA.* operam dabo. *ST.* face ut impetres.
PA. Eo nunc jam, niſi quippiam remorâre me. *ST.* abi, & cura.
PA. Redit eccum tandem obſonatu ejus adjutor. pompam ducit.

INTERPRETATIO.

offers mœrorem? ſed Caſina tenétne etiamnum gladium? PAR. *Tenet. ſed duos.* STA. *Quid duos?* PAR. *Dicit te occidendum hodie altero, altero villicum.* STA. *Occidi, ſi quis unquam maximè: exiſtimo eſſe convenientiſſimum mihi, circumponam loricam. Quid mea uxor? Non* Caſinam *adiit, atque ademit* gladium? PAR. *Nemo audet accedere propè.* STA. *Exoret* Caſinam. PAR. *Exorat. Negat ſe eſſe poſituram gladium aliâ ullâ conditione, niſi intelligat ſe non eſſe dandam Olympioni.* STA. *Idque incaſſum: quia non vult, nubet hodie. Cur enim ego non perficiam id quod inſtitui, ut nubat mihi? Nolebam illud quidem dicere, ſed noſtro villico.* PAR. *Erras pluſculè.* STA. *Metus ſeducit linguam: ſed, rogo, dic me orare uxorem ut oret Caſinam ut deponat gladium, & ut mihi liceat introire domum.* PAR. *Renunciabo.* STA. *Et tu precare.* PAR. *Et ego precabor.* STA. *At precare humaniter, ut conſueviſti. Sed audiſne? Si perfeceris id, tibi dabo calceos, & annulum aureum in digito, & plurima bona.* PAR. *Enitar.* STA. *Fac ut obtineas.* PAR. *Eo jam, niſi aliquâ re me remoreris.* STA. *Abi, & cura.* PAR. *En denique ejus adjutor redit à cœnâ: ducit pompam.*

ANNOTATIONES.

52. *Occiſiſſimus ſum.*] Vox ſuperlativi gradus, quæ eſt ſtili Comici.

56. *Ingratiis.*] *Gratis* venit à *gratiis*, & *ingratiis* retinet duplex *i*.

66. *Pompam ducit.*] *Pompa* hîc de coquis & Culinario choragio.

ACTUS TERTIUS. SCENA SEXTA.

ARGUMENTUM.

COQUOS conducit Olympio ad coquendam cœnam nuptialem. Stalino Olympioni obblanditur turpiter & ſceleſtè.

OLYMPIO, COÇVS, STALINO.

OLYMPIO.

VIDE, fur, ut ſenteis ſub ſignis ducas. *CO.* quî verò ſunt ſentes?
OL. Quia quod tetigêre, illico rapiunt: ſi eas ereptum, illico ſcindunt.
Ita quoquò adveniunt, ubi ubi ſunt, duplici damno dominos multant.
CO. Eia! *OL.* atat: ceſſo magnificè patricéque amicéque ita hero
Meo ire advorſum. *ST.* bone vir, ſalve. *OL.* fateor. *ST.* quid fit? *OL.* tu amas,
Ego eſurio & ſitio. *ST.* lepidè excuratus inceſſiſti.
OL. Aha hodie. *ST.* mane verò, quanquam faſtidis. *OL.* ei, ei! fœtet
Tuus mihi ſermo. *ST.* quæ res? *OL.* hæc res. *ST.* etiámne aſtas? *OL.* enimverò
Πϱάγματά μοι παρέχεις. *ST.* dabo μέγα κακὸν (ut ego opinor)
Niſi reſiſtis. *OL.* ὦ Ζεῦ! potin' à me abeas, niſi me vis vomere
Hodie? *ST.* mane. *OL.* quid eſt? quis hic homo eſt? *ST.* herus ſum. *OL.* qui herus?
ST. Cujus tu ſervus es. *OL.* ſervus ego? *ST.* atque meus. *OL.* non ſum ego liber?

INTERPRETATIO.

OL. *Aſpice. Coque furcifer, quemadmodum ſub ſignis tuis militent vepres.* CO. *Cur demum ſunt illi vepres?* OL. *Quia ſtatim arripiunt quod occupaverant: ſi vis explicare, ſubitò dilacerant: ita quocumque accedunt, ubicumque verſantur, afficiunt dominos gemino damno.* CO. *Eia.* OL. *At dum garrio, cunctor magnificè, lautéque, familiaritérque, atque ire obviam meo hero.* STA. *Salve, vir bone.* OL. *Fateor.* STA. *Quid fit?* OL. *Tu amas, ego eſurio, & ſitio.* STA. *Veniſti benè pranſus.* OL. *Ha ha, hodie!* STA. *Conſiſte verò, quamquam me aſpernaris.* OL. *Hei! hei! tua oratio mihi fœtida eſt.* STA. *Quid?* OL. *Id.* STA. *Etiámne conſiſtis?* OL. *Enimverò mihi faceſſis negotium.* STA. *Afficiam te magno malo, ut ego opinor, niſi conſiſtas.* OL. *O Jupiter! vis à me abire, niſi vis me vomere hodie?* STA. *Conſiſte.* OL. *Quid eſt? Quis eſt hic homo?* STA. *Herus ſum.* OL. *Qui herus?* STA. *Cujus tu es ſervus.* OL. *Ego ſervus!* STA. *Atque meus.* OL. *Ego non ſum liber!*

ANNOTATIONES.

1. *Sentes.*] id eſt, coquos, vulgò furaciſſimos, qui quod occupant, trahunt lacerantque, ut ſentes & rubi.

3. *Duplici damno.*] & rapiunt & lacerant.

4. *Patricè.*] vel *patriciè*, id eſt, Patriciorum more. *En homme de qualité.*

7. *Aha hodie.*] Eſt apoſiopeſis: Hodie benè pranſus ero, cras piſtrinum repetam & laborem. *Il faut bien faire bonne chere, au moins le jour de ſes nopces.*

Ei, ei, fœtet.] Alii *ſiſi*, quia quadratæ olim erant & Romanæ litteræ initiales. FI FI, facilè F eſt mutatum in E, & ex FI factum eſt EI.

9. *Πϱάγματά μοι παρέχεις.*] *Mihi moleſtus es.* Hæc verba erant utplurimùm in ore præpotentium & ſuperborum cum tenuioribus agentium.

Memento, memento. *ST.* mane, atque aſta. *OL.* omitte. ſervus ſum tuus.
OL. Optimè eſt. *ST.* obſecro, Olympiſce mi, mi pater, mi patrone.
OL. Hem! ſapis ſanè. *ST.* tuus ſum equidem. *OL.* quid mihi ſervo opus eſt tam nequam?
ST. Quid nunc? quàm mox recreas me? *OL.* cœna modò ſi ſit coctа.
ST. *Intrò* ergo abeant. *OL.* properè, citò introite, & citò deproperate.
ST. *Ego* jam intus ero. facite cœnam mihi, ut ebria ſit.
Cœnare lepidè nitidéque volo. nihil moror barbarico ritu
Sanè eſſe jam. i ſis: ego hîc habito nunc quidem. *gladium*
Ancilla Caſinam intus habere ait, quî me atque te invitet.
OL. Scio: ſic ſine habere. nugas agunt. novi ego illas malas merces.
Quin tu i modò mecum domum. *ST.* at pol malum metuo. i tu modò,
Perſpicito priùs quid intus agatur. *OL.* tam mihi mea vita, quàm tua
Tibi cara eſt. *ST.* verùm modò. *OL.* ſi tu jubes, inibitur tecum.

INTERPRETATIO.

Memento, memento. STA. *Conſiſte, & adſta.* OL. *Omitte.* STA. *Sum tuus ſervus.* OL. *Eſt optimè.* STA. *Rogo, mi Olympiſce, mi pater, mi patrone.* OL. *Hem! ſapis ſanè.* STA. *Sum tuus equidem.* OL. *Quid indigeo ſervo tam malo?* STA. *Quid nunc? Quomodo reficis me?* OL. *Si cœna ſit jam cocta.* STA. *Igitur ingrediantur.* OL. *Celeriter, velociter intrate, accelerate.* STA. *Ego ero jam in ædibus, fac ut in cœnâ redundet vinum. Volo epulari ſplendidè, oppiparéque. Sanè jam non curo ritus barbaricos. I ſi vis, ego maneo hic nunc. Quid Pardaliſca ancilla ait Caſinam tenere gladium in ædibus, qui me invitet, atque te.* OL. *Eſto: habeat: nugantur: Novi ego, novi illas duas peſtes. Quin tu proficiſcere mecum domum.* STA. *At per Pollucem timeo infortunium. Proficiſcere tu modò: vide priùs quid geratur in ædibus.* OL. *Mea vita mihi non eſt minùs cara, quàm tibi tua.* STA. *Verè dicis.* OL. *Si vis, ingrediamur ambo.*

ANNOTATIONES.

13. *Memento, memento.*] Verba ſunt Olympionis comminantis: *Souvenez-vous de cette parole-là.*

14. *Olympiſce.*] adulatorium diminutivum, *mon petit Olympion.*

18. *Ebria ſit.*] madeat benè & percocta ſit, *qu'elle ne manque point de ſaulce,* aut redundet vino.

19. *Barbarico ritu.*] Perſico. Horatius,
Perſicos odi, puer, apparatus.
Vel, Romano.

22. *Malas merces.*] Myrrina & Cleoſtrata: ut nos vernaculè dicimus: *Voilà deux bonnes pieces de marchandiſe.*

ACTUS QUARTUS.

ARGVMENTVM.

DEDUCITUR Caſina ad Olympionem, vel potiùs Chalinus puellari veſte indutus, pro Caſinâ, ad Stalinonem Olympionemque ludificandos.

ACTUS QUARTUS. SCENA PRIMA.

ARGVMENTVM.

STALINO urget coquos ad apparandam celeriter cœnam. Olympio jam obverſatur in nuptiali veſte. Myrrina & Cleoſtrata Chalinum comunt, veſtiunt, ornant, pro Caſinâ ſupponunt, ad decipiendum Stalinonem.

PARDALISCA.

NEc pol ego Nemeæ credo, neque ego Olympiæ,
Neque uſquam ludos tam feſtivos fieri,
Quàm hîc intus fiunt ludi ludificabiles
Seni noſtro, & noſtro Olympioni villico.
Omnes feſtinant intus totis ædibus:
Senex in culinâ clamat, hortatur cocos:
Quin agitis hodie? quin datis, ſi quid datis?
Properate: cœnam jam eſſe coctam oportuit.
Villicus hic autem cum coronâ, candidè

INTERPRETATIO.

PAR. *PEr Pollucem ego exiſtimo neque Nemeæ, neque Olympiæ, neque uſquam gentium exhiberi ludos jucundiores, quàm fiunt in illis ædibus ad ludificandum noſtrum ſenem Stalinonem, & noſtrum villicum Olympionem: cuncti jactantur in totis ædibus: ſenex vociferatur in culinâ, inſtat coquis. Quin agitis jam? Quin apponitis cibos, ſi quos eſtis appoſituri? Accelerate: oporteret cœnam jam eſſe inſtructam. Hic autem villicus obverſatur cum coronâ &*

ANNOTATIONES.

1. *Nemeæ.*] Sylva *Nemea* erat in Peloponeſo, in quâ cùm leo fuiſſet ab Hercule interfectus, ludi ſunt inſtituti, ad tuendam victoris & victoriæ memoriam: & urbs ejuſdem nominis fuit, & regio tota *Nemea* appellata.

Olympiæ.] Hercules, Augeâ Elidis rege ſuperato, in eâ regione in honorem Jovis patris ludos inſtituit.

5. *Omnes feſtinant.*] Horatius,
Cuncta feſtinat domus: huc & illuc
Curſitant mixtæ pueris puellæ.

Veſtitus, lautè exornatúſque ambulat.
Illæ autem in cubiculo armigerum ornant,
Quem dent pro Caſinâ nuptum noſtrâ.
Sed nimiùm lepidè diſſimulant
Fore hujus quod futurum eſt. dignè autem coqui
Nimis lepidè ei rei dant operam, ne cœnet ſenex.
Aulas pervortunt, ignem reſtinguunt aquâ.
Illarum oratu faciunt. illæ autem ſenem
Cupiunt extrudere incœnem ex ædibus,
Ut ipſæ ſolæ ventres diſtendant ſuos.
Novi ego illas ambas eſtrices: corvitant, ubi
Comeſſe poſſunt. ſed aperitur oſtium.

INTERPRETATIO.

veſte candidâ, lautéque compoſitus: illa verò mulieres induunt armigerum Chalinum *in cubiculo. quem ſupponant nuptum noſtro villico pro Caſinâ. Sed diſſimulant admodum feſtivè id eſſe futurum quod eſt futurum: Coqui verò dant ſedulam operam ei rei, idque lepidè, ne ſenex cœnet: evertunt ollas, extinguunt ignem aquâ. Faciunt illarum mulierum oratu. Illa verò optant extrudere ſenem ex adibus incœnatum, ut ipſa ſola impleant ſuos ventres. Ego novi illas duas egregias helluones: quando comedunt, uicas implere navim onerariam. Sed panditur oſtium.*

ANNOTATIONES.

18. *Incœnem.*] *incœnatum.* Iſidorus, *immorſus.* id eſt, jejunus, ἄπαστος, ἄγευστος, νῆστις.

20. *Corvitant.*] A *corvita*, quæ navicula eſt oneraria, & comportandis frugibus apta: etiamnum in noſtris littoribus appellatur vernaculè *une corvete*, niſi quòd hoc navigii genus etiam plerumque ad defenſionem littorum armatur. Ab hac navi ducitur metaphora, ad ſignificandam helluonum voracitatem, qui ſaburrant ventrem, & diſtendunt omni ciborum genere.

ACTUS QUARTUS. SCENA SECUNDA.

ARGVMENTVM.

STALINO conatur mendacio ſuo tegere conſilium: fingit enim ſeſe adornare profectionem in villam ad comitandum Olympionem & Caſinam. ſed reverâ ſtatuit pernoctare in ædibus Alceſimi.

STALINO, PARDALISCA.

STALINO.

SI ſapitis, uxor, vos tamen cœnabitis,
Cœna ubi erit cocta. ego ruri cœnavero.
Nam novum maritum & novam nuptam volo
Rus proſequi. novi hominum mores maleficos;
Ne quis eam abripiat. facite voſtro animo volupe.
Sed properate iſtum atque iſtam auctutum emittere,
Tandem ut veniamus luci: ego cras hîc ero.
Cras habuero, uxor, ego tamen convivium.
PA. Fit, quod futurum dixi: incœnatum ſenem
Foras extrudunt mulieres. *ST.* quid tu hîc agis?
PA. Ego eo, quò me ipſa miſit. *ST.* verón'? *AN.* ſeriò.
ST. Quid hîc ſpeculâre? *PA.* nihil equidem ſpeculor. *ST.* abi.
Tu hîc cunctas: intus alii feſtinant. *PA.* eo.
ST. Abi hinc ſis ergo, peſſumarum peſſuma.
Jamne abiit illæc? dicere hîc quidvis licet.
„Qui amat, tamen hercle ſi eſurit, nullum eſurit.
Sed eccum progreditur cum coronâ & lampade
Meus ſocerus, compar, commaritus villicus.

Interpretatio.

STA. *SI ſapitis, uxor, vos nihilominùs cœnabitis, quando cœna erit cocta: ego verò cœnabo ruri: nam ego cupio comitari ruri novum maritum* Olympionem *& novam nuptam* Caſinam, *ne quis eam rapiat. Novi perverſos mores hominum, indulgete veſtro genio, ſed celeriter dimittite ſtatim* Olympionem *&* Caſinam, *ut adveniamus de luce: ego verò hic ero cras.* Ego *tamen agitabo cras convivium, uxor.* PAR. *Quod affirmavi futurum, fit. Mulieres eliminant foras ſenem impranſum.* STA. *Quid agis tu hic?* PAR. *Ego eo quò ipſa me juſſit.* STA. *Verónę ſimile eſt?* PAR. *Seriò.* STA. *Quid contemplaris?* PAR. *Equidem contemplor nihil.* STA. *Abi: tu hic cunctaris, alii accelerant in ædibus.* PAR. *Eo.* STA. *Proficiſcere hinc, ſi lubet, nequiſſima nequiſſimarum. Jamne illa abiit? Licet dicere hic quidvis. Qui amat, ſi eſurit, tamen per Herculem non eſurit. Sed ecce meus villicus, compar, commaritus, accedit cum coronâ & lampade.*

Annotationes.

7. *Luci.*] *Luci,* id eſt, de luce: ut *tempori*, id eſt, tempeſtivè.

11. *Ipſa miſit.*] id eſt, hera. αὐτὸς & ἐκεῖνος ſunt voces ſervorum, quas honoris causâ propriorum nominum loco uſurpabant. Terent.

Sed Pamphilum ipſum video ſtare ante ædes.

In quod ſic Donatus, *Ipſum. à quo miſſus ſum, vel. dominum: ut apud Græcos αὐτὸς erat diſcipulorum vox. cùm de præceptore loquebantur: unde αὐτὸς ἔφα.*

13. *Cunctas.*] *cunctaris.*

16. *Nullum eſurit.*] id eſt, non eſurit, adeò amore mens occupata, de cibo non cogitat. Alii *tamen hercl' etſi eſurit. Tamen etſi*, pro *tametſi*. Alii *nilum eſurit*, pro *nullum eſurit*. Veteres enim dicebant *nilum* pro *nihilum*, ut *nil*, *nihil*.

17. *Coronâ & lampade.*] Sponſus nuptiarum die erat coronatus, ſicut etiamnum hodie ſponſa. Sponſus verò ſponſæ lampadem præferebat accenſam.

18. *Socerus.*] In aliis exemplaribus *ſociennus*, id eſt, *ſocius:* quaſi dicat, ſocium lecti, comparem, & commaritum. In aliis *coherus*, id eſt, *cohæres*.

ACTUS QUARTUS. SCENA TERTIA.

ARGUMENTUM.

JUBET Stalino tibicines ſuas inflare tibias, Hymenæúmque cantare, prodeunte jamjam Caſinâ, ſeu potiùs Chalino pro Caſinâ ſummiſſo, ad illudendum ſeni Stalinoni.

STALINO, OLYMPIO.

OLYMPIO.

AGE tibicen, dum illam educunt huc novam nuptam foras,
Suavi cantu concelebra omnem hanc plateam hymenæo.
Io hymen hymenæe, ïo hymen. *ST.* quid agis, mea ſalus?
OL. Eſurio hercle, atque adeò haud ſitio. *ST.* at ego amo
OL. at ego hercle
Nihil facio tibi, amor, pericli: mihi inanitate
Jamdudum inteſtina murmurant. *ST.* nam quid illæc nunc
Tamdiu intus remoratur, quaſi ob induſtriam? quantò ego
Plus propero, tantò illa minùs. *OL.* quid ſi etiam occentem hymenæum?
ST. Cenſeo, & ego te adjutabo in nuptiis communibus.
OL. Hymen hymenæe! ïo hymen! *ST.* perii hercle ego miſer, dirupi
Cantando hymenæum: * * * *
* * * * * *
* * * * * * *
* * * *OL.* dii meliùs faciant.
Sed crepuit oſtium. exitur foras.
ST. Dî hercle me cupiunt ſervatum. jam oboluit Caſina procul.

INTERPRETATIO.

OL. *Age tibicen, dum educunt ex ædibus illam novam nuptam. Reple jucundo cantu totam hanc plateam carmine nuptiali. Io hymen hymenæe, io hymen.* STA. *Quid ais, mea vita?* OL. *Eſurio per Herculem, atque haud ſitio.* STA. *At ego amo.* OL. *Sed ego per Herculem. ô amor, non te experior: viſcera mea commurmurant jampridem propter inediam.* STA. *Quid eſt autem cur Caſina tergiverſatur jam tamdiu in ædibus, ob induſtriam? Quò magis accelero, eò magis illa hæſitat.* OL. *Quid ſi canam etiam carmen nuptiale?* STA. *Suadeo & ego te juvabo in nuptiis communibus.* OL. *Hymen hymenæe! ïo hymen!* STA. *Interii per Herculem miſer ego, latera rupi in cantando hymenæo:* * *
* *
* * . * *
* * * *
* * * *
* OL. *Dii meliora. Sed oſtium auditur: prodeunt foras.* STA. *Per Herculem dii mihi ſunt propitii: jam odor Caſinæ meæ ad me pervenit.*

ANNOTATIONES.

2. *Hymenæum.*] Carmen nuptiale; ab Hymenæo nobili Attico, qui raptas a pyratis virgines patriæ incolumes reſtituit, prædonibus profligatis.

14. *Dii meliùs faciant.*] id eſt, *Dii meliora: Dieu m'en veüille garder.*

ACTUS QUARTUS. SCENA QUARTA.

ARGUMENTUM.

ANcillæ duæ ad illudendum Stalinoni & Olympioni ab utraque herâ doctæ, deducunt Chalinum veſtibus Caſinæ ornatum, &, additis ſeriò monitionibus, dimittunt. Inducitur in ædes Alceſimi Chalinus. Ne ſe prodat, nullum verbum facit: ſed quando inverecundiùs contrectare aggrediuntur, ſeu Stalino, ſeu Olympio, eos quà calcibus, quà cubitis arcet.

STALINO, OLYMPIO, ANCILLÆ duæ.

ANCILLÆ duæ.

SEnsim ſuperattolle limen pedes, nova nupta: ſoſpes
Iter incipe hoc. ut viro tuo ſemper ſis ſuperſtes, atque
Ut potior pollentia ſit, vincáſque virum, victrixque ſies,
Superétque tuum imperium! vir te veſtiat, tu virum deſpolies.
Noctúque & diu ut viro ſubdola ſies: obſecro, memento.
OL. Malo maximo ſuo hercle illicò, ubi tantulum peccaſſit.
ST. Tace. OL. non taceo. *ST.* quæ res? *OL.* mala malæ malè monſtrant.
ST. Perii! iſtæ facient hanc rem mihi ex paratâ imparatam.
Id quærunt! volunt, hæc ut infecta faciant. *AN.* age Olympio,
Quando vis, uxorem accipe hanc à nobis. *OL.* date ergo, daturæ
Si unquam eſtis hodie uxorem. *ST.* abite intrò. *AN.* amabò: integræ atque

INTERPRETATIO.

AN. *Nova ſponſa, effer paululùm pedes ſuper limen. Inſiſte hanc viam incolumis, ut vivas plus quàm tuus maritus, atque ut magis valeas, & ſuperes maritum, & ſis victrix, & tuum imperium ſuperet; maritus te veſtiat; tu deſpolies maritum. Rogo, recordare ut ſis ſubdola diu noctuque tuo marito.* OL. *Per Herculem ſuo ſtatim maximo damno fecerit, quando peccaverit minimùm.* STA: *Sile.* OL. *Non ſileo.* STA. *Quid eſt?* OL. *Malæ ancillæ docent malè.* STA. *Perii! iſtæ mihi reddent id ex parato imparatum: id cogitant: cupiunt reddere hæc infecta.* AN. *Age Olympio, accipe hanc conjugem à nobis, quando vis.* OL. *Date igitur hodie, ſi unquam daturæ eſtis conjugem.* STA. *Intrate in ædes.* AN. *Amabòne*

ANNOTATIONES.

1. *Superattolle limen pedes.*] Moris erat apud Romanos, ut accepta nova nupta ſub utrâque axillâ ex ædibus, ſeu paternis, ſeu herilibus, aut quæ alterutrarum loco eſſent, ultrà limen efferretur: idemque fieret, quando in ædes conjugis inferretur, ne pede premeret limen, vel tantillum. Id enim infeſti ominis eſſe arbitrabantur, quia ſub limine plerumque veneficia ponebantur adversùs conjuges. Ovidius.

> —— *limen tranſire memento*
> *Cautiùs, atque altè ſobria ferre pedem.*

5. *Subdola ſis.*] Solemnes erant comprecationes, in gratiam novæ nuptæ fundi ſolitæ: ſed hîc pro *ſedula*, à malis ancillis ſubjicitur *ſubdola*. Unde Poëta ſubjicit, *mala malè monſtrant*, pro bonis.

Imperitæ

Imperitæ huic, impercito. *OL*. futurum eſt. valete. *ST*. ite.
AN Jam valete. *ST*. jámne abſceſſit? *OL* uxor domi eſt, ne time. *ST*. evax!
Nunc pol demum ego ſum liber, meum corculum, melliculum,
Verculum. *OL*. heus tu! malo, ſi ſapis, cavebis; mea eſt hæc. *ST*. ſcio:
Sed meus fructus eſt prior. *OL*. tene hanc lampadem. *ST*. imò ego illam tenebo.
Venus multipotens, bonam vitam mihi
Dediſti, hujus quum copiam mihi feciſti.
Corpuſculum melliculum! *OL*. mea uxorcula!
ST. Quid eſt? *OL*. inſtitit plantam. *ST*. quaſi jocabo.
Nebula haud eſt mollis, atque hujus eſt.
OL. Edepol papillam bellulam! hei miſero mihi!
ST. Quid eſt? *OL*. pectus mihi agit nunc cubito.
ST. Quid tu ergo hanc, quæſo, tractas tam?
At mihi, qui bellè hanc tracto, non. *OL*. vaha!
ST. Quid negotii eſt? *OL*. obſecro, ut valentula eſt!
Pæne expoſivit cubito. *ST*. cubitum ergo ire vult.
OL. Quin ìmus ergo? *ST*. bella bellatula!

INTERPRETATIO.

trius tractos hanc integram, atque rudem. OL. *Fiet, abite.* STA. *Abite.* AN. *Jam valete.* STA. *Jamne abceſſit?* OL. *Uxor domi eſt* [illegible] *timere.* STA. *Evax! Nunc per Pollucem ego ſum liber. meum corculum, melliculum, verculum.* OL. *Heus tu! Si ſapis, cavebis ne malum tibi à me ingruat; hac eſt mea.* STA. *Scio: ſed fruar priùs.* OL. *Accipe hanc lampadem.* STA. *Imò ego Caſinam tenebo. Venus potentiſſima, mihi impertiviſti jucundam vitam, quando mihi feciſti copiam Caſina. Corpuſculum molliculum!* OL. *Mea uxorcula!* STA. *Quid eſt?* OL. *Preſſit pedem.* STA. *Quaſi jocabo. Nebula non eſt tam mollis, quàm eſt hæc.* OL. *Per ædem Pollucis papillam bellulam! Hei mihi infelici!* STA. *Quid eſt?* OL. *Hæc nunc impulit cubito mihi pectus.* STA. *Qui ergo, amabò, illam tam petulanter contrectas? Hæc mihi non impellit, qui ſuaviter illam attrecto.* OL. *Vah!* STA. *Quid eſt id?* OL. *Amabò, ut valida eſt! Propemodum evertit me cubito.* STA. *Ergo vult ire cubitum.* OL. *Quin imus ergo?* STA. *Pulchra pulchella!*

ANNOTATIONES.

11. *Integra atque imperita, impercito.*] Solennia erant etiam verba in collocanda & tradenda virgine in manus mariti, ut clementer haberetur, utpote integra & virgo, atque adeò rerum conjugalium rudis.

15. *Verculum.*] A *Vere*. quaſi dicat floſculum. Diminutiva in blandimentis, & maximè amatoriis, adhiberi ſolita: quia quæ puſilla ſunt & recentia, magis vulgò amantur, quam quæ ſunt ætate corroborata: *catuli, avicula, pueri*, &c.

Eſto : qui hinc exeat, eum ut · · · · · · ludibrio habeas.
PA. Lubens fecero, & ſolens. *MYR.* ſpectato hinc omnia
Intus, quid intus agant. *PA.* · · · · · · ponè me, amabò.
MYR. Et illi audaciùs licet quæ vis liberè
Proloqui. *PA.* tace ! voſtra foris crepuit.

INTERPRETATIO.

ut illudas ei qui hinc prodeat. PAR. *Lubens, & meo more fecero.* MYR. *Spectato hinc intus, quid intus moliantur.* PAR. *Poſt me deliteſce, rogo.* MYR. *Et illi licet dicere liberiùs & audaciùs quæ vis.* PAR. *Tace! Fores veſtræ crepuerunt*

ACTUS QUINTUS. SCENA SECUNDA.

ARGUMENTUM.

NARRAT Olympio Cleoſtratæ & Myrrinæ quàm malè fuerit exceptus à Chalino ſub veſte Caſinæ. Scena eſt mutila tota, quia erat longè obſcœniſſima, ut licet conjicere ex iis quæ ſuperſunt.

OLYMPIO, CLEOSTRATA, MYRRINA.

OLYMPIO.

NEQUE quò fugiam, neque ubi lateam, neque hoc dedecus quomodo celem,
Scio. tantùm herus atque ego flagitio ſuperavimus nuptiis noſtris.
Ita nunc pudeo, atque ita nunc paveo, atque ita irridiculum ſumus ambo.
Sed ego inſipiens nova nunc facio : pudet, quod priùs non puditum unquam eſt.
Operam date, dum mea facta itero : eſt operæ auribus percipere.
Ita ridicula auditu, iteratu ea ſunt, quæ ego intus turbavi *
Ubi intus hanc novam nuptam deduxi viâ rectâ, * clavem
Abduxi : ſed tamen tenebræ ibi erant, tanquam nox * *
* * * * ſenex abs te decumbem.
Colloco, fulcio, mollio * * * *

INTERPRETATIO.

OL. *NEſcio aut quò me recipiam, aut ubi deliteſcam, aut quo velo contegam hanc infamiam. Herus atque ego flagitio noſtro ſolo noti ſumus in noſtris nuptiis; adeò jam nos pudet, adeò pavemus, adeò ſumus ludibrio ambo. At ego amens perpetro jam inaudita crimina. Pudet feciſſe id, quamvis nunquam me cujuſquam puduerit. Audite dum refero mea ſcelera : neceſſe eſt audire adeò ridicula auditu, relatu. Ea ſunt turbæ quas excitavi in ædibus, quando primùm deduxi rectà in ædes hanc novam ſponſam, exemi clavem januæ : quanquam umbræ erant in ædibus, veluti noctu* * * *
* *ſenex abs te decumbam.* *
Colloco, fulcio, mollio * *
* * * *

ANNOTATIONES.

2. *Superavimus.*] id eſt, *ſuperfuimus, ſuperſtites fuimus.*
3. *Irridiculo ſumus.*] i. *ludibrio ſumus.*
5. *Eſt opera.*] ſub. *pretium.*

* * *
* * * *
* * * *
* * * *
* * *
* * * *
* * *
MY. CL. * *
OL. * * CL. *
* * *
* * OL. * *
CL. * OL. CL. *
* *
OL. * CL. *
OL. * CL. * OL. *
* * *
* OL. CL. OL. *
* OL. * *
* * * *
* * *
* * * *
* * * CL.
OL. * CL. * OL. * CL. *
OL. * * *

INTERPRETATIO.

* * | OL. * * *
* * * | CL. * *
* * | OL. * CL. *
* * * | * * *
* * | * *
* * * | OL. * *
* * | CL. *
* * * | OL. * *
* * | CL. * OL. *
* * * | * *
* * | * * *
* * * | * *
* * | CL. * *
MY. * * | OL. * *
CL. * * | CL. * OL. *
OL. * * | CL. * OL. *
CL. * * | CL. * OL. *
* * * | CL. * *
* * | OL. * *

* * * *
* * * *
MY. * *OL.* * *
* * * *
* * *
* * * * *
* * * *
* * * *
* * * * *
* * * *
* * * *
* * * * *
* * *
* * * * *
CL. * * *
* * * *
* * * * *
* * *
* * * *CL.*
* * *OL.* *
CL. * * *OL.* *
CL. * * *

INTERPRETATIO.

* * * * | * * * *
* * * | * * *
* * * * | * * * *
* * * | * * *
MY. * * | * * *
OL. * * | * * *
* * * | CL. * *
* * * | * *
* * * | * * *
* * * | * *
* * * | CL. * *
* * * | OL. * * *
* * * | CL. * *
* * * | OL. * * *
* * * | * *
* * * | * * *

ACTUS QUINTUS. SCENA TERTIA.

ARGVMENTVM.

STALINO cum Olympione deplorat vicem ſuam, quonſam flagitia ſua perſpecta ſunt Cleoſtratæ, cujus jamjam ſubeundus eſt aſpectus, ſubeundáque convitia.

STALINO, OLYMPIO.

STALINO.

MAXIMO ego ardeo flagitio, nec quid agam meis rebus ſcio.
Nec meam ut uxorem aſpiciam contrà oculis : ita diſperii.
Omnia palàm ſunt probra. omnibus modis óccidi, miſer.
Ita manifeſtò faucibus teneor :
* nec quibus modis purgem ſcio me meæ uxori,
* * qui expalliatus ſum miſer * *
* * clandeſtinæ nuptiæ * * *
* * * * * cenſeo
* * mihi optumum eſt
* * ea dux uxorem meam
* * * riam
Sed ecquis eſt qui homo munus velit fungier pro me ?
Quid nunc agam neſciô, niſi ut improbos famulos imiter, ac domo fugiam ?
Nam ſalus nulla eſt ſcapulis, ſi domum redeo.
Nugas iſtuc dicere licet. vapulo hercle ego, invitus tamen,
Etſi malum merui. hàc dabo protinàm, & fugiam. *OL.* heus, Stalino
Amator! *ST.* óccidi, revocor. quaſi non audiam, abibo.

INTERPRETATIO.

STA. *Ego teneor ingenti ſcelere, nec ſcio quid moliar in meis negotiis, nec audeo ſubire conſpectum meæ uxoris, adeò interii : cuncta flagitia nota ſunt. Sum perditus, infœlix omni ratione, tam apertè fauces ſunt occupatæ : non intelligo quo pacto me excuſem apud meam conjugem, utpote cui pallium eſt ereptum,* quo ea tegere poſſim : *nuptiæ furtivæ ſunt nota. Arbitror mihi eſſe bonum ut adeam Myrrinam, ea dux* fuit ad fraudem, *ea novit meam uxorem, ea reperit hanc fallaciam. At quis velit id muneris obire meo loco ? Non video quid jam moliar, niſi imitatus ſervos nequam, aufugiam domo; nam ſcapulæ perditæ ſunt, ſi repeto domum ; licet dicere iſtud. Ego dabo pœnas ſine dubio, & quidem invitus, licet commerui. Hâc viâ effugiam celeriter.* OL. *Heu ! Stalino amator!* STA. *Perii! revocor. Abibo quaſi non audiam.*

ANNOTATIONES.

1. *Ardeo flagitio.*] Sic dicitur *ardere invidiâ.*

2. *Uxorem aſpiciam contrà.*] id eſt, *n'oſer regarder en face*, præ metu videlicet & pudore.

6. *Expalliatus ſum.*] id eſt, *pallium eſt mihi detractum.* Jocus eſt, quaſi dicat : Non eſt quo poſſim tegere factum meũ, utpote cui ereptum eſt pallium. Nos vernaculo noſtro dicimus, *pallier.* à *pallio*, quando deprecari invidiam alicujus rei volumus, & levare culpam aliquâ ex parte.

ACTUS QUINTUS. SCENA QUARTA.

ARGUMENTUM.

CHALINUS Caſinæ veſte indutus, Cleoſtrata & Myrrina, miſerum Stalinonem conviciis, jocis, ludibrio vellicant, urgent, jactant.

STALINO, CLEOSTRATA, MYRRINA, CHALINUS, OLYMPIO, ANCILLÆ.

CLEOSTRATA.

UBI tu es, qui colere mores Maſſilienſes poſtulas?
* * *
* periiſti hercle! age, accede huc,
Hic deſunt octo verſus.
ST. Hàc ibo. caninam ſcævam ſpero meliorem fore.
CLE. Quid agis tu, marite, mi vir? unde ornatu hoc advenis?
Quid feciſti ſcipione, aut quod habuiſti pallium?
AN. In adulterio dum mœchiſſat Caſinam, credo, perdidit.
ST. Occidi. *CH.* etiámne imus cubitum? Caſina ſum. *ST.* in malam crucem!
CH. Non amas me? *CL.* quin reſponde, tuo quid factum eſt pallio?
ST. Bacchæ! ergo hercle, uxor. Bacchæ! Bacchæ! hercle, uxor.
AN. Nugatur ſciens. nam ecaſtor nunc Bacchæ nullæ ludunt.
ST. Oblitus fui. ſed tamen Bacchæ. *CL.* quid Bacchæ? id fieri non poteſt.

INTERPRETATIO.

CL. *Adeſdum qui gaudes vivere moribus Maſſilienſibus?* * * * * *periiſti per Herculem. Age adeſdum huc.* STA. *Hàc vadam. Credo latratum canis feræ eſſe futurum auſpicatiorem.* CLE. *Quid moliris hic, mi marite, mi vir? Unde venis hâc veſte? ubi ſcipio? ubi pallium quod habebas?* AN *Credo, perdidit in adulterio, quando mœchatus eſt cum Caſinâ.* STA. *Perii.* CHA. *Imuſne cubitum? Habe me loco Caſinæ.* STA. *I in malam crucem.* CHA. *Non me diligis?* CLE. *Age dic, factum eſt de tuo prelio.* STA. *Bacchæ: ergo per Herculem, conjux. Bacchæ, Bacchæ per Herculem, conjux.* AN. *Nugatur prudens. Nullæ enim per Caſtorem Bacchæ vagan ur jam.* STA. *Fui oblitus attamen Bacchæ.* CLE. *Quid Bacchæ ad id? Fieri nequit.*

ANNOTATIO.

1. *Colere mores Maſſilienſes.*] *qui Curios ſimulant*, id eſt, ſeveritatem morum, gravitatem, caſtimoniam præ ſe ferunt, *& Bacchanalia vivunt*, id eſt, nequiſſimi ſunt: *Des Tartufes.* ut jam uſus fermè obtinuit, ab illâ Fabulâ quam Molierius nuper exhibuit ad detrahendam hypocritis larvam pietatis & æquitatis, quâ tecti quidlibet audent hoc noſtro ſæculo homines in omni togâ nequam, qui adductâ fronte & torvâ neglectâque concinnitate, in vultu, veſte, & habitu toto corporis pluſquàm *Curii* ſunt, ſed reverâ compoſitis ad lenitatem vocibus, vocant in exitium incautos, vindictæ velificantur, aut cupiditati.

OL. Times ecaſtor. *ST.* egóne? *OL.* haud mentire hercle: nam pa * *

Hic in MSS. lacuna eſt verſuum novem.

ST. Non taces? *OL.* non hercle verò taceo, nam tu maxumo
Me obſecraviſti opere, Caſinam ut poſcerem uxorem mihi.
ST. Tui amoris cauſsâ ego iſtuc feci. *CL.* imò ecaſtor illius.
Te quidem oppreſſi. *ST.* feci ego iſthæc dicta quæ vos dicitis?
CL. Rogitas etiam? *ST.* ſiquidem hercle feci, feci nequiter.
CL. Redi modò huc intrò: monebo, ſiquidem meminiſti minùs.
ST. Hercle, opinor, potiùs vobis credam, quod vos dicitis.
Sed uxor, da viro hanc veniam. Myrrina, ora Cleoſtratam:
Si unquam poſthàc aut amaſſo Caſinam, aut occœpſo modò;
Nedum ut eam amaſſo: ſi ego unquam adeò poſthàc tale admiſero:
Nulla cauſſa eſt, quin pendentem me, uxor, virgis verberes.
MY. Cenſeo, ecaſtor, veniam hanc dandam. *CL.* faciam uti jubes.
Propter eam rem hanc tibi nunc veniam minùs gravatè proſpero;
Hanc ex longâ longiorem ne faciamus Fabulam.
ST. Non irata es? *CL.* non ſum irata. *ST.* tuæ fidei credo? *CL.* meæ.
ST. Lepidiorem uxorem nemo quiſquàm, quàm ego habeo. *CH.* hanc habe.
CL. Age tu, redde huic ſcipionem & pallium. *CH.* tene. *ST.* libet. *CH.* * * *

* * *

INTERPRETATIO.

OL. *Metuis per ædem Caſtoris.* STA. *Egóne?* OL. *Non mentior per Herculem: nam res eſt manifeſta.* STA. *Non ſiles?* OL. *Sileo profectò: nam tu à me contendiſti magnopere ut peterem conjugem Caſinam.* STA. *Equidem feci gratiâ tui amoris.* CLE. *Imò ſanè illius: te verò oppreſſiſſet.* STA. *Equidem feci ea quæ vos narratis.* CLE. *Rogitas veniam.* STA. *Si quid feci, per Herculem, feci improbè.* CLE. *Regredere huc in ædes: commonefaciam: nam es memoriæ infœlicis.* STA. *Profectò exiſtimo vobis eſſe credendum potius, quando aliquid dicitis. At conjux, condona hanc veniam conjugi. Myrrina, roga Cleoſtratam: ſi unquam poſteà aut amavero Caſinam, aut tentavero modò, nedum eam amavero: ſi ego adeò commiſero unquam deinceps tale facinus, eſt nulla cauſa, conjux, cur minimè me virgis plectas pendentem.* MYR. *Exiſtimo per ædem Caſtoris huic dandam eſſe hanc veniam.* CLE. *Faciam uti rogas: idcircò tibi concedo jam æquo animo hanc veniam, ne efficiam hanc Comœdiam è prolixâ prolixiorem.* STA. *Non es irata?* CLE. *Non ſum irata.* STA. *Memoe committo tuæ fidei?* CLE. *Mea.* STA. *Nullus habet conjugem commodiorem hâc quam ego habeo.* CH. *Hanc habe.* CLE. *Age tu, reſtitue huic baculum & pallium.* CHA. *Tene.* STA. *Liber.* CHA. *

ANNOTATIONES.

17. *Feci ego iſthæc dicta.*] *J'ay fait ce que vous dites.* Dicta pro rebus hic accipiuntur. Hebræi accipiunt dictum pro facto. Latini à ſῆσις, quod *dictum* ſignificat, fecerunt *reſes*, & deinde *res*, quod opponitur *verbo*.

22. *Amaſſo.*] *amavero.*
Occepſo.] *occepero.*

GREX.

GREX.

ARGUMENTUM.

IN Epilogo à grege Scenicorum dicto, origo & matrimonium Caſinæ notantur: nimirum filia erat Alceſimi & Myrrinæ, & data eſt Euthȳnico Stalinonis filio & rivali in matrimonium. Deinde petitur à Spectatoribus applauſus, & jacitur imprecatio fœda in eos qui negaverint.

SPECTATORES, quod futurum eſt intus, hîc memorabimus.
Hæc Caſina hujus reperietur filia eſſe è proxumo.
Eáque nubet Euthynico noſtro herili filio.
Nunc vos æquum eſt, manibus meritis meritam mercedem dare.

* * * * * *
* * * * * * *
* * * * * *

INTERPRETATIO.

GREX. *Spectatores, hic commemorabimus quod geretur intus. Hæc Caſina deprehendetur eſſe filia Alceſimi vicini, eáque nubet Euthynico filio noſtri heri. Jam par eſt vos impendere mercedem meritam manibus meritis, plauſu clarè edito.*

* * * * * * * * * * * * * * * *

ANNOTATIO.

1. *Memorabimus quod futurum eſt intus.*] Sunt enim quæ coram in Scenâ non licet exhibere. Horatius.

——— *nec tamen intus*
Digna geri promes in Scenam.

FINIS CASINÆ.

M. ACCII PLAUTI CISTELLARIA.

ARGUMENTUM.

DEMIPHO, juvenis Mercator Lemnius, venit Sicyonem ad mercatum. Intereadum eſt Sicyoni, celebrantur feſta Bacchi Dionyſia, & Ludi Dionyſii. In nocte Demipho vinolentus in viâ vim affert pudicitiæ Phanoſtratæ Sicyoniæ. Metu Legum & pœnæ repetit in Lemnum inſulam, patriam ſuam. Ibi ducit uxorem, cujus nomen non exprimitur à Poëtâ: ex eâ ſuſcepit filiam, cujus nec nomen notatur. Phanoſtrata decimo pòſt menſe parit filiam Silenium, quo ex patre ignorat. Verita ne parentes reſciſcant partum ſuum, detegit Lampadiſco ſervo paterno, quem præter cæteros fidum & peritum arbitratur: dat filiam ſuam Silenium recentem à partu exponendam. Sed poſtquam projecit Lampadiſcus in Hyppodromo, obſervat ex occulto à quo auferatur. Lena, cujus nomen non exprimitur à Poëtâ, Silenium accipit, & defert ad Melænidem. Melænis ſibi ſupponit Silenium, ut imponat cuidam amatori ſuo, & uberior inde annona proveniat. Melænis eam educat pro filiâ. Uxor quam Demipho duxerat in Lemno inſulâ, moritur. Demipho juſtis uxori perſolutis, Sicyonem revertitur. Ibi ducit uxorem Phanoſtratam. Tum fortè fortunâ intelligit Phanoſtratam uxorem ſuam eſſe eam quam olim per vim oppreſſerat. Phanoſtrata aperit Demiphoni ſeſe peperiſſe filiam, & eam tradidiſſe exponendam Lampadiſco. Demipho mandat Lampadiſco ut detegat eam quæ acceperit Silenium expoſitam. Manebat Silenium cum Alceſimarcho, juvene Sicyonio. Quum enim Melænis per Dionyſia ſecum deduceret Silenium, ejus amore captus eſt, & eâ omni ratione potiri voluit: ſed propoſitum aſſequi non potuit, niſi pactis cum eâ nuptiis, cùm per parentes liceret. His conditionibus datur à Melænide Silenium Alceſimarcho, & apud eum manet concubina. Demipho filiam ex Lemniâ uxore habuit apud Lemnum inſulam. Alceſimarchi parentes petunt eam à Demiphone in matrimonium pro Alceſimarcho, Alceſimarcho reclamante. Melænis, audito parentum Alceſimarchi conſilio de filiâ Demiphonis

matrimonio conjungendâ cum Alceſimarcho, mandat Silenio ut repetat domum, relicto Alceſimarcho. Silenium rogat Lenam ut patiatur Gymnaſium manere in ſuo cubiculo apud Alceſimarchum in tertium diem, quo Alceſimarchus reverti debet rure cum patre domum. Lampadiſcus invenit Lenam, quæ puellam Silenium projectitiam Melænidi dederat: conſequitur eam domum uſque; invenit apud eam Gymnaſium. Putat Lampadiſcus Gymnaſium eſſe Silenium. Detegit quæ ſit ejus nativitas, vel potiùs quam putat eſſe. Lampadiſcus Gymnaſium pro Silenio abducere contendit ſecum: vult ſequi Gymnaſium Lampadiſcum. Lena jurat Gymnaſium eſſe ſuam filiam; ſed eam quam quærit Lampadiſcus, eſſe Silenium: illam Silenium manere apud Melænidem, quæ ſibi eam ſuppoſuerit. Ad aures Melænidis venit res tota. Itaque antevertere Lampadiſcum ſtatuit Melænis, & deducere ultrò Silenium ad Phanoſtratam & Demiphonem, eo conſilio Ciſtellam ſecum defert, in quâ erant crepundia cum quibus fuerat expoſita Silenium, & quæ deinceps oſtenderunt Silenium eſſe Phanoſtratæ & Demiphonis filiam, à quâ & hæc Fabula eſt vocata *Ciſtellaria*. Hanc Ciſtellam Melænis dat Haliſcæ deferendam: ſed quando Alceſimarchus manus ſibi afferre vult, quòd ſua Silenium ei eripiatur, Haliſca ad eum impediendum accelerans, perdit Ciſtellam: eam invenit in viâ Lampadiſcus, defertque ad Phanoſtratam, quæ crepundia filiæ agnoſcit. Veſtigia Lampadiſci inſequitur Haliſca, & Ciſtellam inter manus Phanoſtratæ & Lampadiſci invenit. Reddit Haliſcæ Ciſtellam Lampadiſcus, & cum eâ pergit ad Melænidem. Demum Silenium filia agnoſcitur Demiphonis & Phanoſtratæ.

Ciſtellaria appellatur hæc Comœdia à *ciſtella*, in quâ fuere incluſa crepundia, quibus cogniti ſunt parentes Silenii; quæ quidem *Ciſtella* expoſita fuit cum Silenio, & à Melænide aſſervata, & tandem Phanoſtratæ reddita.

Hæc Fabula conſtat Prologo, Fabulâ, & Catervâ ſeu Epilogo. *Prologus* eſt Scena 3. Actus 1. & fit ab Auxilio Deo. *Protaſis* continetur Actu 1. & Actu 2. ad Scenam 3. nimirum prima ſunt ſemina turbarum, quòd nuncietur Melænidi Alceſimarchum contrahere nuptias cum filiâ Demiphonis Lemniâ, atque adeò excludendam eſſe prope diem Silenium; quòd revocet ad ſe ſuam Silenium Melænis, abſente Alceſimarcho; quòd reverſus Alceſimarchus repetat omnibus viribus ſuam Silenium. *Epitaſis* ab Actu 2. Scena 3. ad Actum 4. continet graviores animi jactationes in Melænide, Alceſimarcho, & Lampadiſco, & cæteris Fabulæ perſonis. *Solutio* fit prolatâ Ciſtâ ſeu Ciſtellâ, in quâ erant incluſa crepundia, quibus filia parentibus, parentes filiæ ſunt cogniti.

Mores hujus Fabulæ ſunt ad mentem Ethnicorum: ΘΕΩΝ ΑΘΥΡΜΑΤΑ ΑΝΘΡΩΠΟΙ, Homines ludus Deorum, ſicut Plato appellat, utpote quos è liberis ſervos, ex ſervis liberos faciant. Hono-

res quoque, divitias, & ipſam regunt nativitatem nutu magis quàm conſilio : nos Chriſtiani in illis vicibus viciſſitudinibúſque rerum, occultum quidem, ſed certum ordinem veneramur Providentiæ divinæ.

SCENA EST SICYONI.

PERSONÆ.

PROLOGUS.

AUXILIUM DEUS.

DEMIPHO Senex, Mercator Lemnius.

PHANOSTRATA Sicyonia, Uxor Demiphonis, Silenii mater.

SILENIUM, Demiphonis & Phanoſtratæ filia.

LAMPADISCUS, Servus Phanoſtratæ.

ALCESIMARCHUS, Sicyonius adoleſcens.

MELÆNIS, Lena Sicyonia.

HALISCA, Serva Melænidis.

LENA anonyma, Sicyonia, Gymnaſii mater.

GYMNASIUM, Meretrix, filia Lenæ anonymæ.

CATERVA.

PERIOCHA ACROSTICHA.

COMPRIMIT adoleſcens Lemnius Sicyoniam,
Is redit in patriam, & gnatam generat nuptiis.
Sicyonia æquè parit puellam. hanc ſervolus
Tollit, atque exponit, & ex inſidiis aucupat.
Eam ſublatam meretrix alii detulit.
Lemno pòſt rediens ducit, quam compreſſerat,
Lemnique natam deſpondit adoleſcentulo
Amore capto illius projectitiæ.
Requirens ſervus reperit, quam projecerat.
Itaque legē, & ritè civem cognitam
Alceſimarchus, ut erat nactus, poſſidet.

INTERPRETATIO.

Demipho *juvenis Lemnius comprimit* Phanoſtratam *Sicyoniam* Sicyone. Idem *revertitur in Lemnum patriam ſuam*, & ductâ uxore Lemniâ, ex eâ *ſuſcepit filiam. Phanoſtrata & ipſa pepererat puellam Sicyone*, Silenium nomine. *Lampadio ſervus Phanoſtratæ accipit* Silenium, *& exponit, & ex occulto ſpeculatur* à quo tollatur infans. *Meretrix tollit Silenium, & alii* Melænidi *detulit. Poſteà Demipho*, mortuâ uxore, *revertitur ex Lemno, & ducit uxorem* Phanoſtratam, *cui vim attulerat*. Ipſe Demipho *deſpondet* Alceſimarcho *filiam quam habuerat in Lemno inſulâ ex priore conjuge Lemniâ*. Sed *Alceſimarchus deperit Silenium, quæ expoſita fuerat* imperio Phanoſtratæ matris. *Lampadiſcus quærit ubi ſit* Silenium *quam expoſuit: eam reperit: Itaque Alceſimarchus poſſidet* Silenium *legitimo matrimonio, poſtquam cognovit eam eſſe liberam, quemadmodum habuerat anteà* concubinam.

ANNOTATIONES.

1. *Adoleſcens.*] Tubero apud Aulum Gellium. *Servius Tullius Rex prudentiſſimus, cùm illas quinque claſſes juniorum, cenſus faciendi gratiâ, inſtitueret, pueros eſſe exiſtimavit qui minores eſſent annis 17. atque inde ab anno 17. quos idoneos jam eſſe Reipublicæ arbitraretur, milites ſcripſiſſe, eóſque ad annum 46 juniores; ſupráque eum ſeniores appellaſſe*. Cenſorinus. *Juvenes ab anno 30. ad 45*, ut nunc uſus obtinet, Infantia patet ad annum 7. quo demum explicatiore linguâ puer verba molitur. Pueritia à nativitate ad annum 14. quo puberes eſſe incipiunt; à 10. ad 17. eſt adoleſcentia. Juventus & juventutis appellatio vagatur fermè per omnes gradus ætatis, & cum ſenectute vitam noſtram totam partitur.

Lemnius.] *Lemnos*, à quâ patronimicum *Lemnius*, eſt inſula Maris Ægæi, fabuloſo Vulcani caſu nobilis: unde & ipſa Vulcania, eadem & Hypſiphile, à filiâ Thoantis, quæ in hâc inſulâ regnavit.

Sicyoniam.] *Sicyon*, urbs vetus Peloponeſi, quæ & *Ægialos* dicta, ab Rege *Ægialo*. Ab eâdem urbe dicta eſt regio *Sicyonia: Sicyonius* à *Sicyone*.

4. *Ex inſidiis.*] *Inſidiæ* & *latebræ* hoc loco idem: alibi *inſidiæ* ſunt *latebræ* quidem, ſed è quibus & obſervare & opprimere hoſtis hoſtem poteſt.

Aucupat.] vetus, pro *aucupatur*: activum pro deponente.

11. *Ut erat nactus.*] id eſt, Quando nactus eſt Silenium ſuam concubinam eſſe liberam, eam legitimo ſibi matrimonio copulat Alceſimarchus.

ACTUS PRIMUS.

ARGUMENTUM.

ACtus primus propoſitionem Fabulæ continet & Argumentum.

ACTUS PRIMUS. SCENA PRIMA.

ARGUMENTUM.

SILENIUM, invitatis ad epulas Lenâ & Lenæ filiâ Gymnaſio apud Alceſimarchum abſentem, ipſius Alceſimarchi domum relinquit, mandato Melænidis: nimirum Melænis, auditis nuptiis Alceſimarchi pactis cum filiâ Demiphonis Lemniâ, mandaverat Silenio ut quamprimùm diſcederet ab Alceſimarcho. Paret Silenium. In hoc diſceſſu Lena, & meretrices duæ Silenium & Gymnaſium, fusè de amore diſſerunt legitimo illegitimóque: & Lena quidem fundamenta ſuæ artis renudat: Silenium verò meretricem exhibet, in quâ tantùm pudoris ineſt & fidei, quantùm in concubinâ eſſe poteſt. Quod à Poëtâ eò majori cum arte fit, quòd eadem nubet modò Alceſimarcho: ſed eſt in Gymnaſio imago & oratio meretricis exhauſtiſſimi pudoris.

SILENIUM, GYMNASIUM, LENA.

SILENIUM.

CUm ego antidhac te amavi, & mihi amicam eſſe crevi,
Mea Gymnaſium, & matrem tuam: tum id mihi hodie
Aperuiſtis, tu atque hæc. ſoror ſi mea eſſes,
Qui magis potueris mihi honorem ire habitum,
Neſcio; niſi, ut meus eſt animus, fieri
Non poſſe arbitror: ita, omnibus relictis rebus,
Mihi frequentem operam dediſtis. eò ego vos
Amo, & eò à me magnam iniſtis gratiam.

INTERPRETATIO.

SI. *CHariſſima Gymnaſium, ego te dilexi ſemper, & putavi me à te amari, & à tuâ matre: ſed mihi patefeciſti id hodie tu & illa: ſi eſſes mea ſoror, neſcio quomodo poſſes mihi habere majorem honorem. Unum ſcio, ut mea fert opinio, non poſſe haberi majorem: adeò mihi exhibuiſtis ſedulam operam, omiſſis cæteris negotiis. Idcircò ego vobis ago gratias, idcircò egregiè de me eſtis meritæ,*

ANNOTATIONES.

1. *Crevi.*] *Cerno* eſt à κρίνω, unde *crimen*, quia *diſcernitur* innocens à reo, inde eſt & *decretum*: & *crines*, quia à vertice ad frontem *crines diſcernuntur*, & in utrumque tempus decumbunt.

4. *Ire habitum.*] id eſt, venire habitum: *me venir rendre*. Nos in noſtra vernacula utimur & hoc verbo *aller*, ſine motu: *Si vous allez avoir de la jalouſie.*

GY. Pol iſtoc quidem nos pretio facilè eſt
Frequentare tibi, utiléſque habere:
Ita in prandio nos lepidè atque nitidè
Accepiſti apud te, ut ſemper meminerimus.
SI. Lubentique edepol animo factum, & fiet à me,
Quæ vos arbitrabor velle, ea ut expetam.
LE. Quod ille dixit, qui ſecundo vento vectus eſt,
Tranquillo mari, ventum gaudeo ecaſtor ad te:
Ita hodie hîc acceptæ ſumus ſuavibus modis;
Nec, niſi diſciplina, apud te fuit quicquam
Ibi, quin mihi placeret. *SI.* quid ita, amabò?
LE. Ratò nimium dabat quod biberem: atque id merum
Infuſcabat. *GY.* amabò, hiccine iſtud decet?
LE. Júſque fáſque eſt: nemo alienus hîc eſt. *SI.* merito
Veſtro amo vos, quia me colitis & magnificatis.
LE. Decet pol, mea Silenium, hunc eſſe ordinem
Benevolenteis inter ſe, beneque amicitiâ utier:
Ubi iſtas videas ſummo genere natas,
Summates matronas, ut amicitiam colunt,
Atque ut eam junctam benè habent inter ſe.
Si idem iſtud nos faciamus, ſi idem imitemur.

INTERPRETATIO.

GY. *Sanè eſt facile te inviſere ſæpiùs iſtis conditionibus, & tibi exhibere noſtra officia: adeò nos excepiſti apud te eleganti atque liberali menſâ, ut nunquam obliviſcamur* hujus urbanitatis. SI. *Profectò id & à me exhibitum eſt alacri lætaque mente, & exhibebitur ſemper, ut ambiam ea quibus exiſtimavero vos delectari.* LE. *Certè lætor veniſſe nos ad te, ut dicit qui* venit ad portum *opportuno vento & mari, adeò fuimus invitatæ hic hodie modis jucundis; neque fuit quidquam apud te, quod mihi non probaretur, niſi mos inſtruendæ cœnæ.* SI. *Quare, rogo te?* LE. Nimirum qui miniſtrabat, *fundebat rariùs vinum, atque id purum impurabat.* GY. *Quæſo, idne tempeſtivè dicis?* LE. *Tempeſtivè ſanè. Nullus eſt enim hic ignotus.* SI. *Vobis ago gratias quia me inviſiſtis, & me affeciſtis hoc honore.* LE. *Profectò par eſt, mea Silenium, noſtrum ordinem meretricium ita ſe habere, ut colamus amicitias mutuas, quando cernimus quemadmodum iſtæ primates matronæ, ſummo genere natæ, amicitiam conjungant, & quemadmodum tueantur conjunctam mutuis officiis: ſi nos præſtemus idem, ſi ſequamur idem* inſtitutum.

ANNOTATIONES.

10. *Frequentare tibi.*] pro *frequentare te.* Retinet videlicet ſyntaxim phraſis in unum verbum contractæ, quaſi ſit, *frequentem operam dare tibi.*

Utiléſque habere.] Facile eſt tibi nos habere paratas *ad uſum* tuum & obſequium, utpote quas iſti mercedi conducis, *utiles habere, d'eſtre à voſtre ſervice.*

12. *Accepiſti.*] Donatus. *Paſcere. Accipere eſt invitare facillimè atque ampliter:* ἑστιᾶν γαμικῶς.

21. *Infuſcabat.*] Feſtus. *Infuſcare aquam,* i. *in fauces, ad ſorbendum dare. Infuſcare* vinum, eſt ei colorem tribuere proximum à nigro, qui eſt *fuſcus*, quod quidem fit admixtâ aquâ. Alii *infucabat*, à *fuco* qui eſt pigmenti genus, quo candidior cutis eſt. Hoc loco aquâ dilutum vinum, è rubro fit candidius.

Ita

Ita tamen vix vivimus cum invidiâ ſummâ.
Suarum opum nos volunt eſſe indigentes.
Noſtrâ copiâ nihilo volunt nos poteſſe,
Suique omnium rerum nos indigere,
Ut ſibi ſimus-ſupplices. eas ſi adeas,
Abitum, quàm aditum mâlis: ita noſtro ordini
Palàm blandiuntur: clàm, ſi occaſio uſquam eſt,
Aquam frigidam ſubdolè ſuffundunt.
Viris cum ſuis prædicant nos ſolere:
Suas pellices eſſe aiunt: eunt depreſſum:
Quia nos libertinæ ſumus. & ego & tua mater ambæ
Meretrices fuimus: illa te, ego hanc mihi educavi
Ex patribus conventitiis. neque ego hanc ſuperbiæ cauſsâ
Repuli ad meretricium quæſtum, niſi ut ne eſurirem.
SI. At ſatius fuerat eam viro dare nuptum potiùs. *LE.* heia!
Hæc quidem ecaſtor quotidie viro nubit, nupſitque hodie,
Nubet mox noctu. nunquam ego hanc viduam cubare ſivi.

INTERPRETATIO.

Tamen vix ita vivere licet, idque cum incredibili invidiâ. Volunt nos indigere ſuâ ope. volunt nos habere quidquam in noſtrâ poteſtate, & volunt nos egere omnibus rebus quibus abundant, ut nos efficiant ſibi obnexias. Si ad eas acceſſeris, malis recedere quàm accedere. Nam blandiuntur publicè noſtro ordini meretricio: *ſi ſeſe offert occaſio, ſuffundunt fraudulenter aquam frigidam. Dicunt ſuos maritos nobiſcum habere conſuetudinem: dicunt nos eſſe pellices ſuorum maritorum: vituperant, quia nos ſumus libertinæ, ego & tua mater, fuimus ambæ meretrices. Ego mihi enutrivi hanc, & illa te ex patribus fortuitis. Neque ego hanc compuli ad quæſtum meretricium, niſi ut ego minimè cibo carerem.* SI. *Sed erat commodius eam tradere potiùs viro nuptum.* LE. *Heia! hæc ſanè nubit quotidie viro, nupſitque hodie, nubet mox noctu. Nunquam paſſa ſum hanc dormire ſolam.*

ANNOTATIONES.

32. *Poteſſe.*] A *potis ſum* & *pote ſum, potis es* & *pote es: poteſſe*, quaſi *pote eſſe*, unde *poſſe*

35. *Noſtro ordini.*] *meretricio.* Ut eſt Senatorius & Equeſter Ordo, ſic Lena *meretricium* vocat ordinem, In Eunucho Paraſitus.

Conveni hodie quemdam mei loci atque ordinis.

id eſt, Paraſitum.

37. *Suffundere aquam.*] Ut aqua temperat aut extinguit ignem, ſic matronarum monita amores maritorum opprimunt. Metaphora ducta à Fabris ferrariis, qui aſpergunt aquam foculis ſuis.

38. *Nos ſolere,*] Verecundè exprimit, ſeu potiùs ſilet, *ſcortari.*

40. *Libertinæ.*] Meretrices, aut ſervæ, aut libertinæ erant: liberis quæſtum corpore facere non licebat. Tacitus. *Eodem anno gravibus Senatus decretis libido fœminarum coërcita, cautumque ne corpore quæſtum faceret, cui avus, aut pater, aut maritus Eques Romanus fuiſſet. Nam Veſtilia Prætoriâ familiâ genita licentiam ſtupri apud Ædiles vulgaverat, more inter Veteres recepto, qui ſatis pœnarum adverſus impudicas in ipſâ profeſſione flagitii credebant.*

42. *Patribus conventitiis.*] Patribus incertis, utpote ex matre publicæ libidini devotâ.

Nam ſi hæc non nubat, lugubre fame familia pereat.
GY. Neceſſe eſt, quo tu me modo voles eſſe, ita eſſe, mater.
LE. Ecaſtor haud me pœnitet, ſi, ut dicis, ita futura es.
Nam ſiquidem ita eris, ut volo, nunquam Hecata fies:
Sempérque iſtam, quam nunc habes, ætatulam obtinebis,
Multiſque damno, & mihi lucro ſine meo ſæpè eris ſumptu.
GY. Dii faxint. *LE.* ſine operâ tuâ nihil dî horunc facere poſſunt.
GY. Equidem hercle addam operam ſedulò. ſed quid tu inter iſtæc verba,
Meus oculus, mea Silenium, (nunquam ego te triſtiorem
Vidi eſſe) quid, cedò, te obſecro, tam abhorret hilaritudo?
Neque munda adæquè es, ut ſoles. hoc ſis vide, ut petivit
Suſpiritum altè: & pallida es. eloquere utrunque nobis,
Et quid tibi eſt, & quid velis noſtram operam, ut nos ſciamus.
Noli, obſecro, lacrymis tuis mihi exercitum imperare,
Mea. *SI.* excrucior, mea Gymnaſium, malè mihi eſt, malè maceror;
Doleo ab animo, doleo ab oculis, doleo ab ægritudine.
Quid dicam? niſi ſtultitiâ meâ me in mœrorem rapi.

INTERPRETATIO.

Nam ſi hac non nupſerit, domus concidat inediâ triſtiſſimâ. GY. *Oportet, mater, me ita vivere, ut tibi placebit.* LE. *Sanè non me pœnitet. ſi ejuſmodi futura es ut dicis: nam ſi ejuſmodi eris ut cupio, nunquam Hecata evades, florebiſque perpetuò illâ tenerâ ætate quâ viges nunc; afferéſque ſæpè detrimentum compluribus, & lucrum mihi ſine meis impenſis.* GY. *Dii faciant.* LE. *Dii nihil horum præſtabunt ſine te.* GY. *Sanè adhibebo operam ſedulam. At quid tu inter illa verba, mi ocule, mea Silenium? Nunquam ego te animadverti mœſtiorem. Dic, quæſo, quare ab hilaritate adeò abhorres. neque es perinde lauta atque conſueviſti. Vide id, ſi vis, ut erupit ab alto pectore ſuſpirium, ut pallida es. Dic nobis utrumque, & quid habeas, & quid opis à nobis expectes, ut nos intelligamus. Quæſo, noli exercere meam patientiam tuis fletibus, mea Silenium.* SI. *Diſcrucior, mea Gymnaſium; non benè habeo, contabeſco. ægra ſum mente, ægris oculis, ægrâ valetudine. Quid commemorem. niſi meâ inſipientiâ me labi in triſtitiam?*

ANNOTATIONES.

50. *Nunquam Hecata fies.*] *Hecate* apud inferos Proſerpina dicitur. Hìc ſumitur pro muliere annoſa, ut patet ex oppoſitione ſequentium verborum,

Sempérque illam ætatulam, quam nunc habes, obtinebis.

Alii *Hecale*, quæ fuit mulier longè pauperrima, unóque digna conjuge Iro, ſi dotis habenda fuiſſet ratio. Vixit Theſei temporibus. Ovidius.

Cur nemo eſt Hecalen, nulla eſt quæ ceperit Irum?
Nempe quod alter egens, altera pauper erat.

58. *Suſpiritu.*] *ſuſpirio*, Cicero. *Conſul eſt impoſitus nobis, quem nemo præter nos Philoſophos aſpicere ſine ſuſpiritu poſſit.*

60. *Noli mihi exercitum imperare.*] Noli me vexare lacrymis. *Exercitus* eſt *exercitatio*, eſt *exercere*. Ludus eſſe videtur in duabus vocibus, *exercitum imperare*.

GY. Indidem, unde oritur, facito ut facias ſtultitiam ſepelibilem.
SI. Quid faciam? *GY.* in latebras abſcondas pectore penitiſſimo.
Tuam ſtultitiam ſola facito ut ſcias ſine aliis arbitris. *SI.* at mihi
Cordolium eſt. *GY.* quid id? unde eſt tibi cordolium, commemora, obſecro?
Quod neque ego habeo, neque quiſquam alia mulier, ut perhibent viri.
SI. Si quid eſt quod doleat, dolet: ſi autem non eſt, tamen hoc hîc dolet.
GY. Amat hæc mulier. *SI.* eho! an, amare occipere, amarum eſt, obſecro?
» *GY.* Namque ecaſtor AMOR & melle & felle eſt fœcundiſſimus:
» Guſtu dat dulce, amarum ad ſatietatem uſque oggerit.
SI. Ad iſtam faciem eſt morbus, qui me, mea Gymnaſium, macerat.
GY. Perfidioſus eſt amor. *SI* ergo in me peculatum fecit.
GY. Bono animo es, erit iſti morbo melius. *SI.* confidam fore,
Si medicus veniat, qui huic morbo facere medicinam poteſt.
» *GY.* Veniet. *SI.* SPISSUM iſtud amanti eſt verbum, Veniet, niſi venit.
Sed ego meâ culpâ & ſtultitiâ pejus miſera maceror:
Quia ego illum unum mihi exoptavi, quîcum ætatem degerem.
GY. Matronæ magis conducibile eſt iſtuc, mea Silenium,
Unum amare, & cum eo ætatem exigere, cui nupta eſt ſemel.

INTERPRETATIO.

GY. *Fac ut ſepelias inſipientiam in eodem loco unde naſcitur,* SI. *Quid moliar?* GY. *Contineas in receſſu imi pectoris. Fac ut ſola cognoſcas tuam inſipientiam, ſine ullis arbitris.* SI. *At mihi eſt cordis dolor.* GY. *Quid eſt? Unde tibi cor dolet? Aperi, quæſo?* *Quum cor neque ego habeam, neque quiſquam alia fœmina, ſi fides habeatur viris.* SI. *Si cor eſt quod doleat, dolet: ſi autem non eſt, tamen hoc hic dolet.* GY. *Hæc mulier amat.* SI. *Eho! an eſt acerbum incipere amare?* GY. *Sanè amor delibutus eſt & melle & felle: libat dulcedinem, propinat amaritudinem uſque ad ſatietatem.* SI. *Ægritudo mea, Gymnaſium, quæ me diſcruciat, eſt ejuſmodi.* GY. *Amor eſt ſubdolus.* SI. *Idcircò me depeculatus eſt.* GY. *Eſto æquo animo, convaleſces.* SI. *Credam, ſi medicus adſit qui poſſit præbere medicinam huic morbo.* GY. *Veniet.* SI. *Iſtud verbum, Veniet, eſt moleſtum amanti, niſi venit. Sed ego, infelix, muſtor gravius pro meâ culpâ & inſipientiâ, quia ego mihi optavi illum unum cum quo ætatem conſumerem.* GY. *Id magis convenit matronæ, mea Silenium, habere unum, & ducere vitam cum eo cui nupta eſt ſemel.*

ANNOTATIONES.

67. *Cordolium.*] Scribendum videtur diverſis vocibus *cor dolium*, quaſi *dolium* ſit adjectivum *dolius, dolia, dolium.* Alibi eſt *vinum crucium*, quod acerbitate cruciet. *Agnus curius*, qui curis nimiis macer eſſet, ut homines curis nimiis evadunt macilenti.

68. *Quod neque habeo.*] id eſt, *cordolium:* id eſt: Cordis dolor eſſe non poteſt in eo cui ne cor quidem eſt.

69. *Hoc hic dolet.*] Appoſitâ manu ad pectus, id dicit Silenium.

73. *Ad iſtam faciem.*] Ejuſmodi eſt.

74. *Peculatum facit.*] Dixerat Gymnaſium, perfidioſum eſſe amorem, Reſpondet Silenium: Oſtendit ſatis ſe eſſe perfidioſum, quando ſic me depeculatur. Depeculatur lætitiam, depeculatur munditias, depeculatur ipſum cor.

Verùm enim meretrix fortunati eſt oppidi ſimillima;
Non poteſt ſuam rem obtinere ſola ſine multis viris.
SI. Hoc volo agaris: quâ arceſſitæ cauſsâ ad me eſtis, eloquar.
Nam mea mater, quia ego nolo me meretricem dicier,
Obſecuta eſt, de eâ re geſſit morem morigeræ mihi,
Ut me, quem ego amarem graviter, ſineret cum eo vivere.
LE. Stultè ecaſtor fecit: ſed tu en unquam cum quîquam viro
Conſueviſti? *SI.* niſi quidem cum Alceſimarcho, nemine:
Neque pudicitiam meam mihi alius quiſquam imminuit. *LE.* obſecro,
Quo is homo inſinuavit pacto ſe ad te? *SI.* per Dionyſia
Mater pompam me ſpectatum duxit: dum redeo domum,
Conſpicillo conſecutus eſt clanculùm me uſque ad fores.
Inde in amicitiam inſinuavit cum matre & mecum ſimul,
Blanditiis, muneribus, donis. *GY.* mihi iſtum hominem vellem dari,
Ut ego illum vorſarem! *SI.* quid opus eſt verbis? conſuetudine
Cœpi amare contrà ego illum, & ille me. *LE.* ô mea Silenium!
SI. quid eſt?
„ *LE.* ASSIMULARE amare oportet. nam ſi ames extempulò,
„ Melius illi multò, quem ames, conſulas, quàm rei tuæ.
SI. At ille conceptis juravit verbis apud matrem meam,
Me uxorem ducturum eſſe: ei nunc alia ducenda eſt domum,
Sua cognata Lemnienſis, quæ habitat hîc in proximo.

INTERPRETATIO.

Sed meretrix ſimilis eſt oppido fœlici: non poteſt rebus ſuis conſulere ſine multis viris. SI. *In id unum incumbite: dicam quare eſtis accerſita ad me. Nam mea mater, quia ego nolo vocari meretrix, annuit id mihi: geſſit morem in eâ re mihi in cæteris morigera, ut me pateretur vivere cum eo quem ego amarem vehementer.* LE. *Sed tu nunquamne amaviſti quemquam virum?* SI. *Neminem niſi Alceſimarchum. neque ullus detraxit meæ pudicitiæ.* LE. *Quæſo, quomodo ille homo invenit acceſſum ad te?* SI. *Genitrix me duxit ſpectatum pompam per Bacchanalia feſta. Dum revertor domum, me conſecutus eſt occultè de ſpeculâ uſque ad limina. Inde captavit amicitiam matris, & ſimul meam, blanditiis, muneribus, donis.* GY. *Utinam mihi daretur iſte homo! quantum ego illum jactarem!* SI. *Quid opus eſt verbis? Ego ex adverſo incœpi diligere illum, & ille me.* LE. *O mea Silenium!* SI. *Quid eſt?* LE. *Aſſimulandus eſt amor. Nam ſi seriò ames continuò, multò meliùs conſulas ei quem ames, quàm tuis rebus.* SI. *Sed ille juravit ſolemnibus verbis coram meâ matre, me uxorem eſſe ducendam. Nunc ei ducenda eſt alia domum, quæ eſt ejus cognata Lemnienſis, quæ manet hic in vicinis.*

ANNOTATIONES.

85. *Nolo me meretricem dicier.*] *Meretrices* ex ſolæ dicebantur, quæ vulgato corpore quæſtum facerent; non quæ unius ſe viri libidini ſubjicerent.

91. *Dionyſia.*] *Bacchanalia.*

92. *Pompam.*] *pompa* eſt apparatus ſacrificii.

93. *Conſpicillo.*] id eſt, è loco edito conſequitur oculis magis quàm pedibus.

98. *Aſſimulare amare.*] id eſt, *aſſimulare amorem.*

100. *Conceptis juravit verbis.*] Certa erat formula jurandi apud Veteres: qualis eſt hæc Act. 1. Scen. 1.

—— *Ita me dii deæque ament.*

Nam eum pater ejus ſubegit. nunc mea mater irata eſt mihi,
Quia non redierim domum ad ſe, poſtquam eam rem reſciverim,
Eum uxorem ductꝚurum eſſe aliam. *LE.* nihil amori injurium eſt.
SI. Nunc te, amabò, ut hanc hoc triduum ſolum ſinas
Eſſe hîc, & ſervare apud me. nam ad matrem arceſſita ſum.
LE. Quanquam mihi iſtud erit moleſtum triduum, & damnum dabis,
Faciam. *SI.* facis benignè & amicè. ſed tu, Gymnaſium mea,
Si me abſente Alceſimarchus veniet, nolito acriter
Eum inclamare. utut erga me eſt meritus, mihi cordi eſt tamen.
Sed, amabò, tranquillè: ne quid, quod illi doleat, dixeris.
Accipias clavis, ſi quid tibi opus erit promptu, promito.
Ego volo ire. *GY.* ut mihi excivisti lacrumas! *SI.* Gymnaſium mea,
Benè vale. *GY.* cura te, amabò. ſiccine immunda, obſecro,
,, Ibis? *SI.* IMMUNDAS fortunas æquum eſt ſqualorem ſequi.
GY. Amiculum hoc ſuſtolle ſaltem. *SI.* ſine trahi, cùm egomet trahor.
GY. Quando ita tibi lubet, vale atque ſalve. *SI.* ſi poſſim, velim.
GY. Nunquid me vis, mater, intrò quin eam? ecaſtor mihi
Viſa amare. *LE.* iſtoc ergo auris graviter obtundo tuas,
Ne quem ames. abi intrò. *GY.* nunquid me vis? *LE.* ut valeas. *GY.* vale.

INTERPRETATIO.

Nam ejus pater eum coëgit. Nunc mea mater eſt infenſa mihi, quia non redii domum ad ſe poſtquam accepi id, videlicet eum ductꝛurum eſſe aliam uxorem. LE. *Nihil injuſtum eſt in amore.* SI. *Nunc te rogo ut hanc patiaris eſſe hic per hoc triduum ſolùm, ut ea ſervet quæ ſunt apud me. Nam mater me vocavit ad ſe.* LE. *Volo, quamvis iſtud triduum erit mihi acerbum, & afferes damnum.* SI. *Facis liberaliter & amicè. At tu, Gymnaſium mea, ſi Alceſimarchus venerit, me abſente, noli eum increpare vehementer: utut de me eſt meritus, tamen mihi carus eſt: ſed, quæſo, leniter: ne dixeris quod illi injucundum ſit. Accipe claves, ſi tibi opus fuerit quopiam quod promas, prome. Ego volo abire.* GY. *Quomodo mihi commoviſti fletum?* SI. *Mea Gymnaſium, benè vale.* GY. *Curam tui gere, quæſo. Siccine proficiſceris immundo cultu corporis, amabò?* SI. *Par eſt, ſordes comitari egenas opes.* GY. *Saltem tolle fluens hoc amiculum.* SI. *Patere per terram trahi quando ego trahor.* GY. *Quando tibi id places, vale atque ſalve.* SI. *Si poſſim valere, velim.* GY. *An mihi vis dicere aliquid, antequam ingrediar? Per ædem Caſtoris mihi videtur illa amare.* LE. *Ergo inculco id etiam atque etiam tuis auribus, ne ullum ames. Ingredere.* SI. *Nunquid mihi vis dicere?* LE. *Ut valeas.* GY. *Vale.*

ANNOTATIONES.

105. *Nihil amori injurium eſt.*] quaſi dicat, Amatoribus nulla eſt poſita lex, Ludus eſt illis fallere, pejerare.

107. *Servare.*] cuſtodis partes agere.

ACTUS PRIMUS. SCENA SECUNDA.

ARGUMENTUM.

EBRIA Lena, cujus nomen in hâc Fabulâ non exprimitur, conatur Prologum facere; ſed victa ebrietate inchoatum relinquit. Idcircò hæc Scena pertinet ad Fabulam & Actum primum, quia largiorum poculorum ſtatim ab initio fit mentio.

LENA.

IDEM mihi, magnæ quod parti eſt vitium mulierum,
Quæ hunc quæſtum facimus: quæ ubi ſaburratæ ſumus,
Largiloquæ extemplò ſumus: plus loquimur, quàm ſat eſt.
Nam illanc ego olim, quæ hinc flens abiit, parvolam
Puellam projectam ex angiportu ſuſtuli.
Adoleſcens quidam hîc eſt apprimè nobilis,
(Quin ego nunc quia ſum onuſta meâ ex ſententiâ,
Quiaque adeò me complevi flore Liberi,
Magis liberâ uti linguâ conlibitum eſt mihi:
Tacere nequeo, miſera, quod tacito uſus eſt)
Sicyone ſummo genere ei vivit pater,
Is amore miſerè hanc deperit mulierculam,
Quæ hinc modò flens abiit. contrà amore hæc perdita eſt:
Eam meæ ego amicæ dono huic meretrici dedi;
Quod ſæpè mecum mentionem fecerit,

INTERPRETATIO.

LENA. *Obnoxia ſum eidem culpæ, cui pleraque mulieres quæ exercemus hoc commercium. Nam quando ſumus egregiè onuſtæ cibo, ſumus continuò verboſiſſimæ. Garrimus plus juſto. Nam ego extuli quondam ex angiportu illam puellam parvulam, quæ receſſit hinc plorans. Eſt hîc quidã juvenis imprimis nobilis: (quare non lubet mihi loqui liberiùs, quia ſum pranſa ad ſatietatem: & quia me obrui laudatiſſimo vino, non poſſum tegere, infœlix, quod tegendum eſt) Ei juveni genitor eſt nobiliſſimus Sicyone: is perditè amat Silenium, quæ profecta eſt mox plorans. Contrà Silenium eum perditè amat. Ego eam donavi Melanidi meæ amicæ, quia ſæpiſſimè rogaverat*

ANNOTATIONES.

2. *Quæ hunc quæſtum facimus.*] quæſtum lenonium, videlicet, & meretricium. Hîc Poëta movet odium & contemptum lenarum & lenocinii.

Saburratæ.] *Saburra*, ſabuli ſeu arenæ cujuſdam gravioris genus, quod in imis navibus poſitum, rectas in aquâ ſtabiléſque reddit, ſine quo pondere alterutro latere inclinatæ ſupernatarent. *Saorne*, noſtrates *lesage*. Hîc metaphora ad ſignificandum ventrem plus æquo cibis diſtentum.

5. *Angiportus.*] & *angiportum*. Ulpianus. *Angiportus à portu dictum eſt. Portus verò concluſus & munitus locus eſt quemadmodum & ſtatio, ab importandis exportandiſque mercibus nomen habens.*

11. *Sicyon.*] urbs nobiliſſima vetuſtiſſimáque Peloponneſi, non procul à Corintho.

Puerum aut puellam alicunde ut reperirem ſibi
Recens natum, eapſe quod ſibi ſupponeret.
Ubi mihi poteſtas primùm evenit, illicò
Feci ejus eii, quod me oravit, copiam.
Poſtquam puellam eam à me accepit, illicò
Eandem puellam peperit, quam à me acceperat,
Sine obſtetricis operâ, & ſine doloribus,
Item ut aliæ pariunt, quæ malum quærunt ſibi.
Nam amatorem aiebat eſſe peregrinum ſibi.
Suppoſitionem ejus rei facere gratiâ.
Id duæ ſolæ ſcimus: ego quæ illi dedi,
Et illa, quæ à me accepit; præter vos quidem.
Hæc ſic res geſta eſt. ſi quis uſus venerit,
Meminiſſe ego hanc rem vos volo. ego abeo domum.

INTERPRETATIO.

ut quærerem ſibi puerum aut puellam nuper natum, quod ipſa ſibimet ſupponeret. Quum primùm fuit poteſtas, ei dedi id quod à me petivit. Poſtquam accepit à me hanc puellam, ſtatim peperiſſe ſimulavit eandem puellam, quam ei dederam, ſine adjutorio obſtetricis, & ſine doloribus, quales aliæ in partu ſentiunt, quæ ſubeunt ultrò malum gravidæ. Nam dicebat habere ſe longinquum amatorem, ſupponere ſibi partum gratiâ ejus rei. Nos tenemus id ambæ ſolæ; ego quæ illi dedi, & illa quæ à me accepit, præter vos: hoc quidem ſic geſtum eſt. Si opus fuerit, ego rogo vos, recordemini hujus rei. Ego abeo domum.

ANNOTATIO.

23. *Malum quærunt.*] *Malum ſibi quærere* hoc loco eſt dictum de iis mulieribus, quæ cùm gravidæ ſunt, non abigunt partum; & quæ cùm ſupponere ſibi poſſint pueros ad decipiendos ſuos amatores, & compilandos, reverâ cum dolore & periculo vitæ pariunt. Digna oratio meretrice primùm, deinde & lenâ & temulentâ.

ACTUS PRIMUS. SCENA TERTIA.

ARGVMENTVM.

PROLOGUS fit ab Auxilio, qui Deus eſt, quia inſunt in hoc Prologo quæ ope humanâ ſciri non poterant: nempe vis illata Phanoſtratæ à Demiphone, ignotæ ab ignoto. Ideò autem ab Auxilio potiùs quàm ab alio Deo fit, quia primo fuit auxilio Lenæ ad perficiendum Prologum, Phanoſtratæ ad recuperandam Silenium. & Romanis ad vincendum.

AVXILIVM, *Prologus.*

UTRUNQUE hæc, & multiloqua & multibiba eſt anus.
Satíne vix reliquit Deo, quod loqueretur, loci?
Ita properavit de puellæ proloqui
Suppoſitione. quod ſi tacuiſſet, tamen
Ego eram dicturus deus, qui poteram planiùs:
Nam mihi eſt Auxilio nomen. nunc operam date,
Ut ego argumentum hoc vobis planè perputem.
Fuêre Sicyoni jamdiu Dionyſia.
Mercator venit huc ad ludos Lemnius,
Iſque hîc compreſſit virginem adoleſcentulus,
Vinolentus, *violentus*, multâ nocte, in viâ.
Is ubi malam rem ſcit ſe meruiſſe, illicò
Pedibus perfugium peperit, in Lemnum aufugit,
Ubi habitabat tum. illa, quam compreſſerat,
Decumo pòſt menſe exacto hîc peperit filiam.
Quoniam reum ejus facti neſcit qui ſiet,

INTERPRETATIO.

AUX. *HÆc anus eſt utrumque, & loquaciſſima, & bibaciſſima. Profectò vix mihi reliquit ſatis ad loquendum ſpatii, ita inconſiderata fuit in aperiendâ ſuppoſitione puellæ. Quòd ſi non dixiſſet, ego dixiſſem, qui potuiſſem dicere meliùs, utpote deus. Nam ego ſum Auxilium. Jam attentè audite, ut ego vobis diſtinctè proponam hoc Argumentum. Olim cùm celebrarentur Sicyoni Bacchanalia;* Demipho *mercator è Lemniâ inſulâ venit huc ad ludos: & ipſe adoleſcens vino madidus, per vim vitium attulit in hoc loco virgini Phanoſtrata, provectâ nocte, in viâ. Is meruiſſe ſupplicium ſcit, continuò fugâ ſaluti conſulit, in Lemnum confugit, ubi tum habitabat. Phanoſtrata, quam vitiaverat, peperit hîc Silenium filiam, poſtquam exactus eſt menſis decimus. Quoniam neſcit Phanoſtrata quis ſit autor ejus* ſceleris,

ANNOTATIONES.

6. *Auxilium.*] Hic Deus prodit in Scenam, quia *nodus vindice dignus incidit*, ut loquitur Horatius in Arte. Et anus quidem Ciſtellariæ Argumentum ſciebat ab inventione Silenii ab Lenâ. Sed quidquid præceſſerat, planè ignorabatur. Hoc Θεὸς ἀπὸ μηχανῆς aperit.

9. *Venit ad ludos.*] Moris erat apud Veteres, ut in deorum ſuorum feſtis diebus ludos celebrarent, ad augendum hominum concurſum, & ad mercatum. Seu potiùs ludiones & agyrtæ huc conveniebant, propter frequentiam eorum qui ad ſacra & mercatum venerant, ut rude vulgus emungerent. Sicut hodieque apud nos fieri cernimus in nundinis noſtris, ubi moriunculis ſuis ſcyphuliſque, & manticularibus faſcinationibus ludificantur incautiorum oculos, ut quamplurimos aut ad funambulones, aut ad alia ſpectacula, in quibus non eſt ſine aſſe locus, aut etiam ad remedia tantùm non divina, ſi nebulonibus fides eſt, invocent.

15. *Decumo pòſt menſe.*] Aulus Gellius ex Cælio. *Inſoletne mulier decimo menſe parere? Pol nono etiam, ſeptimo atque octavo.*

Paternum

Paternum ſervum ſui participat conſilii,
Dat eam puellam ei ſervo exponendam ad necem.
Is eam projecit. hæc puellam ſuſtulit.
Ille clam obſervavit ſervus,
Quò aut quas in ædis hæc puellam deferat.
Ut eampſe vos audiſtis confiterier,
Dat eam puellam meretrici Melænidi,
Eáque educavit eam ſibi pro filiâ
Benè ac pudicè. tum illic autem Lemnius
Propinquam uxorem duxit, cognatam ſuam.
Ea diem ſuum obiit, facta morigera eſt viro.
Poſtquam ille uxori juſta fecit, illicò
Huc commigravit. duxit uxorem hîc ſibi
Eandem quam olim virginem hîc compreſſerat,
Et eam cognoſcit eſſe, quam compreſſerat:
Illa illi dicit, ejus ſe ex injuriâ
Peperiſſe gnatam, atque eam ſe ſervo illicò
Dediſſe exponendam. ille extemplò ſervolum
Jubet illum eundem perſequi, ſi quà queat
Reperire, quæ ſuſtulerit. ei rei nunc ſuam
Operam uſque aſſiduò ſervus dat, ſi poſſiet
Meretricem illam invenire, quam olim tollere;
Cùm ipſe exponebat, ex inſidiis viderat.
Nunc, quod reliquum reſtat, volo perſolvere:

INTERPRETATIO.

participem facit ſui conſilii ſervum patris Lampadiſcum *Dat* Lampadiſco *ſervo Silenium* recens natam *exponendam ad necem. Lampadiſcus eam exponit. Hac Lena Silenium ſuſtulit. Lampadiſcus obſervat occultè quò aut quas in ædes Lena deferat infantem Silenium Ut vos audiviſtis eandem Lenam confiteri. dat Silenium puellam Melænidi meretrici, eáque Silenium ſibi aluit pro filiâ benè ac pudicè. Tum autem Demipho Lemnius duxit uxorem vicinam, genere conjunctam ſibi. Ea mortua eſt: quod contigit ex voto Demiphonis viri. Poſtquam Demipho exequias perſolvit conjugi, illicò venit huc. Duxit idem hic eandem Phanoſtratam uxorem, cui quondam vitium intulerat virgini, & intelligit eam eſſe quam vitiaverat. Hac illi inculcat ſæpè ſe peperiſſe filiam ex ejus vitio, atque eam tradidiſſe ſervo Lampadiſco projiciendam. Demipho jubet ſtatim illum eundem ſervum Lampadiſcum quærere, ſi quà poſſit invenire, eam mulierem quæ ſuſtulerit Silenium. Lampadiſcus dat nunc aſſiduò ſuã operam ei rei, ut inveniat illam meretricem quam viderat quondam è latebris auferre Silenium, quando ipſe expoſuit. Nunc animus eſt ſolvere quod ſupereſt.*

ANNOTATIO.

40. *Volo perſolvere.*] Allegoria ducta à debitoribus, quorum *nomina* expunguntur è rationibus, quando numerarunt pecuniam creditori.

Ut expungatur nomen, ne quid debeam.
Adoleſcens hic eſt Sicyoni : ei vivit pater.
Is amore projectitiam illam deperit,
Quæ dudum flens hinc abiit ad matrem ſuam :
Et illa hunc contrà, qui eſt amor ſuaviſſimus
„Ut sunt humana, nihil eſt perpetuum datum,
Pater adoleſcenti dare vult uxorem. hoc ubi
Mater reſcivit, juſſit arceſſi eam domum.
Hæc res ſic geſta eſt. benè valete, & vincite
Virtute verâ, quod feciſtis antidhac.
Servate voſtros ſocios, veteres & novos:
Augete auxilia veſtris juſtis legibus,
Perdite perduelles, parite laudem & lauream,
Ut vobis victi Pœni pœnas ſufferant.

Interpretatio.

ut nomen deleatur, ne quid ampliùs debeam. Alceſimarchus eſt Sicyoni : ejus pater vivit. Alceſimarchus amat perditè Silenium expoſititiam, quæ abiit dudum hinc ad Melænidem lenam ; *& Silenium Alceſimarchum è contrà. qui eſt amor jucundiſſimus. Sicut res hominum ſe habent, nihil eſt in iis perpetuum; pater vult dare* aliam *uxorem juveni. Hoc quando Melænis lena accipit, mandat ilenium reverti domum. Hæc res eſt ſic geſta. Benè valete, & vincite virtute, ut feciſtis anteà. Tuemini veſtros ſocios veteres & novos: augete auxilia veſtris juſtis legibus : profligate hoſtes: quærite laudem & lauream, ut Pœni ſuperati vobis dent pœnas.*

Annotationes.

41. *Nomen.*] *une obligation.* Quia forſitan chirographo nomen debitoris ſubſcribitur.

52. *Veſtris juſtis legibus.*] Alii codices, *veſtris junctis legionibus.* Alii, *victis legionibus.*

53. *Parite laudem & lauream.*] In aliis Manuſcriptis eſt, *parite laudem & laudeam*, non *lauream.* Iſidorus. *Laurea à verbo laudis dicta.*

54. *Victi Pœni.*] Hæc Fabula exhibita eſt, flagrante Punico bello ſecundo.

ACTUS SECUNDUS.

ARGUMENTUM.

AFFULGET Phanoſtratæ recuperandæ Silenii filiæ ſpes, operâ Lampadiſci, qui eam expoſuerat, & Lenæ quæ eam ex Hyppodromo ſuſtulerat.

ACTUS SECUNDUS. SCENA PRIMA.

ARGUMENTUM.

CONTENDIT precibus, juribusjurandis, minis, Alceſimarchus à Melænide, ut reddat Silenium quam ad ſe revocavit, quando audiit ipſum Alceſimarchum inire nuptias cum filiâ Demiphonis ſuſceptâ ex priori uxore. Initio hujus Scenæ amoris impuri moleſtias graphicè exprimit Alceſimarchus.

ALCESIMARCHUS, MELÆNIS.

ALCESIMARCHUS.

CREDO ego Amorem primùm apud homines carnificinam commentum
Hanc ego de me conjecturam domi facio, ne foris quæram,
Qui omnes homines ſupero atque antideo cruciabilitatibus animi.
Jactor, crucior, agitor, ſtimulor, verſor in amóris rotâ miſer.
Exanimor, feror, differor, diſtrahor, deripior: ita nubilam mentem
Animi habeo. ubi ſum, ibi non ſum: ubi non ſum, ibi eſt animus.
Ita mihi omnia ingenia ſunt. quod lubet, non lubet jam id continuò.
Ita me amor laſſum animi ludificat, fugat, agit, appetit,
Raptat, retinet, lactat: largitur: quod dat, non dat: deludit:
Modò quod ſuaſit, diſſuadet: quod diſſuaſit, id oſtentat.
Maritimis moribus mecum experitur: ita meum frangit amentem
Animum: neque, niſi quia miſer non eo peſſum, mihi ulla abeſt
Perdito pernicies. ita pater apud villam detinuit me hos dies ſex

INTERPRETATIO.

AL. *Equidem arbitror amorem eſſe primum inventorem carnificinæ inter homines. Ego id conjicio domi ex me, neque eſt quod exemplum externum quæram: vinco atque anteeo omnes mortales cruciatibus animi. Jactor, crucior, agitor, ſtimulor, verſor in rotâ amoris, infœlix. Exanimor, feror, differor, diſtrahor, diripior, adeò mens eſt obſita tenebris. Ubi eſt corpus, ibi non eſt animus: ubi non eſt corpus, ibi eſt animus. Adeò habeo variam mentem, Quod placet idem modò, non placet ſtatim: adeò amor me ludit feſſum mente: fugat, inſectatur, invadit, prohibet, allicit, prodigit, non impendit quod impendit: deterret ab eo ad quod modò impulit: id jactat quod depreſſit: agit mecum more æſtuantis maris; ita jactat meam mentem amentem: nullam jacturam non patior naufragus, niſi quia infœlix non demergor. Ita pater me retinuit hos ſex dies*

ANNOTATIONES.

5. *Ita nubilam.*] In Trinummo. *Scio te non ſponte tuapte erraſſe, ſed amorem tibi pectus obſcuraſſe.* Juvenalis.

——— *quod deſipis, inde eſt.*
Inde animi caligo, & magna oblivio rerum.

6. *Mentem animi.*] *Mens* in animo eſt, ut *oculus* in corpore. Lucretius. *Mens animi vigilat.*

Ruri continuos: neque licitum interea eſt meam amicam viſere.
Eſtne hoc miſerum memoratu!
ME. Eò facetu 's, quia tibi alia eſt ſponſa locuples Lemnia?
Habeas: neque nos factione tantâ, quantâ tu, ſumus,
Neque opes noſtræ tam ſunt validæ quàm tuæ: veruntamen
Haud metuo, ne jusjurandum noſtrum quiſquam culpitet:
Tu jam, ſi quid tibi dolebit, ſcies quâ doleat gratiâ.
AL. Dî me perdant. *ME.* quodcùmque optes, tibi velim contingere.
AL. Si illam uxorem duxero mihi unquam, quam deſpondit pater.
ME. Et me, ſi unquam tibi uxorem filiam dedero meam.
AL. Perjurare me patiere? *ME.* atque aliquantò faciliùs,
Quàm me meámque rem perire, & ludificari filiam.
Abi quærere, ubi jurando tuo ſatis ſit ſubſidii:
Hîc apud nos jam, Alceſimarche, confregiſti teſſeram.
AL. Face ſemel periculum. *ME.* ſæpè feci, quod factum queror.
AL. Redde mihi illam. *ME.* inter novam rem verbum uſurpabo vetus;
Quod dedi, datum non vellem: quod reliquum eſt, non dabo.
AL. Non remiſſura es mihi illam? *ME.* pro me reſponſa tibi.
AL. Non remittes. *ME.* ſcis jamdudum omnem meam ſententiam.

INTERPRETATIO.

continuos ruri in villâ: & interim non licuit videre meam Silenium. Hocne eſt acerbum dictu! ME. *Mihi videris feſtivus, quòd habes aliam amicam Lemniam divitem* nos faſtidis? *Retineas ſanè: neque enim nos ſumus tantâ autoritate quantâ tu, neque noſtræ opes ſunt tam exquiſitæ, quàm tuæ: Attamen haud pertimeſco ne ullus nos accuſet violati jurisjurandi. Tu intelliges modò, ſi quid tibi accidat mali, quâ de causâ accidat.* AL. *Dii me perdant!* ME. *Utinam tibi eveniat quod optas!* AL. *Si unquam duxero uxorem illam, quam pater mihi deſpondit.* ME. *Et me perdant etiam, ſi unquam tibi dedero meam Silenium uxorem.* AL. *Vis me jurare?* ME. *Et patiar aliquantò lubentiùs, quàm me perdi, & rem familiarem, & ludibrio haberi filiam. Ito quæſitum ubi ſit ſatis præſidii in tuo jurejurando: confregiſti jam hic apud nos fidei ſymbolum, Alceſimarche.* AL. *Experire & unâ vice rem proba.* ME. *Plerumque expertus ſum, quod doleo expertum eſſe me.* AL. *Reſtitue hanc mihi.* ME. *Utar antiquo adagio in negotio recenti. Optarem haud conceſſum quod conceſſi: quod supereſt, non concedam.* AL. *Haud mihi hanc remittes?* ME. *Tibi ipſe repone pro me.* AL. *Non remittes?* ME. *Jampridem tenes omnem meam mentem.*

ANNOTATIONES.

27. *Confregiſti teſſeram.*] Apud Veteres, præſertim Græcos, & imprimis Lacedæmonios, *teſſeræ* erant quæ appellabantur *hoſpitales*, quæ quaſi hæreditario jure a parentibus perveniebant ad liberos. Hæ autem *teſſeræ* erant ex ligno oblongo, ſicque ſecto ac diviſo, ut cùm ex duobus unum ad alterum jungeretur; *conteſſeratio* agnoſceretur. Itaque ſi periculum eſſet, ne fœderis initi & hoſpitii eſſet alteruter oblitus, ſecum *teſſeram* deferebat qui hoſpites adibat.

31. *Tibi reſponſa pro me.*] id eſt, ex iis quæ tibi dixi, potes tibi ipſe reſpondere.

AL. Satin' tibi iſtuc in corde certum eſt? *ME.* quin ego commentor quidem:
Non edepol iſtæc tua dicta nunc in auris recipio.
AL. Non? hem! quid agis? *ME.* igitur animum advorte, ut quid agas, ſcias.
AL. At ita me dî deæque, ſuperi atque inferi, & medioxumi,
Itaque me Juno regina, & Jovis ſupremi filia,
Itaque me Saturnus patruus ejus! *ME.* ecaſtor pater.
AL. Itaque me Ops opulenta illius avia! *ME.* imò mater quidem.
AL. Juno filia, & Saturnus patruus, & ſummus Juppiter!
Tu me delenis: propter te hæc pecco. *ME.* perge dicere.
AL. An ne ut etiam quid conſultura ſis ſciam? *ME.* perge eloqui.
Non remittam: definitum eſt. *AL.* enimverò, ita me Juppiter,
Itaque me Juno & Saturnus: ita, quid dicam, neſcio.
Jam ſcio: imò, mulier, audi, meam ut ſcias ſententiam:
Dî me omnes magni minutique, & patellarii
Faxint, ne ego dem vivus ſavium Silenio.

INTERPRETATIO.

AL. *Iſtudne eſt ſatis immotum tibi in animo?* ME. *Imò equidem commeditor alia Sanè minimè admitte jam in aures hac tua verba.* AL. *Non? hem! quid molirus?* ME. *Adhibe ergo mentem ut intelligas quid facias.* AL. *Sic me dii deæque cæleſtes, & Stygii, & Medii. Itaque me, Juno regina, & filia ſummi Jovis: ita me Saturnus ejus patruus.* ME. *Sanè pater.* AL. *Sic me Ops, dives illius avia.* ME. *Imò mater profectò.* AL. *Juno filia, & Saturnus patruus, & ſupremus Jupiter! tu me impellis in errorem: hac committo tuâ culpâ.* ME. *Perſequere loqui.* AL. *Num quoque ut cognoſcam quid conſilii captura ſis?* ME. *Proſequere dicere, non remittam, fixum eſt.* AL. *Enimverò ſic me Jupiter, & Juno, & Saturnus: ita, neſcio quid dicam. Jam recordor. Imò accipe, mulier, & capias meam mentem. Dii cuncti magni, exigui & patellarii efficiant ut non deoſculer hodie Silenium ſalvus.*

ANNOTATIONES.

36. *Medioxumi.*] *Medii.* id eſt, dæmones aëris, Manes. Putabant enim Veteres, aërem eſſe ſedem Manium, ſeu animarum ſolutarum à corpore. Nonius. *Medioxumus, id eſt, medio actum modo.* Feſtus. *Medioxumum, id eſt, mediocre.* Porrò Veteres *medietumum* à *medio* dicebant, ut *quotumum* à *quoto.* Alii habent *medigrumi.* à *Grumus* locus editus apud Veteres, ut & *Ocris*: unde *Medigrumus* deus, *Mediocris* deus.

38. *Juno filia ſummi Jovis.*] Conſultò Plautus Alceſimarchum errantem in genealogiâ deorum inducit, ut innuat animo loqui & iracundiâ & amore perturbato.

44. *Ita neſcio quid dicam.*] Suſpenſa oratio & interrupta: ita enim loqui oportebat Alceſimarchum. Ita *me dii omnes minuti, magni, patellarii*, ut recordatur dicere ſtatim. Sed obturbat mentem & orationem iracundia.

46. *Dii patellarii.*] Dii minorum gentium, qui non pateris, ſed patellis colebantur. Moris enim erat apud Veteres, ut aris fercula imponerent ciborum; ampliora quidem, ſi eſſent dii principes, ut Jupiter, Mars, & alii. Si verò è plebe deorum, ut Lares Penateſque, minora & viliora. Itaque ante alios *patera*, quod genus eſt catini latioris, cibis plenæ apponebantur. Ante minores, *patella*, quæ vaſa erant minora. *Patera* & *patella* à *pateo.*

Niſi ego téque tuam filiam, méque hodie obtruncavero.
Poſteà autem cùm primo luci cras niſi ambo occidero:
Et equidem hercle niſi pedatu tertio omnis efflixero,
Niſi tu illam remittis ad me. dixi quæ volui. vale.
ME. Abiit intrò iratus. quid ego nunc agam? ſi redierit
Illa ad hunc, ibidem loci res erit. ubi odium occœperit,
Illam extrudet, cùm hanc uxorem Lemniam ducet domum.
Sed tamen ibo & perſequar. amens ne quid faciat, cauto opu 'ſt.
Poſtremò, quando æquâ lege pauperi cum divite
Non licet, perdam operam potiùs, quàm carebo filiâ.
Sed quis hic eſt, qui rectâ plateâ curſum huc contendit ſuum?
Et illud paveo, & hoc formido: ita tota ſum miſera in metu.

INTERPRETATIO.

niſi ego interemero hodie téque tuámque filiam, méque: deinde verò niſi interfecero utrumque cras primo diluculo, & niſi cunctos proſtravero tertio congreſſu, niſi tu ad me illam remittis. dixi quæ volui. Vale. ME. *Ivit intrò furibundus. Quid ego faciam modò? Si illa revertatur ad hunc, res reſidet eodem loci. Ubi odium exarſerit, illam eliminabit quando ducet domum hanc uxorem Lemniam. Attamen ibo, & perſequar. Cavendum eſt ne aliquid demens perpetret. Demum quoniam non licet egeno contendere æquâ lege cum opulento, perdam operam potiùs quàm privet filia. Sed quis eſt ille qui dirigit ſuum curſum huc rectâ plateâ? Illud pertimeſco, & hoc metuo, adeò tota ſum infœlix in trepidatione.*

ANNOTATIONES.

49. *Primo luci.*] *Luci* pro *luce*. & *lux* ſeu *lucis* apud Veteres maſculina vox.

50. *Pedatus.*] Impetitio, quaſi collato pede: nos vernaculo noſtro non inappoſitè redderemus *une botte*. Alibi primo *cœtu, impetu, coitione*.

57. *Perdam operam.*] id eſt, Malim ad Alceſimarchum duxiſſe filiam, & eam ab Alceſimarcho repulſam, atque adeò perdidiſſe operam, eâ reductâ, quam capitis & vitæ periculum adiiſſe.

ACTUS SECUNDUS. SCENA SECUNDA.

ARGUMENTUM.

NARRAT Lampadiſcus quidquid geſſerit cum Lena ad detegendum ubi eſſet loci Silenium.

* * *

LAMPADISCUS.

ANUM ſectatus ſum clamore per vias:
Miſerrimam habui, ut illæc hodie quot modis
Sibi moderatrix fuit, atque immemorabilis!
Quot illi blanditias! quid illi promiſi boni!
Quot admœnivi illi fabricas! quot fallacias?
In quæſtione vix exſculpſi ut diceret,
Quia ei promiſi dolium vini dare.

INTERPRETATIO.

LAMP. *INſecutus ſum anum Lenam vociferando per vicos. Admodum eam vexavi: ſed quot modis illa ſibi cavit*, loquendo *hodie, ne quid detegeret de Melanide & Silenio. Quot blanditias adhibui! Quot illi promiſi præmia! Quot admovi machinas! Quot technas! Tandem ei extorſi rem, quando pollicitus ſum ei dare dolium vini.*

ANNOTATIONES.

1. *Per vias.*] Eſt hominum ignobiliorum *ſectari per vias* cum vociferatione & conviciis eum quocum eis ſit res. Alibi dicitur *differre pipulo*.

3. *Immemorabilis.*] Adduci non potuit vel minis vel precibus, ut mihi memoraret quæ peterem, nempe cui dediſſet Silenium quam ſuſtulerat ex Hyppodromo, in quo expoſueram, ſimulando ſe neſcire quid dicerem, & non recordari *Immemorabilis* hic activè poſitum, contra legem vocum in *bilis*, quæ paſſivè ſe habent. Activè ponuntur & hæc, *impetrabilis*, quod poteſt impetrare; *conducibile*, quod conducit res; *exitiabilis*, exitium afferens; *lucrificabilis*, lucrum afferens; *incogitabilis*, qui nihil cogitat. In Captivis Plautus *verſus immemorabiles* appellat, qui non debent memorari paſſivè propter obſcœnitatem.

5. *Admœnivi.*] id eſt, ad mœnia admovi machinas, quibus certiſſimè expugnari poſſent. Allegoria ducta ab obſidione: *Je l'ay aſſiegée.*

ACTUS SECUNDUS. SCENA TERTIA.

ARGUMENTUM.

NARRAT ſigillatim Lampadiſcus apud Phanoſtratam quidquid cum Lena quæ ſuſtulerat de Hyppodromo Silenium expoſitam, geſſerit. Auſcultat Melænis è latebris quid dicat Lampadiſcus Phanoſtratæ.

PHANOSTRATA, LAMPADISCVS, MELÆNIS.

PHANOSTRATA.

AUDIRE vocem viſa ſum ante ædis modò
Mei Lampadiſci ſervi. *LA.* non ſurda es, hera;
Rectè audiviſti. *PH.* quid agis hîc? *LA.* quod gaudeas.
PH. Quid id eſt? *LA.* hinc ex hiſce ædibus paulò priùs
Vidi exeuntem mulierem. *PH.* illam, quæ meam
Gnatam ſuſtulerat! *LA.* rem tenes. *PH.* quid poſtea?
LA. Dico ei, quo pacto eam ab Hyppodromo viderim
Herilem filiam noſtram ſuſtollere.
PH. Extimuit tum illa? *ME.* jam horret corpus! cor ſalit!
Nam mihi ab hyppodromo memini afferri parvulam
Puellam, eamque me mihi ſupponere.
PH. Age perge, quæſo: animus audire expetit
Ut res geſta ſit. *ME.* utinam audire non queas!
LA. Pergo illam *his alloqui* dictis: illæc anus
Fortuitò *matrem, ne ſe deſeras*, vocat.

INTERPRETATIO.

PHA. *PUto me audiviſſe modò vocem Lampadiſci mei ſervi ante ædes.* LA. *Non es ſurda, hera: audiviſti rectè.* PH. *Quid facis hic?* LA. *Quod læteris.* PH. *Quid eſt id?* LA. *Vidi modò mulierem exeuntem ex his ædibus.* PH. *Illamne quæ ſuſtulerat meam filiam?* LA. *Capis rem.* PH. *Quid deinceps?* LA. *Ei aperio quomodo eam viderim, quando ſuſtulit ab hyppodromo filiam noſtri heri.* PH. *Illáne tunc expavit?* ME. *Exhorreſco toto corpore! cor vibratur! Etenim recordor ad me allatam eſſe parvulam puellam ab hyppodromo, méque eam mihi ſuppoſuiſſe.* PH. *Age, proſequere, rogo: animus geſtit ſcire quomodo res acta ſit.* ME. *Utinam minimè poſſim audire!* LA. *Pergo illam alloqui. Illa anus quæ eſt tantùm furtim tua mater, dicit ſe eſſe tuam matrem, ne ipſa à te deſeratur.*

ANNOTATIONES.

7. *Hippodromo.*] *Hyppodromus*, curriculum equorum, ubi de celeritate curſus certatur citra pugnæ ſimulachrum.

15. *Fortuitò matrem, ne ſe deſeras, vocat.*] Alii *Orcinæ, Fortè matrem ne deſeras vocas.* *Orcinæ*, id eſt, Silenii orco genitæ. Ii quorum erat ignota & obſcura origo, *Orcini*, quaſi *orco geniti*, dicebantur. Sic appellabantur Senatores ignobiles. Ab aliis *terræ filii*, quia ignoti erant parentes: hoc nomine Gigantes, hoc nomine Cadmi milites. Olim qui patre certo non erant procreati, erant proſcripti, & eorum nomen & cauſa notabatur ex duabus capitalibus litteris, S, in *ſine*, & P in *patre*. Ex quibus litteris deinceps eſt facta vox *ſpurius*. *Fortuitò matrem*, *Fortuito-matrem.* In aliis *forte-matrem*, uno verbo ex duobus facto *forte-matrem*, id eſt, quæ ſibi ſuppoſuit alienum partum, ut ſit *forte-mater, forte-matris, forte-matri, forte-matrem*. Si pater habet prolem ex aliâ quàm ex uxore, dicitur *vitio-pater, vitio-patris*. Martialis.

Huic ſemper vitio-pater fuiſti.

Alii legunt pro *forte-mater, fortivo-mater*. Quod nec ſic malè videtur dictum, ad cujus anologiam vocis *furtivo-pater, furtivo-mater, furtivo-parentes*; aut *furto-pater, furto-mater, furto-parentes*, ſicut *forte-parentes*. Plautus in Pœnulo vocat, *filias-fures*, id eſt *furto ablatas*: quaſi dicas *fur-filia, fur-filia, fures-filia, fures-filiarum*.

Nam illæc tibi nutrix eſt, ne matrem cenſeas
Ego te reduco & revoco ad divitias, ubi
Tu locere in luculentam familiam:
Unde tibi talenta magna viginti pater
Det dotis. non enim hîc, ubi ex Tuſco modo
Tute tibi indignè dotem quæras corpore.
PH. An, amabò, meretrix illa eſt, quæ illam ſuſtulit?
LA. Imò meretrix fuit. ſed ut ſit, de eâ re eloquar.
Jam perducebam illam ad me ſuadelâ meâ:
Anus ei amplexa eſt genua, plorans, obſecrans,
Ne deſerat ſe: eam ſuam eſſe filiam,
Séque eam peperiſſe ſanctè adjurabat mihi.
Iſtanc quam quæris, inquit, ego amicæ meæ
Dedi, quæ educaret eam pro filiolâ ſuâ.
Et vivit, inquit. ubi ea eſt? inquam extempulò.
PH. Servate me dii, obſecro. *ME.* at me perditis.
PH.! Quoi illam dediſſet, exquiſiſſe oportuit.
LA. Quæſivi: & dixit, meretrici Melænidi.
ME. Meum elocutus eſt nomen: interii!
LA. Ubi elocuta eſt, ego continuò anum interrogo:
Ubi habitat, inquam, duc ac demonſtra mihi.

INTERPRETATIO.

Nam illa eſt tua nutrix, ne exiſtimes eam eſſe tuam matrem. Ego te revoco & reduco ad opes, & ad locupletem familiam, ex quâ pater tibi numerabit viginti magna talenta in dotem Nam non es ex eâ gente, in quâ Hetruſcorum more tuipſa tibi compares tuam dotem, per ſummum dedecus, vulgato corpore. PH. *An, amabò, meretrix illa eſt qua illam ſuſtulit?* LA. *Immò meretrix fuit: ſed dicam ut ſe res habet. Modò illam adducebam ad meam ſententiam meâ oratione: anus ejus amplexata eſt genua, flens obteſtata ne ab eâ deſeratur: mihi jurabat religiosè eam eſſe ſuam filiam, ſeque eam genuiſſe. Ego tradidi, inquit, mea amica iſtam quam quæris, ut eam enutriret pro ſuâ filiâ. Et vivit, inquit. Ubi eſt illa? inquam, è veſtigio.* PH. *Dii, conſervate me. obſecro.* ME. *At me conficitis.* PH. *Oportebat ab eâ petere cui illam dediſſet.* LA. *Petivi, & reſpondit, meretrici Melanidi.* ME. *Protulit meum nomen: interii! perii!* LA. *Ubi reſpondit uno tempore, ego ſciſcitor à vetulâ, Oſtendo mihi, & dic, inquam, ubi manet Melanis.*

ANNOTATIONES.

19. *Talenta magna.*] Quodlibet *talentum* habebat ſexaginta minas, ſed *magnum* ſeu *Atticum* pretioſiores.

20. *Ex Tuſco modo.*] Herodotus tradit Hetruſcas puellas parare ſibi dotem ad nuptias legitimas meretricio quæſtu. Horatius notat in vico Tuſco Romæ habitaſſe ſcorta.

Tuſci turba impia vici.

Tuſci modi ſunt & tibicinum & fidicinum, quibus quærebant dotem puellæ. Credibile eſt Plautum ludere in ambiguo, ita ut quærere dotem *Tuſco modo*, intelligi poſſit, & de iis quæ meretricio quæſtu, & de iis quæ tibiis & fidibus Lydiis dotem quærunt.

24. *Suadela.*] Horatius,

Et benè nummatum decorat Suadela
Venúſque.

Avecta eſt, inquit, peregrè hinc habitatum. *ME.* obſipat
Aquulam. *LA.* quò avecta eſt, eò ſequemur. ſiccine agis
Nugas? periiſti, ne hercle hoc longè. deſtiti
Inſtare, uſque adeò, donec ſe adjurat anus
Jam mihi monſtrare. *PH.* ah! non miſſam oportuit.
LA. Servatur: ſed illæc ſe quandam aiebat mulierem
Suam benevolentem convenire etiam prius,
Commune quâ cùm id eſſet ſibi negotium.
Et ſcio venturam. *ME.* me indicabit, & ſuas
Ad meas miſerias alias faciem conſciam.
PH. Quid nunc vis facere me? *LA.* intrò abi, atque animo bono es.
Vir tuus ſi veniet, jube domi opperirier,
Ne in quæſtione mihi ſit, ſi quid eum velim.
Ego ad anum recurro rurſum. *PH.* Lampadio, obſecro,
Cura. *LA.* perfectum ego hoc dabo negotium.
PH. Deos, téque ſpero. *LA.* eoſdem ego, uti habeas domum.
ME. Adoleſcens, aſta, atque audi. *LA.* men', mulier, vocas?
ME. Te. *LA.* quid negotii eſt? nam occupatus ſum ampliter.
ME. Quis iſtic habitat? *LA.* Demipho dominus meus.
ME. Nempe iſtic eſt, qui Alceſimarcho filiam
Suam deſpondit in divitias maxumas?

INTERPRETATIO.

Abiit hinc, inquit, ad habitandum longè. ME. *Aſpergit aquulam.* LA. *Eò adibimus quò delata eſt. Siccine nugaris? Interiiſti, &* interitus *non abeſt longè. Perſecutus ſum urgere uſque eodum anus jurat ſe jam mihi monſtraturam Melænidem.* PH. *Sed non oportebat eam dimittere.* LA. *Cuſtoditur: verùm illa dictitabat ſe adituram priùs quandam fœminam, ſuam amicam, cum quâ id negotii habebat commune: & ſcio venturam.* ME. *Me deteget* Lena, & adjiciet, *ſuas miſerias ad meas faciam conſciam.* PH. *Aperi mihi quid vis me agere jam?* LA. *Ingredere, atque eſto æquo animo: ſi venerit vir tuus, dic ut expectet domi, ne quærendus ſit, ſi velim ei dicere aliquid. Ego ad anum revertor iterum.* PH. *Obteſtor, Lampadiſce, id cura.* LA. *Ego id perficiam.* PH. *Spem colloco in diis, téque.* LA. *Eoſdem deos ego rogo, uti habeas reductam filiam domum.* ME. *Adoleſcens, conſiſte, & attende.* LA. *Méne appellas, mulier?* ME. *Te.* LA. *Quid rei eſt? Etenim impeditus ſum magnopere.* ME. *Quis manet hic?* LA. *Demipho meus dominus.* ME. *Nimirum eſt iſte qui deſpondit ſuam filiam Alceſimarcho in ampliſſimas divitias?*

ANNOTATIONES.

37. *Obſipat aquulam.*] *Obſipat* à *ſipo*, jacio. *Diſſipo* eſt etiamnum in uſu. *Obſipat aquulam* dicitur de eo qui recreat à metu. Metaphora ſumpta ab iis quibus animo deficientibus aqua aſpergitur, quâ ſpiritus recipiant & expergiſcant. Feſtus. *Sipat jacit. diſſipat disjicit, obſipat objicit. inſipat injicit.*

39. *Ne hercle hoc longè.*] *Hoc*, hoc loco eſt demonſtrativum: quaſi dicat: Ne tantum quidem digitum abes ab exitio. Idque dicat prolato digito; ut nos dicimus, *Il ne s'en faut pas cela:* & uno tempore aliquid proferimus admodum exigui.

46. *Faciem conſciam.*] Alii *faciam conſciam*, id eſt, Phanoſtratam, ut ſola miſera ſit Lena. Alii, *quum ſciam.* Alii, *ac meas miſerias alias faciam conſcias.* Alii, *ad meas miſerias addet,* PH. *Fac me conſciam, Quid,* &c.

LA. Is ipſus eſt. *ME.* eho tu! quam vos igitur filiam,
Nunc quæritatis alteram? *LA.* ego dicam tibi,
Non ex uxore gnatam uxoris filiam.
ME. Quid iſtuc eſt verbi? *LA.* ex priore muliere
Nata, inquam, meo hero filia eſt. *ME.* certè modò
Hujus, quæ locuta eſt, quærere aiebas filiam.
LA. Hujus ego quæro. *ME.* quomodo igitur, obſecro,
Hæc eſt prior, quæ nupta nunc eſt? *LA.* conteris
Tu tuâ me oratione, mulier, quiſquis es.
Medioxumam quam duxit uxorem, ex eâ
Nata eſt hæc virgo, Alceſimarcho quæ datur.
Ea uxor diem obiit. jam ſcis? *ME.* teneo iſtuc ſatis.
Sed ego illud quæro confragoſum, quo modo
Prior poſterior ſit, & poſterior ſit prior?
LA. Priùs hanc compreſſit, quàm uxorem duxit domum:
Priùs gravida facta eſt, priúſque peperit filiam.
Eam poſtquam peperit, juſſit parvam projici.
Ego eam projeci, alia mulier ſuſtulit:
Ego inſpectavi. herus hanc duxit poſtibi.
Eam nunc puellam filiam ejus quærimus.
Quid nunc ſupina ſuſum in cælum conſpicis?

INTERPRETATIO.

LA. *Eſt is ipſe.* ME. *Eho! quam aliam filiam quaritatis vos ergo?* LA. *Ego tibi aperiam, filiam uxoris non genitam ex uxore.* ME. *Quodnam verbum eſt illud?* LA. *Eſt filia, inquam, meo hero ex priore muliere nata.* ME. *Certè dicebas te quarere filiam illius qua locuta eſt modò.* LA. *Ego quaro hujus filiam.* ME. *Quomodo igitur, amabò, hac eſt prior qua eſt nunc nupta.* LA. *Mulier, quacunque es, tu enecas me tuo ſermone. Hac virgo qua datur Alceſimarcho, nata eſt ex eâ quam mediam duxit uxorem. Ea uxor mortua eſt. Jam capis.* ME. *Capio id probè: ſed ego non capio id quod eſt involutum; quomodo poſterior ſit prior, & prior ſit poſterior?* LA. *Priuſquàm duxit domum hanc uxorem, compreſſit: facta eſt gravida, priuſque peperit filiam. Poſtquam eam peperit, juſſit exponi parvam. Ego eam expoſui, alia mulier extulit: ego inſpectavi; herus hanc duxit poſteà: nunc quarimus hanc puellam, ejus filiam. Quid ſuſpicis jam ſurſum in altum ſupina?*

ANNOTATIONES.

58. *Is ipſus eſt.*] Alii *ips ipſus eſt.* Veteres *ips, quips*, pro *is. quis: ipſipti*, pro *ipſipſi.* Sic *adgreſſus* & *adgretus.* Feſtus. *Ipſipte ipſi neque alii.* Inde *mihipte.*

60. *Non ex uxore gnatam uxoris filiam.*] Ænigma ſolutu facile. Silenium erat filia Phanoſtratæ, quæ erat uxor Demiphonis; ſed quæ non fuerat uxor quando peperit.

67. *Medioxuma.*] *Media.* Videtur hoc loco innuere triplex eſſe Demiphonis conjugium Plautus: furtivum primum cum Phanoſtratâ; legitimum alterum cum Lemniâ anonymâ; tertium cum eâdem Phanoſtratâ, ſed legitimum. Lemniam conjugem vocat *medioxumam*, ſeu *mediam.*

77. *Eam nunc puellam.*] *Puella* appellantur etiam ex quæ matrimonio junctæ, vel uterum ferunt, vel etiam pepererunt. Horatius, *Laborantes utero puella.* Terentius & Virgilius *virginem*, & Euripides *παρθένον* vocat non unius prolis parentes. Sunt & quibus *virgo* nubilis eſt *mulier.*

78. *Suſum.*] *Sus* & *ſuſum*, pro *ſurſum.*

ME. I nunc jam iſtuc quò properabas, nihil moror.
Nunc intellexi. *LA.* diis hercle habeo gratiam:
Nam ni intellexes, nunquam, credo, amitteres.
ME. Nunc mihi bonæ neceſſum 'ſt eſſe ingratiis,
Quanquam eſſe nolo. rem palàm eſſe intellego.
Nunc egomet potiùs hanc inibo gratiam
Ab illis, quàm illæc indicet me. ibo domum,
Atque ad parentes reduco Silenium.

INTERPRETATIO.

ME. *I nunc illuc quò accelerabas: non te retineo: jam capio.* LA. *Ago gratias diis: nam niſi intellexiſſes, puto nunquam dimiſiſſes.* ME. *Jam neceſſe eſt me eſſe bonam invita: tametſi eſſe nolo. Video rem eſſe detectam. Nunc egomet benè merebor de illis potiùs, quàm illa me detegat. Ibo domum, atque reduco Silenium ad ſuos parentes.*

ACTUS TERTIUS.

ARGUMENTUM.

MELÆNIS poſtquam in poſtſcenio aperuit Silenio omnem ejus expoſitionis ſuppoſitioniſque rationem, deducit Silenium ipſam ad Demiphonem & Phanoſtratam parentes, unâ comite Haliſcâ ancillâ, cui dat ciſtellam in quâ crepundia erant, quibus poſſet à parentibus agnoſci Sileinum. Sed ecce Alceſimarchus ſtricto ferro parat ſibi conſciſcere necem, quia ſibi eripitur ſua Silenium. Idcircò territæ tam crudelis metu facinoris mulierculæ Melænis, Silenium, Haliſca, in hominem irruunt ad eum pro viribus prohibendum. In eâ perturbatione Haliſca deponit ad limen Demiphonis ciſtellam, quæ ſtatim à Lampadiſco tollitur, & Phanoſtratæ datur. Alceſimarchus ſuam Silenium ſervorum ſuorum adjutorio per vim raptam, in ædes ſuas conjicit, excluſis Melænide & Haliſcâ.

ALCESIMARCHVS, SILENIVM, MELÆNIS.

MELÆNIS.

REm elocuta ſum tibi omnem : ſequere me, mea Silenium,
Ut eorum, cujam eſſe oportet te, ſis potiùs quàm mea.
Quanquam invita te carebo, animum ego inducam tamen,
Ut illud quod in tuam rem benè conducat, conſulam :
Nam hîc crepundia inſunt, quibuſcum te illa olim ad me detulit,
Quæ mihi dedit : parentes te ut cognoſcant faciliùs.
Accipe hanc ciſtellam, Haliſca, atque agedum pulta illas fores.
Dic me orare, ut aliquis intus prodeat properè ocyùs.
AL. Accipe me ad te, Mors, amicum & benevolum! *SI.* mater mea!
Periimus, miſeræ! *AL.* utrùm hàc me feriam, an ab lævâ latus?
ME. Quid tibi eſt? *SI.* Alceſimarchum non vides ferrum tenentem?
AL. Ecquid agis? remorare? lumen linque. *SI.* amabò, accurrite,
Ne ſe interimat. *AL.* ô Salute mea ſalus ſalubrior,
Tu nunc, ſi ego volo ſeu nolo, ſola me ut vivam facis.
ME. Hau! voluiſti iſtuc ſeverum facere! *AL.* nihil mecum tibi :
Mortuus tibi ſum : hanc ut habeo, certum eſt non amittere.

INTERPRETATIO.

ME. *Tibi expoſui omnem rem : ſequere me, mea Silenium, ut ſis potiùs eorum quorum te eſſe oportet, quàm mea. Tametſi privabor te ægrè, tamen impetrabo à me ut procurem id quod rectè cedat in tuum commodum. Etenim in ciſtâ hâc inſunt crepundia cum quibus illa te detulit ad me, quæ mihi dedit olim, ut parentes te cognoſcant faciliùs. Accipe hanc arculam, Haliſca, atque agedum impelle has fores: nuntia me rogare ut aliquis ab ædibus prodeat celeriter.* AL. *Recipe me ad te, Mors, amicum & benevolum.* SI. *Mea mater, interiimus miſeræ!* AL. *Utrùm mihi confodiam latus à dextrâ an ab lævâ?* ME. *Quid tibi eſt?* SI. *Non cernis Alceſimarchum tenentem manu gladium?* AL. *Ecquid facis? Cunctaris? Profunde vitam.* SI. *Accelerate, obteſtor, ne ſe confodiat.* AL. *O ſalus,* Silenium, *ſalubrior meâ ſalute! tu efficis una ut ego vivam, ſive ego volo, ſive ego nolo.* ME. *Ah! voluiſti perpetrare illud crudele facinus!* AL. *Nihil mihi tecum diſceptandum : Interii tibi: ſicut teneo, hanc propoſitum eſt non dimittere.*

ANNOTATIONES.

1. *Silenium.*] Camer. *Selenium,* ἀπὸ τῆς σελήνης *Lunulam*, rotundo ſeu circulari vultu & venuſto.

5. *Crepundia.*] Vocantur hæc ſupellex puerilis ætatis quaſi propria. Cujus generis ſunt crepitacula luſoria, faſcinum & amuletum quodvis quod collo puerorum appendebatur, præſertim expoſititiorum. Hæc ſunt Terentio *monumenta*, Græcis *γνωρίσματα*.

15. *Voluiſti iſtuc ſeverum facere.*] Nonius, *Severum ſignificat aliquando ſævum, implacitum, vitabile.* Virgilius.

Invidia infœlix furias amnémque ſeverum
Cocyti metuet.

Plautus ipſe, *Neptunum ſeverum, ſævum, & avidis moribus.* Juvenalis.

— ſcævâ dignum veráque Charybdi.

Nam hercle jam ad me agglutinandum totam decretum eſt dare.
Ubi eſtis, ſervi? occludite ædis peſſulis, repagulis,
Ubi hanc ego tetulero intra limen. *ME.* abiit, abſtulit
Mulierem. ibo, perſequar jam illum intrò, ut hæc ex me ſciat
Eadem, ſi poſſum tranquillum facere ex irato mihi.

INTERPRETATIO.

Nam deliberatum eſt jam illam mihi totam adjungere: Adeſte, famuli! occludite fores peſſulis, repagulis, ubi primùm ego hanc intulero in ædes. ME. *Exceſſit, abſtulit Silenium. Ego ibo intrò: jam conſequar Alceſimarchum, ut ſciat ex me quæ dixi Silenio eâdem ratione, modò valeam reddere ex irato mihi placatum.*

ACTUS QUARTUS.

ARGUMENTUM.

EST pars prima ſolutionis Fabulæ.

ACTUS QUARTUS. SCENA PRIMA.

ARGUMENTUM.

INTEREA DUM Haliſca ſuccurrit Alceſimarcho ſibi necem afferre molienti, cum Melænide & Silenio, reliquerat ad januam Phanoſtratæ ciſtellam, in quâ crepundia erant, olim cum Silenio expoſita. Eam reperit Lampadiſcus, defert ad Phanoſtratam. Phanoſtrata cognoſcit eſſe crepundia Silenii filiæ.

LAMPADISCUS, PHANOSTRATA.

LAMPADISCUS.

NULLAM ego me vidiſſe credo magis anum excruciabilem
Quàm illæc eſt, quæ dudum faſſa eſt mihi, quæne inficias eat!
Sed eccam heram video. ſed quid hoc eſt, hæc quòd ciſtella hîc jacet
Cum crepundiis? nec quemquam conſpicor alium in viâ!

INTERPRETATIO.

LA. *EGo arbitror me nunquam vidiſſe ullam anum ſupplicio digniorem, quàm eſt hæc, quæ mihi negat quæ confeſſa eſt dudum! Sed ecce cerno heram. Sed quare hæc ciſtella hîc poſita eſt cum crepundiis? nec aſpicio quemquam alium in viâ?*

ANNOTATIONES.

1. *Excruciabilem.*] *Excruciabilis* paſſivè poteſt & activè ſumi; quia hoc loco innuit Lampadiſcus Lenam quæ ſuſtulerat ex hyppodromo Silenium, & eſſe cruciatu digniſſimam, & ſibi afferre magnum cruciatum ſuâ inficiatione.

2. *Quæne inficias eat?*] *quæ* pro *hæc.* Hæcne inficias eat impunè in iis quæ mihi confeſſa eſt.

Faciundum eſt puerile officium : conquiniſcam ad ciſtulam.
PH. Quid agis, Lampadio? *LA.* hæc ciſtella numnam hinc ab nobis domo eſt?
Nam hinc ab oſtio jacentem ſuſtuli. *PH.* quid nuncias
Super anu? *LA.* ſceleſtiorem in terrâ nullam eſſe alteram.
Omnia inficias ire ea, quæ dudum confeſſa eſt mihi.
Nam hercle ego illam anum irridere me ut ſinam? ſatius eſt mihi
Quovis exitio interire. *PH.* dî obſecro voſtram fidem!
LA. Quid deos obſecras? *PH.* ſervate nos. *LA.* quid eſt? *PH.* crepundia
Hæc ſunt, quibuſcum tu extuliſti noſtram filiolam ad necem.
LA. Sanáne es? *PH.* hæc ſunt profectò. *LA.* pergin'? *PH.* hæc ſunt. *LA.* ſi mihi
Alia mulier iſtoc pacto dicat, dicam eſſe ebriam.
PH. Non ecaſtor caſſa memoro. nam, obſecro, unde hæc gentium?
Aut quis deus objecit hanc ante oſtium noſtrum? quaſi
Deditâ operâ in tempore ipſo Spes mihi ſancta ſubvenit.

INTERPRETATIO.

Imitandi ſunt pueri, deprimam me ad ciſtulam. PH. *Quid facis, Lampadiſce?* LA. *Hæc ciſtella nonne allata eſt à noſtris ædibus? Nam ſuſtuli ab limine ad quod erat poſita.* PH. *Quid refers de anu?* LA. *Arbitror eſſe nullam aliam uſquam gentium nequiorem: diffitetur jam cuncta quæ mihi confeſſa eſt dudum. Ut ego patiar illam anum mihi illudere? Mihi eſt optabilius oppetere quodvis exitium.* PH. *Dii, obſecro veſtram fidem!* LA. *Quid appellas deos?* PH. *Conſervate nos.* LA. *Quid eſt?* PH. *Hæc ſunt crepundia cum quibus extuliſti noſtram filiolam ad necem.* LA. *Sapiſne?* PH. *Hæc ſunt ſanè.* LA. *Pergis?* PH. *Hæc ſunt.* LA. *Si alia mulier mihi affirmet id hoc modo, affirmavero eſſe temulentam.* PH. *Sanè non narro inania. Nam, amabò, unde gentium hæc? Aut quis deus hanc objecit ante limen noſtrum? Spes ſancta mihi fuit auxilio tempeſtivè, quaſi de compoſito.*

ANNOTATIONES.

5. *Faciundum eſt puerile officium.*] id eſt, crepundia quatiam, imitatus pueros. Hæc enim eſt natura pueritiæ & infantiæ, ut tumultu delectetur & fragore. Idcircò *crepundia* collo appenduntur, quæ ipſa nomine ſatis explicant. *Crepundia* enim à *crepo*. *Puerile officium*, alii *pueril officium*: antiquitus *pueril* pro *puerile*, *ſimil* pro *ſimile*.

Conquiniſcam.] *Conquiniſco* eſt *deprimere ſeſe*, ita ut tamen pedibus conſiſtas, & capite erecto ſis; vernaculè *s'acroupir*. Idque aut ad tollendam humo ciſtellam, aut ad aperiendam, facit Lampadiſcus.

16. *Caſſa memoro.*] Alii *Campas*. *Campæ* autem ſunt res fabuloſæ. *Caſſa* ſunt *inania*, *futilia*.

ACTUS QUARTUS. SCENA SECUNDA.

ARGVMENTVM.

HALISCA in quærendâ ciſtellâ detegit Silenium: nimirum quum inſiſtit veſtigiis Lampadiſci, ad Lampadiſcum & Phanoſtratam pervenit, & indicat Silenium.

HALISCA, LAMPADISCVS, PHANOSTRATA.

HALISCA.

NISI quid mihi opis
Dî dant, diſperii: neque unde auxilium expetam habeo.
Itaque petulantia mea me animi miſeram habet:
Quæ in tergum meum ne veniat, malè formido:
Si hera mea ſciat, tam ſocordem eſſe, quàm ſum.
Quamne in manibus tenui atque accepi hîc ante ædis
Ciſtellam? ubi ea ſit, neſcio: niſi, ut opinor,
Loca hæc circiter excidit mihi. mi homines,
Mi ſpectatores: facite indicium, ſi quis
Vidit, ſi quis eam abſtulerit, quiſve
Suſtulerit, & utrùm hàc an illàc iter inſtiterit.
Non ſum ſcitior, quæ hos rogem, aut quæ fatigem,
Qui ſemper malo muliebri ſunt lubentes.
Nunc veſtigia hîc, ſi qua ſunt, noſcitabo.
Nam ſi nemo hàc præteriit, poſtquàm intrò abii,
Ciſtella hîc jaceret. quid, hîc? periit, opinor.
Actum eſt! ilicet me infelicem & ſceleſtam.

INTERPRETATIO.

HA. *INterii, niſi dii mihi oſtendant aliquid auxilii, neque eſt mihi unde expectem opem. Itaque mea amentia mihi excruciat animum, quia pertimeſco magnopere ne recidat in tergum meum: ſi mea hera reſciat me eſſe tam negligentem, mène oportet amittere ciſtellam quam acceperam, atque tenebam in manibus ante ædes? Ignoro ubi ea ſit, niſi ut puto eam perdidi circiter hæc loca. Mi homines, mi ſpectatores, indicate ſi quis eam vidit, ſi quis eam abſtulit, & quis ſuſtulerit, & utrùm viam inſtiterit hàc an illàc. Quanquam non ero certior ſi interrogem hos, aut quæ moleſta ſum iis qui lætantur malis muliebribus. Jam notabo veſtigia, ſi qua ſunt. Nam ſi nemo iter habuit hàc, ex quo ingreſſa ſum, ciſtella jaceret hic. Quid dico, hic? perdita eſt, actum eſt! me miſeram & ſceleratam.*

ANNOTATIONES.

4. *Quæ in tergum meum.*] Valdè metuo ne ea cauſa ſit cur virgæ in tergum meum ſint *petulantes*.

8. *Mi homines.*] Synæreſis, pro *mei homines*.

Nulla

Nulla eſt! neque ego ſum uſquam: perdita perdidit me.
Sed pergam, ut cœpi, tamen: quæritabo.
Nam & intus paveo, & foris formido: ita nunc
Utrobique ne metus agitat. illo ſunt homines miſerè
Miſeri. ille nunc lætus eſt, quiſque eſt, qui illam habet:
Quæ neque illa illi quicquam uſui 'ſt: mihi eſſe poteſt.
Sed memet moror, quum hoc ago ſeciùs.
Haliſca, hoc age: ad terram aſpice, & deſpice:
Oculis inveſtigans aſtutè augura. *LA.* hera, hem tibi!
PH. Quid eſt? *LA.* hæc eſt. *PH.* quis? *LA.* quoi hæc excidit ciſtella:
Certè eccum locum ſignat, ubi ea excidit. *PH.* apparet!
HA. Sed is hàc iit: hàc ſocci video veſtigium
In pulvere: perſequar hàc. in hoc jam loco cum altero
Conſtitit. hîc meis turbo oculis modò ſe objecit:
Neque prorſum iniit hàc. hîc ſtetit: hinc illuc exiit: hîc
Concilium fuit. ad duos attinet: hi qui *qui* ſunt!
Attat, ſingulum video veſtigium. ſed is hàc abiit.
Contemplabor. hinc huc iit: hinc nuſquam abiit.

INTERPRETATIO.

Nulla eſt ciſtella, *& ego ſum nulla: me perdidit perdita. Attamen proſequar, ut inſtitui: inveſtigabo: nam & paveo intus, & formido foris, adeò timor me jactat jam hinc inde. Hoc homines ſunt miſeri miſerè. Ille qui habet ciſtellam, gaudet nunc. quiſquis eſt. ciſtellâ* inventâ, *quæ nullo modo illi eſt utilis, mihi eſſe poteſt utilis. Sed memet retardo, quando quæro ciſtellam remiſſiùs. Haliſca, in id incumbe, intuere terram, circumſpice, inveſtiga oculis, augurare callidè.* LA. *Hera!* PH. *Hem! quid eſt?* LA. *Hæc eſt.* PH. *Quis?* LA. *Cui hæc ciſtella excidit? Certè ecce notat locum in quo ea excidit.* PH. *Ea videtur eſſe.* HA. *Sed is iit hàc: intueor hàc veſtigium ſocii in pulvere: perſequar hàc. Jam conſtitit in hoc loco cum altero. Turbo ſe obtulit mox hic meis oculis, neque proceſſit hàc rectà. Hîc conſtitit: hinc exiit illuc: hic congreſſus fuit: res ad duos pertinet: qui ſunt illi: Atat video uniuſcujuſque veſtigium. Sed is abiit hàc: ſpeculabor: hinc huc venit: hinc abiit nuſquam.*

ANNOTATIONES.

20. *Foris formido.*] Verbera videlicet aut increpationem.

21 *Illo ſunt.*] In aliis *hillo*, ab *hillum*. res nihili: unde *nihil*. & *nihilum*: quaſi dicat ancilla: Quam nihilam ob rem ſumus plerumque miſeri.

24 *Ago ſeciùs.*] *ſegniùs, ſequiùs, ſetiùs, ſectiùs, ſecordiùs, ſocordiùs.*

25. *Ad terram aſpice.*] Geomantia eſt, augurari futura ex *terra* aſpectu.

26. *Augura.*] id eſt, more augurum loca omnia attentè perluſtra. *Auguro*, quando ſine ceremoniis augurum conjicimus: *Auguror*, quando cum ceremoniis captamus futura, ut volatu avium, garritu, tripudio.

31. *Turbo.*] Motus eſt in gyrum: veſtigia arenâ impreſſa alia aliò converſa erant.

33. *Concilium fuit.*] Apparet ex veſtigiis plures fuiſſe; & quoniam in invicem obverſa apparet & ſimul deliberaſſe.

Ad duos attinet.] Duorum unà conſultantium veſtigia video.

Actam rem ago. quod periit, periit; meum corium
Cum ciſtellâ. redeo intrò. *PH.* mulier, mane: ſunt
Qui volunt te conventam. *HA.* quis me revocat?
LA. Bona fœmina, & malus maſculus volunt te.
HA. Malum aufer. bonum mihi opus eſt. poſtremò, ille
Plus, qui vocat, ſcit quod velit, quàm ego quæ vocor. revertor!
Ecquem vidiſti quærere hîc, amabò, in hâc regione
Ciſtellam cum crepundiis, quam ego hîc amiſi, miſera?
Nam dudum ut accurrimus ad Alceſimarchum, ne ſuam vitam
Interimeret, *tum mihi puto præ* timore hîc excidiſſe
Ciſtellam. *LA.* hæc mulier *noſtra eſt. quin operam* damus, hera, parumper.
HA. Diſperii, miſera! quid ego meæ heræ dicam? quæ me opere tanto
Servare juſſit, quî ſuos Silenium parentes
Faciliùs poſſet noſcere, quæ heræ meæ ſuppoſita eſt parva:
Quam quædam meretrix ei dedit. *LA.* noſtram hæc rem fabulatur
Hanc ſcire oportet filia tua ubi ſit, ſigna ut dicit.
HA. Nunc eam volt ſuæ matri & patri, quibus nata eſt, reddere ultrò.
Mi homo, obſecro, alias res geris, ego tibi meas res mando.
LA. Iſtuc ago: atque iſtuc mihi cibus eſt, quod fabulare:
Sed inter rem agendam iſtam heræ huic reſpondi, quod rogabat.
Nunc ad te redeo: ſi quid eſt opus, dic, impera & tu.

INTERPRETATIO.

Inanem operam ſumo: quod perditum eſt, perditum eſt, id eſt, meum corium cum ciſtellâ. Revertor intrò. PH. *Mulier, mane: ſunt qui volunt te convenire.* HA. *Quis me revocat?* LA. *Frugi mulier & nequam vir cupiunt te alloqui.* HA. *Omitte mali commemorationem: opus eſt mihi bono: demum ille qui appellat, intelligit quid cupiat magis quàm ego quæ appellor. Redeo. Quemnam vidiſti hic auferre, quæſo, in his locis ciſtellam cum crepundiis, quam ego hîc perdidi, infœlix. Nam pridem ut advolavimus. ad Alceſimarchum, ne eriperet ſibi vitam, tum credo ciſtellam mihi eſſe delapſam hîc præ metu.* LA. *Hæc fœmina eſt noſtra. Quin audimus tantiſper, hera.* HA. *Occidi, infœlix! quid reſpondebo ego meæ heræ, quæ mihi imperavit adeò cuſtodire, ut Silenium poſſet faciliùs cognoſcere ſuos parentes, quæ ſuppoſita eſt parva meæ heræ, quam quædam meretrix ei dedit.* LA. *Hæc narrat noſtram rem: oportet hanc ſcire ubi ſit tua filia, adeò notat exactè indicia.* HA. *Nunc cupit æquo animo reſtituere eam ſuæ matri & patri, à quibus procreata eſt. Mi homo, obſecro, geris alias res, ego tibi commendo meas res.* LA. *Animum adverto, & id quod dicis eſt mihi epulum. ſed intereà dum agit eam rem, reponit huic heræ quod poſtulabat. Jam ad te revertor: ſi quid eſt opus, eloquere: jube & tu.*

ANNOTATIONES.

36. *Meum corium cum ciſtellâ.*] Perdidi meam cutem, quæ mihi detrahetur flagris propter perditam ciſtellam.

56. *Si quid eſt opus.*] Formula loquendi, quâ uti ſolemus quando nos ad omnia promptos paratóſque teſtamur, alterius causâ, idque potiſſimùm in diſceſſu,

Quid quæritabas? *HA.* mi homo, & mea mulier, vos ſaluto.
PH. Et nos te. ſed quid quæritas? *HA.* veſtigium hîc requiro,
Quà aufugit quædam *neſcio quò mihi*. *PH.*quid id?quid *id*nam eſt?
HA. Alienum *quod damnum afferat*, & mœrorem familiarem.
LA. Mala merx, hera, hæc & callida eſt. *PH.* ecaſtor ita videtur.
LA. Imitatur nequam beſtiam & damnificam. *PH.* quamnam, amabò?
LA. Involvolum, qui in pampini folio intorta implicat ſe:
Itidem hæc exorditur ſibi intortam orationem.
Quid quæritas? *HA.* ciſtella mihi hîc, mi adoleſcens, evolavit.
LA. In caveam latam oportuit. *HA.* non edepol præda magna.
LA. Mirum, quin grex venalium in ciſtellâ infuerit unà.
PH. Sine dicat. *LA.* ſi dicat quidem. *PH.* age loquere tu, quid ibi infuerit.
HA. Crepundia una. *LA.* eſt quidam homo, qui illam ait ſe ſcire ubi ſit.
HA. At pol ille à quâdam muliere, ſi eam monſtret, gratiam ineat.
LA. At ſibi ille quidam volt dari mercedem. *HA.* at pol illa quædam,
Quæ illam ciſtellam perdidit, cuidam negat eſſe, quod det.
LA. At enim ille quidam *argentum expetit*. *HA.* *at nequi* quam argentum expetit.
LA. At pol ille quidam, mulier, in nullâ operâ gratuitâ eſt.

INTERPRETATIO.

Quid inveſtigabas? HA. *Mi homo, & mea mulier, vos ſaluto.* PH. *Et nos te. Sed quid inveſtigabas?* HA. *Quæro hîc veſtigium quà aufugit quædam prædatrix mea ciſtella neſcio quò.* PH. *Quid illud eſt? Quid idnam eſt?* HA. *Quod apportet jacturam externam, & mœſtitiam domeſticam.* LA. *Hæc Haliſca verſipellis eſt, & improba merx.* PH. *Sanè ſic exiſtimo.* LA. *Haliſca ſimilis eſt nequiſſimæ beſtiæ & noxiæ.* PH. *Cuinam beſtiæ, quæſo?* LA. *Involvulo qui involvit ſe intortâ in fronde vitis: ſic hæc ingreditur hîc implicatum ſibi ſermonem. Quid inveſtigas?* HA. *Ciſtella mihi hîc evolavit, mi adoleſcens.* LA. *Oportebat illam ferre in caveâ.* HA. *Sanè non eſt magna præda.* LA. *Mirum ſi grex venalium ſervorum non incluſus fuerit in unâ ciſtellâ.* PH. *Patere, eloquatur Haliſca.* LA. *Si modò eloqui placeat.* PH. *Age dic tu, quid fuerit in ciſtellâ.* HA. *Crepundia ſola.* LA. *Eſt quidam homo qui dicit ſe ſcire ubi illa ſit.* HA. *Sanè ille gratiſſimum faciat cuidam mulieri, ſi eam commonſtret.* LA. *Sed ille quidem cupit ſibi rependi præmium.* HA. *Sed profectò illa quædam quæ amiſit illam ciſtellam, negat eſſe ſibi quod præbeat cuiquam.* LA. *Sed enim ille quidam pecuniam cupit.* HA. *Sed pecuniam cupit incaſſum.* LA. *Sed profectò ille quidam, Haliſca, præbebit nullam operam gratuitam.*

ANNOTATIONES.

61. *Mala merx.*] Convitium in mulieres à comico torqueri ſolitum.

64. *Intortam orationem.*] Cicero. *Involucra & integumenta* diſſimulationis: alibi, *verſutiloquas malitias*. Suidas, στρεψιμάλλοις. Theophraſtus. πλοχὰς, *alterplices* ab *alterplex*.

66. *In caveam.*] Ludit in verbo *evolavit*. *Cavea*, cage.

Exquiritote : ego ſerva ſum. *PH.* æquum poſtulas.
HA. Illius ego iſtanc eſſe malo gratiam.
Sed iſtanc ciſtellam te obſecro ut reddas mihi.
PH. Quid fit, Lampadio? *LA.* quod tuum eſt, teneas tuum.
PH. At me hujus miſeret. *LA.* ſic faciundum cenſeo.
Da iſti ciſtellam, & intrò abi cum iſtâc ſimul.
PH. Tibi auſcultabo. tene tu ciſtellam tibi.
Abeamus intrò. ſed quod nomen eſt tuæ
Dominæ? *HA.* Melænis. *PH.* i, i præ. jam ego te ſequar.

INTERPRETATIO.

ego ſum ſerva. PH. *Regas quod juſtum eſt.* HA. *Ego malo illud beneficium illi tribui: ſed rogo te ut mihi reſtituas iſtam ciſtellam.* PH. *Quid faciam. Lampadiſce?* LA. *Quod eſt in manibus, retine.* PH. *At me miſeret hujus.* LA. *Exiſtimo ſic eſſe agendum: da tu ciſtellam, & ingredere unà cum iſtâ.* PH. *Tibi obtemperabo: tene tu tibi ciſtellam. Ingrediamur. Sed quod nomen eſt tua domina?* HA. *Melanis.* PH. *Prai: ego modò te conſequar.*

ACTUS QUINTUS.

ARGUMENTUM.

NUNTIATUR Demiphoni inventam eſſe Silenium ſuam. Pergit domum, ut de re fiat certior.

DEMIPHO, LAMPADISCUS.

DEMIPHO.

QUID hoc negotii eſt, quod omnes homines fabulantur per vias,
Mihi eſſe filiam inventam? & Lampadionem me in foro
Quæſiviſſe aiunt. *LA.* here, unde is? *DE.* ex ſenatu. *LA.* gaudeo
Tibi meâ operâ liberorum eſſe amplius. *DE.* etenim non placet.
Nihil moror alienâ mihi operâ fieri plures liberos.
Sed quid iſtuc eſt? *LA.* propera ire intrò huc ad affinem tuum:
Filiam tuam jam cognoſces. intus ibidem uxor tua eſt.
Abi citò. *DE.* prævorti hoc certum 'ſt rebus aliis omnibus.

INTERPRETATIO.

DE. *QUid hoc eſt rei quod omnes dictitant per vicos, eſſe repertam meam filiam? & referunt Lampadiſcum me quaſiviſſe in foro.* LA. *Here, unde venis?* DE. *Ex ſenatu.* LA. *Lator te habere plures liberos quàm habebas, meâ operâ.* DE. *Etenim non id gratum. Nolim mihi eſſe plures liberos alienâ operâ. Sed quid id eſt?* LA. *Accelera ingredi, & ire ad tuum affinem: jam cognoſces tuam natam: intus ibidem eſt tua uxor. Abi celeriter:* DE. *volo anteponere id omnibus aliis rebus.*

ANNOTATIO.

8. *Præverti.*] *Præverti.* Cæſar. *Cæſar huic rei prævertendum exiſtimavit:* id eſt, ante alias res omnes agendum hoc cenſuit.

CATERVA.

ARGUMENTUM.

MULTA ſunt quæ Spectatores ex ipsâ rei conſtitutione expectant. Nimirum ad cumulum gaudiorum deeſſe videtur ut Alceſimarcho liceat Silenium ducere uxorem, utpote filiam Demiphonis & Phanoſtratæ, pro filiâ Demiphonis quam habuerat ex Lemniâ conjuge. Neceſſe etiam videbatur ut agnitio fieret in poſtſcenio. Caterva ſeu Grex, vel Epilogus, nunciat Spectatoribus finem adeſſe Fabulæ, & nihil horum agendum in Scenâ.

NE expectetis, Spectatores, dum illi huc ad vos exeant.
Nemo exibit: omnes intus conficient negotium.
Ubi id erit factum, ornamenta ponent. poſtideà loci
Qui deliquit, vapulabit: qui non deliquit, bibet.
Nunc, quod ad vos, Spectatores, relliquum relinquitur,
More majorum date plauſum poſtremâ in Comœdiâ.

INTERPRETATIO.

CAT. *NE expectetis, Spectatores, uſque eo dum illi huc prodeant ad vos: nemo prodibit: omnes, quod reliquum eſt negotii, efficient intus. Ubi erit factum, deponent ornamenta ſcenica. Poſteà loci, qui peccavit, dabit pœnas: qui non peccavit, potabit. Nunc, quod vobis ſupereſt, Spectatores, edite plauſum, clauſâ Scenâ, more majorum.*

ANNOTATIONES.

4. *Qui deliquit, vapulabit.*] Judicio Ædilium, qui minùs ſtrenuè ſuſtinuiſſet perſonam hiſtrio, dabat pœnas.

6. *Poſtrema Comœdia.*] Non quòd Comœdiarum ſit ultima; ſed quòd ſit poſtrema pars Comœdiæ.

FINIS CISTELLARIÆ.

M. ACCII PLAUTI
EPIDICUS.

ARGUMENTUM.

PERIPHANES Platenius, ex uxore cujus nomen non extat in Plauto, habuit Stratippoclem filium, qui armis dat operam. Habuit & ex Philippâ muliere Epidauriâ vitio-filiam Acropoliſtidem. Eidem Periphani erant ſervi duo, Epidicus & Theſprio. Stratippocles amat puellam Acropoliſtidem fidicinam, cognominem filiæ Periphanis. Sed antequam illam poſſit redimere, proficiſcitur ad bellum. Intereadum in bello eſt, ſcribit ad Epidicum, ut quâcumque arte poſſit, pecuniam paret, ad redimendam amicam Acropoliſtidem. Eo ipſo tempore audit Periphanes pater vitio-filiam Acropoliſtidem fuiſſe bello captam. Mandat Periphanes redimi: dat quadraginta minas Epidico ad eam redimendam. Epidicus emit fidicinam quam amabat Stratippocles, & obtrudit Periphani pro vitio-filiâ Acropoliſtide à Thebanis captâ. Interim Stratippocles Thebis inter captivas virginem fidicinam anonymam, vitio-ſororem Acropoliſtidem, quam pater ſuſceperat ex muliere Epidauriâ, ſed quam neſciebat eſſe vitio-ſororem, amare occœpit, eâmque minis quadraginta mercatur. Sumit fœnore pecuniam à Daniſtâ ad eam emendam: & Daniſta quidem quadraginta minas dat: ſed uſque eodum ei numerentur & minæ quadraginta & fœnus, ſervat Acropoliſtidem. Redeuntem Thebis Athenas Stratippoclem comitatur Daniſta ad recipiendam pecuniam pactam & fœnus, pretium Acropoliſtidis. Hic iterùm invocatur auxilium Epidici ab Stratippocle. Epidicus monet per dolum quaſi officii & fidei nomine in herum Periphanem, filium Stratippoclem amare fidicinam perditè, cum eſſe ab eâ deducendum, atque adeò eam eſſe patri emendam, ad conſulendum moribus filii; militem Rhodium eandem deperire, & eam redempturum eſſe multò cariùs quàm empta fuerit. Credit ſenex, dat quinquaginta minas, emitur vitio-filia Periphanis. Sed ſubſtituitur & alia fidicina libera anonyma, à quinquennio Periphani pro Acropoliſtide, quæ ſervatur pro Stratippocle. Miles Euboïcus, amator Acropoliſtidis fidicinæ, quam anteà amaverat

Stratippocles, & quam habebat domi loco filiæ Periphanes, deluſus ab Epidico, repetit Acropoliſtidem. Sed Periphanes profert Militi conductam fidicinam liberam, pro Acropoliſtide fidicinâ ſuppoſitam, quam putat eſſe filiam ſuam Periphanes. Intereà Philippa Epidauro advenit ad Periphanem, eam agnoſcit tandem Periphanes à longo tempore non viſam. Lamentatur Philippa filiam ſuam Acropoliſtidem incidiſſe in manus hoſtium: ſolatur Periphanes: dicit ſe redemiſſe, mandatque ſtatim Cantharæ ſervæ ut adducat Acropoliſtidem: ſed adducit fidicinam anonymam ad Philippam pro Acropoliſtide. Philippa negat fidicinam eſſe ſuam filiam. Fatetur fidicina, & detegit fraudem Epidici. Comparat ſe ſenex ad multandam Epidici fallaciam. Interim venit Stratippocles, veniunt Daniſta & Acropoliſtis, venit & Epidicus. Statim atque Epidicus videt virginem quam habet ſecum Daniſta, agnoſcit eſſe vitio-filiam Periphanis & Philippæ Acropoliſtidem, quam noverat anteà, & ad quam detulerat ſæpiùs munera à Periphane. Reſtituitur filia Periphani & Philippæ. Epidicus libertate donatur.

Hæc Comœdia conſtat Prologo, Fabulâ, & Epilogo. *Prologus* eſt in Scenâ primâ Actus primi à commilitone Stratippoclis Theſprione perſonâ protatticâ. Fabulæ *Protaſis* Actu primo, *Epithaſis* ad Actum quintum patet; *Cataſtrophe* quinto Actu conſtat. Epilogus à grege fit hiſtrionum. Hæc Fabula tam elegans eſt Authori Plauto viſa, ut illam in Bacchidibus Act. 2. Sc. 2. profiteatur *tanquam ſeipſum amare.* Nomen habet ab Architecto fraudum, quæ in eâ tam feſtivè explicantur, Epidico.

Mores ſunt quos ipſe Epidicus Actu 1. Sc. 2. v. 3. exprimit. Nam INTERDUM BENEFIT QUOD MALEFIT. Nam pecuniâ quâ fraudat ſenem Epidicus, redimit filiam ſenis imprudens.

SCENA EST ATHENIS.

PERSONÆ.

PERSONÆ.

PROLOGUS.

PERIPHANES Platenius, Stratippoclis pater.

UXOR Periphanis anonyma, Stratippoclis mater.

PHILIPPA Epidauria, Meretrix Periphanis, Mater Acropoliſtidis.

STRATIPPOCLES, Periphanis & Uxoris anonymæ filius.

ACROPOLISTIS, Periphanis & Philippæ vitio-filia.

APOECIDES, Amicus Periphanis.

EPIDICUS, Servus Periphanis.

CHÆRIBULUS, Commilito Stratippoclis.

THESPRIO, Servus, Armiger Stratippoclis.

ACROPOLISTIS, Fidicina ſuppoſita pro Acropoliſtide vitio-filiâ Periphanis & Philippæ.

FIDICINA libera anonyma, ſuppoſita pro Acropoliſtide vitio-filiâ Periphanis & Philippæ.

MILES Rhodius anonymus, Rivalis Stratippoclis.

DANISTA, cui danda pecunia & fœnus pro Acropoliſtide vitio-filiâ Periphanis & Philippæ.

GREX.

PERIOCHA ACROSTICHA.

EMIT fidicinam, filiam credens, ſenex
Perſuaſu ſervi, aliam qui conductitiam
Iterum pro amicâ ei ſubjecit. filio
Dat herili argentum. eo ſororem deſtinat.
Imprudens juvenis. mox compreſſæ ac militis
Cognoſcit operâ ſibi ſenex os ſublitum,
Ut ille amicam, hæc quæritabat filiam.
Sed inventâ gnatâ, ſervolum emittit manu.

INTERPRETATIO.

PEriphanes *ſenex* Platenius *redimit* Acropoliſtidem *fidicinam, ratus eſſe filiam ſuam Acropoliſtidem, ſuadente Epidico ſervo. Idem* Epidicus Periphani *ſupponit aliam fidicinam.* mercede *conductam, pro Acropoliſtide amicâ filii Stratippoclis, & dat pecuniam* acceptam à patre, pro emendâ amicâ Stratippoclis, *ipſi Stratippocli filio heri ſui, Stratippocles ſtatuit redimere illâ pecuniâ ſuam ſororem Acropoliſtidem ignarus* eſſe ſuam ſororem, *Continuò Periphanes intelligit ſe eſſe deluſum indicio Philippæ matris Acropoliſtidis, & Militis qui amabat Acropoliſtidem fidicinam, quando Miles quærit amicam, Philippa filiam. Sed Periphanes manumittit Epidicum, cognitâ filiâ.*

ANNOTATIONES.

1. *Fidicinam.*] *Acropoliſtidem,* In hâc Fabulâ duæ ſunt Acropoliſtides. Altera eſt filia Periphanis & Philippæ: altera eſt fidicina. Hic de fidicinâ.

2. *Aliam.*] *Fidicinam* videlicet, quia Epidicus, qui juſſu Periphanis debebat emere Acropoliſtidem amicam Stratippoclis, ut ab ejus amoribus averteretur juvenis, emit ipſam Acropoliſtidem, tradit Stratippocli, & pro eâ ſubjicit ſeni fidicinam anonymam.

3. *Filio dat herili argentum.*] Ad id numerandum Daniſtæ pro Acropoliſtide amicâ.

4. *Deſtinat.*] Alii *præſtinat* in eundem ſenſum & ſignificationem. Nonius arbitratur in hoc Comico *deſtinare* ſumi ſæpiùs pro *emere.*

5. *Imprudens juvenis,*] Amat Acropoliſtidem ſororem ſuam, utpote filiam Periphanis & Philippæ, ignarus eſſe ſuam ſororem; redimitque à Daniſtâ.

6. *Os ſublitum.*] Eſt nullum argumentum contemptus manifeſtius, quàm cùm vultum inficias cujuſvis, ut eum obvio cuilibet ridendum propines. Sublinitur autem vultus alicujus, aut furto, quod fit dormientibus, aut ſpecie officii, quando ſpecie detergendæ maculæ vera appingitur.

ACTUS PRIMUS.

ARGUMENTUM.

REVERTITUR Thebis Stratippocles: pollicetur ei pecuniam Epidicus quam numeret Daniſtæ, à quo emit Acropoliſtidem captivam apud Thebanos.

ACTUS PRIMUS. SCENA PRIMA.

ARGUMENTUM.

HÆc Scena continet Prologum Comœdiæ. In eâ, imminente adventu Stratippoclis heri, pendet animi Epidicus, quia pecuniam eſſe paratam oportet mox Daniſtæ numerandam pro Acropoliſtide.

EPIDICUS, THESPRIO.

EPIDICUS.

HEus, adoleſcens. *TH.* quis properantem me prehendit pallio?
EP. Familiaris. *TH.* fateor! nam odio es nimium familiariter.
EP. Reſpice verò, Theſprio. *TH.* oh! Epidicúmne ego conſpicor?
EP. Certè oculis uteris. *TH.* ſalve. *EP.* dii dent quæ velis.
Venire ſalvom gaudeo. *TH.* quid ceterum? *EP.* quod eo aſſolet,

INTERPRETATIO.

EP. *HEus, juvenis.* TH. *Quis me occupat laciniâ accelerantem?* EP. *Familiaris.* TH. *Confiteor. Nam es moleſtus nimium familiariter.* EP. *Pone aſpice, Theſprio.* TH. *Oh! videóne ego Epidicum?* EP. *Certè uteris oculis.* TH. *Ave.* EP. *Dii præſtent quæ cupis: lætor te adventare incolumem.* TH. *Quid reliquum?* EP. *Tibi*

ANNOTATIONES.

2. *Familiaris.*] A *familia familiaris*, id eſt, *ejuſdem familiæ*. Seneca. *Ne illud quidem videtis, quàm omnem invidiam majores noſtri dominis, omnem contumeliam ſervis detraxerint. Dominum patremfamiliæ appellarunt; ſervos (quod etiamnum in Mimis durat) familiares.*

Odio es nimium familiariter.] Captat Theſprio jocandi occaſionem ex reſponſione Epidici: ſolent enim *familiares* liberiùs & licentiùs dicere & facere cum ſuis familiaribus, atque adeò *nimium familiariter* eſſe moleſti.

3. *Reſpice.*] Seneca. *Hoc nos facit peſſimos, quòd nemo vitam ſuam reſpicit: quid facturi ſumus, cogitamus: quid fecerimus, non cogitamus.*

Theſprio.] perſona protattica. πρόσωπον προτατικὸν, id eſt, *perſona* quæ in propoſitione dramatis tantùm loquitur, nec deinceps comparet. πρότασις, *propoſitio.*

4. *Salve.*] Hâc etiam formulâ utebantur ad benè precandum ſternutantibus. Græci Ζεῦ σῶσον, *Servet te Jupiter.* Addebant interdum ſternutantis nomen. Petronius. *Gyton ſternutavit, Eumolpus converſus ſalvere Gytona jubet.*

Cœna tibi dabitur. *TH.* ſpondeo. *EP.* quid? *TH.* me acceptu-
rum, ſi dabis.
EP. Quid tu? agis ut velis? *TH.* exemplum adeſt. *EP.* intel-
lego. eugepæ!
Corpulentior videre atque habitior. *TH.* huic gratia.
EP. Quam quidem jamdiu te perdidiſſe oportuit.
TH. Minùs jam furtificus ſum, quàm antehàc. *EP.* quid ita?
TH. rapio propalàm.
EP. Dî immortales infelicent, ut tu es gradibus grandibus?
Nam ut apud portum te conſpexi, curriculo occœpi ſequi:
Vix adipiſcendi poteſtas modò fuit. *TH.* ſcurra es. *EP.* ſcio
Te eſſe quidem hominem militarem. *TH.* audacter quamvis dicito.
EP. Quid ais? perpetuón' valuiſti? *TH.* variè. *EP.* qui variè valent,
Caprigenum hominum non placet mihi, neq; pantherinum genus.
TH. Quid tibi vis dicam, niſi quod eſt? *EP.* ut illa reſpondeas
probè.
Quid herilis noſter filius? valet? *TH.* pugilicè atque athleticè.
EP. Voluptabilem mihi nuncium tuo adventu attuliſti. ſed ubi

INTERPRETATIO.

miniſtrabitur epulum, pro more. TH. *Spondeo* me venturum. EP. *Quid ais?* TH. *Me id accepturum, ſi id appoſueris.* EP. *Quomodo tu vales? Succeduntne res ex voto?* TH. *Signum valetudinis adeſt vultu.* EP. *Animadverto equidem, videris toroſior atque pinguior.* TH. *Huic* manui *gratia.* EP. *Quam manum oporteret quidem te jamdudum amiſiſſe.* TH. *Non facio nunc tot furta, quot anteà.* EP. *Cur?* TH. *Aufero bona aliena publicè.* EP. *Dii immortales te perdant, ut tu grandi paſſu incedis! Nam ex quo te vidi in portu, cœpi te ſequi contento curſu: vix potui te aſſequi nunc.* TH. *Scurra es.* EP. *Novi ſanè te eſſe bellatorem.* TH. *Tametſi paulò audacior es: tamen dicito quod lubet.* EP. *Quid dicis? Sempérne incolumis fuiſti?* TH. *Variè.* EP. *Hoc genus hominum & caprinum & pantherinum, quòd variè valet, non mihi arridet.* TH. *Quid vis tibi dicam, niſi quod res eſt?* EP. *Ut reponas ad quæſita ſincerè. Quid heri noſtri filius? Valet?* TH. *Ut pugil & athleta.* EP. *Mihi apportaſti tuo adventu nuntium jucundum. ſed ubi*

ANNOTATIONES.

6. *Cœna dabitur.*] Vocabatur *viatica, adventitia, adventoria:* quia amicis peregrè redeuntibus dabant amici.

7. *Exemplum adeſt.*] Hoc dicto & vultum & lacertos porrigit ad orationis compendium.

8. *Corpulentior.*] *plus gras.* Plinius, *corpulentia.* Phædrus. *Quo cibo feciſti tantum corporis?* Cicero. *Corpus amittere,* id eſt, *macrum fieri.*

Habitior.] *agilior. Habitiſſimus* à toris illis corpulentiorum & habitiorum membrorum dicuntur *troſſuli*, quaſi *toroſuli.*

Huic gratia.] *furaci lævæ.* Ovidius. *Conveniet timidæ nataque ad furta ſiniſtræ.* Catul. *ſiniſtram liberalitatem* vocat, quæ fit ex bonis furto oblatis.

13. *Scurra.*] *Scurra* olim accipiebatur & pro homine qui jocis menſas potentiorum aucuparetur, & pro homine urbano & eleganti. Hic opponitur Militi.

16. *Caprigenum.*) Capræ & Pantheræ ſunt varii coloris. Hîc carpit reſponſionem Theſprionis Epidicus, qui de ſanitate loquebatur. Capræ nunquam carent febri, Plinio teſte. Alii *caprugnum* pro *caprigenum*, ut *aprugnum* pro *aprigenum.*

18. *Pugilicè atque athleticè.*] ἀθλητικὴν ἕξιν, habitudinem corporis firmam appellavit *athleticum victum*, pro *valido*, & ad vires augendas ſalutari.

Eſt is? *TH.* adveni ſimul. *EP.* ubi is ergo eſt? niſi ſi in vidulo,
Aut ſi in melinâ attuliſti. *TH.* dii te perdant! *EP.* te volo
Percontari. operam da: opera reddibitur tibi.
TH. Jus dicis. *EP.* me decet. *TH.* jam tu autem nobis præturam geris:
EP. Quem dices digniorem eſſe hominem hodie Athenis alterum?
TH. At unum à præturâ tuâ, Epidice, abeſt. *EP.* quidnam? *TH.* ſcies.
Lictores duo, duo viminei faſces virgarum. *EP.* væ tibi!
Sed quid ais? *TH.* quid rogas? *EP.* ubi arma ſunt Stratippocli?
TH. Pol illa ad hoſtes transfugerunt. *EP.* armáne? *TH.* atque quidem citò.
EP. Serióne dicis *hæc* tu? *TH.* ſeriò, inquam: hoſtes habent.
EP. Edepol facinus improbum! *TH.* at jam antè alii fecerunt idem.
Erit illi illa res honori. *EP.* quî? *TH.* quia anteà aliis fuit.
EP. Mulciber, credo, arma fecit, quæ habuit Stratippocles:
Travolaverunt ad hoſtes. tum ille prognatus Theti

INTERPRETATIO.

eſt is? TH. *Veni cum eo.* EP. *Ubi eſt is igitur, niſi tu attuliſti in manticâ aut in marſupio ovilla.* TH. *Dii te perdant.* EP. *Opto te interrogare: audi me, viciſſim audiam te.* TH. *Judicas.* EP. *Pro meo jure facio.* TH. *Tu verò jam noſter es Prætor?* EP. *Quem alium hominem affirmaveris eſſe digniorem me Athenis?* TH. *At enim unum abeſt à tuâ Præturâ, Epidice.* EP. *Quid eſt?* TH. *Audies: duo lictores, duo faſces virgarum vimineos.* EP. *Væ tibi: ſed quid dicis?* TH. *Quid petis?* EP. *Ubi ſunt arma Stratippoclis?* TH. *Certè illa pervenerunt in manus hoſtium.* EP. *Armáne?* TH. *Et quidem celeriter.* EP. *Dicisne tu hæc ſeriò?* TH. *Seriò, inquam: hoſtes obtinent.* EP. *Sanè factum ſceleſtum!* TH. *Sed alii jam perpetrarunt idem anteà: illa res illi vertetur honori.* EP. *Quomodo?* TH. *Quia fuit anteà aliis honori.* EP. *Vulcanus, puto, cudit arma quæ Stratippocles geſtavit: tranſierunt ad hoſtes. Tum Achilles*

ANNOTATIONES.

20. *Vidulus.*] *une valiſe.*

21. *Melina.*] *Pellis ovilla:* aliter *μηλωτὴ* à *μῆλον ovis.*

22. *Operam da.*] *aurium: audi.*

26. *Duo viminei faſces.*] Jocus eſt in Epidicum ſervum conjectus, qui tum demum Prætor eſt futurus, ſi dentur ei faſces, virgarum videlicet quibus cædatur, non qui præferantur ad honorem. Seriò autem faſces ſex Prætori, & Equitum Magiſtro; Conſuli, duodecim; Dictatori vigintiquatuor præferebantur: lictores, qui faſces hujuſmodi ſuſtinebant, non bini, non terni, non gregatim antecedebant, ſed in lineam porrecti, ad ſummovendum à viâ Magiſtratuum illorum turbam,

27. *Stratippocli.*] vetus, pro *Stratippoclis.*

30. *At jam alii fecerunt.*] Sale Satyrico aſpergit Theſprio Stratippoclem, utpote qui ad defenſionem ignaviæ unum habeat ignavorum exemplum. Comœdia utplurimùm his cenſuris abſtinet.

32. *Mulciber.*] *Vulcanus.* A *mulcando,* id eſt, feriendo; non *mulcendo,* ſeu ducendo ferro. Arma Achillis cudiſſe Vulcanum fabulantur Poëtæ, non illa quibus, Patroclo cæſo, potitus eſt Hector. In quo errat Epidicus, utpote ſervus, quem eſſe ignarum in hiſtoriâ minimè mirum. Unde & utitur verbo *credo.* quod dubitantis eſt.

33. *Travolaverunt.*] Iidem Poëtæ aiunt illa animata fuiſſe.

Theti.] vetus pro *Thetide.*

Sine perdat: alia apportabunt eii Nerei filiæ.
Id modò videndum eſt, ut materies ſuppetat ſcutariis,
Si in ſingulis ſtipendiis is ad hoſtes exuvias dabit.
TH. Superſede iſtis rebus jam. *EP*. tu ipſe, ubi lubet, finem face.
TH. Deſiſte percunctarier. *EP*. loquere, ipſe ubi eſt Stratippocles?
TH. Eſt cauſſa, quâ cauſsâ ſimul mecum ire veritu 'ſt. *EP*. quidnam id eſt?
Patrem videre ſe non volt etiam nunc. *EP*. quapropter? *TH*. ſcies.
Quia formâ lepidâ & liberali captivam adoleſcentulam
De prædâ mercatu 'ſt. *EP*. quid ego ex te audio? *TH*. hoc quod fabulor.
EP. Cur eam emit? *TH*. animi cauſsâ. *EP*. quot illic homo animos habet?
Nam certò, priuſquam hinc ad legionem abiit domo,
Ipſe mandavit mihi, ab lenone ut fidicina,
Quam amabat, emeretur ſibi. id ei impetratum reddidi.
„ *TH*. Utcunque in alto ventus eſt, Epidice, exin velum vortitur.
EP. Væ miſero mihi! malè perdidit me. *TH*. quid iſtuc? quidnam eſt?
EP. Quid? iſtanc quam emit, quanti eam emit? *TH*. vili. *EP*. haud iſtuc te rogo.
TH. Quid igitur? *EP*. quot minis? *TH*. tot. *EP*. quadraginta minis!
TH. Id adeò argentum ab Daniſtâ apud Thebas ſumpſit fœnore,
In dies mináſque argenti ſingulas, nummis. *EP*. papæ!

INTERPRETATIO.

patere ea perdere: filia Nerei ei afferent alia. Providendum jam id, ut materies ſufficiat fabris, ſi is det ſpolia ſua hoſtibus in ſingulis militiis. TH. *Superſede jam iſtis rebus.* EP. *Tu ipſe fac finem ubi lubet.* TH. *Deſine interrogare.* EP. *Dic ubi eſt Stratippocles ipſe?* TH. *Eſt cur non auſus eſt venire mecum.* EP. *Quid eſt id?* TH. *Non vult etiamnum videri à patre.* EP. *Cur?* TH. *Audies, quia emit de prædâ adoleſcentulam captivam pulchritudine eximiâ & liberali.* EP. *Quid ego audio ex te?* TH. *Id quod dico.* EP. *Quare eam emit?* TH. *Voluptatis gratiâ.* EP. *Quàm ille homo eſt animo vario! Nam antequàm abiit domo ad legionem, mihi imperavit ipſe ut ſibi emeretur ab lenone fidicina quam deperibat. Feci id ut imperaverat.* TH. *Quomodocumque ventus flet in mari, Epidice, eò convertitur velum.* EP. *Væ mihi miſero! me perdidit malè.* TH. *Quidnam eſt iſtud? quid eſt?* EP. *Quid? quanti emit iſtanc quam emit?* TH. *Vili.* EP. *Haud à te peto illud.* TH. *Quid igitur?* EP. *Quot minis?* TH. *Tot quod digitis vides.* EP. *Quadraginta minis!* TH. *Eam verò pecuniam ſumpſit fœnore ab Daniſtâ apud Thebas in dies ſingulos minaſque ſingulas argenti, ſingulis denariis.* EP. *Papæ!*

ANNOTATIONES.

35. *Scutariis.*] *Armuriers.*
36. *In ſingulis ſtipendiis.*] *toutes les campagnes.*
43. *Quot animos habet.*] Suprà dixit idem Poëta uni eſſe omnia ingenia.

TH. Et is Daniſta advenit unà cum eo, qui argentum petit.
EP. Dî immortales, ut ego interii baſilicè! *TH.* quid jam? aut quid eſt,
Epidice? *EP.* perdidit me. *TH.* quis? *EP.* ille qui perdidit arma. *TH.* nam
Quid ita? *EP.* quia quotidie ipſe ad me ab legione epiſtolas
,, Mittebat. ſed taceam optimum eſt. Plus scire ſatius eſt, quàm loqui
,, Servum hominem. ea ſapientia eſt. *TH.* neſcio edepol, quid tu timidus es.
Trepidas, Epidice: ita voltum tuum video: videre commeruiſſe
Hîc, me abſente, in te aliquid mali. *EP.* potin', uti moleſtus ne fies?
TH. Abeo. *EP*: aſta, abire hinc non ſinam. *TH.* quid nunc me retines?
EP. Amátne iſtam, quam emit de prædâ? *TH.* rogas? deperit.
EP. Detegetur corium de tergo meo. *TH.* pluſque amat, quàm te unquam amavit.
EP. Juppiter te perduit. *TH.* mitte nunc jam. nam ille me vetuit domum
Venire: ad Chæribulum juſſit huc in proximum, ibi manere juſſit:
Eò venturus eſt ipſe. *EP.* quid ita? *TH.* dicam. quia patrem
Priùs ſe convenire non vult, neque conſpicari, quàm id argentum
Quod debetur pro illâ, dinumeraverit. *EP*. heu edepol res turbulentas!

INTERPRETATIO.

TH. *Et Daniſta qui poſtulat pecuniam, advenit unà cum eo.* EP. *Dii immortales! ut ego perii planè.* TH. *Quid jam, aut quid eſt, Epidice?* EP. *Me perdidit.* TH. *Quis?* EP. *Ille qui perdidit arma.* TH. *Quare?* EP. *Quoniam ipſe mittebat ad me ſingulis diebus ab exercitu epiſtolas. Verùm præſtat me tacere: melius eſt ſervum hominem plus ſcire quàm loqui. Hæc eſt ſapientia.* TH. *Per ædem Pollucis neſcio quare tu times: contremiſcis, Epidice: id animadverto: ex vultu tuo videris commiſiſſe hîc, me abſente, aliquid criminis.* EP. *Poteſne fieri ut non ſis mihi gravis?* TH. *Excedo.* EP. *Conſiſte, non patiar excedere hinc.* TH. *Quare me impedis jam?* EP. *Diligitne illam, quam mercatus eſt è prædâ?* TH. *Poſtulas id! imò deperit.* EP. *Cutis detrahetur meo tergo.* TH. *Et plus diligit, quàm te unquam amavit.* EP. *Jupiter te perdat.* TH. *Dimitte jam me: etenim ille mandavit ne irem domum ad vos: imperavit ut huc venirem ad Charibulum in proximum: ibi præcepit ut manerem: eò venturus eſt.* EP. *Quare?* TH. *Dicam, quia non vult à patre ſe conveniri, nec videri, priuſquam ſolverit eam pecuniam, quam debet pro illâ.* EP. *Heu! ſanè res perturbatas!*

ANNOTATIONES.

62. *Deperit.*] Deperire eſt, *valde amare. De* enim & augendi & minuendi vim habet. *Decertare, devitare, deamare.* Minuit in *detumere, deplere.*

64. *Baſilicè.*] *funditùs*, ſeu ingenti ruinâ. Nam ingentium fortunarum eſt ingens utplurimùm caſus.

TH. Mitte me, ut eam nunc jam. *EP.* hæccine ubi ſcibit ſenex? puppis
Pereunda eſt probè. *TH.* quid iſtuc ad me attinet, quo tu intereas modo?
EP. Quia perire ſolus nolo, te cupio perire mecum,
Benevolens cum benevolente. *TH.* abi in malam rem maximam à me.
Cum iſtâc conditione. *EP.* i ſanè, ſi quid feſtinas magis.
TH. Nunquam hominem quemquam conveni, unde abierim lubentiùs.
EP. Illic hinc abiit, ſolus es nunc: quo in loco hæc res ſit, vides,
Epidice: niſi quid tibi in tete auxilii eſt, abſumptus es.
Tantæ in te impendent ruinæ: niſi ſuffulcis firmiter,
Non potes ſubſiſtere: itaque in te irruunt montes mali.
Neque, ego nunc quomodo me expeditum ex impedito faciam,
Conſilium placet. ego miſer perpuli meis dolis ſenem,
Ut cenſeret ſuam ſeſe emere filiam. is ſuo filio
Fidicinam emit, quam ipſe amat, quam abiens mandavit mihi.
Is ſibi nunc alteram ab legione adduxit animi
Cauſsâ. corium perdidi: nam ubi ſenex ſenſerit
Sibi data eſſe verba, virgis dorſum depoliet meum.
At enim tu præcave. nihil eſt iſtuc. planè hoc corruptum 'ſt caput.
Nequam homo es, Epidice. quî *tibi* libido eſt malè loqui?
Quia tute te deſeris. quid faciam? men' tu rogas?
Tu quidem antehàc aliis ſolebas dare conſilia mutua.
Quid? *quid?* aliquid reperiundum eſt. ſed ego ceſſo ire obviam

INTERPRETATIO.

TH. *Dimitte me, ut abeam jam.* EP. *Haccine ubi reſciet ſenex? Puppi pereundum eſt ſtrenuè.* TH. *Quid ad me ſpectat, quo fato tu pereas?* EP. *Quia nolo interire ſolus, opto te diſperire unà, amicum cum amico.* TH. *Abi à me in malam crucem & magnam cum hâc conditione.* EP. *I ſanè, ſi quid properas celeriùs.* TH. *Nunquam vidi hominem ullum à quo receſſerim lubentiùs.* EP. *Ille jam hinc exceſſit: ſolus jam es, Epidice: cernis quo in loco ſit hac res. Periiſti, niſi eſt tibi aliquid præſidii in teipſo. Ejuſmodi mala tibi imminent, ut niſi innitaris optimè, minimè valeas conſiſtere. Itaque in te incumbunt malorum montes: neque mihi conſilium occurrit quâ ratione ego me jam præſtem ex irretito explicatum. Ego, infœlix, adduxi ſenem meis fraudibus, ut exiſtimaret ſeſe emere ſuam natam. Is emit fidicinam ſuo filio, quam amat ipſe, quam mihi commendavit in diſceſſu. Is jam adduxit alteram ab exercitu, libidinis gratiâ. Periit cutis: nam ubi ſenex animadverterit ſe eſſe deluſum, deteret virgis meum dorſum. Sed tu cave, nihil eſt iſtud, omnino meũ caput contuſum eſt. Es nefarius homo, Epidice: quæ tibi eſt libido malè loqui? Quia tu deſpondes animo. Quid agam? Dubitas, qui quidem conſueveras anteà gratuita dare conſilia. Quid? Aliquid reperiendum eſt. Sed ego tergiverſor occurrere*

ANNOTATIONES.

70. *Puppis pereunda.*] *Pereundum puppi*, id eſt, tergo.

78. *Montes mali.*] Maria & montes polliceri; id eſt, res maximas.

Adoleſcenti,

Adoleſcenti, ut, quid negotii ſit, ſciam? atque ipſe illic eſt.
Triſtis eſt. cum Chæribulo incedit æquali ſuo.
Huc concedam, orationem unde horum placidè perſequar.

INTERPRETATIO.

adoleſcenti, ut accipiam quid ſit rei? Atque ipſe ille eſt: mœſtus eſt: ambulat cum Charibulo ejuſdem ætatis amico. Memet recipiam in hunc locum, ex quo auribus aſſequar tacitè horum ſermonem.

ACTUS PRIMUS. SCENA SECUNDA.

ARGUMENTUM.

STRATIPPOCLES, implorato fruſtrà Chæribuli commilitonis auxilio, mandat Epidico ut omni arte comparet minas quadraginta Daniſtæ numerandas pro Acropoliſtide. Ad eas è Periphane exprimendas ſeſe accingit Epidicus.

STRATIPPOCLES, CHÆRIBULUS, EPIDICUS.

STRATIPPOCLES.

REM tibi ſum elocutus omnem, Chæribule, atque admodum
Meorum mœrorum atque amorum ſummam edictavi tibi.
CH. Præter ætatem & virtutem ſtultus es, Stratippocles.
Idne pudet te, quia captivam, genere prognatam bono,
In prædâ es mercatus? quis erit, vitio qui id vortat tibi?
ST. Qui invident, omnes inimicos mihi iſtoc facto repperi:
At pudicitiæ ejus nunquam nec vim nec vitium attuli.
CH. Jam iſtoc probior es, meo quidem animo, cùm in amore temperes.
„ *ST.* NIHIL AGIT, qui diffidentem verbis ſolatur ſuis.
„ IS EST AMICUS, qui in re dubiâ re juvat, ubi re eſt opus.
CH. Quid tibi me vis facere? *ST.* argenti dare quadraginta minas,
Quod Daniſtæ detur, unde ego illud ſumpſi fœnore.

INTERPRETATIO.

ST. *TIbi aperui omnem rem, Chæribule, atque adeò tibi expoſui ſummam meorum mœrorum atque amorum.* CH. *Es amens, Stratippocles, præter ætatem & virtutem. Idne tibi pudori eſt, quia emiſti in præda captivam ortam nobili genere? Quis te eo nomine reprehendat?* ST. *Inveni omnes qui mihi invident, hoc uno facto mihi invidere: ſed nunquam attuli nec vim nec vitium ejus pudicitiæ.* CH. *Jam es hoc facto laudabilior, meâ quidem ſententiâ, utpote qui in amore ſis moderatus.* ST. *Operam perdit, qui ſolatium affert ſuâ oratione animo deſpondenti. Is eſt verè amicus, qui re ſuâ opitulatur in periculo, quando re eſt opus.* CH. *Quid vis me tibi facere?* ST. *Volo te mihi dare quadraginta minas argenti, quas numerem Daniſtæ, à quo ego illas accepi fœnore.*

„ *CH.* Si hercle haberem, non negarem. *ST.* nam QUID te igitur retulit

„ BENEFICUM eſſe oratione, ſi ad rem auxilium emortuum eſt?
CH. Quin edepol clamore defatigor, differor.
ST. Malim iſtiuſmodi mihi amicos furno merſos, quàm foro.
Sed operam Epidici nunc me emere pretio pretioſo velim.
Quem quidem ego hominem irrigatum plagis piſtori dabo,
Niſi hodie priùs comparaſſit mihi quadraginta minas,
Quàm argenti fuero elocutus ei poſtremam ſyllabam.
EP. Salva res eſt: benè promittit: ſpero ſervabit item.
Sine meo ſumptu paratæ jam ſunt ſcapulis ſymbolæ.
Aggrediar hominem. advenientem peregrè herum ſuum Stratippoclem
Salvâ impertit ſalute ſervus Epidicus. *ST.* ubi is eſt? *EP.* adeſt.
Salvum te gaudeo huc adveniſſe. *ST.* tam tibi iſtuc credo, quàm mihi.
EP. Benéne uſque valuiſti? *ST.* à morbo valui, ab animo æger fui.
EP. Quod ad me attinuit, ego curavi: quod mandaſti mihi,
Impetratum eſt: empta ancilla 'ſt, quod tute ad me litteras
Miſſiculabas. *ST.* perdidiſti omnem operam. *EP.* nam quî perdidi?
ST. Quia meo neque cara eſt cordi, neque placet. *EP.* quid retulit
Mihi tantopere te mandare, & mittere ad me epiſtolas?

INTERPRETATIO.

CH. *Profectò ſi haberem, non tibi negarem.* ST. *Nam quid mihi prodeſt te eſſe liberalem verbis, ſi cùm re opus eſt, auxilium deeſt?* CH. *Quin ego ipſe obtundor & enecor vociferatione creditorum.* ST. *Malim ſimiles amicos in furno quàm in foro verſari: ſed velim nunc conducere magno pretio auxilium Epidici, quem quidem ego dedam piſtrino apertum plagis, niſi mihi comparaverit hodie quadraginta minas, antequam ei edixero ultimam ſyllabam argenti.* EP. *Benè ſe habet, rectè pollicetur, ſpero fore ut ſtet promiſſis idem. Symbola ſunt parata tergo ſine meis impenſis. Alloquar hominem. Servus Epidicus afficit ſummâ ſalute ſuum dominum Stratippoclem revertentem à longè.* ST. *Ubi eſt Epidicus?* EP. *Adeſt. Gaudeo te reverſum eſſe huc incolumem.* ST. *Tam tibi credo in hoc, quàm mihi.* EP. *Recténe ſemper valuiſti?* ST. *Sanus fui corpore, æger mente.* EP. *Ego perfeci quod ad me ſpectavit: confectum eſt id quod mihi imperaſti. Emi ancillam, ut tu frequenter jubebas litteris ad me miſſis.* ST. *Perdidiſti omnem operam.* EP. *Quonam modo perdidi?* ST. *Quia neque mihi cara eſt animo, neque placet oculis.* EP. *Quid opus fuit ita rem illam tantopere mihi commendare, & ad me mittere litteras?*

ANNOTATIONES.

15. *Differor.*] *Differre* etiam eſt *diffamare*.

22. *Symbola.*] quod quiſque confert pecuniæ pro cœnâ: *l'écot quo chacun paye.* Jocandi locus captatur ex eo, quòd quemadmodum ſuam quiſque ſymbolam confert pro cœnâ, ita collocaturus eſt quivis plagam in ſcapulâ Epidici.

ST. Illam amabam olim, nunc jam alia cura impendet pectori.
„ *EP.* Hercle MISERUM EST, ingratum eſſe hominem, id quod facias benè.
Ego quod benefeci, malefeci: quia amor mutavit locum.
ST. Deſipiebam mentis, cùm illas ſcriptas mittebam tibi.
EP. Men' piacularem oportet fieri ob ſtultitiam tuam?
Ut meum tergum ſtultitiæ tuæ ſubdas ſuccidaneum?
ST. Quid iſtic verba facimus? huic homini opus eſt quadraginta minis
Celeriter calidis, Daniſtæ quas reſolvas, & citò.
EP. Dic modò, unde auferre me vis: à quo trapeziiâ peto?
CH. Unde libet. nam ni ante Solem occaſum *hoc argentum eloces,*
Meam domum ne imbitas: tu te in piſtrinum *rectà inferas.*
EP. Facilè tu iſtuc ſine periculo & curâ, corde libero
Fabulare. novi ego noſtros: mihi dolet, cùm ego vapulo.
ST. Quid tu nunc? patierin' ut ego me interimam? *EP.* ne feceris.
Ego iſtuc accedam periculum potiùs atque audaciam.
ST. Nunc places: nunc ego te laudo. *EP.* patiar ego iſtuc quod lubet.
ST. Quid de illâ fiet fidicinâ igitur? *EP.* aliquâ reperibitur:
Aliquâ ope exſolvam, extricabor aliquâ. *ST.* plenus conſilii es.

INTERPRETATIO.

ST. *Illam diligebam antea, jam alius amor inſidet animo.* EP. *Sanè acerbum eſt, navatam benè operam meam tibi eſſe ingratam. Ego perperam feci quod rectè feci, quia amor mutavit locum.* ST. *Inſaniebam, quando ad te mittebam illas literas.* EP. *Oportétne me fieri piacularem ob tuam amentiam? Ut ſubjicias meas ſcapulas cadendas in locum tuarum, tua ſtultitiæ nomine.* ST. *Quid hic garrimus? Huic homini opus eſt quadraginta minis recentibus, quas numeres velociter Daniſtæ & ſtatim.* EP. *Dic jam unde me vis afferre? A quo trapezitâ petam?* CH. *Unde voles: nam niſi ante occaſum Solis compares hoc argentum, ne revertaris in meas ædes: tu conferas te rectà in piſtrinum.* EP. *Tu dicis id facilè ſine diſcrimine & animo ſoluto. Ego novi noſtrorum hominum virgas: quando ego pœnas do, doleo.* ST. *Quid tu jam? Sines ut mihi manus afferam?* EP. *Ne facias: ego ſubibo potiùs id diſcrimen atque audaciam.* ST. *Jam places, jam ego te laudo.* EP. *Ego perferam iſtud quod placet.* ST. *Quò igitur evadet illa fidicina?* EP. *Aliquâ viâ ſeſe oſtendet, aliquâ ope te liberabo, aliquâ ex parte te abſolvam.* ST. *Plenus conſilii es.*

ANNOTATIONES.

36. *Piacularem.*] *Piacularis* victima aliena mala piabat, & in pœnam alieno peccato debitam ſuccedebat.

37. *Succidaneum.*] A *ſub* & *cado*, id eſt, ſubjicior in locum ejus qui eſt cædendus.

41. *Solem occaſum.*] *Sol occaſus, Sol meridies.*

42. *Imbitas.*] *in eas combito, imbito, præbito prævenio, rebito redeo.* A *bito*: *dubito* compoſitum eſt in uſu.

Piſtrinum.] Feſtus, *Piſo Veteres dicebant, non pinſo: unde piſare, calcare: hinc piſtores nominati.*

Novi ego te. *EP.* eſt Euboïcus miles locuples, multo auro potens,
Qui ubi tibi iſtam emptam eſſe ſcibit, atque hanc adductam alteram,
Continuò te orabit ultrò, ut illam tranſmittas ſibi.
Sed ubi illa eſt, quam tu adduxiſti tecum? *ST.* jam faxo hîc erit.
CH. Quid hîc nunc agimus? *ST.* eamus intrò huc ad te, ut hunc hodie diem
Luculentè habeamus. *EP.* ite intrò. ego de re argentariâ
Jam ſenatum convocabo in corde conſiliarium,
Cui potiſſimum indicatur bellum, unde argentum auferam.
Epidice, vide quid agas: ita res ſubitò hæc objecta eſt tibi.
Non enim nunc tibi dormitandum, neque cunctandi copia eſt.
At eundem ſenem oppugnare certum eſt conſilium: i, i, abi
Intrò, atque adoleſcenti dic jam noſtro herili filio,
Ne hîc foras ambulet, néve uſquam obviam veniat ſeni.

INTERPRETATIO.

Ego te noſco. EP. *Eſt miles Euboïcus dives, refertus multo auro, qui ubi cognoſcet hanc virginem à te emptam eſſe, atque hanc alteram adductam, ſtatim te rogabit ultrò ut eam ad ſe tranſmittas. Sed ubi eſt illa quam tu adduxiſti tecum?* ST. *Jam faciam ut hic ſit.* CH. *Quid facimus nunc hic?* ST. *Ingrediamur illinc in tuas ædes, ut traſigamus hilariter hunc diem.* EP. *Intrate: ego jam cogam ſenatum ad conſulendum in animo de re pecuniariâ. cui inferemus bellum potiſſimum, unde pecuniam eliciam. Epidice, vide quid moliaris. Hæc res tibi prepoſita eſt ex improviſo. Neque enim jam tibi indormiſcendum, non eſt locus cunctationi. At propoſitum eſt mihi circumvenire eundem ſenem. I, ingredere, & dic jam filio noſtri heri, adoleſcenti, ne obverſetur hic foras, neque uſquam occurras ſeni.*

ANNOTATIONES.

50. *Euboïcus miles.*] ab *Eubœa* inſula. Alibi vocat *Rhodium*. Fortè nomen alterum proprium, alterum gentis fuit.

56. *Senatum convocabo.*] Alludit ad morem Romanorum, qui in difficilibus Reipublicæ temporibus, & præſertim imminente bello, de re pecuniariâ deliberaturus conveniebat.

ACTUS SECUNDUS.

ARGVMENTVM.

OFFICII ſpecie dicit Periphani Epidicus filium Stratippoclem amare fidicinam Acropoliſtidem: eam eſſe ab eo deducendam: dandas eſſe minas quinquaginta pro eâ; deinde vendendam ſexaginta militi Euboïco, qui eam etiam amat.

ACTUS SECUNDUS. SCENA PRIMA.

ARGUMENTUM.

PERIPHANES deliberat cum Apœcide de ducendâ uxore Philippâ, ex quâ olim ſuſcepit Acropoliſtidem.

APOECIDES, PERIPHANES.

APOECIDES.

,, PLERIQUE HOMINES, quos cùm nihil refert, pudet: ubi pudendum eſt,
,, Ibi eos deſerit pudor, cùm uſus eſt ut pudeat. is adeò tu es. quid
Eſt, quod pudendum ſiet, genere natam bono, pauperem domum
Ducere uxorem? præſertim eam, quâ ex tibi commemores
Hanc, quæ domi eſt, filiam prognatam. *PE.* revereor filium.
AP. At pol ego te credidi uxorem, quam tu extuliſti pudore exſequi:
Cujus quoties ſepulcrum vides, ſacruficas illicò Orco hoſtiis:
Neque adeò injuriâ, quia licitum eſt eam tibi vivendo vincere.
PE. Oh, Hercules ego fui,, dum illa mecum fuit. neque ſexta ærumna
,, Acerbior Herculi, quàm illa mihi eſt objecta. *AP.* PULCHRA
,, Edepol dos pecunia eſt. *PE.* quæ quidem pol non maritata eſt.

INTERPRETATIO.

AP. *SUnt complures quos pudet cùm non eſt locus pudori: quando pudori locus, cùm opus eſt pudore, tum eos deſtituit pudor. Tu es ejuſmodi. Quæ cauſa pudoris eſt, ducere conjugem pauperem domum, procreatam honeſto genere? Præſertim illam ex quâ fatearis à te ſuſceptam hanc filiam, quæ eſt domi.* PE. *Pudet me propter filium.* AP. *Sed per Pollucem ego exiſtimavi quòd te puderet propter uxorem quam extuliſti, cujus quoties intueris tumulum, illicò mactas Plutoni hoſtias; nec immeritò, quia tibi contigit eam ſuperare diuturnitate vitæ.* PE. *Oh, ego fui Hercules dum illa fuit mecum; neque ſextus labor extitit acerbior Herculi, quàm illa mihi.* AP. *Sine dubio pecunia eſt eximia dos.* PE. Ita eſt *ſanè, ſi hæc non eſt maritata.*

ANNOTATIONES.

1. *Plerique.*] Suſpenſa oratio, niſi addas *ſunt*, aut quidvis quod Poëta quaſi dictum poſt Scenam minimè ſcripto mandat. Alii *plerique omnes.*

5. *Revereor filium.*] Pudori vertitur, ac propemodum crimini, ſi pater adultis liberis ſuperinducat novercam, & hoc magis ſi pauper ſit. Apœcides elevat hunc pudorem Periphanis, & innuit non magis eſſe pudendum propter filium, quàm propter uxorem mortuam, quæ cùm mortua ſit, pudorem non incutit Periphani.

7. *Sacrificas illicò Orco hoſtiis.*] Moris erat, ut cui contigiſſet uxor, non ex animi ſententiâ, ea ſi vivere deſineret ante maritum, & locum faceret alteri uxori, pro eâ maritus hoſtias Orco ſeu Plutoni gratus offerret.

9. *Sexta ærumna.*] Sextus Herculis labor eſt in vincendâ Hyppolite Amazonum Reginâ, auferendóque ejus balteo.

11. *Pecunia non maritata.*] Alibi idem Plautus.

Dotatæ mactant & malo & damno viros.

ACTUS SECUNDUS. SCENA SECUNDA.

ARGUMENTUM.

EPIDICUS nuntiat per dolum Periphani, filium Stratippoclem amare Acropoliſtidem perditè, cum ab ejus amore ut deducat; eſſe eam emendam, & quinquaginta minas eſſe pro eâ numerandas deinde Militi Euboïco, qui eam amat vendendam, eúmque daturum pro eâ ſexaginta minas, adeò eam deperit.

PERIPHANES, APOECIDES, EPIDICUS.

EPIDICUS.

ST, ſt! tacete. habete animum bonum. liquido exeo foràs
Auſpicio, avi ſiniſtrâ: acutum cultrum habeo, ſenis qui exenterem
Marſupium. ſed eccum ipſum ante ædis conſpicor Apœcidæ.
Qualis volo, vetulos duo. jam ego me convortam in hirundinem,
Atque eorum exſugebo ſanguinem, ſenati qui columen cluent.

INTERPRETATIO.

EP. *ST, ſt! ſilete: eſtote æquo animo: prodeo foras, ſereno auſpicio bonis avibus. Eſt mihi culter acutus, quo eviſcerem marſupium Periphanis ſenis. Sed ecce ipſum ante domum Apœcidæ video. Video vetulos duos quos volo* convenire. *Jam ego me cõmutabo in ſanguiſugam, & exſugam eorum ſanguinem qui dicuntur duo columina ſenatus.*

ANNOTATIONES.

1. *Liquido auſpicio.*] Aëre puro ſudoque captata *auſpicia* certiora putabantur, & *liquidiora. Liquido à liquet, conſtat.*

2. *Avi ſiniſtrâ.*] *Aves proſperæ* dicebantur *ſiniſtræ*: nimirum Augures auguria captabant vultu in Meridiem converſo, quia exiſtimabant deos in eâ parte cæli manere. Porrò qui vultu eſt in Meridiem converſo, habet à *ſiniſtrâ* Orientem, quæ pars cæli auſpicatior eſſe videbatur; quia quæ oriuntur, meliora ſunt quàm quæ occidunt. *Impedientes aves*, *Arculæ* quæ *arcebant*, aut *Cliviæ* quæ *difficilia* portendebant, quia *clivia* vocabant *difficilia*, puto quia *clivo* adverſo ire difficile. *Remores aves à remorando*, *Inebræ* & *Enebræ*. Feſtus. *Enebræ aves, quæ in auguriis aliquid fieri prohibebant, & prorſus omnia inebra appellantur, quæ tardant vel morantur agentem. Alteræ aves* dicebantur quæ ſuperveniebant auſpicio felici, & *Infælices* ſeu *Arculæ* erant. *Volſgræ*. quæ ſe *vellendo* malum auſpicium oſtendebant. Statius.

——— ſimul ore recurvo,
Ungue ſecant rabidæ, planctumque imitantibus alis [*cædunt.*
Exagitant Zephyros, & plumea pectora

Acutum cultrum habeo.] Alludit ad conſuetudinem militum, qui ſumpto auſpicio, ſeu infauſtum eſſet, ſeu fauſtum, explorabant, utrùm gladii eſſent acuti; quia id eſſe mali ominis putabant, ſi eſſent obtuſi. Cicero. *Bella quibus Reipublicæ ſalus continetur, nullis auſpiciis adminiſtrabantur, nulla perennia ſervantur, nulla ex acuminibus nulli viri vocantur.* Idem. *Nam ex acuminibus quidem, quod totum auſpicium militare eſt, jam Marcus Marcellus ille quinquies Conſul totum omiſit.*

5. *Exſugebo.*] *Exſugam.* Antiquitùs ſecunda & tertia conjugatio facilè permutabantur.

Senati columen.] *Senati* pro *ſenatus.* Arnobius. *Plato columen Philoſophiæ.* *Columellæ* dicuntur ſervi, qui vicariam pro dominis implent. Virgilius.

—— in quem domus inclinata recumbit.

Terentius, *columen familiæ.*

AP. Continuò ut maritus fiat. *PE.* laudo conſilium tuum.
AP. Nam ego illum audivi in amorem hærere apud neſcio quam fidicinam.
PE. Id ego excrucior. *EP.* di hercle omnes me adjuvant, augent, amant.
Ipſi hi quidem mihi dant viam, quo pacto ab ſe argentum auferam:
Age nunc jam orna te, Epidice, & palliolum in collum conjice,
Itaque aſſimulato, quaſi per urbem totam hominem quæſiveris.
Age, ſi quid agis. Dii immortales! utinam conveniam domi
Periphanem! per omnem urbem quem ſum defeſſus quærere:
Per medicinas, per tonſtrinas, in gymnaſio, atque in foro,
Per myropolia, & lanienas, circumque argentarias.
Rogitando ſum raucus factus, pœnè in curſu concidi.
PE. Epidice. *EP.* Epidicum quis eſt qui revocat? *PE.* ego ſum Periphanes.
AP. Et ego Apœcides ſum. *EP.* & ego quidem ſum Epidicus. ſed, here, optumâ
Vos video ambo advenire opportunitate. *PE.* quid rei eſt?
EP. Mane: ſine reſpirem, quæſo. *PE.* imò acquieſce. *EP.* animo malè eſt.
Recipiam anhelitum. *AP.* clementer requieſce. *EP.* animum advortite.
A legione omnes remiſſi ſunt domum Thebis. *AP.* *quis hoc*
Scit factum? *EP.* ego ita eſſe factum dico. *PE.* ſcin' tu iſtuc? *EP.* ſcio.

INTERPRETATIO.

AP. *Quàm breviſſimo tempore ducat uxorem.* PE *Approbo tuum conſilium.* AP. *Nam ego accepi illum teneri amore neſcio cujus tibicinæ.* PE. *Idcircò ego diſcrucior.* EP. *Profectò omnes dii mihi auxiliantur, cumulant, diligunt, ipſi videlicet mihi faciunt viam quâ auferam ab iis pecuniam. Age nunc jam, accinge te, Epidice, & circumpone collo tuo pallium tuum, & finge te quæſiſſe per omnem urbem hominem. Age, ſi quid agis. Dii immortales! utinam inveniam domi Periphanem, quem defatigatus ſum quærere per omnem urbem, per officinas medicinæ, per tonſtrinas, in gymnaſio atque in foro, per unguentarias officinas & lanienas, & circum argentarias tabernas. Petendo ab obviis irraucesco, propemodum in itinere diſperii.* AP. *Epidice.* EP. *Quis eſt qui revocat Epidicum?* PE. *Ego ſum Periphanes.* AP. *At ego ſum Apœcides.* EP. *Et ego quidem ſum Epidicus. Sed, here, vos animadverto ambo advenire opportuniſſimè.* PE. *Quid rei eſt?* EP. *Mane: ſine me animam recipere, quæſo.* PE. *Conquieſce.* EP. *Animo indoleo, recipiam ſpiritum.* AP. *Acquieſce leniter.* EP. *Adhibete mentem: omnes remiſſi ſunt domum Thebis à legione.* AP. *Quis ſcit hoc geſtum?* EP. *Ego affirmo ſic eſſe.* PE. *Sciſne tu iſtud?* EP. *Scio.*

ANNOTATIONES.

14. *Per medicinas.*] *Medicinæ* erant Medicorum, qui olim & Chirurgi & Pharmacopolæ, officinæ. Porrò nulla unquam natio tam parvipendit medicinam, quam Romana, in qua Ars illiberalis habebatur, atque adeò à nullo ingenuo exercebatur.

Per tonſtrinas.] *tonſtrina*, barbatorium; *tonſores*, barbatores.

PE. Quî tu ſcis? *EP.* quia ego ire vidi milites plenis viis.
Arma referunt, & jumenta ducunt. *PE.* nimis factum benè!
EP. Tum captivorum quid ducunt ſecum: pueros, virgines,
Binos, ternos: alius quinque: fit concurſus per vias.
Filios ſuos quiſque viſunt. *PE.* hercle rem geſtam benè!
EP. Tum meretricum numerus tantus, quantum in urbe omni fuit,
Obviam ornatæ occurrebant ſuis quæque amatoribus:
Eos captabant. id adeò, quî maximè animum advorterim:
Pleræque hæ ſub veſtimentis ſecum habebant retia.
Quum ad portum venio, atque ego illam illìc video præſtolarier:
Et cum eâ tibicinæ ibant quatuor. *PE.* quîcum, Epidice?
EP. Cum illâ, quam tuus gnatus annos multos deamat, deperit.
Ubi fidémque, rémque, ſéque, téque properat perdere:
Ea præſtolabatur illum apud portum. *PE.* viden' veneficam!
EP. Sed veſtita, aurata, ornata ut lepidè! ut concinnè! ut novè!
PE. Quid erat induta? an regillam induculam, an mendiculam, *an*
Impluviatam? ut iſtæ faciunt veſtimentis nomina.
EP. Utin' impluvium induta eat! *PE.* quid iſtuc eſt mirabile?
Quaſi non fundis exornatæ multæ incedant per vias.

INTERPRETATIO.

PE. Quomodo ſcis tu? EP. *Quia ego vidi milites ire plenis viis, reportant arma, & ducunt jumenta.* PE. *Omnino præclarè geſtum.* EP. *Tum quot captivos deducunt ſecum? pueros, virgines, binos, ternos: alius quinque: fit concurſus per vias: quiſque viſunt ſuos filios.* PE. *Sanè rem proſperè geſtam.* EP. *Tum erat tantus numerus meretricum, quantus fuit in universâ urbe; quæque egregiè ornata ibant obviam ſuis amatoribus. occupabant lacertis: idque ſcio, quia maximè animadvertebantur pleræque ſecum gerere ſub veſtibus retia. Quando venio ad portum, & ego video illam expectare illic, erantque quatuor tibicinæ cum illâ.* PE. *Cum quâ, Epidice?* EP. *Cum illâ quam tuus filius deamat, deperit unam à multis annis, cum quâ tuus filius accelerat perdere & fidem, & rem, & ſe, & te. Ea operiebatur illum apud portum.* PE. *Videſne veneficam?* EP. *Sed quàm eleganter induta erat, aurata, ornata ut pulchrè! ut novè!* PE. *Quibus veſtimentis erat ornata? An induculam, regillam, an mendiculam, an impluviatam, ut iſtæ imponunt nomina veſtibus?* EP. *Utinam procedat veſtita impluvio!* PE *Quid autem iſtud eſt mirabile? Quaſi multæ non incedant per vias exornatæ totis fundis.*

ANNOTATIONES.

39. *Regillam.*] Trabea ejus figuræ quâ Reges & Reginæ ferebant.

Mendiculam.] Oſca vox, quæ Senatoriam veſtem ſignificat *Meddix.* Oſca vox quæ Magiſtratum ſignificat.

40. *Impluviatam.*] A formâ *impluvii:* reſpondet pallio noſtro, quòd ambit tergum, & latera, antrorſum minimè coit.

41. *Induta impluvium.*] *Impluvii pretio*, id eſt, *domus.* Hieronymus. *Qui uno filo villarum inſuunt pretia, id eſt uniones.* Tertulianus, *Saltus & inſulas tenera cervix fert.* Cyprianus, *Mulieres ut omnia delicata ad vitiorum ſarcinas fortiores ſunt viris.* Martialis.

Aurea quod fundi pretio carruca paratur.
Propertius.

Matrona incedit cenſus induta nepotum.

Ac

At tributus cùm imperatus eſt, negant pendi poteſſe:
Illis, quibus tributus major penditur, pendi poteſt.
Quid iſtæ, quæ veſti quotannis nomina inveniunt nova:
Tunicam rallam, tunicam ſpicam, linteolum cæſicium,
Induſiatam, patagiatam, caltulam, aut crocotulam,
Supparum, aut ſubminiam, ricam, baſilicum, aut exoticum.
Cumatile aut plumatile, cerinum aut melinum. gerræ maximæ!

Interpretatio.

Sed cùm imperatur vectigal, affirmant ſe non poſſe ſolvere: poteſt ſolvi illis quibus ſolvitur majus vectigal. Quid dicã de iſtis quæ excogitant ſingulis annis nova nomina veſtibus! Tunicam raram & pellucidam, tunicam denſam, linteolum candidum, induſiatam, patagiatam, caltulam aut crocotulam, ſupparum aut ſubminiam, ricam, baſilicum aut exoticum, cumatile aut plumatile, cerinum aut melinũ. Nugæ maximæ.

Annotationes.

43. *Tributus.*] *Tributum.* Plura nomina neutra nunc, maſculina erant olim, & vice verſâ.

46. *Tunicam rallam.*] id eſt, *reticulatam*, & *raram pellucidamque*, quæ oculos tranſmittat, ut videre poſſint quæ ſunt ſubtus. Nonius. *A raritate texturæ ſic dicta. Levidenſis veſtis*, quòd leviter ſit denſata: *pavitenſis a pavio*, id eſt, denſata. Aliis *crebra veſtes, papaverata, paveruta, pavitenſes*: pavera frumenta quæ vix glumis ſuis exeunt. *Plauduntur tela*, id eſt, *de la toile bien chaſſée*: id eſt, denſata tela, & minimè rara. Virgil.

Et Libyco molles plauduntur pectine telæ.

Linteolum cæſicium.] Nonius. *Purum candidum ſic dictum, vel quòd cadendo ad candorem pervenerit, vel quòd oras circumciſas habuerit.*

47. *Induſiatam.*] Varro. *Alterius generis item duo; unum, quod foris & palàm. Palla: alterum quod intus. Intuſium: id quod Plautus dicit Intuſiatum.*

Patagiatam.] Nonius. *Patagium, aureus clavus qui pretioſis veſtibus immitti ſolet;* Videlicet ad oram ſummam circa collum *clavus* dicebatur, vel latus, ſeu laticlavus, vel anguſtus, anguſticlavus, à magnitudine clavorum, ſeu panni ſecti ad formam capitis clavorum. *Patagium* ſignificat maculam in corpore, ex morbo quem vernaculâ noſtrâ vocamus etiamnum *un Clou*. Crediderim ipſum *Patagium* eſſe à Græco *πατάσσω percutio*, quia clavi malleo adiguntur.

Caltulam.] *caltâ infectam*. Nos *ſouci*.

Crocotulam.] *croco tinctam*. Virgil.

Vobis (Trojanis) *picta croco, & ſplendenti murice veſtis.*

Jactum in Trojanos molliotibus indutos veſtibus. *Crocotula, crocotium & crocota*, veſtis muliebris, & fœminarum effœminatiorum. A *crocota* videtur natum Gallicum *cotte*. Erat autem rara admodum veſtis, & qualis hæc Petronii.

Æquum eſt induere nuptam ventum textilem?

Palàm proſtare nudam in nebulâ lineâ?

Plinius. *Ut denudet fœminas veſtis*. Coa videlicet. Horatius.

——— Cois tibi penè videre eſt

Ut nudam.

Hieronymus. *Ingrediuntur expolitæ libidinum victimæ, & tenuitate veſtium nudæ oculis ingeruntur.* Tertullianus. *Textu pellucido tegendo nudavit.*

48. *Supparum.*] aut, quod ſubtus appareat; aut, quod ſuper appareat: *Jupe de deſſous, jupe de deſſus.* Feſtus. *Supparus, lineum puellarum veſtimentum, quod & ſubucula appellatur.* Unde *ſuppara*, vela navigiorum.

Subminiam.] aut *ſubnimia*. Jocus captatus ab *ſuppare*. Parum & nimium opponuntur conſultò.

Ricam.] *une Echarpe.*

Baſilicum.] Nonius. *Genus veſtis regium. A la Royale.*

Exoticum.] ut nos *Indicam, Indienne.*

49. *Cumatile.*] *bleu. κῦμα fluctus, ondoyé.* Nonius. *Coloris marini aut caerulei, quaſi fluctuum ſimilis. Fluctus enim*

Cani quoque etiam ademptum 'ſt nomen. *EP.* qui? *PE.* vocant Laconicum.
Hæc vocabula auctiones ſubigunt ut faciant viri.
Quin tu, ut occepiſti, loquere. *EP.* occepêre aliæ mulieres
Duæ poſt me ſic fabulari inter ſeſe. ego abſceſſi ſolens
Paulùm ab illis: diſſimulabam me harum ſermoni operam dare.
Nec ſatis exaudiebam, nec ſermonis fallebar tamen,
Quæ loquerentur. *PE.* id lubido eſt ſcire. *EP.* ibi illarum altera
Dixit illi, quîcum ipſa ibat. *PE.* quid? *EP.* tace ergo, ut audias.
Poſtquam illam ſunt conſpicatæ, quam tuus gnatus deperit,
Quàm facilè & quàm fortunatè evenit illi, obſecro, mulieri,
Liberare quam vult amator! quiſnam is eſt? inquit altera
Illi. ibi nominat Stratippoclem Periphanæ filium. *PE.* perii
Hercle. quid ego ex te audio? *EP.* hoc quod actum. egomet pòſt, ubi illas audivi loqui,
Cœpi rurſum vorſum ad illas pauxillatim accedere,
Quaſi retruderet hominum me vis invitum. *PE.* intellego.
EP. Ibi illa interrogavit illam. Quî ſcis? quis id dixit tibi?
Quin hodie allatæ ſunt tabellæ ad eam à Stratippocle, cum
Argentum ſumpſiſſe apud Thebas ab Daniſtâ fœnore:

INTERPRETATIO.

Eſt quoque uſurpatum nomen canis. EP. *Quomodo?* PE. *Vocant Laconicum. Hæc nomina cogunt earum viros facere auctiones. quin tu proſequere loqui ut inſtituiſti.* EP. *Geminæ aliæ fœminæ inceperunt ſic loqui inter ſeſe pone me: ego receſſi pauliſper, ut ſoleo, ab illis. aſſimulabam me non attendere ad earum orationem. neque audiebam ſatis: neque tamen me fallebant quæ dicebant.* PE. *Libet ſcire id.* EP. *Tunc una earum dixit illi cum quâ ipſa viam faciebat.* PE. *Quid?* PE. *Sile igitur ut audias. Poſtquam ſunt intuitæ eam quam tuus filius deperit. quam illi fœminæ optatè, amabò, & fœliciter contigit, quam amator vult liberare! Quiſnam eſt? ait illi altera. Tum appellat Stratippoclem filium Periphanis.* PE. *Interii certè: quid ego audio ex te?* EP. *Hoc quod geſtum. Ipſe poſtquam ego audivi illas fabulari, cœpi accedere enſim ſine ſenſu ad illas rurſum verſum, quaſi turba hominum me repelleret obluctantem.* PE. *Intelligo.* EP. *Tum altera ab eram ſci citatur. Quomodo ſcis? Quis tibi dixit id? Quin allatæ ſunt litteræ hodie ad eam à Stratippocle, cum accepiſſe argentum fœnore ab Daniſtâ apud Thebas:*

ANNOTATIONES.

Græcis χώματα. *Hic color Vegetio, Venetus, Lucretio Talaſſinus.*

Plumatile.] id eſt, clavata.

Cerinum.] ceræi coloris, *jaune.*

Melinum.] μῆλον, cydonii floris colore.

Gerra.] *claye.* Crates vimineæ, nugæ: quaſi dicat, res quibus nihil ſit ſolidi, ut crates rato vimine texuntur.

50. *Laconica veſtes.*] Raræ & tam raræ, ut his tectum corpus ſeu nudum in oculos incurreret; Meretricium veſtis genus, *Laconicum* dicebatur, quod afferretur Lacedæmone. Horatius laudat Laconicas purpuras. *Cani ademptum eſt nom. n.* Hoc dicit, quia & canes Laconici erant in pretio, & abſolutè dicebantur Laconici. Sic & veſtes dicebantur abſolutè Laconicæ.

51 *Auctiones.*] ab *augendo* pretio, à *l'enchere. au plus offrant & dernier encheriſſeur. Auctionari.*

53. *Solens.*] *ut ſoleo*, quando auſculto ex inſidiis & latebris. Alii *ſilens.*

55. *Sermonis fallebar.*] Fallebat, ſeu fugiebat earum fœminarum ſermo.

Id paratum, & ſeſe ob eam rem id ferte. *PE.* cedò, ego óccidi?
EP. Hæc ſic aiebar; ſic audiviſſe ab ſe, atque ab epiſtolâ.
PE. Quid ego faciam nunc? conſilium à te expeteſſo, Apœcides.
AP. Reperiamus aliquid calidi conducibilis conſilii.
Nam ille quidem aut jam hîc aderit, credo, hercle, aut jam adeſt.
EP. ſi æquum fier
Me plus ſapere quàm vos, dederim vobis conſilium catum,
Quod laudetis, ut ego opinor, uterque. *PE.* ergo ubi eſt, Epidice?
EP. Atque ad eam rem conducibile. *AP.* quid iſtuc dubitas dicere?
EP. Vos priores eſſe oportet, nos poſteriùs dicere,
Qui plus ſapitis. *AP.* eia verò, age dic. *EP.* at deridebitis.
AP. Non edepol faciemus. *EP.* imò, ſi placebit, utitor
Conſilium: ſi non placebit, repetitote rectius.
Mihi iſtic nec ſeritur, nec metitur: niſi ea, quæ tu vis, volo.
PE. Gratiam habeo: fac participes nos tuæ ſapientiæ.
EP. Continuò arbitretur uxor tuo gnato. atque ut fidicinam
Illam, quam is volt liberare, quæ illum corrumpit tibi,
Ulciſcare: atque ita curetur, uſque ad mortem ut ſerviat.
AP. Fieri oportet. *PE.* facere cupio quidvis, dum id fiat modò.
EP. hem.
Nunc occaſio 'ſt faciundi, priuſquam in urbem advenerit,
Sicut cras hîc aderit; hodie non venerit. *PE.* quî ſcis? *EP.* ſcio.
Quia mihi alius dixit, qui illinc venit, manè hîc affore.
PE. Quin tu eloquere: quid faciemus? *EP.* ſic faciundum cenſeo.

INTERPRETATIO.

id numeratum, & ſeſe id gerere ob eam rem. PE. *Dic, ego perii.* EP. *Hæc dicebat ſe ſic audiviſſe ab eâ, & ex epiſtolâ.* PE. *Quid agam ego jam? A te expetivero conſilium, Apœcides.* AP. *Comminiſcamur aliquod conſilium utile & prudens: nam ille quidem aut aderit modò hic, ut puto, aut certè jam adeſt.* EP. *Si æquum fuerit me plus ſapere quàm vos, vobis dederim prudens conſilium quod probetis uterque, ut equidem exiſtimo.* PE. *Ubi eſt igitur, Epidice?* EP. *Et utile ad hanc rem.* AP. *Quid cunctaris dicere id?* EP. *Oportet vos priores loqui, ut qui plus ſapitis, nos poſteriores.* AP. *Age verò dic.* EP. *At irridebitis me.* AP. *Non faciemus.* EP. *Immò, ſi placet, utamini conſilio ſi non placebit, reperietis rectius. Nec ſpargitur nec colligitur hic mihi. Non volo niſi ea quæ tu vis.* PE. *Gratiam habeo: redde nos participes tuæ ſapientiæ.* EP. *Uxor quæratur ſtatim tuo filio, & ut ulciſcaris illam fidicinam quæ tibi illum perdit, quam vult liberare: & ita fiat ut ſerva ſit uſque ad mortem.* AP. *Oportet facere.* PE. *Opto facere quidvis, dummodò id fiat.* EP. *Hem! jam ſeſe offert occaſio rei gerendæ, antequam reverſus ſit in urbem, quemadmodum erit hic cras. Non veniet hodie.* PE. *Quomodo ſcis?* EP. *Scio: quia alius qui venit illinc, mihi nuntiavit venturum eſſe manè.* PE. *Quin tu dic: Quid faciemus?* EP. *Exiſtimo faciendum ſic.*

ANNOTATIO.

80. *Mihi iſtic nec ſeritur nec metitur.*] *Je n'y ay point d'intereſt.* Metaphoræ ſumptæ ab agriculturâ.

Quaſi tu cupias liberare fidicinam animi gratiâ,
Quaſique ames vehementer tu illam. *PE.* quam ad rem iſtuc refert? *EP.* rogas?
Ut enim præſtines argento, priuſquam veniat filius,
Atque ita eam te in libertatem dicas emere. *PE.* intellego.
EP. Ubi erit empta, ut aliquò ex urbe amoveas: niſi quid tua
Secus ſententia eſt. *PE.* imò doctè. *EP.* quid tu autem, Apœcides?
AP. Quid ego jam? niſi te commentum nimis aſtutè intellego.
EP. Jam igitur amota ei erit omnis conſultatio
Nuptiarum, ne gravetur, quod velis. *AP.* vivè ſapis: & placet.
EP. Tum tute igitur calidè, quicquid acturus, age.
PE. Rem hercle loquere. *EP.* & repperi, hæc te quî abſcedat ſuſpicio.
PE. Sine me ſcire. *EP.* ſcibis, audi. *AP.* ſapit hic pleno pectore.
EP. Opus eſt homine, qui illò argentum deferat pro fidicinâ.
Nam te illò non æquè opus factò 'ſt. *PE.* quid jam? *EP.* ne te cenſeat
Filii cauſsâ facere. *PE.* doctè. *EP.* quò illum ab illâ prohibeas,
Ne qua ob eam ſuſpicionem difficultas eveniat.
PE. Quem hominem inveniemus ad eam rem utilem? *EP.* hic erit optimus.
HIC POTERIT cavere rectè, Jura qui & Leges tenet.
AP. Epidice, habeas gratiam. *EP.* ſed ego iſtuc faciam ſedulò.
Ego illum conveniam, atque adducam huc ad te, quoia 'ſt fidicina,

INTERPRETATIO.

Quaſi tu velis liberare fidicinam, animi causâ, & quaſi tu illam diligas magnopere. PE. *Ad quam rem iſtud juvat?* EP. *Poſtulas? Videlicet ut eam emas pecuniâ antequam filius adſit, & ut dicas te eam emere ut liberes.* PE. *Audio te.* EP. *Quando erit empta, amovebis aliquò ex urbe, niſi aliter viſum fuerit.* PE. *Imò peritè.* EP. *Quid tu ais, Apœcides?* AP. *Quid ego dicerem? Niſi video te eſſe commentum id aſtutiſſimè.* EP. *Tum demum adimetur filio omnis conſultatio nuptiarum, ne impedias quod voles.* AP. *Vivè ſapis. & placet.* EP. *Tum tu igitur prudenter adminiſtra quidquid facies.* PE. *Profectò rem tenes.* EP. *Prætereà reperiquo modo ſuſpicio à te abſit.* PE. *Patere me diſcere.* EP. *Scies, accipe.* AP. *Hic habet pectus plenum ſapientiâ.* EP. *Opus eſt homine qui deferat pecuniam eò pro fidicinâ: nam neque etiam opus eſt te ad illud faciendum.* PE. *Quid jam?* EP. *Ne exiſtimet te filii causa facere.* PE. *Sapienter.* EP. *Ut arceas eum ab hâc, ne nulla difficultas accidat ob illam ſuſpicionem.* PE. *Quem hominem reperiemus idoneum ad eam provinciam?* EP. *Hic* Apœcides *erit aptiſſimus: hic poterit rectè providere rebus, qui novit jura & leges.* AP. *Epidice. feras totam rei gratiam.* EP. *Equidem obibo id attentè, ego eum adibo, & ad te deducam huc eum cujus eſt fidicina.*

ANNOTATIO.

92. *Præſtines.*] *Præſtinare, emere.*

Atque argentum ego cum hoc feram. *PE*. quanti emi poteſt minimo? *EP*. illáne?
Ad quadraginta fortaſſe eam poſſe emi minimo minas.
Verùm, ſi plus dederis, referam: nihil in eâ re captio eſt.
Atque id non decem occupatum tibi erit argentum dies.
PE. Quî dum? *EP*. quia enim mulierem illam alius adoleſcens deperit,
Auro opulentus, magnus miles, Rhodius, raptor hoſtium,
Glorioſus. hic emet illam de te, & dabit aurum lubens.
Face modò: eſt lucrum hîc tibi amplum. *PE*. deos quidem oro. *EP*. impetras.
AP. Quin tu is intrò, atque huc argentum promis. ego viſam ad forum:
Epidice, eò veni. *EP*. ne abeas, priuſquam ego ad te venero.
AP. Uſque opperiar. *PE*. ſequere tu intrò. *EP*. i, numera: nihil ego te moror.

INTERPRETATIO.

& feram argentum cum hoc. PE. *Quanti emi poteſt ut minimi?* EP. *Illáne? Exiſtimo eam poſſe emi ut minimo fortaſſe ad quadraginta minas: ſed ſi plus numeraris, reſtituam: nullâ in eâ re ſubeſt fraus, & ea pecunia non erit otioſa decem diebus.* PE. *Quo pacto?* EP. *Quia alius adoleſcens perditè amat illam mulierem, auro dives, magnus miles, Rhodius, profligator hoſtium, gloria plebis, hic mercabitur illam de te, & reddet pretium libenter. Fac igitur, tibi oſtenditur hic lucrum amplum.* PE. *Deos quidem oro.* EP. *Obtines.* AP. *Quin tu ingrederis ædes, atque pecuniam huc affers? Ego videro in foro. Epidice, illò veni.* EP. *Ne demigres antequam ego venero ad te.* AP. *Semper expectabo.* PE. *Sequere tu intrò.* EP. *I, numera, ego te minimè retardabo.*

ACTUS SECUNDUS. SCENA TERTIA.

ARGUMENTUM.

GRATULATUR ſibi Epidicus, quòd iterum deceperit Periphanem, & quòd invenerit alteram fidicinam, quam ſupponat pro Acropoliſtide filiâ Periphanis.

EPIDICUS.

NULLUM eſſe, opinor ego, agrum in agro Attico
Æquè feracem, quàm hic eſt noſter Periphanes:
Quin ex occluſo atque obſignato armario
Decutio argenti tantùm, quantùm mihi lubet.
Quod pol ego metuo, ſi ſenex reſciverit,
Ne ulmos paraſitos faciat, quæ uſque attondeant.
Sed me una turbat res ratióque: Apœcidi
Quam oſtendam fidicinam aliquà conductitiam.
Atque id quoque habeo. manè me juſſit ſenex
Conducere aliquam fidicinam ſibi huc domum,
Dum rem divinam faceret, cantaret ſibi.
Ea conducetur, atque ei præmonſtrabitur,
Quo pacto fiat ſubdola adversùs ſenem.
Ibo intrò, argentum accipiam ab damnoſo ſene.

INTERPRETATIO.

EP. *EGo exiſtimo eſſe nullum agrum in Attica perinde fertilem atque eſt hic noſter Periphanes: quin etiam cogo depromere ex armario clauſo atque ceris munito, tantùm pecuniarum quantùm mihi placet: quo fit ut ego pertimeſcam, ſi ſenex cognoverit, ne reddat paraſitas virgas, quæ circumrodant meum tergum. Verùm una res ratióque me ſollicitum efficit; nempe quam fidicinam ſupponam Apœcidi aliqunde conductitiam. Sed & habeo id* in manibus. *Senex mihi imperavit ut ſibi adducerem huc manè quandam fidicinam, quæ cantet intereadum operabitur ſacris. Ea conducetur & inſtituetur quâ ratione evadat callida erga ſenem. Ingrediar ædes, & recipiam pecuniam à ſene.*

ANNOTATIONES.

1. *In agro Attico.*] in totâ terrâ Atticâ. Videlicet *ager* ſignificat & aliquem modum terræ, & regionem omnem, quæ pluribus agris conſtet. Sic dicitur *ager Romanus, ager Campanus*, Græcè χῶρος.

3. *Armario.*] *Armarium* ab *armis*. *Arma* autem ſunt omnium artium inſtrumenta. Virgilius in Georg.

Dicendum & quæ ſint duris agreſtibus arma.

Hic *arma* ſunt raſtra, ligones, aratrum. Idem in Æneid.

Colligere arma jubet, validiſque incumbere remis.

Hic *arma* ſunt anchoræ, funes, remi. *Armarium* igitur eſt locus condendis inſtrumentis quibuslibet aptum.

6. *Ulmos paraſitos.*] Jocus illiberalis; quaſi paraſitorum inſtar vorarent humeros, arroderéntque virgæ, ut paraſitus edulia menſáſque potentiorum. *Menſarum roſores & tonſores* Phocyllides appellat *Aſſentatores*, τραπεζοκόρους.

8. *Aliquà.*] Aliquâ ex parte.

11 *Dum faceret rem divinam.*] Erant domeſtica ſacra, libationéſque Laribus fieri ſolitæ, in quibus faciendis quò major accederet Religio, fidibus interdum canebatur.

14. *Damnoſo.*] paſſivè, pro *damnis confecto*.

ACTUS TERTIUS.

ARGUMENTUM.

CONDUCIT Epidicus fidicinam: eam ſupponit pro Acropoliſtide filiâ Periphanis. Sed adeſt Miles Euboïcus, repetit Acropoliſtidem fidicinam quam amabat. Pro eâ ſenex oſtendit fidicinam modò ab Epidico adductam. Negat Miles eſſe Acropoliſtidem ſuam. Hinc animadvertere incipit Periphanes ſibi Epidicum verba dediſſe. Dimittit fidicinam à quinquennio liberam.

ACTUS TERTIUS. SCENA PRIMA.

ARGUMENTUM.

STRATIPPOCLES fruſtrà implorat opem Chæribuli, mutuámque petit pecuniam ad emendam Acropoliſtidem filiam Periphanis.

STRATIPPOCLES, CHÆRIBULUS.

STRATIPPOCLES.

EXSPECTANDO exedor, miſer, atque exenteror, quomodo mihi
Epidici blanda dicta eveniant. nimis diu maceror.
Sitne quid, necne ſit, ſcire cupio. *CH.* per illam tibi copiam
Copiam parare aliam licet: ſcivi equidem in principio
Illicò nullam tibi eſſe in illo copiam. *ST.* interii hercle ego.
CH. Abſurdè facis, qui angas te animi. *ST.* ſi hercle ego illum ſemel prehendero,
Nunquam irridere nos illum inultum ſinam ſervum hominem.

INTERPRETATIO.

ST. *Conſumor, infælix, & eviſceror: jamdudum conficier, præſtolando quò evadant ſuavia verba Epidici. Jamdudum contabeſco: opto reſcire ſi ſit aliquid, an non ſit, quod expectem.* CH. *Tibi licet per illas opes ab Epidico promiſſas quærere alias opes: equidem intellexi ſtatim ab initio tibi eſſe nullas opes expectandas ab eo.* ST. *Sine dubio ego perii.* CH. *Facis imprudenter, ut qui te diſcrucies mente.* ST. *Si ego eum ſemel tenuero, nunquam patiar eum ſervum irridere nos impunè.*

ANNOTATIONES.

1. *Exedor.*] Cicero. *Ægritudo lacerat, exeſt animam, plane conficit. L'inquietude où je me trouve me ronge.*

Exenteror.] Tractum a piſcibus, quibus inteſtina vivis fermè avelluntur, quòd eſſet hominum genus ſupplicii crudeliſſimum.

2. *Maceror.*] *Je ſèche tout debout.*

3. *Per illam copiam.*] Non debet in Epidico tanta eſſe auxilii ſpes, ut alius amici auxilium prætereà negligas, ſi offeratur.

7. *Inultum.*] paſſivè ſumptum.

Quid illum ferre vis? qui, tibi cui divitiæ domi maximæ
Sunt, is nummum nullum habes, nec ſodali tuo in te copia 'ſt.
CH. Si hercle habeam, pollicear lubens: verùm aliquid, aliquâ, aliquo modo,
Alicunde, ab aliquî, aliqua tibi ſpes eſt fore mecum fortunam.
ST. Væ tibi, muricide homo. *CH.* qui tibi lubet mihi malè loqui?
ST. Quippe tu mihi aliquid, aliquo modo, alicunde ab aliquibus blatis,
Quod nuſquam 'ſt: neque ego id immitto in aures meas. nec mihi
Plus adjumenti ades, quàm ille qui nunquam etiam natus eſt.

INTERPRETATIO.

Quid vis Epidicum mihi dare? Si tu, cui ſunt domi maximæ divitiæ, nullum habes nummum, cujus copiam facias tuo ſodali. CH. *Profectò ſi habeam, promittam ultrò, ſed quiddam, quâdam ratione, quodammodò, ex aliquo loco, tibi aliqua ſpes affulget fortunam tibi fore communem & mihi.* ST. *Væ tibi, homo ſegnis!* CH. *Quare juvat te mihi maledicere? Videlicet tu mihi oggannis aliquid, aliquo modo, alicunde, ab aliquibus, quod eſt nuſquam gentium. Neque ego onero iis verbis meas aures, neque habeo plus auxilii quàm qui nunquam natus eſt.*

ANNOTATIONES.

9. *Is nummum.*] Eſt elegans à contrariis locus: Quid expectem ab Epidico homine ſervo, paupere, ſi nihil opis à Chæribulo ſodali divite expectare liceat.

10. *Verùm aliquid.*] Eſt elegans & adumbrata oratio hominis negantis opem amico roganti, & quâ evadat circumſpicienti. Obſcura enim & implicata eſt, nec magis pollicetur quàm negat.

12. *Muricide homo.*] Eſt jactum in hominem ignavum convitium, quaſi non adſit ſatis animi ad homines in bello interficiendos, & contentus ſit ſuam depromere fortitudinem in muribus confodiendis. Alii legunt *murcide*, quod & ad ignaviam exprobrandam factum. Nimirum olim apud Romanos qui detrectabant militiam, ſibi pollicem abſcindebant, ut bello inutiles forent: Qui verò pollice carebant, dicebantur *murci*, *murcidi*, *murcili*. Hinc Dea ignavorum *Murcia*.

13. *Blatis.*] Iſidorus. βλαξ *ſtultus: unde blaterari:* quia ſtultitiæ & levitatis indicium eſt loquacitas. Feſtus. *Stultè & percupidè loqui.* Nonius. *Inconditè & inaniter loqui.*

ACTUS TERTIUS. SCENA SECUNDA.

ARGUMENTUM.

VENIT ad Stratippoclem Epidicus cum quinquaginta minis, ad redimendam Acropoliſtidem.

STRATIP-

STRATIPPOCLES, CHÆRIBULUS, EPIDICUS.

EPIDICUS.

FECISTI jam officium tu tuum: me meum nunc facereoportet.
Per hanc curam quieto tibi licet eſſe. Hoc quidem jam periit:
Ni quid tibi hinc in ſpem referas. hoc oppidò politum eſt.
Crede modò tu mihi. ſic ego ago, ſic egêre noſtri.
Proh dî immortales, mihi hunc diem dediſtis luculentum!
Ut facilem, atque impetrabilem! ſed ego hinc migrare ceſſo,
Ut importem in coloniam hunc auſpicio commeatum?
Mihi ceſſo, cùm ſto. ſed quid hoc? ante ædis duos ſodales,
Herum & Chæribulum conſpicor. quid hîc agitis? accipe hoc ſis.
ST. Quantùm hîc ineſt? *EP.* quantùm ſat eſt, & plus ſatis: ſuperſit.
Decem minis plus attuli, quàm tu Daniſtæ debes.

INTERPRETATIO.

EP. *TU*. Periphanes, *functus es tuo officio: oportet jam me fungi meo: oportet te vacare hâc ſollicitudine. Sanè hoc argentum jam perditum eſt: ne ſperes te ex eo recuperaturum quidquam. Hoc ſculptum eſt eleganter. Confide jam mihi: Eſt ea noſtra ratio agendi, ea fuit noſtrorum majorum. Proh dii immortales! mihi præbuiſtis hunc diem clarum! quàm minimè laborioſum! & quàm exoptatum! At ego cunctor diſcedere hinc, ut conferam in coloniam hunc commeatum auſpicatò. Quando hic hæreo, meo damno hæreo. At quid eſt hoc? Video ante ædes duos ſodales, herum & Charibulum. Quid hîc facitis? Tene hoc, ſi vis.* ST. *Quantùm eſt in hâc crumenâ?* EP. *Quantùm ſufficit. & plus quàm ſufficit: ſupererit* aliquid: *apporto decem minas ultra eas quas tu debes Daniſtæ.*

ANNOTATIONES.

1. *Feciſti jam officium tuum.*] Epidicus alloquitur Periphanem, quem ingrediendo in Scenam relinquit in poſtſcenio. Itaque non eſt perſona in hâc Scenâ. Dicit autem Epidicus: *Feciſti officium tuum*, datâ mihi pecuniâ ad emendam amicam filii: *nunc faciam meum*, redemptâ ipsâ amicâ filii.

2. *Hoc quidem jam periit.*] Secum loquitur Epidicus jam ſolus in Scenâ: Hoc argentum videlicet periit Periphani: periit, quia ad emendam amicam Stratippoclis, eique dandam, non adimendam expenderetur.

3. *Ni quid tibi.*] Semet & hic alloquitur Epidicus, dicitque ſe arbitrari illam pecuniam eſſe perditam, utpote pro meretrice numerandam; & nihil eſſe ex eâ Periphani ſperandum.

Hoc oppidò politum eſt.] Id profert Epidicus, aurum manu tenens, ſpectans & oſtentans. Porrò quò aſperior pecunia, hoc politior: uſu enim detrita: quod inſculptum eſt, minùs politum eſſe videtur cùm eſt politius.

6. *Facilem.*] Dies quo ſe facilis ad dandam pecuniam oſtendit Periphanes.

Impetrabilem.) exorabilem.

7. *Auſpicio.*] Quando Romani collocabant per colonias commeatus bellicos, auſpicatò faciebant, ne videlicet intercíperentur in viâ. Hinc allegoriâ ductâ innuit Epidicus, ſe conferre aliquò pecuniam, ne in cujuſquam manus veniat.

Dum tibi ego placeam, atque obſequar, meum tergum flocciſacio.
ST. Nam quid ita? *EP*. quia ego tuum patrem faciam perenticidam.
ST. Quid iſtuc eſt verbi? *EP*. nihil moror vetera & vulgata verba,
Peratim ductare: at ego follitim ductitabo.
Nam leno omne argentum abſtulit pro fidicinâ: ego reſolvi:
Manibus his dinumeravi; pater ſuam natam quam eſſe credit.
Nunc iterum ut fallatur pater, tibique auxilium apparetur,
Inveni viam. ita ego ſuaſi ſeni, atque hanc habui orationem;
Uti, *tu* quum rediſſes, ne tibi ejus copia eſſet.
ST. Euge! *EP*. ea jam domi eſt pro illâ. *ST*. teneo. *EP*. nunc authorem
Dedit mihi ad hanc rem Apœcidem. is apud forum manet me:
Quaſi cui emeret, caveat. *ST*. haud malè. *EP*. jam ipſe cautor captu 'ſt.
Ipſe in meo collo tuus pater cruminam collocavit.
Is adornat, adveniens domi extemplò ut maritus fias.
ST. Uno perſuadebit modo, ſi illam, quæ adducta eſt mecum;
Mihi ademſit Orcus. *EP*. nunc ego hanc aſtutiam inſtitui.
Deveniam ad lenonem domum egomet ſolus. cum ego docebo;
Si qui ad eum adveniant, ut ſibi datum eſſe argentum dicat

INTERPRETATIO.

Nibili pendo meas ſcapulas, dum ego tibi jucundus ſim, & obtemperem. ST. *Quare?* EP. *Quia ego reddam tuum patrem perenticidam.* ST. *Qua eſt illa vox?* EP. *Non curo antiqua & uſitata vocabula peratim ductare: ſed ego follitim ductitabo. Nam leno abſtulit omnem pecuniam pro fidicinâ quam pater credit eſſe ſuam filiam. Ego reddidi: ego appendi his manibus. Nunc reperi rationem ut decipiatur pater, & tibi comparem opem. Ego ſic hortatus ſum ſenem, atque impuli meâ eloquentiâ, ne tibi liceret potiri fidicinâ, quando eſſes reverſus* Thebis. ST. *Euge.* EP. *Ea eſt jam domi pro filiâ.* ST. *Audio.* EP. *Mihi dedit jam ad hoc negotium Apœcidem fidejuſſorem: ille me expectat in foro, quaſi caveat Periphani ementi.* ST. *Non ita malè.* EP. *Jam cautor ipſe deceptus eſt, tuus pater ipſe appendit crumenam de meo collo. Is parat, ut ſis conjugatus ſtatim atque reverſus fueris.* ST. *Id conſequetur unâ ratione, ſi mors mihi eripuerit illam quam adduxi mecum.* EP. *Jam ego excogitavi illum dolum quoque. Ego ſolus proficiſcar domum ad lenonem: ego docebo eum, ut dicat ſibi eſſe datam pecuniam pro fidicinâ, ſi quis eum*

ANNOTATIONES.

12. *Flocciſacio.*] Flocci pendo, nihili pendo.

13. *Perenticidam.*] A *pera perenticida*, ut à *parente* fit *parenticida*: id eſt, cùm pater tuus crumenam meis fallaciis deceptus toties exenterat, futurum eſt ut poſthàc non Periphanes, ſed *perenticida* nominetur.

14. *Vetera verba.*] Agellius, *Vetula & vulgata verba*. Juvenalis,
Quod mea cum vetulo coluit puls annua libo.

15. *Peratim ductare.*] *Peratim* & *follitim ductare*, id eſt, fraudibus adducere ſenem, ut omnes loculos, omnes peras & folles ſuccutiat. Follis eſt ventrioſior crumenâ, qualis eſt ditiorum.

21. *Ea eſt pro illâ.*] Alii *Pelia*, alii *Theſſala*, id eſt, venefica.

23. *Quaſi cui emeret, caveat.*] quaſi caveat ei cui emeret, nempe Periphani caveat, id eſt, ſatis accipiat à lenone.

Pro fidicinâ argenti minas ſe habere quinquaginta.
Quippe ego qui nudiuſtertius meiŝ manibus dinumeravi
Pro illâ tuâ amicâ, quam pater ſuam filiam eſſe retur.
Ibi leno ſceleratum caput ſuum imprudens alligabit,
Quaſi pro illâ argentum acceperit, quæ tecum adducta nunc eſt.
CH. Vorſutior es quàm rota figularis. *EP.* jam ego parabo
Aliquam doloſam fidicinam, nummo conducta quæ ſit:
Quæ ſe emptam ſimulet, quæ ſenes duo docta ludificetur.
Eam ducet ſimul Apœcides ad tuum patrem. *ST.* ut paratè!
EP. Eam permeditatam meis dolis, aſtutiiſque onuſtam
Mittam. ſed nimis longum loquor: diu me eſtis demorati.
Hæc ſcitis jam, ut futura ſint. abeo. *ST.* benè ambulato.
CH. Nimis doctus ille eſt ad malefaciendum. *ST.* me quidem certò
Servavit conſiliis ſuis. *CH* abeamus intrò hinc ad me.
ST. Atque aliquantò lubentiùs quàm abs te ſum egreſſus intus.
Virtute atque auſpicio Epidici cum prædâ in caſtra redeo.

INTERPRETATIO.

conveniant: ſe habere quinquaginta minas argenti. Nam ego qui appendi à tribus diebus meis manibus pro illâ tuâ amicâ quam pater arbitratur eſſe ſuam filiam. Tunc leno imprudens obligabit ſuum caput ſceleſtum, quaſi ſuſceperit pecuniam pro illâ quæ adducta eſt nunc tecum. CH. *Es verſutior quàm rota figularis.* EP. *Ego comparabo aliquam fidicinam verſipellem, quæ conducatur nummo, quæ fingat ſe emptam, ut illudat ſapienter duobus ſenibus. Apœcides eam deducet ſimul ad tuum patrem.* ST. *Ut ſapienter!* EP. *Eam mittam exercitatiſſimam in meis fraudibus, imbutámque calliditatibus. Sed verba facio nimis multa: me retardaſtis diutiùs. Intelligitis jam quemadmodum hæc gerenda ſint: proficiſcor.* ST. *Vade feliciter.* CH. *Ille eſt egregiè factus ad nocendum.* ST. *Me præſtitit incolumem quidem ſuâ prudentiâ.* CH. *Ingrediamur domum meam.* ST. *Et multò lubentiùs quàm ſum egreſſus domo tuâ. Revertor in caſtra cum iſta pecuniâ, virtute & auſpicio Epidici comparatâ.*

ANNOTATIONES.

35. *Verſutior.*] Rota figuli dicitur *verſuta* à *verſandi* facilitate. Cicero. *Verſutos eos appello, quorum celeriter mens verſatur.* Suidas. γιγγλύμου πολυστρεφώτερος *cardine verſatilior.*

37. *Docta.*] à me fallaciis inſtructa.

39. *Permeditatam.*] optimè inſtructam ac eruditam.

ACTUS TERTIUS. SCENA TERTIA.

ARGUMENTUM.

GRATULATUR ſibi Periphanes quòd Epidici operâ filium abducat ab amicâ, emptâ eâ quidem minis quinquaginta: ſed rurſus vendendâ Militi Euboïco ſexaginta minis.

PERIPHANES, APOECIDES, SERVUS.

PERIPHANES.

„NOn oris caussa modò homines æquum fuit
„ Sibi habere ſpeculum, ubi os contemplarent ſuum:
„ Sed quî perſpicere poſſunt cor ſapientiæ,
„ Igitur perſpicere ut poſſint cordis copiam.
„ Ubi id inſpexiſſent, cogitarent poſtea.
„ Vitam ut vixiſſent olim in adoleſcentiâ.
Vel quaſi egomet, qui dum filii cauſsâ cœperam
Ego me excruciare animi, quaſi quid filius
Meus deliquiſſet med erga: aut quaſi non plurimum
Malefacta mea eſſent ſolida, in adoleſcentiâ.
„ Profectò DELIRAMUS interdum ſenes.
Fuit conducibile hoc, quidem meâ ſententiâ.
Sed meus ſodalis it cum prædâ Apœcides.
Venire ſalvum mercatorem gaudeo.
Quid fit? *AP.* dii deæque te adjuvant. *PE.* omen placet.
AP. Quin omini omnes ſuppetunt res proſperè.
Sed tu hanc intrò jubeas abduci. *PE.* heus! foras
Exite huc aliquis. duce iſtam intrò mulierem.

INTERPRETATIO.

PE. *Non par eſt homines habere ſpeculum* tantùm *facici gratiâ, & in quo conſpicere poſſint ſuam faciem: ſed* par eſt habere etiam ſpeculum *in quo poſſint inſpicere animi ſapientiam, & contemplari opes animi. Quo* ſpeculo *viſo, recordentur quemadmodum quondam duxerint vitam in juventute. Ego id ex me intelligo. qui cœperam me angere animo, quia meus filius in me peccaverat: quaſi mea peccata non fuiſſent graviſſima in juventute. Sanè deſipimus nonnunquam ſenes. Id fuit utile, ut quidem opinor. At meus ſodalis Apœcides venit cum prædâ* fidicinâ. *Lator mercatorem rediiſſe incolumem. Quid fit?* AP. *Dii deæque tibi opitulentur.* EP. *Omen fauſtum eſt.* AP. *Sanè omnia ex voto fluunt homini: ſed jube hanc induci in ædes.* PE. *Heus aliquis! prodite huc foras: duc iſtam mulierem in ædes.*

ANNOTATIONES.

2. *Speculum.*] Seneca. *Inventa ſunt ſpecula, ut homo ſeipſe noſceret. Multa ex hoc conſecuta: primò ſui notitia: deinde & ad quadam conſilium. Formoſus, ut vitaret infamiam; deformis, ut ſciret redimendum eſſe virtutibus quicquid corpori deeſſet.* Martialis.

Conſilium forma ſpeculum.

3. *Sed qui.*] pro *ſed quo.* Olim, *ſed id qui.* Veteres ſcribebant *ſiid* pro *ſed.* ut *biinii miiriinti, bene merenti; ſiicit, fecit.*

4. *Igitur.*] *poſtea.* Donatus, *denique.*

7. *Quaſi.*] *quemadmodum.*

10. *Malefacta .. ſolida.*] *Solidum* propriè *maſſif.* Hinc nequitia gravis *ſolida* dicitur: *malefactum*, id eſt, peccatum ſolidum.

12. *Fuit conducibile.*] *Fuit conducibile hoc*, eſt pendens ſenſus & imperfectus. Nam addere voluit: Meum filium in hoc peccatum eſſe lapſum, ut cautior deinceps prudentiórque fiat, quemadmodum *conducibile fuit* me deliquiſſe, ut erroribus filii ire poſſim obviàm. Sed inchoatam orationem inexpectatus Apœcidæ adventus obturbat.

Atque audin'? *SER.* quid vis? *PE.* cave ſiris cum filiâ
Meâ copulari hanc, neque conſpicere! jam tenes?
In ædiculam iſtanc ſeorſum concludi volo.
„ Divortunt mores virgini longè ac lupæ.
„ *AP.* Doctè & ſapienter dicis. Non nimis poteſt
„ Pudicitiam quiſquam ſuæ ſervare filiæ.
Edepol næ iſtam temporè gnato tuo
Sumus præmercati. *PE.* quid jam? *AP.* quia dixit mihi
Jamdudum ſe alius tuum vidiſſe hîc filium.
PE. Hanc edepol rem apparabat. *AP.* planè hercle hoc quidem eſt.
Næ tu habes ſervom graphicum, & quantivis pretii!
Non caru 'ſt auro contra. ut ille fidicinam
Fecit neſcire prorſus, ſe eſſe emptam tibi!
Ita ridibundam atque hilaram huc adduxit ſimul.
PE. Mirum, hoc quî potuit fieri! *AP.* te pro filio
Facturum dixit rem eſſe divinam domi,
Quia Thebis ſalvus redierit. *PE.* rectè inſtitit.
AP. Imò ipſus illi dixit, conductam eſſe eam
Quæ hîc adminiſtraret ad rem divinam tibi.
Facturum hoc dixit, rem eſſe divinam tibi domi.
Ego illic me autem ſic aſſimulabam quaſi

I N T E R P R E T A T I O.

Sed audi. SER. *Quid vis?* PE. *Vide ne ſiveris hanc cum meâ filiâ conjungi, neque videre. Audiſne jam? Volo hanc includi ſeparatim in ædiculâ. Mores virginis ſunt valdè diſſimiles moribus meretricis.* AP. *Loqueris prudenter & peritè. Nemo poteſt tueri diligentiùs pudicitiam ſuæ filiæ. Profectò prævertimus tempeſtivè tuum filium in hâc emendâ fidicinâ.* PE. *Quare? Quia alius mihi affirmavit ſe vidiſſe jampridem hîc tuum filium.* PE. *Sine dubio ſeſe comparabat ad emendam fidicinam.* AP. *Hoc patet profectò: eſt tibi ſervus præſtantiſſimus, & exquiſiti pretii! Aurum non eſt tam carum. Quàm callidè ille effecit ut fidicina prorſus neſciret ſe emptam eſſe pro te! Adeò illa læta & alacris, quando ille eam adduxit ſecum.* PE. *Mirum quomodo id potuit fieri!* AP. *Dixit te facturum eſſe rem divinam domi pro filio, quia reverſus eſt Thebis incolumis.* PE. *Rectam viam tenuit.* AP. *Immò ille ipſe dixit eam eſſe vocatam ut tibi miniſtraret hic ad rem ſacram. Affirmavit te facturum eſſe rem divinam domi: Ego verò aſſimulabam me eſſe velut*

A N N O T A T I O N E S.

22. *Lupa.*] meretrici. Hinc *lupanar.*

25. *Tempore.*] tempeſtivè: *tempori. tempore: heri, here: veſperi, veſpere: luci, luce: mani, mane.*

29. *Graphicum.*] ad unguem factum. Ovidius, *Graphium*, eſt ſtilus quo in pugilaribus ſcribitur. *Graphicus* nugator; *graphicus* fur, *graphicus* mortalis. Horatius, *homo ad unguem factus.*

30. *Non carus eſt auro contra.*] Venire contra aurum, *au poids de l'or*: id eſt, ſi contrà appendatur aurum, non eſt carus.

Stolidum, cùm bardum me faciebam. *PE.* imò ita decet.
AP. Res magna amici apud forum agitur. ei volo
Ire advocatus. *PE.* at quæſo, ubi erit ocium,
Revortere ad me extemplò. *AP.* continuò hîc ero.
„*PE.* NIHIL HOMINI amico eſt opportuno amicius.
Sine tuo labore, quod velis, actum eſt tamen.
Ego ſi allegaſſem aliquem ad hoc negotium
Minùs hominem doctum, minúſque ad hanc rem callidum,
Os ſublitum eſſet. itaque me albis dentibus
Meus derideret filius meritiſſumò.
Atque hæc STULTITIA 'ſt, me illi vitio vortere,
Egomet quod factitavi in adoleſcentiâ:
Quum militabam, pugnis memorandis meis
Eradicabam hominum aureis, quando occœperam.

INTERPRETATIO.

hebetem: fingebam me eſſe obtuſá mente. PE. *Immò ita decet.* AP. *Res magna amici agitur apud forum: cupio ire ei patronus.* PE. *Sed, amabò, ſtatim atque erit facultas, redi ad me ſubitò.* AP. *Hîc ſtatim ero.* PE. *Nihil eſt ſuavius in vitâ amico opportuno: agitur quod optes, idque citra operam tuam. Si ego demandaſſem hanc rem homini minùs perito minúſque acuto, ludibrio habitus eſſem, & meus filius irrideret me meritò exertis dentibus: porrò & dementia fuiſſet, me hæc ei exprobrare quæ ipſe factitavi in juventute, quando acceſſi ad militiam, & obtundebam aures hominibus commemoratione certaminum meorum celeberrimorum.*

ANNOTATIONES.

40. *Stolidum.*] Plinius, *Stolones vocant agricolæ in arboribus fruticationem inutilem.* Auſonius pro *ſtolido ſtolonem* dixit. *Stolones* autem, quia neque ſeſe altiùs attollunt, neque arborum magnitudinem adæquant, neque fructum afferunt, locum dederunt metaphoræ ad exprimendos homines hebetes, tardos, inutiles.

42. *Advocatus.*] Aſconius. *Qui defendit alterum in judicio, aut Patronus dicitur, ſi orator eſt: aut Advocatus, ſi aut jus ſuggerit, aut præſentiam ſuam commodat amico: aut Cognitor, ſi præſentis cauſam novit, & ſic tuetur ut ſuam.*

48. *Albis dentibus.*] Cachinnationem exprimit, effuſioremque riſum, in quem qui prorumpunt, nudant dentes. Eſt in nonnullis exemplaribus *alvis* pro *albis*: ſed eſt mendum Librariorum ineruditorum, & eorum qui dictaverunt ſcribentibus in pronunciatione peccatum. Videlicet etiamnum in Aquitaniâ, & iis quæ ultrà Ligerim ſunt regionibus, *b* pro *v* efferre ſolent, & vice verſâ.

50. *Atque hæc ſtultitia eſt.*] Impeditur primâ fronte locus, ſed qui planus fiat, appoſitâ unâ interpretatione. Gratulatur videlicet ſibi Periphanes, quòd Apœcide prudenti admodum & fido fruatur amico, à quo eſt immunis præſtitus à verſutiis Stratippoclis, qui emerat Thebis Acropoliſtidem, eámque inde adduxerat: quaſi dicat: Si demandaſſem provinciam emendæ tibicinæ, quam meus filius perditè amabat, homini minùs verſuto quàm eſt Apœcides, fuiſſem deceptus, & meus filius me irrideret meritò. Quod ſi eveniſſet, quid feciſſem? Vitio verterem? At amens ſim, ſi vitio vertam adoleſcenti id quod egomet feci adoleſcens: eo ipſo tempore quo obtundebam aures omnium commemoratione mearum pugnarum & victoriarum. Horat.

——— *tenet occiditque legendo.*

Sed hic quis eſt, quem huc advenientem conſpicor,
Suam qui undantem chlamydem quaſſando facit?

INTERPRETATIO.

Sed quis eſt hic quem proſpicio huc accedentem, qui torquet ſuam chlamydem fluctuantem, eam concutiendo?

ANNOTATIONES.

55. *Undantem.*] Habitum inceſſumque glorioſi hominis. Veſtis *undans.* Virgilius, *undantes habenæ.*

Chlamydem.] militaris & viatoria veſtis; ſed & ſervorum aulicorum, quo expeditiores ſint ad obeunda dominorum mandata.

ACTUS TERTIUS. SCENA QUARTA.

ARGUMENTUM.

MILES Rhodius amicam Acropoliſtidem fidicinam diu quæſitam tandem accipit eſſe apud Periphanem. In ipſum Periphanem incidit, à quo repetit Acropoliſtidem. Periphanes jubet prodire fidicinam quam adduxit Epidicus, ratus eſſe Acropoliſtidem fidicinam. Eam quæ adducitur Acropoliſtidem ſuam negat eſſe Miles. Reverâ hæc non erat, ſed quæ fuerat ſuppoſita Periphani pro ejus filiâ. Hinc fraudes Epidici detegere Periphanes incipit.

MILES, PERIPHANES, FIDICINA.

FIDICINA.

CAVE præterbitas ullas ædis, quin roges,
Senex ubi habitat Periphanes Platenius.
Incertus tuum cave ad me retuleris pedem.
PE. Adoleſcens, ſi iſtunc hominem, quem tu quæritas,
Tibi commonſtraſſo, ecquam abs te inibo gratiam?
MI. Virtute belli armatus promerui, ut mihi

INTERPRETATIO.

FI. *Vide*, puer, *ne prætereas ullas ædes, quin petas ubi maneat Periphanes ſenex Platenius. Vide ne ad me revertaris ignarus* hujus rei. PE. *Adoleſcens, ſi tibi oſtendero illum hominem quem tu quæris, ecquam gratiam mihi habebis?* MI. *Conſecutus ſum armis bellicâ virtute, ut omnes*

ANNOTATIONES.

1. *Cave ne præterbitas.*] Eſt oratio militis ad puerum, quo relicto in poſtſcenio, venit ipſe in Scenam. *Præterbitas*: vetus *beto, is, it; eo, is, it.*

2. *Platenius.*] A *Platæis*, urbe Thebis finitimâ in Bœotiâ.

6. *Belli.*] Eſt adverbium temporis, ſeu potiùs genitivus rectus à ſubſtantivo elliptico *tempore.* Sic dicitur *domi, belli, militiæ.*

Promerui armatus.] Eſt glorioſi militis ſermo: & ut eſt illud hominum genus utplurimùm vanum, & in hâc vanitate ridiculum, Comicus noſter ſemper tribuit orationem audacem, faſtúque pleniſſimam.

Omnes mortalis deceat agere gratias.
PE. Non repperiſti, adoleſcens, tranquillum locum,
Ubi tuas virtutes explices, ut poſtulas.
„ Nam STRENUIORI deterior ſi prædicat
„ Suas pugnas; de illius ore fiunt ſordidæ.
Sed iſtum quem quæris Periphanem Platenium,
Ego ſum, ſi quid vis. *MI.* nempe quem in adoleſcentiâ
Memorant apud reges armis, arte duellicâ
Divitias magnas indeptum? *PE.* imò ſi audias
Meas pugnas, fugias manibus demiſſis domum.
MI. Pol ego magis unum quæro, meas cui prædicem,
Quàm illum qui memoret ſuas mihi. *PE.* hic non eſt locus.
Quin tu alium quæras, cui centones farcias.
MI. Animum adverte, ut, quod ego ad te venio, intellegas.
Meam amicam audivi te eſſe mercatum. *PE.* attate.
Nunc demum ſcio ego hunc, qui ſit; quem dudum Epidicus
Mihi prædicavit militem. adoleſcens, ita 'ſt
Ut dicis: emi. *MI.* volo te verbis pauculis,
Si tibi moleſtum non eſt. *PE.* non edepol ſcio.
Moleſtum non eſt, niſi dicis quid velis.
MI. Mihi illam ut tramittas: argentum accipias.
PE. Habeas. *MI.* nam quid ego apud te parcam proloqui?
Ego illam hodie volo facere libertam meam,
Mihi concubina quæ ſit. *PE.* te abſolvam brevi:

INTERPRETATIO.

homines mihi referant gratias. PE. *Minimè invenisti locum commodum, ô bellator, in quo exponas tuas virtutes ut velles. Nam ſi minùs fortis laudat apud fortiorem ſua certamina, evadunt ſordida in illius ore. Sed ego ſum iſte Periphanes Platenius, quem quæris; vide ſi quid vis.* MI. *Eſne ille quem ferunt adeptum magnas opes in juventute apud Reges armis, arte bellicâ?* PE. *Imò ſi audias mea prælia, fugias domum manibus demiſſis.* MI. *Equidem quære magis aliquem apud quem celebrem meas laudes, quàm illum qui mihi referat ſuas.* PE. *Hic non eſt locus; quæras ubi voles alium, cui explices laudum centones.* MI. *Adhibe animum ad audiendum id propter quod ad te venio. Audivi te emiſſe meam amicam.* PE. *Attate! Jam denique ego cognoſco qui ſit hic. Eſt Miles quem Epidicus mihi laudavit jampridem. Adoleſcens, ſic eſt ut loqueris: eam mercatus ſum.* MI. *Cupio te paucis verbis alloqui, ſi tibi non eſt incommodum.* PE. *Equidem neſcio utrùm futurus ſit moleſtus, niſi aperis quid velis.* MI. *Ut mihi illam reſtituas, accipias pecuniam.* PE. *Habeas.* MI. *Nam quare ego non tibi dicam? Ego cupio hodie illam facere meam libertam, ut ſit mea concubina.* PE. *Te dimittam brevi:*

ANNOTATIONES.

14. *Arte duellica.*] *Bellicâ: duo pro bis, duellum pro bellum, duenum bonum.*

16. *Manibus demiſſis.*] contento curſu: qui currunt enim, quaſi remigio, brachiorum demiſſorum & pendentium incitant curſum. Ariſtoteles. φεύγειν παρασείοντα.

19. *Centones farcias.*] aſſuas mendacia mendaciis, & fabulamentis tuis aures obruas.

Argenti

Argenti quinquaginta mihi illa empta eſt minis.
Si ſexaginta mihi denumerantur minæ,
Tuas poſſidebit mulier faxo ferias:
Atque ita profectò, ut eam ex hoc exoneres agro.
MI. Eſtne empta mihi hæc? *PE.* iſtis legibus habeas licet.
MI. Conciliaviſti pulchrè. *PE.* heus, foras educite
Quam introduxiſtis fidicinam. atque etiam fides,
Ei quæ acceſſere, tibi addam dono gratiis.
Age accipe hanc ſis. *MI.* quæ intemperiæ te tenent?
Quas tu mihi tenebras cudis? quin tu fidicinam
Produci intus jubes! *PE.* hæc ergo eſt fidicina.
Hîc alia nulla'ſt. *MI.* non mihi nugari potes.
Quin tu huc producis fidicinam Acropoliſtidem!
PE. Hæc, inquam, eſt. *MI.* non hæc, inquam, eſt: non noviſſe me
Meam rere amicam poſſe? *PE.* hanc, inquam, filius
Meus deperibat fidicinam. *MI.* hæc non eſt ea.
PE. Quid? non eſt? *MI.* non eſt. *PE.* unde hæc igitur gentium eſt?
Equidem hercle argentum pro hâc dedi. *MI.* ſtultè datum
Reor, & peccatum largiter. *PE.* imò hæc ea'ſt.
Nam ſervum miſi, qui ſectari ſolet meum

INTERPRETATIO.

illam mercatus ſum quinquaginta minis argenti, ſi mihi appendantur ſexaginta, per me licebit ut illa fruatur tuo otio, atque adeo ut leves hoc *onere meam domum.* MI. Hæc *eſt-ne mihi vendita?* PER. *Tibi vendita ſit iſtis conditionibus:* per me *licet.* MI. *Vili emiſti.* PE. *Heus producite foras fidicinam, quàm duxiſtis in ædes, atque etiam adjungam gratis citharam, quæ ei data eſt. Age habe hanc, ſi vis.* MI. *Qui furores te jactant? Quas offucias mihi offundis? Quin imperas produci ex ædibus fidicinam?* PE. *Hæc eſt fidicina. Eſt nulla alia hic.* MI. *Non potes mihi imponere. Quin adducis tu huc fidicinam Acropoliſtidem!* PE. *Hæc eſt, inquam.* MI. *Non eſt hæc, inquam: exiſtimas-ne me non poſſe cognoſcere meam amicam?* PE. *Meus filius, inquam, perditè amabat hanc fidicinam.* MI. *Hæc non eſt ea.* PE. *Quid? Non eſt?* MI. *Non eſt.* PE. *Unde loci eſt ergo hæc? Profectò dedi pro hac pecuniam.* MI. *Arbitror à te numeratam inſipienter, atque magnopere erratum.* PE. *Imò ea eſt. Nam miſi ſervum, qui conſuevit comitari meum*

ANNOTATIONES.

33. *Poſſidebit tuas ferias.*] Feriæ militares, eſt tempus illud quo vacant ab armis copiæ, & militibus per aliquod tempus domi eſſe licet, ſive prohibente tempeſtate, ut quando copiæ ſunt in hybernis, ſive per inducias, ſeu ceſſationem ab armis inter hoſtes pactam ad aliquod tempus.

34. *Eam ex hoc exoneres agro.*] Ut liberes meas ædes hoc pondere inutili. eò alluſit, ille *telluris inutile pondus.* de homine ſegni ac pigro. Non abſimile eſt illud noſtrum, *cette femme m'eſt à charge.*

36. *Conciliaviſti pulchrè.*] Vili emiſti. Donatus. *Bene & pulchrè conciliare, eſt vili emere: contrà male conciliare, carè & magno pretio.*

39. *Intemperia.*] *Intemperia*, furiæ & Eumenides à veteribus dicebantur, & cum larvis in Aulularia conjunguntur, *larvæ hunc atque intemperiæ agitant ſenem.* De his ſupra, & infra ſæpiùs.

41. *Produci intus.*] Id eſt, *ab intus* ſeu, ab ædibus.

Gnatum. ipſe hanc emit fidicinam. *MI.* hem ! iſtic homo
Articulatim te concîdit, ſenex, tuus
Servus. *PE.* quid concîdit ? *MI.* *nihil*: ſic ſuſpicio'ſt.
Nam pro fidicinâ hæc ſuppoſita eſt tibi.
Senex, tibi os eſt ſublitum planè & probè.
PE. Ego illam requiram jam, ubi ubi eſt. bellator, vale !
Euge ! frugi, Epidice, frugi es ! pugnâſti. homo es,
Qui me emunxiſti mucidum, minimi pretî.
Mercatus te hodie eſt de lenone Apœcides ?
Ehodum!;*FI.*ego iſtûc hominem nunquam audivi ante hunc diem,
Neque me quidem emere quiſquam ullâ pecuniâ
Potuit : plus jam ſum libera quinquennium.
PE. Quid tibi negocii eſt meæ domi igitur ? *FI.* audies.
Conducta veni, ut fidibus cantarem ſeni,
Dum rem divinam faceret. *PE.* fateor me omnium
Hominum eſſe Athenis Atticis minimi pretî.
Sed tu noviſtin' fidicinam Acropoliſtidem ?
FI. Tam facilè, quàm me. *PE.* ubi habitat ? *FI.* poſtquam libera'ſt, ubi
Habitet dum, incertò ſcio. *PE.* eho ! ain'? quis eam liberaverit,
Volo ſcire, ſi ſcis. *FI.* id quod audivi, audies.
Stratippoclem audivi Periphani filium
Abſentem curaviſſe ut fieret libera.
P E. Perii hercle, ſi iſtæc vera ſunt. planiſſimè

INTERPRETATIO.

filium. ipſe mercatus eſt hanc fidicinam. MI. Hem ! tuus ſervus, ô Senex, te diſſecuit per articulos. PE. Quid diſſecuit? MI. nihil : ſic ſuſpicor. Nam hæc fidicina tibi obtruſa eſt, pro alia fidicina. Senex, tibi factus eſt fucus prorſus & pulchrè. PE. Ego quæram illam ubicunque tandem ſit. Miles, vale. Euge probus es, Epidice, probus es! me oppugnaſti, tu me ludificaviſti quaſi ſtolidum & hominem nullius momenti. Heus tu, ô fidicina. Apœcides téne emit hodie à lenone ? FI. Nunquam ego audivi ante hunc diem nomen iſtius hominis, neque ullus eſt qui me potuerit mercari ullâ pecuniâ, utpotè liberam ante annos quinque. PE. Quid rei eſt tibi ergo in meis adibus ? FI. Accipies. Sum conducta ut canerem citharâ apud ſenem interea dum ſacrificaret. PE. Confitendum eſt me eſſe ſtultiſſimum omnium qui ſunt Athenis : cognoviſti ne verò tu fidicinam Acropoliſtidem ? FI. Tam novi, quàm meipſa. PE. Ubi manet ? FI. Non ſcio pro certo, ubi maneat nunc, ex quo eſt libertate donata. PE. Eho ai ſne eſſe libertate donatam ? quis eam libertate donavit! Cupio ſcire, ſi ſcis. FI. Accipies id quod accepi. Accepi Stratippoclē filium Periphanis abſentem operam dediſſe, ut donaretur libertate. PE. Profectò interii funditùs ; ſi hæc ſunt vera, Epidicus

ANNOTATIONES.

53. *Nihil : ſic ſuſpicio eſt.*] *Nihil* hoc, mirum in modum torquet interpretes: crediderim hoc nihil aliud ſignificare, quàm, *nihil eſt quod magis faciat locum ſuſpicioni* ; alii. *mihi ſic ſuſpicio eſt.*

58. *Emunxiſti.*] Mihi, ut puero rudi, cui nares muco plenæ, illuſiſti. Quia huic ætati à provectioribus facilè imponitur.

66. *Athenis Atticis.*] Quia hujus nominis erant complures urbes in aliis atque aliis Græciæ partibus.

Meum exenteravit Epidicus marſupium.
FI. Hæc ſic audivi: nunquid me vis cæterum?
PE. Malo cruciatu ut pereas, atque abeas citò.
FI. Fides non reddis? *PE.* neque fides, neque tibias.
Propera igitur fugere hinc, ſi te dii amant. *FI.* abiero.
Flagitio cum majore pòſt reddes tamen.
PE. Quid nunc? qui in tantis poſitus ſum ſententiis,
Eumne ego ſinam impunè? imò etiamſi alterum
Tantum perdundum eſt, perdam potius, quàm ſinam
Me impunè irriſum eſſe habitum, depeculatum eis.
Sic *mihi* data eſſe verba præſenti palàm!
Atque me minoris facio præ illo, qui omnium
Legum atque jurium fictor, conditor cluet.
„ Is etiam ſeſe ſapere memorat; MALLEUM
„ Sapientiorem *** manubrio.

INTERPRETATIO.

viſcera exemit mea crumena. FI. *Accepi hac ſic* dici, *viſne aliquid ampliùs?* PE. *Ut intereas malo fato, atque fugias velociter.* FI. *Nonne reſtitues citharam?* PE. *Neque citharam, neque tibias: accelera ergo fugere hinc, ſi Dii te diligunt.* FI. *Abeo. Sed reſtitues aliquando,* idque *cum majore dedecore.* PE. *Quid? patiar eum impune* abire, *qui affectus ſum tanto ſenſu doloris? Imò tametſi amittendum eſſet alterum tantùm, amitterem lubentiùs, quàm paterer me ludibrio haberi, & ſpoliari ab eis. Mine oportet ſic ludificatum præſentem palam! Me æſtimo minoris, quàm illum, qui dicitur conditor fictorque legum, atque jurium. Ipſe prædicat ſe eſſe ſapientem? Malleum ſapientiorem manubrio.*

ANNOTATIONES.

74. *Exenteravit marſupium.*] Quaſi viſcera de ventre, pecuniam de marſupio deprompſit. Porrò *exentero* eſt proprium eorum, qui viſcera eximunt piſcibus.

79. *Reddes pòſt cum majore flagitio.*] Pipulum minatur homini. *Flagitio*, id eſt, efflagitatione improba & moleſta, pipulo.

80. *Qui in tantis poſitus ſum ſententiis.*] Jocus à *ſentio*: alii, qui tam varia in mente agito.

81. *Alterum tantum.*] *Deux fois autant.* Hirtius. *Auxiliares accedebant alterum tantum propè.*

85. *Atque me minoris facio.*] Quaſi dicat perinde ſum amens, atque ille legiſlator, ſi diis placet, qui & ipſe deceptus eſt.

86. *Conditor.*] Juris conditores. Jocum captat in *conditor* & *jurium*, quia conditor ſecunda longa. pertinet ad coquinariam, jus junctum cum illo conditor, de juſculo intelligitur. In *fictore* etiam quærit jocum, quaſi exprobret Apœcidi, non plus ſapere quam figulum.

Cluet.] Audit.

87. *Is etiam ſeſe ſapere memorat.*] Stomachantis eſt. Id eſt, audebitne in poſterum ſibi nomen ſapientis arrogare?

Malleum ſapientiorem manubrio.] Erat verbum in trito adagio poſitum, aut certè ab Apœcide uſurpari ſolitum ad exprimendam differentiam eorum qui incumbunt in idem negotium. Neque enim tam eſt utile manubrium, quam malleus fabris.

ACTUS QUARTUS.

ARGUMENTUM.

PHILIPPA Epidauria mulier deplorat vicem ſuam, quod Acropoliſtis ſua & Periphanis filia inciderit in hoſtium manus. Incidit in ipſum Periphanem, qui eam ſolatur, dicitque ſe habere filiam domi. Producitur Fidicina. Philippa negat Fidicinam eſſe filiam. Alteram fraudem Epidici agnoſcit Periphanes, & ſuppoſitam ſibi pro filia Fidicinam.

ACTUS QUARTUS. SCENA PRIMA.

ARGUMENTUM.

PHILIPPA venit Epidauro Athenas ad Periphanem, ut nuntiet Acropoliſtidem fuiſſe bello captam à Thebanis, ſed Periphanes eam ſolatur, dicitque eam eſſe à ſe redemptam.

PHILIPPA, PERIPHANES.

PHILIPPA.

SI quid eſt homini miſeriarum, quod miſereſcat, miſer ex animo eſt.
Id ego experior, cui multa in unum locum confluunt, quæ meum
Pectus pulſant ſimul: multiplex ærumna me exercitam habet: paupertas,
Pavor territat mentem animi, neque ubi meas collocem ſpes,

INTERPRETATIO.

PHIL. *SI quæ ſunt calamitates in vita, quibus angatur cujuſvis animus, ego earum facio periculum. Nimirum multa* incommoda *concurrunt in unum locum, quæ percellunt meam mentem uno tempore. Multi mœrores me circumſiſtunt. Inopia, metus, me oppugnant, neque habeo uſquam ſedem*

ANNOTATIONES.

1. *Quod miſereſcat.*] Id eſt, propter quod homo fiat miſer.

4. *Mentem animi.*] Ariſtoteles, ὡς ἐν σώματι ὄψις, οὕτω νοῦς ἐν ψυχῇ. *Quod in corpore oculus, id in animo mens.* Revera mentem animi eſt Battologia Plauto familiaris, & ab antiquis Poëtis è Græco tranſlata. Quaſi dicas, *aciem animi.*

Habeo uſquam munitum locum. ita gnata mea hoſtium eſt potita:
Neque ea nunc ubi ſit neſcio, *PE.* quis illæc eſt mulier, timido
Pectore peregrè adveniens, quæ ipſa ſe miſeratur ? *PH.* in his dictus eſt
Locis habitare mihi Periphanes. P E. me nominat hæc ; credo ego
Illi hoſpitio uſus invenit. *PH.* pervelim mercedem dare,
Qui monſtret eum mihi hominem, aut ubi habitet. PE. noſcito ego hanc.
Nam videor, neſcio ubi, me vidiſſe prius. eſt ne ea, an non
Eſt, quam animus retur meus ? *PH.* di boni ! viſitavi antidhac.
PE. Certè ea eſt, quam in Epidauro pauperculam memini comprimere.
PH. Planè hic ille eſt, qui mihi in Epidauro primus pudicitiam
Pepulit. *PE.* quæ meo compreſſu peperit filiam, quam domi
Nunc habeo. *PH.* quid ſi adeam ? *PE.* haud ſcio an congrediar, ſi hæc ea eſt.
PH. Sin eſt is homo, ſicut anni multi me dubiam dant. *PE.* longa
Dies meum incertat animum. ſin ea eſt, quam incertò autumo, hanc
Congrediar aſtu. *PH.* muliebris adhibenda mihi malitia nunc eſt.
PE. Compellabo. *PH.* orationis aciem contrà conferam.

INTERPRETATIO.

tutam in quâ conferam meas ſpes. Nimirum mea filia venit in poteſtatem hoſtium, neque novi ubi ea jam ſit. P E. *Quæ eſt illa mulier, quæ reverſitur à longè, mente turbatâ, quæ ſe ipſa miſeram vociferatur?* PH. *Mihi dictum eſt Periphanem manere hic.* PE. *Illa meum nomen uſurpat arbitror illam opus habere hoſpitio.* P H. *Optarem præmium dare ei, qui mihi indicet illum hominum, aut ubi ille maneat.* P E. *Hæc mihi nota eſt, & arbitror me conſpicatum eſſe olim alicubi, eſt ne ea, an non eſt, quam opinatur meus animus?* PH. *Dii boni! vidi quondam.* P E. *Profectò; eſt ea ineps quam recordor* me *compreſſiſſe inopem Epidauri.* P H. *Sine dubio hic eſt, qui mihi eripuit primus pudicitiam Epidauri.* P E. *Ex quâ ſuſcepi filiam, quæ eſt domi.* PH. *Quid ſi conveniam?* PE. *Neſcio utrum conveniam &* videam *utrum ea ſit.* P H. *Si non eſt ille homo, ſicut multi anni me efficiunt dubiam.* P E. *Longa dies reddit meum animum incertum, utrum ſit ea quam exiſtimo; ſi non eſt ea quam reor incertius, accedam callidè.* P H. *Depromenda mihi eſt jam aſtutia muliebris.* PE. *Provocabo.* PH. *Convertam ex adverſo aciem ſermonis.*

ANNOTATIONES.

5. *Hoſtium eſt potita.*] Pro, eâ potiuntur hoſtes.

7. *Se miſeratur.*] Id eſt, ſuam vicem deplorat. Miſeram ſe eſſe lamentatur. Salluſtius: *Miſerari parvos liberos*

9. *Uſus invenit.*] Id eſt, illi accidit, ut opus habeat hoſpitio; ſeu opus habet hoſpitio.

12. *Viſitavi.*] Sæpiùs vidi. Livius, *Inviſitatus.* Id eſt, non ita ſæpè viſus. *Inviſus, non viſus.* Cicero, *Non inviſa ſolùm, ſed etiam inaudita ſacra.* Auſonius, *inaſpicuus.*

14. *Pudicitiam pepulit.*] Expulit. Livius, *Expugnavit decus muliebre.*

18. *Incertat animum.*] Animum incertum reddit.

PE. Salva ſis! *PH.* ſalutem accipio mihi & meis. *PE.* quid cæterum ?
PH. Salvus ſis : quod credidiſti, reddo. *PE.* haud accuſo fidem.
Novin ego te ? *PH.* ſi ego te novi, animum inducam uti noveris.
PE. Ubi te viſitavi ? *PH.* iniquè iujuriu's. *PE.* quid jam? *PH.* quia
Tuæ memoriæ interpretari me æquum cenſes. *PE.* commodè
Fabulata es. *PH.* mira memoras. *PE* hem ! iſtuc rectius.
Meminiſtin' ? *PH.* memini id. *PE.* in Epidauro. *PH.* ah! guttulâ
Pectus ardens mihi aſperſiſti. *PE.* virgini paupereulæ,
Tuæque matri me levare paupertatem. *PH.* tun'is es,
Qui per voluptatem tuam, in me ærumnam obſeviſti gravem ?
PE. Ego ſum. ſalve. *PH.* ſalva ſum, quia te eſſe ſalvum ſentio.
PE. Cedò manum ! *PH.* accipe. ærumnoſam & miſeriarum compotem
Mulierem retines. *PE.* quid eſt, quòd vultus te turbat tuus ?
PH. Filiam, quam ex te ſuſcepi. *PE.* quid eam ? *PH.* eductam perdidi.
Hoſtium eſt potita. *PE.* habe animum lenem, & tranquillum face:
Domi meæ eccam ſalvam & ſanam. nam poſtquam audivi illico
Ex meo ſervo, illam eſſe captivam, continuò argentum dedi

INTERPRETATIO.

PE. *Salve* mulier. PH. *Salutem ſuſcipio pro me & meis.* PE. *Cæterum quid* ais ? PH. *Salve tu quoque : reſtituo quod commiſiſti fidei meæ.* PE. *Haud reprehendo tuam fidem. egóne te novi ?* PH. *Si ego te novi, efficiam ut* me *cognoſcas.* PE. *Ubi te vidi ?* PH. *Nimium iniquus es.* PE. *Cur ita ?* PH. *Quia vis me eſſe interpretem tuæ memoriæ.* PE. *Bene dixiſti.* PH. *Novum dicis.* PE. *Hem ! dicis melius. Meminiſtine ?* PH. *Memini id* PE. *In Epidauro.* PH. *Ah ! mihi aſperſiſti aquulâ pectus exæſtuans.* PE. *Me levare inopiam virgini inopi tuæque matri.* PH. *Tune is es, qui tua voluptate attuliſti mihi tantos dolores?* PE. *Ego ſum. Salve.* PH. *Salva ſum, quia video te eſſe ſalvum.* PE. *Præbe manum.* PH. *Accipe ; calamitoſam, pleniſſimam ærumnarũ mulierem tenes.* PE. *Quare tuus vultus turbatus eſt ?* PH. *Filia quam ex te ſuſcepi.* PE. *Quid eam ?* PH. *A me educata, eſt perdita, venit in poteſtatem hoſtium.* PE. *Eſto mente placatâ & tranquillâ. Eſt domi ſalva & ſana. Nam ſtatimatque nuntiavit meus ſervus illam fuiſſe captam, ſtatim numeravi pecuniam.*

ANNOTATIONES.

22. *Haud accuſo fidem.*] Non accuſo fidem, non accuſo officium. Non queror de tua fide.

30. *Ærumnam obſeviſti.*] A *ſero ſevi, obſero obſevi.* Sator fuiſti ærumnarum magnarum, quas in partu pertuli.

32. *Miſeriarum compotem.*] Plenam.

33. *Quod vultus te turbat tuus.*] Alii digitus te turbat. Quod, ut intelligatur ſcire oportet pollicem Veneri, indicem Marti, medium Saturno, annularem Soli, auricularem Mercurio, & ex iis olim augurium ſumi ſolitum. Notandum eſt præterea quod quando digitus dicitur, de pollice eſſe accipiendum ; quando de manu, dexteram eſſe intelligendam. Motu igitur & palpitatione præſagiebat aliquid ſive læti, ſive triſtis. Periphanes accepta Philippæ manu innuit ſe ſentire motum pollicis.

Ut emeretur. ille eam rem adeò ſobriè & frugaliter
Accuravit, ut alias res eſt impenſè improbus.
PH. Fac videam, ſi me vis *vivere*. *PE.* eho Canthara! ſtatim jube
Acropoliſtidem prodire filiam ante ædis meam,
Ut ſuam videat matrem. *PH.* remigrat animus nunc demum mihi.

INTERPRETATIO.

ut redimeretur. Id fecit cum ſummâ diligentiâ, & fide; quanquam ad alias res eſt naviter nequam. PH. *Da ut videam ſi vis me vivere.* PE. *Eho Canthara! impera Acropoliſtidem meam filiam prodire quamprimum ante ædes, ut videat ſuam matrem.* PH. *Nunc* meus *animus recreatur tandem aliquando.*

ANNOTATIONES.

39. *Ut alias res.*] Hinc patet alias, non eſſe adverbium; ſed contractum ex integra phraſi, ut ad alias res. Martialis: *Viſceribus probus eſt, cætera vile ſapit. Cætera, cæterum.*

Impenſe improbus.] Valde improbus.

ACTUS QUARTUS. SCENA SECUNDA.

ARGUMENTUM.

ADDUCTAM in conſpectum ſuum Fidicinam, Philippa negat Periphani eſſe filiam ſuam. Tum demum agnoſcit alteram fraudem Epidici in ſuppoſitione Fidicinæ.

PERIPHANES, PHILIPPA, ACROPOLISTIS, FIDICINA.

FIDICINA.

QUID eſt, pater, quòd me excivisti ante ædis? *PE.* ut matrem tuam
Videas, adeas, advenienti des ſalutem atque oſculum.
FID. Quam meam matrem? *PE.* quæ exanimata exſequitur aſpectum tuum.
PH. Quis iſtæc eſt, quam tu oſculum mihi ferre jubes? *PE.* tua filia.
PH. Hæccine? *PE.* hæc. *PH.* egóne oſculum huic dem? *PE.* cur non, quæ ex te nata ſit?
PH. Tu homo inſanis. *PE.* egóne? *PH.* tute. *PE.* cur? *PH.* quia ego hanc quæ ſiet

INTERPRETATIO.

FID. *Quare, Pater, me juſſiſti prodire ante domum?* PE. *Ut conſpicias tuam matrem; accede, impertire ſalutem accedenti & oſculum.* FI. *Quam* memoras *meam matrem?* PE. *Quæ flagrat deſiderio tui conſpectus.* PH. *Quæ eſt hæc quam tu imperas mihi impertiri oſculum?* PE. *Tua nata.* PH. *Eane?* PE. *Ea.* PH. *Egóne huic præbeam oſculum.* PE. *Quare non* ei præbeas, *quæ procreata eſt à te?* PH. *Tu deſipis.* PE. *Egone?* PH. *Tu.* PE. *Quid ita?* PH. *Quia neque ſcio,*

Neque ſcio, neque novi, neque ego hanc ocnlis vidi ante hunc diem
PE. Scio quid erres, quia veſtitum atque ornatum immutabilem
„ Habet hæc. *PH.* ALITER CATULI longè olent, aliter ſues.
Nego eam *me* noviſſe, quæ ſit. *PE.* prò deûm atque hominum fidem!
Quid? ego lenocinium facio? qui habeam alieuos domi,
Atque argentum egurgitem domo prorſum. quid tu, quæ patrem
Tuum vocas me, atque oſculâre? quid ſtas ſtupida? quid taces?
FI. Quid loquar vis? *PE.* hæc negat ſe tuam eſſe matrem. *FI.* ne fuat,
Si non volt. equidem hâc invitâ tamen ero matris filia.
Non me iſtanc cogere æquum eſt meam eſſe matrem, ſi ne volt.
PE. Cur me igitur patrem vocabas? *FI.* tua iſtæc culpa eſt, non mea.
Non patrem ego te nominem, ubi tu tuam me appelles filiam?
Hanc quoque etiam, ſi me appellet filiam, matrem vocem.
Negat hæc, filiam me ſuam eſſe, non ergo hæc mater mea eſt.
Poſtremò hæc mea culpa non eſt: quæ didici, dixi omnia.
Epidicus mihi magiſter fuit. *PE.* perii, plauſtrum perculi.
FI. Nunquid ego ibi peccavi? *PE.* ſi hercle te unquam *audivero* patrem
Me vocare, vitam tuam ego interimam, *peſſima*! *FI.* non voco.
Ubi voles pater eſſe, ibi eſto: ubi noles, ne fueris pater.

INTERPRETATIO.

neque novi quæ ſit hæc; neque hactenus eam conſpexi. PE. *Intelligo in quo fallaris, quia veſtimenta & ornamenta mutavit.* PH. *Odor Catulorum alius eſt, alius porcorum Dico me neſcire quæ ea ſit.* PE. *Dii boni! Quid? Ego exerceo lenocinium, ut-potè cui ſunt domi alieni, atque effundam ex ædibus pecuniam. Quid tu? quæ me apellas tuum patrem, atque libas oſcula? Cur hæres ſtupida? Cur ſiles?* FI. *Quid vis dicam?* PE. *Hæc negat ſe eſſe tuam matrem.* FI. *Non ſit, ſi nolit, nihilominùs ero filia matris, velit nolit, non par eſt me adigere iſtam eſſe meam matrem ſi nolit.* PE. *Quare ergo me appellabas patrem?* FI. *Non vocem ego patrem, quando tu me vocas tuam natam? Vocem & hanc meam genitricem ſi me vocet filiam, hæc affirmat me non eſſe ſuam filiam, ergo hæc non eſt mea mater. Denique hæc non eſt mea culpa. Dixi cuncta ſicut accepi. Epidicus fuit meus præceptor.* PE. *Perii! Plauſtrum everti.* FI. *An ego in hoc culpam admiſi?* PE. *Profectò ſi unquam audivero me à te nuncupari patrem, ego eripiam tibi lucem, nequiſſima!* FI. *Non nuncupo: quando voles eſſe pater tunc eris, quando noles, ne fueris pater.*

ANNOTATIONES.

8. *Ornatum immutabilem.*] Præpoſitio *in*, auget hoc loco. Id eſt, *Mutabilis.* Ut *Incurvus, incanus.*

9. *Aliter Catuli.*] Proverbialis formula in rebus longè diverſæ naturæ. Reſpondet Philippa non ex veſte judicare utrum ſit ſua filia Acropoliſtis, ſed ex vultu habituque naturæ, ſtatu corporis & moribus educatione liberali traditis.

12. *Egurgitem.*] Domo extrudam. Patet hujus origo vocis.

22. *Plauſtrum perculi.*] Ruſticum proverbium, quo innuitur homo, qui rem familiarem omnem evertit. Ut plauſtro everſo, quod erat impoſitum effunditur: hic de ſuis fortunis Periphanes.

PH. Quid?

PH. Quid? ob eam rem hanc emiſti, quia tuam gnatam ratus?
Quibus de ſignis agnoſcebas? *PE.* nullis. *PH.* quare filiam
Credidiſti noſtram? *PE.* ſervus Epidicus dixit mihi.
PH. Quid ſi ſervo aliter viſum eſt? non poteras noviſſe, obſecro?
PE. Quid ego? qui illam, ut primùm vidi, nunquam vidi poſtea?
PH. Perii miſera! *PE.* ne fle, mulier! intrô abi, habeto animum bonum.
Ego illam reperiam. *PH.* hinc Athenis civis eam emit Atticus:
Adoleſcentem equidem dicebant emiſſe. *PE.* inveniam, tace!
Abi modò intrò; atque hanc aſſerva Circam, Solis filiam.
Ego relictis rebus Epidicum operam quærendo dabo:
Si invenio, exitiabilem ego illi faciam hunc, ut fiat, diem.

INTERPRETATIO.

PH. *Quid? hanc mercatus es quoniam arbitratus* es eam *eſſe tuam filiam? Quibus argumentis id conjiciebas?* PE. *Nullis.* PH. *Cur* igitur *exiſtimaſti* eſſe *noſtram filiam?* PE. *Epidicus ervus mihi affirmavit.* PH. *Quid ſi ſervus judicavit ſecus* quam res erat! *Nequiviſti noſſe, amabo?* PE. *Quid ego? Qui ex quo illam prima vice conſpexi, deinceps conſpexi nunquam.* PH. *Interii infœlix!* PE. *Ne lacrymare, femina: ingredere,* & *eſto æquo animo. Ego illam inveniam.* PH. *Civis Athenienſis eam mercatus eſt hinc Athenis: certè dicebant eam fuiſſe emptam ab adoleſcente.* P E. *Reperiam, ſile: ingredere modo, atque aſſerva hanc Circen natam Apollinis. Ego enitar invenire Epidicum omiſſis meis negotiis: Si repercro, ego faciam, ut hic dies illi ſit funeſtus.*

ANNOTATIONES.

34. *Circam, Solis filiam.*] Notiſſima eſt Circe veneficiis & præſtigiis. Huic comparatur ſuppoſititia Periphanis filia Acropoliſtis.

36. *Exitiabilem.*] Efficiam ut *exitiabilis* ſit hic dies Epidico. Syntaxis olim in uſu.

ACTUS QUINTUS.

ARGUMENTUM.

AGNOSCITUR Acropoliſtis filia Periphanis & Philippæ ab Epidico. Itaque erectus, non ſolùm ſpe veniæ, verùm etiam expectatione certâ mercedis, Periphani & Apœcidæ iratis, ac pœnas comparantibus, ultro ſeſe offert.

ACTUS QUINTUS. SCENA PRIMA.

ARGUMENTUM.

AGNOSCITUR Acropoliſtis ab Epidico.

STRATIPPOCLES, ACROPOLISTIS Virgo, DANISTA, EPIDICUS.

STRATIPPOCLES.

MALE morigerus mihi eſt Daniſta, qui de me argentum non petit,
Neque illam adducit quæ empta ex præda eſt.ſed eccum incedit Epidicus.
Quid illuc eſt, quòd illi caperat frons ſeveritudine?
EP. Si undecim deos præter ſeſe ſecum adducat Juppiter,
Ita non omnes ex cruciatu poterunt eximere Epidicum.
Periphanem emere lora vidi. aderat ibi unà Apœcides.
Nunc homines me quæritare credo. ſenſerunt, ſciunt
Sibi data eſſe verba. *ST.* quid agis, mea commoditas? *EP.* quod miſer.
ST. Quid eſt tibi? *EP.* quin tu mihi adornas ad fugam viaticum,
Priuſquam pereo. nam per urbem duo defloccati ſenes

INTERPRETATIO.

STR. *Fœnerator eſt mihi inobſequens qui non à me depoſcit pecuniam, neque adducit Acropoliſtidem, quam mercatus ſum ex ſpoliis* hoſtium; *ecce Epidicus appropinquat. Unde frons illius adducta eſt præ triſtitiâ?* EP. *Si Juppiter ſuccurrat cum undecim diis præter ſeſe, nequeant cuncti me vindicare à pœnis. Periphanem ementem lora conſpicatus ſum, Apœcides erat cum illo. Puto homines me quærere jam. Senſerunt, intelligunt ſe eſſe deluſos.* ST. *Quid facis homo commodiſſime.* EP. *Quod infœlix.* ST. *Quid habes?* EP. *Quare non mihi comparas viaticum ad fugiendum antequam intereo. Nam duo ſenes calvi me perveſtigant per*

ANNOTATIONES.

3. *Caperat.*] Id eſt, *Caperatur.* Frons caperata, triſtis,ſevera. *Contrahere frontem.* in Amphitryone. *Conſulcare frontem*, in Bacchidibus: Petronius; *Conſtricta fronte Catones.* Martialis; *Adſtricta frons* Propertius; *Adſtriſtus pater.* Cornelius; *Adducta;* Apuleius; *Striata frons.* Manilius; *Strictas mentes, ſtrictos Catones. Frontem porrigere, explicare.* contraria.

4. *Si undecim deos.*] Veteribus erant dii majorum gentium & minorum. Deos majorum gentium numerat duodecim Ennius:

Juno, Veſta, Minerva, Ceres, Diana,
Venus, Mars, [*Apollo,*
Mercurius, Jovi, Neptunus, Vulcanus,

Cæteri Dii erant minorum gentium.

10. *Defloccati ſenes.*] Depilati & calvi, ſumptâ metaphorâ a veſtibus, quarum villi ſunt detriti, quæ vocabantur *decutes.*

Quæritant me, in manibus geſtant copulas ſecuneias.
ST. Habe bonum animum. *EP*. quippe ego, cui libertas in mundo ſita'ſt.
ST. Ego te ſervabo. *EP*. edepol me illi melius, ſi nacti fuant.
Sed quis eſt hæc mulierula, & illic gravaſtellus qui venit?
ST. Hic eſt Daniſta: hæc illa eſt autem, quam emi ex prædâ.
EP. hæccine'ſt?
ST. Hæc, eſt ne, ut tibi dixi? aſpecta. *EP*. hæc? *ST*. contempla, Epidice.
Uſque ab unguiculo ad capillum ſummum eſt feſtiviſſima.
Eſtne? conſidera! *vide!* ſignum pictum pulchrè videris.
EP. Tuis verbis meum futurum corium pulchrum prædicas:
Quem Apelles atque Zeuſis duo pingent pigmentis ulmeis.
ST. Dii immortales! otioſè iſſe admiror. pedibus pulmoneis
Qui perhibetur, prius veniſſet, quàm tu adveniſti mihi.
DA. Hæc edepol remorata med eſt. *ST*. ſiquidem iſtius gratiâ
Es remoratus, quod iſta voluit, nimium adveniſti citò.
DA. Age! age! abſolve me, atque argentum numera, ne comites morer.

INTERPRETATIO.

urbem. Ferunt in manibus vincula ſex unciarum. ST. *Eſto æquo animo.* EP. Oportet me eſſe æquo animo, *utpotè cui libertas eſt parata.* ST. *Ego te cuſtodiam.* EP. *Per ædem Pollucis illi me* cuſtodient *diligentiùs, ſi me reperiant. Sed quæ eſt hæc mulier, & ille mucoſus qui accedit?* ST. *Hic eſt argentarius: illa eſt, quam mercatus ſum ex ſpoliis.* EP. *Hæcne eſt?* ST. *Hæc eſt? Eſtne, ut tibi dixi? Aſpice.* EP. *Hæc?* ST. *Conſidera. Epidice, ab* imis *unguibus uſque ad verticem ſummum. Eſt pulcherrima. Eſtne? Contemplare! Spectabis imaginem egregiè informatam.* EP. *Innuis tuâ oratione meam pellem futuram formoſam; quando Apelles atque Zeuxis duo pictores pingent penicillis ex ulmo ſumptis.* ST. *Dii immortales! Miror te veniſſe tam lentè. Qui pedes habet panticibus exulceratos, celeriùs veniſſet, quàm tu veniſti.* DA. *Profectò hæc me retardavit.* ST. *Sane ſi hujus causâ es retardatus, quia ipſa voluit, etiam celeriùs adveniſti.* DA. *Age! age! dimitte me, atque mihi cedo pecuniam, ne retardem ſocios comites.*

ANNOTATIONES.

12. *Copulas ſecuneias.*] Manicas ſex unciarum, à *copulandis*, ſeu conjungendis manibus.

12. *Libertas in mundo.*] In promptu eſt. Feſtus: *In mundo eſſe dicebant antiqui, cum aliquid in promptu eſſe volebant intelligi.*

14 *Gravaſtellus.*] A gravitate ætatis & corporis ſenum. Feſtus: *Gravaſtellus ſenior à gravitate ſic dictus.* Alii: *Ravaſtellus, ravus, ravaſter; calvus, calvaſter, calvaſtellus; alter, altellus; macer, macellus; vafer, vafellus.*

17. *Uſque ab unguiculo.*] Horatius: *Candidus & talos à vertice pulcher ad imos.* Cicero: *Nonne ab imis unguibus ad verticem ſummum, &c. ex fraude, fallaciis, mendaciis, conſtare totus videtur.* Homerus: ἐκ ποδῶν ἐς κορυφήν.

21. *Pedibus pulmoneis.*] *Pedes pulmonei* ſunt pedes panticibus, quæ ſunt pulmonei coloris, tumentes putridique. *Pantices* equorum appellat Vegetius, *pulmunculum; du farcin.*

ST. Pernumeratum eſt. *DA.* tene cruminam : huc inde. *ST.* ſapienter venis !
Operire , dum effero ad te argentum. *DA.* matura. *ST.* domi eſt.
EP. Satin' ego oculis utilitatem obtineo ſincerè , an parùm ?
E Philippâ matre natam , ac Thebis , Epidauri ſatam,
Videon' ego Teleſtidem te , Periphani filiam ?
VIR. Quis tu homo es , qui meûm parentum nomen memoras, & meum ?
EP. Non me noviſti ? *VIR.* quod quidem nunc veniat in mentem mihi.
EP. Non meminiſti me auream ad te afferre natali die ?
Lunulam atque annellum aureolum in digitum ? *VIR.* memini , mi homo
Túne is es ! *EP.* ego ſum , & iſtic frater tuus eſt , aliâ matre , uno patre.
VIR. Quid , pater meus ? vivu'ſt ? *EP.* animo liquido & tranquillo es , tace !
VIR. Dii me ex perditâ ſervatam cupiunt , ſi vera autumas.
EP. Non habeo ullam occaſionem , ut apud te falſa fabuler.
ST. Accipe argentum hoc , Daniſta. hîc ſunt quadraginta minæ.
Si quid ritè dubium , immutabo. *DA.* bene feciſti ! bene vale.
ST. Nunc enim tu mea es. *VIR.* ſoror quidem edepol , ut tu æquè ſcias.
Salve frater ! *ST.* ſanan' hæc eſt ? *EP.* ſana , ſi appellat ſuum.

INTERPRETATIO.

ST. *Numerata eſt.* DA. *Accipe marſupium , injice in hoc* pecuniam. ST. *Advenis opportunè. Expecta , dum ad te apporto pecuniam.* DA. *Accelera.* ST. *Eſt in ædibus.* EP. *Egóne utor oculis benè an malè ? Conſpicórne te , ô Teleſtis , filia Periphanis , quæ nata es è Philippâ Thebanâ , & genita Epidauri?* VIR. *Quis es tu , qui appellas nomen meorum parentum & meum ?* EP. *Non me noviſti ?* VIR. Non novi , *quantùm ego recordari poſſum.* EP. Non recordaris *me ad te attuliſſe lunulam auream , atque annulum aureum ,* inſerendum digito? VIR. *Memini , mi homo. Túne is es ?* EP. *Ego ſum , & iſtic eſt tuus frater aliâ matre , uno patre.* VIR. *Quid meus pater ? vivit-ne ?* EP. *Mente ſerenâ & tranquillâ eſto , ſile.* VIR. *Dii volunt me ſervari ex amiſſa , ſi vera dicis.* EP. *Nihil eſt cur mentiar apud te.* ST. *Accipe hanc pecuniam , Daniſta , in hac crumena ſunt quadraginta minæ. Commutabo , ſi aliquid fuerit incertum.* DA. *Rectè feciſti ! bene vale.* ST. *Nunc tu es mea.* VIR. Sum *ſoror , ut ne ignores. Salvus ſis frater.* ST. *Hæcne ſapit ?* EP. *Sapit , ſi te vocat ſuum* fratrem.

ANNOTATIONES.

28. *Utilitatem obtineo.*] Id eſt , uſum oculorum habeo , oculis utor ; ut eſt in Moſtellaria.

29. *Natam , ac Thebis.*] Id eſt, Thebis quidem natam , ſed Epidauri genitam. Vide argumentum fabulæ.

30. *Teleſtidem.*] Alii , *Acropoliſtidem.* Si ſcriptum relinquamus , *Teleſtidem* , id nominis eſſe crediderim datum à perfecta omni ex parte pulchritudine Acropoliſtidis , ut eſt verſu 18. hujus ſcenæ :

Signum pictum pulchrè videris.

ST. Quid ? ego modò huic frater factus, dum intrò eo atque exeo ?
EP. Quod boni est, id tacitus taceas tute tecum, & gaudeas.
ST. Perdidiſti, & repperiſti me, ſoror. *EP.* ſtultus tace !
Tibi quidem, quod ames, domi præſto'ſt fidicina, operâ meâ :
Et ſororem in libertatem idem operâ concilio meâ.
ST. Epidice, fateor. *EP.* abi intrò, ac jube huic aquam calefieri.
Cætera hæc poſteriùs faxo ſcibis, ubi erit ocium.
ST. Sequere hâc me, mea ſoror. *EP.* ego ad vos Theſprionem juſſero
Huc tranſire. ſed memento, ſi quid ſæviunt ſenes,
Suppetias mihi cum ſorore ferre. *ST.* facile iſtuc erit.
EP. Theſprio, exi iſtàc per hortum, affer domum auxilium mihi.
Magna res eſt. minoris multò facio, quàm dudum, ſenes.
Remeabo intrò, ut accurentur advenientes hoſpites.
Eadem hæc intus edocebo, quæ ego ſcio, Stratippoclem.
Non fugio. domi adeſſe certum'ſt. neque ille haud objiciet mihi
Pedibus ſeſe provocatum. abeo intrò. nimis longum loquor.

Interpretatio.

S T. *Quid ? Ego mox evaſi ejus frater, dum ingredior atque egredior ?* E P. *Silentio, id quod bonum eſt, preme, & lætare.* S T. *Amiſiſti me, & inveniſti, ſoror.* E P. *Tace ſtulte ! eſt apud te fidicina meâ induſtriâ, quam ames, & idem aſſero ſororem in libertatem meâ induſtriâ.* S T. *Fateor, Epidice.* E P. *Ingredere, & impera huic calefieri aquam. Faciam deinde ut intelligas cætera, quando erit tempus.* S T. *Sequere me hàc, mea ſoror.* EP. *Ego imperabo Theſprionem huc immigrare : ſed recordare, ſi iraſcuntur ſenes, ut mihi auxilium feras cum ſorore.* ST. *Non erit difficile.* E P. *Theſprio, revertere huc per hortum, fer mihi opem in ædes. Agitur res magna : metuo jam multò minùs ſenes, quàm antea. Revertar domum ut habeatur cura hoſpitum advenientium. Edicam Stratippocli in ædibus illa, quæ ſcio. Non fugio. Decretum eſt manere domi. Neque Periphanes exprobrabit mihi curſu ſeſe à me provocatum. Ingredior* in ædes. *Nimis multa fabulor.*

ACTUS QUINTUS. SCENA SECUNDA.

ARGUMENTUM.

EPIDICUS ſeſe ultro infert in manus Periphanis & Apœcidis iratorum propter fraudes ejus detectas. Primùm rogat ab iis, ut liceat cauſam dicere. Annuunt; ſed recuſat dicere, niſi ex vinculis : etiam annunt : hinc aperit Periphani repertam eſſe ejus filiam Acropoliſtidem.

PERIPHANES, APOECIDES, EPIDICVS.

PERIPHANES.

SATIN' ille hic homo ludibrio nos vetulos decrepitos duos
Habet? *AP.* imò edepol tu quidem miſerum me habes miſeris modis.
PE. Tace ſis modò. ſine me hominem apiſci. *AP.* dico ego tibi jam, ut ſcias.
Alium tibi te comitem melius quære: ita, dum te ſequor,
Laſſitudine invaſerunt miſero in genua flemina.
PE. Quot illic hodie me exemplis ludificatu'ſt, atque te?
Ut illic autem exenteravit mihi opes argentarias!
AP. Apage illum à me. nam ille quidem Vulcani irati eſt filius:
Quaquà tangit, omne amburit: ſi propè aſtes, æſtu calefacit.
PE. Duodecim deis plus quàm in cælo eſt deorum immortalium,
Mihi nunc auxilio adjutores ſunt, & mecum militant.
Quicquid ego malefeci, auxilia mihi & ſuppetiæ ſunt domi.
Apolactizo inimicos omnes. *PE.* ubi illum quæram gentium?
AP. Dum ſine me quæras, quæras meâ cauſsâ, vel medio in mari.
EP. Quid me quæris? quid laboras? quid hunc ſollicitas? ecce me.
Num te fugi? num ab domo abſum? num oculis conceſſi tuis?

INTERPRETATIO.

PERIPH. *Nonne Epidicus egregiè nos ludificatur, tanquam duos ſenes annis confectos.* AP. *Imò tu ipſe me reddis omnino infœlicem.* PE. *Sile ſi vis, pa-tere me aſſequi hominem.* A P. *Ego tibi dico, ut intelligas, ſatius eſſe te quærere alium vix ſocium; nam* box *aſcenderunt uſque ad genua præ defatigatione, in te ſe-quendo.* PE. *Quot modis ille me ludibrio habuit, atque te? Quomodo ille etiam mihi penitus eviſceravit meam crumenam?* AP. *Apage illum à me; nam ille eſt, ſine dubio, filius Vulcani infenſi. Ad quamcumque rem admovetur, eam inflammat totam; ſi adſtes juxta, conſumit æſtu.* E P. *Sunt duodecim dii immortales, plus quàm ſunt in cœlo, qui mihi auxiliantur nunc, & certant mecum: quidquid ego commiſerim, auxilium & præſidium eſt domi. Aſpernor omnes adverſarios.* PE. *Ubinam terrarum eum inveniam?* AP. *Dummodo inveſtiges abſque me, inveſtiges quod ad me attinet, vel in medio pelago.* EP. *Quid me quæris? Quid æſtuas? Quid vexas hunc? Adſum. An à te declinavi? Num domo abſum? Num à tuo conſpectu abceſſi?*

ANNOTATIONES.

1. *Decrepitos.*] A lucernâ, quæ cùm deficiente oleo extinguitur, *crepat*, ſeu *decrepat*.

3. *Apiſci.*] *Adapiſci, adipiſci.*

Flemina.] Feſtus. *cum labore vix ſanguis defluit circa talos & tumorem facit. idem* cum *boa* & *tama*: *les mules aux talons.*

10. *Duodecim.*] Re proſperè geſtâ exultat ſervus, & præ lætitiâ abſurdum dicit; videlicet eſſe viginti quatuor deos, ejus auxilio intentos, cùm numerarentur ad ſummum alicujus nominis duodecim.

13. *Apolactizo.*] λὰξ, calx, ἀπολακτίζω; *calce ſummoveo.*

Nec tibi ſupplico. vincire vis? hem! oſtendo manûs.
Tu habes lora: ego te emere vidi. quid nunc ceſſas? colliga.
PE. Ilicet! vadimonium ultrò mihi hic facit! *EP.* quin colligas?
PE. Edepol mancipium ſceleſtum! *EP.* te profectò, Apœcides,
Nihil moror mihi *precatorem*. *AP.* facilè exoras, Epidice.
EP. Eho! quid agis? *PE.* tuon' arbitratu? *EP.* meo hercle verò, atque haud tuo,
Colligandæ hæ ſunt tibi hodie. *PE.* at non lubet. *EP.* non colligo!
PE. At mihi magis lubet ſolutum te rogitare. *EP.* at nihil ſcies.
AP. Tragulam in te injicere adornat. neſcio quam fabricam facit.
EP. Tibi moram facis, cùm ego ſolutus aſto. alliga, inquam, colliga.
PE. At mihi magis lubet ſolutum te rogitare. *EP.* at nihil ſcies.
PE. Quid ago? *AP.* quid agas? mos geratur. *EP.* frugi es tu homo, Apœcides..
PE. Cedò manûs igitur. *EP.* morantur nihil. atque arctè colliga.
Nihil verò obnoxiosè. *PE.* facto opere arbitraminor.
EP. Bene hoc habet! age nunc jam ex me exquire. rogita quod libet.
PE. Quâ fiduciâ auſus primùm, quæ emta eſt nudius tertius,
Filiam meam dicere eſſe? *EP.* libuit: ea fiducia.
PE. Ain' tu, libuit? *EP.* aio: vel da pignus, nî ea ſit filia.
PE. Quam negat noviſſe mater? *EP.* ni ergo matris filia eſt,

INTERPRETATIO.

Nec tibi ſupplex ſum. Cupis ligare? Præbeo manus. Tu habes vincula. Ego te vidi mercari. Quid jam cunctaris? conſtringe. PE. *Profecto tu te mihi ultro ſiſtis.* EP. *Quin conſtringis?* PE. *Certè ſervum ſceleratum!* EP. *Profectò non curo ſi te habeam patronum, Apœcides.* AP. *Tu obtines id facile, Epidice.* EP. *Eho! quid ceſſas?* PE. *Arbitriône tuo* agam? EP. *Certè meo arbitrio, non tuo. Tibi conſtringendæ ſunt hæ manus.* PE. *At non juvat.* EP. *Non conſtringes?* PE. *At magis delectat te mihi ſupplicem eſſe non vinctum.* EP. *Sed ſcies nihil.* AP. *Parat contorquere in te telum. Neſcio quam machinam inſtruit.* EP. *Tempus perdis intereadum ſto ſolutus. Aſtringe, inquam, conſtringe.* PE. *Sed magis delectat te mihi ſupplicem eſſe ſolutum.* EP. *Sed nihil ſcies.* PE. *Quid facio?* AP. *Quid facias? Obtemperetur.* EP. *Apœcides, tu es homo frugi.* PE. *Præbe manus ergo.* EP. *Paratæ ſunt. Conſtringe verò arctè, nihil fac humaniter.* PE. *Judicate hac re factâ.* EP. *Hoc ſe rectè habet. Age nunc. Jam roga ex me. Pete quod volueris.* PE. *Primùm, quâ impudentiâ auſus es dicere eſſe meam filiam, quæ empta eſt à tribus diebus?* EP. *Volui eâ impudentiâ.* PE. *Dicisne tu, volui?* EP. *Dico, vel depone pignus mecum, niſi ea ſit filia.* PE. *Quam mater negat noviſſe?* EP. *Ni ergo eſt filia matris,*

ANNOTATIONES.

19. *Ilicet.*] Donatus, *ſemper* ilicet *finem rei ſignificat, ut* actum eſt, *dictum per ſyncopen.* Sic *judices conſilio dimittebantur, ſuprema dicta cùm* præco *pronuntiaſſet*, ilicet *quod ſignificat*, ite licet.

25. *Tragulam.*] Dolum, adeo doloſum experti ſunt Epidicum, ut etiam à conſtricto vereantur. *Tragula*, aut de telo, aut de reti intelligenda.

In meum nummum, in tuum talentum pignus da. *PE.* enim iſtæc captio'ſt
Sed quis ea eſt mulier? *EP.* tui gnati amica, ut omnem *rem* ſcias.
PE. Dedin' tibi minas triginta ob filiam? *EP.* fateor datas:
Et eo argento illam me emiſſe amicam filii fidicinam,
Pro tuâ filiâ. iſtis *adeò* te tetigi triginta minis.
PE. Quomodo me ludificaviſti de illâ conductitiâ
Fidicinâ! *EP.* factum hercle verò, & rectè factum judico.
PE. Quid poſtremò argento factum eſt, quod dedi? *EP.* dicam tibi.
Neque malo homini, neque benigno, tuo dedi Stratippocli.
PE. Cur dare auſus? *EP.* quia mihi libitum eſt. *PE.* quæ hæc, malùm, ferocia eſt!
EP. Etiam inclamitor quaſi ſervus? *PE.* cùm tu es liber, gaudeo.
EP. Merui, ut fierem. *PE.* tu meruiſti? *EP.* viſe intrò. ego faxo ſcies
Hoc ita eſſe. *PE.* quid eſt negocii? *EP.* jam ipſa res dicet tibi.
Abi modò intrò. *PE.* hei! non illuc temere'ſt! aſſerva iſtunc, Apœcides.
AP. Quid illuc, Epidice, eſt negocii? *EP.* maximâ hercle injuriâ
Vinctus aſto, cujus hæc hodie operâ inventa eſt filia.
AP. Ain tu te illius inveniſſe filiam? *EP.* inveni, & domi eſt.

INTERPRETATIO.

Unum talentum depono contra unum nummum. PE. *Profectò fraus ſubeſt. Verum quæ eſt hæc mulier?* EP. *Amica tui filii, ut teneas omnem rem.* PE. *Tibine dedi triginta minas ob filiam?* EP. *Confiteor datas, & me mercatum eſſe illo argento, illam fidicinam amicam filii pro tua filia. Te itaque fraudavi iſtis triginta minis.* PE. *Quanto me ludibrio habuiſti de illâ fidicinâ mercede conductâ?* EP. *Factum eſt profectò, & exiſtimo rectè factum.* PE. *Denique, quid factum eſt de argento, quod numeravi?* EP. *Tibi aperiam. Neque dedi malo homini, neque bono, Stratippocli tuo unico* filio. PE *Quare auſus es dare?* EP. *Quia mihi placuit.* PE. *Quæ hæc, malùm, audacia eſt?* EP. *Adhuc increpor quaſi ſervus eſſem.* PE. *Lætor, quando tu es liber.* EP. *Merui, ut fierem.* PE. *Tu meruiſti?* EP. *Vide in ædibus. Ego efficiam intelligas hoc ita ſe habere.* PE. *Quid eſt rei?* EP. *Modò res ipſa tibi loquetur. Ingredere modò.* PE. *Hei! illud non eſt* dictū *temerè. Tuere iſtunc. Apœcides.* AP. *Quid eſt illud rei, Epidice?* EP. *Profectò ſum vinctus gravi iniquitate, cujus induſtriâ hæc filia reperta eſt hodie.* AP. *Dicíſne tu te repeiſſe ejus filiam?* EP. *Reperi & domi eſt.*

ANNOTATIONES.

36. *In meum nummum.*] Servos cum hero non decebat æquis conditionibus pignore depoſito certare; *nummum* ſervus, *talentum* dominus deponebat.

40. *Te tetigi.*] Hoc loco te fraudavi, ſed in re minimi momenti, ut tangere & verberare differunt, quod tangere eſt leniter ferire, & verberare eſt inſigniter lædere. Te tetigi triginta minis. ideſt, triginta tantùm minis fraudavi, qui poteram longè pluribus circumvenire.

Sed

• Sed ut ACERBUM EST, pro bene factis cùm mali meſſem metas !
AP. Quémne hodie per urbem uterque ſumus defeſſi quærere ?
EP. Ego ſum defeſſus reperire, vos defeſſi quærere.
PE. Quid iſtic oratis opere tanto ? meruiſſe intellego,
Vt liceat merito hujus facere. cedò tu, ut exſolvam, manus.
EP. Ne attigas. *PE.* oſtende verò. *EP.* nolo. *PE.* non æquum facis.
EP. Nunquam hercle, hodie niſi ſupplicium mihi das,me ſolvi ſinam.
PE. Optimum atque æquiſſimum oras. ſoccos,tunicam, pallium
Tibi dabo. *EP.* quid deinde porrò?*PE.* libertatem. *EP.* at poſtea ?
Novo liberto opus eſt quod pappet. *PE.* dabitur. præbebo cibum.
EP. Nunquam hercle hodie, niſi me oraſſis, ſolves. *PE.*oro te, Epidice,
Mihi ut ignoſcas, ſi quid imprudens culpâ peccavi meâ.
At ob eam rem liber eſto. *EP.* invitus do hanc veniam tibi,
Niſi neceſſitate cogar. ſolve ſanè, ſi lubet.

INTERPRETATIO.

Sed quàm crudele eſt pro beneficiis metere mala ! AP. *Eumne in quo inveſtigando per urbem ſumus defatigati ambo ?* EP *Ego ſum defatigatus in eo inveniendo. vos defatigati eſtis in eo inveſtigando.* PE. *Quid me tam enixe rogatis?ſcio eum mereri,ita-ut par ſit ſolvere,ut dignus eſt.Tu prabe manus, ut tollam vincula.* EP. *Ne admoveas manum.* PE. *Prabe verò.* EP. *Non prabebo.* PE. *Iniquum agis.* EP. *Sanè, non patiar mihi adimi vincula hodie, niſi mulceris.* PE. *Optas rem rectiſſimam atque æquiſſimam. Tibi dabo ſoccos, tunicam, pallium.* EP. *Quid poſtea?*PE.*Libertatem.*EP. *Quid deinde ? Novo liberto opus eſt quod ligurias.* PE. *Apponetur:ſuppeditabo eſcam.* E P. *Certè non* mihi *adimes vincula hodie niſi me rogaveris.* PE. *Rogo te, Epidice, parce mibi, ſi erravi in aliquo inſciens, meâ culpâ, ſed eſto liber propterea.* EP. *Tibi impertior ægrè hanc veniam, adducor neceſſitate. Adime vincula profectò,ſi juvat.*

ANNOTATIONES.

53. *Mali meſſem metas.*] Cicero, *ut ſementem feceris. ita & metes.*

54. *Quémne.*] Id eſt, túne es quem quæſivimus per urbem, ut nobis dares pœnas,quíque reperiſti Periphanis filiam.

56. *Quid iſtic oratis.*] Peripanes alloquitur Apœcidem & filiam rogantes, ut ſolvatur Epidicus.

58. *Ne attigas.*] A *tago*, pro *tango*; *attigere*, *contigere* : *tagax furunculus* dictus à *tagendo*. Cicero : *Quæſtor libidinoſus, tagax.*

62. *Quod pappet.*] Quod edat. *Pappare* dicuntur pueri,quando præmanſos & molliores cibos glutiunt. *Pappare* à *pappillâ*, aut *papilla* à *pappare*.

64. *Imprudens culpa.*] Donatus : *Opera eſt, ſi ſcientes læſerimus; culpa ſi neſcientes. Quorum alterum ſceleris eſt, alterum ſtultitia.*

GREX.

ARGUMENTUM.

IN epilogo Plautus oſtendit Epidico, quod rarò fit, fraudem fuiſſe utilem.

GREX.

HIc is homo eſt, qui libertatem malitiâ invenit ſuâ.
Plaudite, valete: lumbos ſurgite, atque extollite.

Interpretatio.

HIc homo eſt is, qui adeptus eſt ſuâ nequitiâ libertatem. Plaudite, valete: Erigite, atque attollite lumbos.

Annotatio.

2. *Lumbos ſurgite.*] *Surrigite*; ut *ſurpite, ſurripite*: qui ſedent, curvatis ſunt lumbis: qui *ſurgunt, ſurrigunt.*

EPIDICI FINIS.

M. ACCII PLAUTI BACCHIDES.

ARGVMENTVM.

PYRGOTELES Pyrocles Samius è Soſtrata conjuge ſuſcepit uno partu filias duas. Pater & mater initiati ſacris Bacchi, à Dei hujus nomine filias geminas Bacchides appellant. Miles, cujus nomen hîc non exprimitur, alteram Bacchidem abduxit ſecum ex Samo inſula in Cretam inſulam; altera navigat Athenas. Ibi civis Athenienſis Nicobulus habebat filium Mneſilochum nomine, & ſervos duos Chryſalum & Artemonem. Erat Nicobuli vicinus & amicus Philoxenus, cui erat filius Piſtoclerus, & ſervus unus Lydus Piſtocleri Pædagogus. Mneſilochus Nicobuli filius deperit Bacchidem, quæ ex Samo Athenas venerat. Intereadum Mneſilochi calet amor maximè, juſſus eſt à Patre Epheſum ire ad repetendos mille & ducentos Philippeos quos depoſuerat apud Archidemidem Phœnicem, civem Epheſium, ſuum hoſpitem. Tradit teſſeram hoſpitalem, ut quis eſſet Archidemides intelligeret; adjungitque ſervum Chryſalum. Mneſilochus commoratur annis duobus Epheſi. Interim miles Elateus Cleomachus in certum tempus Bacchidem conducit, eâ lege ut ſi juris eſſe ſui vellet, ducentos Philippeos renumeraret. Hoc fœdere inito eadem Bacchis, ſtudio fortè viſendæ ſororis, aut etiam reducendæ ſecum, perſolutis militi Cretenſi operis, in Cretam proficiſcitur. Hanc profectionem accipit Epheſi Mneſilochus à nautis, & pactam ducentorum Philippeorum à milite mercedem. Mneſilochus incertus ubi gentium ſit amica ſua Bacchis, ad ſodalem ſuum Piſtoclerum filium Philoxeni ſcribit; rogat etiam atque etiam, ut quærat amicam ſuam Bacchidem, ſalutet frequentiùs ſuo nomine, ſpémque faciat reditus ſui ex Epheſo brevioris, & ducentorum Philippeorum Cleomacho renumerandorum. Paret precibus amici amicus. Repetit Bacchidem Piſtoclerus, quæ reverſa erat cum ſorore Athenas ex Cretâ inſulâ. Sed quando adit frequentiùs Bacchidem Mneſilochi amicam Piſtoclerus, ipſe Bacchidis alterius illecebris irretitur. Hinc ad tollendam confuſionem quæ naſci poteſt ex uno duarum ſororum nomine, alteram vocabimus Bacchidem Mneſilochi, alteram Piſtocleri.

exprobrationibus quòd fraudare voluerit ducentis nummis Philippeis, & jam veniat ad fraudandum, mandat Arthemoni hominem conſtringere. Chryſalus urget fallaciam, dicit Nicobulo, reverà venire, ut roget pecuniam; eum eſſe daturum quidvis, ſi ſciret quanto in periculo verſaretur filius. Quod ſit periculum rogat Nicobulus. Per januam ſemiapertam oſtendit filium cum unâ è Bacchidibus, accumbentem menſæ, & Piſtoclerum cum alterâ, & perpotantes omnes ac laſcivientes. Dicit eam Bacchidem, cum quâ eſt filius, eſſe uxorem Cleomachi militis. Quod mirum in modum adjuvat fraudem; ecce Cleomachus incenſus irâ jurat obtruncaturum eſſe, & Mneſilochum, & Bacchidem, niſi numerentur ſtatim ducenti nummi Philippei. Exterritus ſenex mandat Artemoni ut Chryſalum ſolvat. Dat Chryſalo ducentos nummos Cleomacho numerandos, & recuſantem ferre Chryſalum precibus cogit ad deferendum; neque contentus eſt Chryſalus fraudaſſe Nicobulum ducentis Philippeis, fraudat & aliis ducentis. Quod ut aſſequatur, defert ad Nicobulum litteras à Mneſilocho, in quibus rogat patrem filius, ut det ducentos Philippeos quos eſt pollicitus Bacchidi uxori Cleomachi, interpoſito jurejurando. Plus æquo facilis pater concedit ducentos filio Philippeos. Sed ſtatim ſuſpicioſus ſenex detegit fraudem, quamvis paulò ſeriùs, neque Bacchidem fuiſſe uxorem Cleomachi, neque ullum fuiſſe interpoſitum jusjurandum à filio, atque adeò illam utramque fallaciam eſſe commenta Chryſali. Itaque Nicobulus expoſtulat in eum cum Philoxeno vicino, & unà pergunt ad Bacchides, ad eas conviciis laceſſendas, quòd ſuos filios corruperint. Sed Bacchides duos illos edentulos ſenes ſuis lenociniis & illecebris ſic circumveniunt, ſic implicant, ut non antè dimittant, quàm reddiderint ex inimicis ſuis ſuorum filiorum rivales.

Hæc fabula *Bacchides* appellatur, quia *Bacchidum* amoribus & amatoribus univerſa conſtat. Si quid eſt artis in aliis perſonarum nominibus, id ferè ab ipſo Poëta notatur. Nicobulus à βουλῆ, quod in compoſitione ſignificat nonnumquam *inſidias*, Nicobulus itaque ſignificat victum inſidiis, & Mneſilochi, & Piſtocleri, & Chryſali. Mneſilochus ab excogitatione inſidiarum in Nicobulum. Lydus à ludo litterario. Chryſalus ab ἁλίσκω *capio*, à capiendo auro. Cleomachus à celebritate præliorum nomen militis, quem, ut alios milites, ridendum propinat; vel ex nominis arrogantiâ

Hæc fabula caret Periochâ & Prologo; hinc eſt forſitan quòd verba phraſeſque à Feſto, Nonio, & Chariſio afferuntur, quæ in Bacchidibus Plautinis non inveniuntur. Periocha Acroſticha, Prologus, & Scena prima, ſunt Supplementum hujus fabulæ, quæ leguntur in editionibus Colonienſi & Baſilienſi. Laſcaris Grammaticus Græcus in Epiſtola ad Bembum narrat ea inveniſſe Meſſanæ in Siciliâ Sunt qui à Franciſco Petrarcha ſcripta putent. Porro quid

opus fuerit Scenâ illâ primâ ad Supplementum Actus primi, non video : imò ſi fabula incipiat ab Scenâ ſecundâ, hoc magis eſſe Plautinum videatur initium ; ut planum erit ſi conferatur cum aliis fabulis Plautinis. Conſtat igitur fabulâ, & Epilogo, ſeu grege.

Protaſis paret ab initio, ad Scenam 3. Actus 2. Nimirum in eâ agitur de redimendâ alterâ ex Bacchidibus; & fraudandi Nicobuli provinciam in ſeſe recipit Chryſalus. A Scenâ 3. Actus 2 ad Scenam 2. Actus 5. eſt Epitaſis. Graviores enim ſunt Scenæ jactationes, de rectis libidinibus juvenum, fraudibus ſervorum, periculis omnium, rixis, ſeu joco, ſeu ſerio, ſeu errore, motis; placatis, recrudeſcentibus, mutatis. In Scena 2. Actus 5. eſt ſolutio: quia ſenes duo, Bacchidum illecebris ad mitiorem mentem traducti, & quod filii, & quod ſervi, & fermè quod Bacchides ipſæ fecerunt, jam jam ſuo calculo approbant. In hujus Epilogo fabulæ, qui Grex appellatur; licet videre quantum ſit *à teneris aſſueſcere* in rectis, inolita in hac ætate vitia & adoleſcere cum adoleſcentibus, & corroborari cum viris, & ad ultimam vitæ lineam perſeverare.

SCENA EST ATHENIS.

PERSONÆ.

PROLOGUS SILENUS.

NICOBULUS Civis Athenienſis Mneſilochi pater.

MNESILOCHUS filius Nicobuli, Bacchidis Athenienſis procus.

CHRYSALUS, ſervus Mneſilochi & Nicobuli.

ARTEMO, Servus Nicobuli & Mneſilochi, muta perſona.

PHILOXENUS, Piſtocleri pater, vicinus, & amicus Nicobuli.

PISTOCLERUS filius Nicobuli, amicus Mneſilochi.

LYDUS Philoxeni ſervus, Piſtocleri Pædagogus.

CLEOMACHUS Miles Samius.

PARASITUS Cleomachi militis anonymus.

PUER, Cleomachi militis anonymus.

BACCHIS, amica Mneſilochi.

BACCHIS, amica Piſtocleri.

EPILOGUS.

SUPPLEMENTUM

PERIOCHA ACROSTICHA.

Bacchidis amore furit Mneſilochus.
Aurum ut redimat, Præſumia fertur Epheſum.
Cretam Bacchis navigat, atque alteram
Convenit Bacchidem: inde Athenas redit:
Hinc dat Mneſilochus ad Piſtoclerum litteras.
Illam conquirat. redit: turbas movet,
Dum putat amari ſuam. ut mutent geminas,
Ei dat aurum: pariter amant.
Senes dum gnati ſtudent, ſcortantur, potitant.

INTERPRETATIO.

M*Neſilochus inſanit amore Bacchidis.* Antequam eâ fruatur, *proficiſcitur Epheſum ad repetendam pecuniam ab Archidemide. Bacchis vela facit in Cretam, & adit Bacchidem ſororem. Inde Bacchis revertitur Athenas, Idcirco Mneſilochus ſcribit ad Piſtoclerum epiſtolas, ut quærat Bacchidem. Mneſilochus* Epheſo *revertitur, tumultuatur; quia arbitratur ſuam amicam amari à Piſtoclero; ſed errant* in nomine *geminarum:* quod quum agnoſcit *Mneſilochus, numerat pecuniam militi. Uterque ſuam deperit. Quando ſenes operam dant* corrigendis *filiis; ipſi corrupti à* Bacchidibus, *libidinantur, pergræcantur.*

ANNOTATIONES.

2\. *Aurum ut redimat.*] Non ita propriè hoc loco ponitur *redimere*, pro *repetere* pecuniam, niſi *redimere* ponatur, pro *eximere* & *adimere*, quod ſignificat *tollere*, ut ſit idem *redimere* & *referre*; quia erat aurum depoſitum apud Archidemidem. Vide Argumentum fabulæ.

Præſumia.] Factum ab Auctore ſupplementi vocabulum. Videtur enim hoc innuere, Mneſilochum deperire Bacchidem, ſed *antequam* ea fruatur, coactum eſſe ire Epheſum. Itaque *præſumia* idem ſignificare videtur ac *antea*. Mirum in tantâ interpretum turbâ eſſe nullum, qui de voce hac quidquam dixerit.

5\. *Hinc dat.*] Videlicet Bacchis amica Mneſilochi, deſiderio videndæ ſororis, amicæ militis Cretenſis, Athenis navigaverat in Cretam inſulam, rurſus è Cretâ Athenas cum ſorore reverſa, hoſpitium mutaverat. Hinc Mneſilochus, qui eſt Epheſi, ignorat ubi jam maneat ſua Bacchis; ſed datis ad Piſtoclerum litteris, mandat eam quæri.

7\. *Ut mutent geminas.*] Facilius id ex ſenſu, quàm ex verbis intelligas. *Ut mutent geminas:* id eſt, quando turbas movet Mneſilochus, id accidit, quia errant in mutatione geminarum: nimirum ignarus Mneſilochus duas eſſe Bacchides, quod de ſorore amicæ ſuæ audivit, id de ſuâ amicâ dictum putat.

8\. *Ei dat aurum.*] Id eſt, Mneſilochus, operâ Chryſali circunducto patre Nicobulo, ducentos Philippeos numerat *Cleomacho militi* ad redimendam Bacchidem amicam.

9\. *Dum gnatu ſtudent.*] *Studere alicui*, eſt inferioris ad ſuperiorem; vulgò enim ſuperiori *ſtudet* placere inferior. Hoc loco idem ſignificat atque *adhibere mentem, curam, operam, eamque ſedulam,* corrigendis natis.

Potitant.] Videlicet dum Nicobulus Mneſilochi, & Philoxenus Piſtocleri patres ſtudent avocare filios ab amoribus Bacchidum, victi blanditiis meretricum rivales fiunt filiorum, imo ſocii libidinum

PROLOGUS

SILENVS.

MIrum hodie'ſt, ni ſpectatores in ſubſelliis
Ridiculos ſtrepunt, tuſſiunt, rhonchos cient,
Conſulcant frontem, & ore concrepario
Frequenter fremunt, atque malè muſſitant.
Vix in juventâ locum obtineant
Aut glabri hiſtriones, aut pervolſi ludii.
Quid veternoſus prodit internuntius

INTERPRETATIO.

LIcet mirari ſi hodierna die ii qui ſpectant de ſuis ſedibus, minimè obſtrepant hiſtrionibus, mittant tuſſim, obſtertant, adducant frontem, & obmurmurent identidem ore clamoſo, maledicántque muſſitando iſta: Actores impuberes, aut depilati Lydii in juventute haberent difficilè locum in ſcenâ; quare igitur ille

ANNOTATIONES.

2. *Ridiculos.*] Paſſim in Plauto *ridiculus* ſignificat eum qui concitat riſum aliis, quales Græci γελωτοποιούς, nominant. Ejuſmodi erant ſcurræ & paraſiti. Hic ab Autore Supplementi accipitur pro hiſtrione Sileno, qui habitu & comitatu ad movendum riſum compoſito prodit in ſcenam, ut-potè ſenex impoſitus aſino.

Ridiculos ſtrepunt.] Inuſitata Syntaxis, pro *ridiculis obſtrepunt*, niſi ellipſis ſit præpoſitionis *ob*, quæ regat conjuncta quod regeret ſejuncta.

Rhonchos cient.] *Rhonchus* eſt propriè ſtertentium, à ῥέγχω *ſterto*. Plautus: *Dum dormit, rhonchiſſat.* Ronchus eſt quando flatus erumpit cum tanto impetu è naſo, ut nares ambæ eo ſuccuſſæ ſonitum emittant. Hìc accipitur pro indicio hominis ægrè ferentis quod aut dicitur aut exhibetur. Apud Martialem pro riſu ſumitur; reverà in effuſo riſu *rhonchus* ineſt quidem.

3. *Ore concrepario.*] *Concrepario* à *crepo* derivatur per Autorem Supplementi. Sed pro archaïſmo Plautino novum invehit barbariſmum in hoc ſuum Supplementum.

5. *Vix in juventâ.*] Eſt proſopopœia ſpectatorum hujus fabulæ. Quaſi dicat; *Iniqui ſpectatores* hæc dicunt ſecum *muſſitando: hiſtriones glabri vix obtineant locum. &c.*

6. *Glabri hiſtriones.*] Hiſtriones erant *glabri*, quia erant, aut impuberes, aut *pervolſi*, id eſt, arte depilati. *Hiſtrio* à vocabulo Thuſco *hiſter*, quod ſignificat ludionem.

Pervolſi ludii.] *Ludii* erant adoleſcentes tuniculas induti inſignes, id eſt alias à quotidianis, galeati, enſiferi, & peltati, qui circenſibus & theatralibus ludis in verſum, id eſt, in orbem incedebant, velut pompæ duces, Saliis ſimiles. *Ludi* ex eo vocati, quòd à Lydis hoc genus ludicri inventum videretur: at ſi qui erant grandiuſculi, vellebantur, ut glabri fierent.

7. *Veternoſus.*] *Veternus* eſt morbus, qui inevitabili neceſſitate dormiendi obruit, ληθάργος à Græcis dicitur, à nobis *letargie.* Metaphoricè dicitur pigritia, *veternus.*

Internuncius.] Internuntius in fabulis appellatur, qui nuncius intercedit inter hiſtriones & ſpectatores, qualis eſt hoc loco Silenus in Prologo.

Senex qui dorſo fertur aſinario?
Attendite, quæſo, atque animum advortite,
Dum nomen hujus eloquor ſtatariæ.
Æquom eſt vos deo facere ſilentium.
Officio oris non decet illos uti,
Qui non ut clament, ſed ut ſpectent, veniunt.
Aureis date otioſas, at non in manum.
Has volo volans vox vacuas feriat.
Quid veremini, ictus an ſint minus noxii,
Qui repetunt laxa, aut hiulca obſtruunt?
Eſtis benigni, meritò vos amant Cœlites.
Factu'ſt ſilentium, tacent pueri.
Novam ad rem jam novom ſpectate nuncium.
Qui ſim, cur ad vos veniam, paucis eloquar:
Simul hujus nomen proferam Comœdiæ.

INTERPRETATIO.

ſenex obrutus veterno, impoſitus tergo aſinino venit in hanc, ſub perſona internuntii? Audite attentè, obſecro, atque adhibete mentem. interea dum vobis aperio, quomodo vocetur hæc comœdia ſtataria. Eſt juſtum vos Audire tacitos numen. Minimè convenit eos adhibere munus linguæ, qui huc accedunt, non ut vociferentur, ſed ut ſpectent. Præbete aures vacuas, non quidem apprehendendas manu. Has noſtra vox pulſet vacuas, quando advolabit. Quare formidatis ne ictus, qui aperiunt clauſa, minus lædant, quàm qui occludunt aperta. Eſtis benigni, jure Dii vos diligunt. Omnes favent linguis; pueri ipſi ſilent. Aſpicite novum nuntium novæ rei. Dicam breviter quis ſim, & quare me conferam ad vos, & una dicam quomodo hæc fabula appelletur.

ANNOTATIONES.

8. *Dorſo aſinario.*] Fabulantur Poëtæ Silenum eſſe Bacchi nutritium & pædagogum, aſino vehi ſolitum.

10. *Stataria.*] Duo erant genera fabularum, unum ſtatariarum, alterum motoriarum. Statariæ fabulæ à ſtantibus hiſtrionibus, vel ſaltem placide ſeſe moventibus, repræſentabantur; motoriæ, quæ ab hiſtrionibus diſcurſantibus tumultuantibuſque exhibebantur. Hæc quamvis ſit magna ex parte ſtataria, tamen in Mneſilocho, & patre ejus Nicobulo, nonnihil eſt motoriæ. Videlicet, quando ille totam reſtituit pecuniam patri, hic verò quando ſeſe fraudatum pecuniâ intelligit, non longè abeſt uterque à motoriæ agitatione.

14. *At non in manum.*] Captat hoc loco riſum Autor Supplementi; quia dixit Silenus ſpectatoribus, *aures date*, quaſi veritus ne ſibi avellerent *aures* ipſi, & Sileno petenti darent, ſubjicit, *non in manum*, id eſt, non peto ut aures veſtras mihi detis in manum, ſed tantum ut præbeatis attentas.

15. *Has volo volans,*] Quaſi dicat, præbete aures, ut eas vox mea feriat.

16. *Quid veremini,*] Impedita oratiò, & à Plautino ſtilo alieniſſima. Ludit verò in *feriat*; quaſi dicat an veremini, quando à vobis peto, ut claudatis os, & aperiatis aures, ne ictus magis ſint noxii, qui aperiunt aures, quàm qui obſtruunt ora. Nam *ictus qui repetunt laxa*, ſunt *qui petunt ut laxa ſint*, & *apertæ aures*. Atqui ſine ullo negotio clauditis os, ſic & extra operam aperietis aures.

19 *Tacent pueri.*] Argumentum eſt altiſſimi ſilentii, quando vel ipſi pueri linguam óſque premunt.

Ecce fabor jam vobis quod expetitis,
Proinde vos mihi facite audientiam.
NATURÆ *Deus ſum, Bromii altor maxumi,*
Fœmineo qui peperit rem exercitu,
Quicquid hujusce gentes ferunt inclytæ,
Non nihil noſtro geſta ſunt conſilio.
Nunquam quod mihi placet, illi diſplicet.
Æquom'ſt, ſi pater obſequitur patri.
Aſibidam Ionii me vocitant greges.

INTERPRETATIO.

Jam jam vobis aperiam, id quod exoptatis, quocirca audite me attenti. Sum Deus naturæ, nutritius potentiſſimi Bacchi. Qui comparavit regnum copiis muliebribus. Fecit meis monitis nonnulla ex iis, quæ nationes ei ſuba prædicant de eo. Quod ei probatur, nunquam mihi non probatur. Eſt juſtum ſi pater paret patri. Hiſtriones me nuncupant Aſibidam, quia ſum ſenex.

ANNOTATIONES.

25. *Naturæ Deus ſum.*] Silenus dicitur Deus naturæ, non quòd unus ſit naturæ Deus; ſed quod è diis naturæ unus ſit. Veteres autem plures naturæ deos venerabantur: primus erat omnium Pan, ſecundus tantùm locus aſſignabatur Sileno. Deorum naturæ nomine fermè intelligebantur ii quibus erat naturæ pars aliqua curæ. Sic Sylvanus & Driades ſylvarum & arborum, Hyades fontium, Oreades montium numina erant. Genius dicitur Deus naturæ, ab Horatio lib. 2. epiſt. 2.

Scit genius natale comes, qui temperat aſtrum,
Naturæ Deus humanæ, mortalis in unum
Quodque caput ——

25. *Bromii altor.*] Bromius vocatus eſt Bacchus, ἀπὸ τοῦ βρέμειν a fremendo, ebrii enim ut plurimum tumultuantur & bacchantur. Silenus dicitur a Poëtis fuiſſe nutritius Bacchi.

26. *Fœmineo exercitu.*] In Indica expeditione habuiſſe in comitatu dicitur Bacchus mulieres inſanientes, quæ Bacchæ a Baccho, Bacchantes que, dictæ ſunt.

28. *Noſtro Conſilio.*] Poëtæ dicunt Silenum fuiſſe non ſolum nutritium, ſed & Pædagogum Bacchi. Porro eſt informatoris erigere animum diſcipuli ad honeſta omnia, & conſiliis, hortatu, monitis eum juvare.

30. *Si pater obſequitur patri.*] Pater Bacchus appellatur hoc loco, non Sileni tantùm, ſed omnium: erat enim titulus honoris cum amore conjuncti etiam diis tribui ſolitus. Sic *Jupiter. Marspiter*, id eſt, *Jovis pater.* ubi Jovis eſt antiquus nominativus, & *Mars pater.* Sæpiſſime in veteribus conjunguntur Liber pater, id eſt, Bacchus, quem titulo hoc magis meretur, quòd alterum vitæ præſidium, nempe vinum, in ejus tutelà poſitum crederetur. Itaque Silenus hoc loco nomine patris, intelligit omnium patrem Bacchum, & innuit uno tempore patrem illum, eſſe ſuum alumnum, & filium, quia informator eſt alter pater.

31. *Aſibidam.*] Quæ ſit vocis hujus origo, ipſe explicat autor Supplementi verſu ſequenti, *quod vecturio ſenex vobar aſinario.* Igitur aſibida venit ab *aſinivehida.* Sed ut conſuleretur euphoniæ, contractius factum eſt verbum, ut pro ἀμφιθαλαγος, dicitur ἀμφιθαλος, & apud nos *idolatriæ* pro *idololatriæ* ab *idololatria:* ſic pro aſinivehida dictum eſt primo aſivehida, deinde aſivida. ex aſivida autem culpâ Librariorum factum eſt aſibida, quod credo contigiſſe quòd alter ſcripſerit Librarius altero dictante, qui uſu Aquitanorum, b, pro v pronuntiarit. Aut quod in veteribus elementis capit tum fuerit. v, ut facilè pro b, ſuccedere potuit.

Ionii greges.] Id eſt Hiſtriones & Lydii quia Lydia finitima erat Ioniæ Indicam pars.

Quod vecturio ſenex vehar aſinario.
Qui ſim tenetis: ſi tenetis, ſinite,
Ut nomen hujus eloquar ſtataria,
Simul ſciatis ad vos cur venerim.
PHILEMON *Græcam olim dedit fabulam,*
Hanc qui Græciſſant, EVANTIDES *nuncupant,*
Plotus, qui Latiniſſat, vocat BACCHIDES.
Quare non eſt mirum, ſi huc advenerim.
Bacchus bacchanteis Bacchas mittit Bacchides:
Ego ad vos porto. quid? dixi mendacium?
Non decet mentiri deum. at vera fabulor:
Non ego eas porto, verùm ſalſus aſinus
Viâ defeſſus, tres, ſi ritè memorem,

INTERPRETATIO.

qui portor aſino clitellario. Scitis quis ſim? Si ſcitis, patimini jam ut edicam nomen hujus comœdiæ *ſtatariæ. Uno tempore accipietis quare ad vos acceſſerim. Philemon exhibuit quandam* unam *Comœdiam, quam ii qui Græcè loquuntur appellant* Evantides. *Plautus, qui Latinè loquitur nominat* Bacchides. *Quapropter non eſt mirabile, ſi huc proceſſerim. Bacchus mittit ad vos Bacchides quæ ſunt Bacchæ bacchantes. Ego ad vos eas affero. Quid? dixi mendacium? Indecorum eſt mentiri deum. Itaque dico vera. Ego non eas affero; ſed aſinus ſalax, itinere defatigatus, portat tres, ſi*

ANNOTATIONES.

32. *Vecturio.*] Id eſt, *vehiculo*, *veho.*

36. *Philemon.*] Syracuſanus Comicus, qui Alexandri magni tempore floruit. Quintilianus, *Philemon pravis ſui temporis judiciis, Menandro ſæpe prælatus eſt, conſenſu tamen omnium meruit ſecundus appellari.*

37. *Græciſſant.*] Vocabulum hoc ad imitationem Græcorum eſt factum. More enim Græcorum agere aut loqui dicebant ἑλληνίζειν. *Patriſſo* dixerunt Plautus & Terentius, pro paternos mores ſequi, in Pſeudolo Plautus, *id ne tu mireris, ſi Patriſſat filius.* Terentius in Adelphis, *laudo, ô Cteſipho, patriſſas, abi te virum judico.* Sequenti verſu *Latiniſſare* eſt Romano more loqui.

37. *Evantides.*] Sic appellatæ ſunt Bacchæ, ab *Evan*: quia inter orgia ſeu ſacra Bacchi erat crebra Baccharum acclamatio *Evan, Evan.* Igitur quod Græce Euantides, id Latinè redditur Bacchides.

39. *Quare non eſt mirum.*] Hoc, & ſequenti verſu reddit rationem quare per Silenum Bacchus mittat Bacchides in Scenam, nam cujus eſt curare Bacchas, niſi Bacchi? per quem autem eas mittat, niſi per nutritium ſuum informatorémque Silenum? hoc & amolitur Silenus culpam ab autore Supplementi; neque enim Deus intereſſe debet in Scena, niſi nodus Deo vindice dignus inciderit. Nullus autem nodus eſt qui unius opera Dei ſolvi poſſit. Sed adeſt Silenus ad commendandas Bacchides, quæ & Bacchæ, quia initiatæ erant ſacris Bacchi, & Bacchantes, quia tam ſunt formidoloſæ & Mneſilocho & Piſtoclero illecebris ſuis, quàm eſſe ſolebant Bacchantes Tyrſis ſuis, vociferationibuſque.

42. *Non decet mentiri deum.*] Mendacium ſervile vitium eſt, atque adeò à natura divina alieniſſimum, cujus bonitatis eſt non fallere, ut ſapientiæ non falli. Quò magis homines dignitate eminent, hoc illis eſt mendacium turpius.

43. *Salſus aſinus.*] Id eſt, ſalax: raró autem Latinè dicitur *ſalſus* pro *ſalace*. Salax à *ſaliendo* & ſalſus à *ſale*. Salax autem dicitur aſinus præter cætera animalia ab hiſtoriæ naturalis ſcriptoribus.

Fert : unum videtis. ore quid feram, ſpecite,
Duas ſorores debacchanteis Samias,
Meretrices lepidas, uno prognatas tempore,
Iiſdem parentibus, fœtu gemellitico,
Non minus ſimileis, quàm lacti lac, ſi conferas,
Aut aquam aquæ, dimidiatas imputes,
Has ſi videres, ita confundas oculos,
Utra ut ſit, non queas internoſcere.
Quod reſtat expetitis. Jam date ſilentium;
Hujus argumentum eloquar Comœdia.
SAMOS *quæ terra ſit, nota eſt omnibus.*
Nam maria, terras, monteis, atque inſulas
Voſtræ legiones reddidêre pervias.
Hac Pyrgoteli SOSTRATA *Pyrocle viro*

INTERPRETATIO.

recordor bene. Cernitis unum. Aſpicite quid feram in ore: nempe duas ſorores Samias debacchantes, feſtivas puellas, editas uno partu, iiſdem parentibus, fœtu gemino. Quæ ſunt tam ſimiles, quàm ſi compares lac cum lacte; aut aquam cum aquâ: exiſtimes unam ſectam mediam in duas. Si has intuearis, aſpectus tui erunt adeò turbati, ut non poſſis diſcernere utra ſit ambarum. Expetitis audire ea quæ ſuperſunt. Facite nunc ſilentium, dum expono argumentum hujus comœdiæ. Neminem latet quæ regio ſit Samos. Nam veſtri exercitus patefecerunt viam per maria, terras, montes atque inſulas. Soſtrata peperit in hac inſulâ ex Pyrgotele Pyrocle

ANNOTATIONES.

45. *Ore quid feram.*] Dixit aſinum cui eſt impoſitus Silenus, tres ferre, videlicet Silenum, quem vident ſpectatores, & duas Bacchides, ſed ſe ferre ore duas illas ſorores.

46. *Samias.*] Bacchides erant ex inſulâ Samo.

47. *Uno prognatas tempore.*] Hinc incipit oratio ad exprimendam ſimilitudinem duarum Bacchidum, quæ non abeſt longè à ſtilo Plautino.

55. *Samos quæ terra ſit.*] *Samos*, nunc *Samo*, inſula maris Ionii.

56. *Nam maria*] Adulatur hoc loco Romanis, quorum virtus & fortitudo jam in omnia maria regionéſque penetravit.

58. *Pyrgoteles Pyrocle.*] Rarò apud Græcos duo nomina imponebantur uni homini, niſi alterum eſſet aut gentis aut urbis. Quid ſit igitur Pyrgoteles Pyrocles unus Autor Supplementi aperire poſſit. Niſi Pyrocles ſit nomen patris Bacchidum, & Pyrgoteles appelletur à Pyrgotele gemmarum ſculptore nobiliſſimo, à quo tantùm Alexander magnus ſe in gemmis ſculpi paſſus eſt. Plinius lib. 36. c. 1. *Iſmenia ætate multos poſt annos apparet, ſculpi etiam ſmaragdos ſolites. Confirmat hanc eandem opinionem edictum Alexandri Magni, quo vetuit in gemma ſe ab alio ſculpi, quàm à Pyrgotele. non dubiè clariſſime artis ejus.* Idem lib. 7. cap. 37. *Idem hic imperator edixit, ne quis ſe alius, quàm Apelles pingeret, quàm Pyrgoteles ſculperet; quàm Lyſippus ex ære duceret.* Crediderim Autorem Supplementi ludere voluiſſe in nomine Pyrgotelis, quaſi dicat Pyroclem fuiſſe alterum Pyrgotelem, qui tam elegantes formâ Bacchides genuerit, & mihi hanc conjecturam adjuvare videtur, quod *bacca*, amotâ aſpiratione, locum præbere potuerit ludo, quaſi dicat in *bacchis*, ſeu gemmis duabus, ſuam induſtriam nobilitaſſe, ut olim Pyrgoteles ille in *baccis*, ſeu gemmis nobilitavit.

Vno edidit gnatas niſu geminas.
Placuitque initiatis Trieteride
Quas ederent, Bacchi vocitare nomine.
Parentes, ut fit crebrò, fata occupant.
Alteram miles ſecum in Cretam vexerat,
Altera geminas adnatat Cecropias
Hanc, ut Nicoboli inſpicit MNESILOCHUS,
Amare occipit, itat ad eam frequentius.
Interea juvenem pater mittit Epheſum,
Vt inde referat aurum, quod poſuerat
Ipſe jampridem apud Archidemidem,
Veterem amicum, ſenem Phœnicarium.
Is quom biennio deſideret Epheſi,

INTERPRETATIO.

ſuo viro duas filias uno partu. Viſum eſt parentibus, qui erant initiati myſteriis Bacchi, appellare Bacchides eas, quas genuerant, à nomine Bacchi. Parentes arripiunt id in aſpicium felix: id quod contingit frequenter. Miles abduxerat ſecum alteram in inſulam Cretam; altera è duabus vela facit Athenas. Statim atque Mneſilochus filius Nicobuli aſpicit hanc, cœpit deperire, inviſit eam crebriùs. Interea Nicobulus mittit Mneſilochum Epheſum, ut huic revehat pecuniam, quam depoſuerat jamdudum apud Archidemidem antiquum amicum, ſenem Phœnicium. Quum Mneſilochus commoraretur duobus annis Epheſi,

ANNOTATIONES.

60. *Initiatis Trietiride.*] *Initia* olim dicebantur propriè Cereris ſacra, quibus neminem intereſſe fas erat, niſi initiatum. Initia autem erant inſtitutiones, quibus explicabantur ſacra & ceremoniæ religionis illius numinis. Bacchi ſacra etiam appellata ſunt initia. *Initiatis Trieteride*, id eſt, ſacris, Bacchi nimirum: celebrabantur quidem quotannis ſacra Bacchi, quæ vocabantur orgia, vel ἀπὸ τῆς ὀργῆς, quia celebrabantur à mulieribus furore percitis, vel ἀπὸ τῶν ὀρέων, à montibus in quibus ſacra hæc celebrabantur; itaque ſacra hæc vocantur à Virgilio *Trieterica*, Georg. 4. ubi audito:

Stimulant Trieterica Baccho,
Orgia.

Sed tertio quoque anno cum majore pompâ. Ratio eſt quia Bacchus triennio commoratus eſt in expeditione Indicâ. Igitur inter celebritatem Trieteridis natæ Bacchides, à parentibus ſacris Bacchi initiatis, nomen habuerunt à Baccho, & *Bacchides* ab eo dictæ.

62. *Fata occupant.*] Quòd natæ eſſent inter ſolennia Trieteridos, Bacchides; quòd à parentibus initiatis ſacris Bacchi, auſpicium ſumunt in imponendo ſuis filiabus nomine pater & mater Bacchidum. Olim enim ſumebant ſic auſpicia è diebus, horis, temporibúſque, quibus naſcerentur infantes. Prætereà mathematicos conjectoreſque advocabant conſulebantque, ut ex themate Genethliaco rationem vitæ futuræ prædicerent. Quæ ſi fœlix videretur, lubentiùs eam accipiebant, & avidius. Hinc *fata occupare.* Porrò dies is quo imponebant ſuis liberis nomina, *nominalia* appellabant.

64. *Geminas Cecropias.*] Quanquam arx ſola Athenienſis dicatur condita à Rege *Cecrope*, tamen, & illa, & urbs appellantur hoc loco *Cecropia* à *Cecrope*: *geminas* enim de urbe & arce intellige.

67. *Mittit Epheſum.*] Urbs Ioniæ Epheſus.

70 *Senem Phœnicarium.*] Videtur hoc loco innuere Autor Supplementi, Archidemidem eſſe Phœnicem, ſed Epheſi manere.

Bacchidem abiiſſe, durum accepi nuncium:
Nam nautæ noti navigaſſe nunciant.
Vt fugitivam curâ & corde quæreres.
Ad Philoxenis PISTOCLERUM *filium*
Sodalem unicum ſulcat epiſtolium.
Dum Piſtoclerus amico impartit operam,
Athenas dudum quæ redierant geminæ,
Conquiſitorem in amorem conciunt.
Altera Piſtoclerum ad ſeſe allicit.
Altera venienti deſidet Mneſilocho.
Geminæ Bacchæ duos Bacchanteis pullulos
Quid mirum ſi ad ſeſe traxerint blandulæ,
Facetæ, pulcræ incurvos libitinarios,
Veterrumos ſenes illorum traherent patres?
Sed eccum Piſtoclerum, qui ad Bacchides
Nuper inventas redit, & ſecum inſolens
Novos amoris diſpuit igniculos.
Nunc prodeo, audite.

INTERPRETATIO.

Tibi allatus eſt nuncius crudelis, videlicet *Bacchidem, Athenis profectam. Nam nautæ cogniti Mneſilocho nunciant eam vela fecisſe in Cretam. Scribit litteras Piſtoclero filio Philoxeni, ſuo ocio amiciſſimo, ut inveſtiget Bacchidem abſentem diligenter, & amice. Dum Piſtoclerus impendit operam ſuo amico. Duæ Bacchides, quæ jam pridem reverſæ erant Athenas, concitant amorem in animo quærentis. Altera Bacchidum irretit Piſtoclerum, altera expectat adventum Mneſilochi. Quid mirum ſi duæ Bacchæ ad ſeſe pellexerint duos juvenes Bacchantes, ſuis blanditiis, ſuâ feſtivitate, ſuâ pulchritudine, ſi illaqueaverint eorum patres, ſenes devexos ſilicernios, vetuſtiſſimos. Sed ecce Piſtoclerum, qui revertitur ad Bacchides modo repertas, & di[...]uit à ſe ſintillas amoris inſolitas. Nunc repeto poſtſcenium, attendite.*

ANNOTATIONES.

74. *Corde quæreret.*] Corde, id eſt ſummâ diligentiâ, & non perſunctoriè.

84. *Libitinarios.*] *Libitinarii* propriè erant ii, qui vel locabant, vel vendebant, quæ ad pompam funebrem pertinebant. Hoc loco Autor Supplementi eos intelligit, qui ingravescente ætate jam jam ſupremum diem obituri, videntur in capulum includendi. Libitinarii autem dicuntur a Libitinâ deâ, in cujus templo aſſervabantur, quæ ad pompam funerum pertinerent. Libitinam autem deam illam putat Plutarchus eſſe Venerem, ut videlicet admonerentur homines infirmitatis humanæ, quando eandem deam, & naſcentibus præeſſe cernerent, & morientibus.

87 *Inſolens.*] Piſtoclerus, qui non *ſolet* ſentire ignes amoris; nimirum *inſolens* ſumitur duobus modis, & pro *inſueto* & *inſolito*, & pro *ſuperbo*. In priori ſignificatione, id accipe Horatii, Carm, Ode 29.

Fortuna ſævo læta negotio, &
Ludum inſolentem ludere pertinax.
Tranſmutat incertos honores,
Nunc mihi nunc alii benigna.

Cæſar: *Inſolens belli multitudo.* Sumitur & pro arrogante & ſuperbo. Cicero: *Victoria quæ ſui natura inſolens & ſuperba eſt.*

88. *Igniculos.*] Appellat igniculos, primos amoris ictus, qui niſi citò reſtinguantur, in magnum exardeſcunt incendium.

89. *Nunc prodeo.*] Quid ſibi velit hoc loco Autor Supplementi, non eſt facile conjicere. Silenum enim oportet repetere poſtſcenium, non prodire, niſi aſſumptâ perſonâ, aut Piſtocleri, aut Lydi, maneat in ſcena, non prodeat.

ACTUS PRIMUS.

SCENA PRIMA.

PISTOCLERUS, LYDUS.

PISTOCLERUS.

DI immortales, ut ſentio quod ſentio! quid? neſcio.
Stans fugio. nullus eſt ignis, & totus ardeo.
Quid id, niſi navim? novom perfectò malum
Video & ſentio, potiſne eſt terra ut terat hominem
Atque proſternat? hodie nil præter terram & Baccham tetigi,
Si Baccha eſt hæc. non nutrit Baccha, verùm jugulat.

INTERPRETATIO.

PIST. *DIi immortales! quàm benè experior, id quod experior! Sed quid experior? Ignoro. Sed immotus fugito. Eſt nulla flamma, & totus incendor. Quid eſt hoc, niſi navis? Sine dubio conſpicio & perfero malum inſolitum. Poſtèſtne fieri, ut terra terat Piſtoclerum, atque ſupplantet? Nulli rei manum admovi hodie, niſi terra, & Baccha: ſi hæc eſt Bacca, non alit Bacca; ſed fauces elidit.*

ANNOTATIONES.

1. *Ut ſentio quod ſentio.*] Sentit nimirum Piſtoclerus primos amoris igniculos, ut appellat ipſe Autor Supplementi in Prologo ſuo: ſed recens adhuc à diſciplina Lydi Præceptoris attenti & diligentis ſentit quidem quod ſentit; ſed quid ſentiat, nondum bene animadvertit.

2. *Stans fugio.*] Stat quidem corpore, ſed fugit animo; luctante videlicet ratione cum primo amoris ſenſu.

3 *Quid id, niſi navim.*] Perturbata oratio ad perturbationem animi exprimendam; *niſi navim* pro, *niſi navis.*

Novum profecto malum.] Ludit, meo quidem judicio, ridiculè in voce *malum.* Nam quia mentionem jam jam fecit navis, dicit novum ſe malum videre, in quo malum non ſignificat infortunium, ſed eſt a *malus*, quæ pars navis, quo vela expanduntur.

4. *Potiſne eſt terra ut terat hominem.*] Ludit & in hoc vocabulo terra. Videlicet Samiæ erant Bacchides, & ex terra Samia fictilia fiebant laudata: igitur nomine terræ intellige Bacchidem, quaſi dicat, fierine poteſt, ut terra Samia tantum afferat mali.

Terat hominem.] Pergit ludere & in hoc vocabulo; *terat.* neque enim eſt terræ terere, ſed teri: tamen Bacchis, terra Samia me peſſumdat, ſeu conterit.

5. *Proſternat.*] Suſpicio eſt ne ludus ſubſit & huic verbo: lubricæ enim terræ eſt fallere incedentium veſtigia, & proſternere, niſi continuata allegoria ſignificet naufragium.

Hodie nihil præter terram.] Quaſi dicat; naufragium feci, & non rupem, ſed terram tantum tetigi, non ſcopulum, ſed Baccham, in quo Bacca ſine aſpiratione poni oportet, ut detur locus ludo verborum.

6. *Si Bacca eſt hæc.*] Baccarum eſt, ſeu minorum fructuum, alere mortales, non perimere.

E terra quoque obrepere olim dixerunt homines,
Qui dum norant, quom eſſe cuperent, erant nihil.
Quid mali hoc? an terra, an Baccha, fecimus naufragium?
LY. *Amat hic quem video, nimirum ſi id eſt, quod emiſſicius*
Fora, templa, theatra, porticus omneis fornices,
Iuſtra, & luſtraleis cellulas quæſierit ſedulò.
PI. *Naufragus ſum, fateor. Bacchus, haud Neptunus celocem*
Hanc impellit, agit, quaſſat, immo frangit, diſtrahit.
LY. *Bacchis hinc procellam concitat. actu'ſt. perdidimus remigium.*
PI. *Referam me ad ſcopulum, ut iſtic cum ætate rem perduam.*
Inſtabilis eſt ſors rerum. pro libidine fata agunt homines.
Ego dum amico Mneſilocho operam impertio,
Illi amicam repperi ubi pereat cum re aſſiduò.
Et mihi, meæque ætati, reique meæ peperi infortunium.
Si volt Cupido, adoleſcens ſum. ætati licet pluſculum
Jacturæ facere: meliùs, ut id nunc fiat, quàm ſenio.
Sapientum profecto'ſt illud di. um, quod Lydus increpat:
Si Aſtartan on Bromium, deóſque voluptarios

INTERPRETATIO.

Narrant etiam mortales quendam formatos eſſe è terra. qui dum cognoſcerent ſe non eſſe; dum vellent exiſtere. nondum exiſtebant. Quodnam eſt illud malum? Fecimú ne naufragium alliſi terra vel Bacca. LY. Is tenetur magno amore, ut intelligo, videlicet idcircò tam diligenter luſtravit, ut explorator, fora, templa, theatra, porticus, omnes fornices, luſtra & luſtrales cellulas. PI. Sum naufragus fateor; Bacchus hanc navim jactat, non Neptunus, agitat concutit, imò comminuit, in ſiuſta rapit. LY. Bacchis conflat hanc tempeſtatem; actum eſt. Amiſimus remigium. PI. Revertar ad ſcopulum, ut faciam jacturam fortunarum & ætatis. Status rerum eſt inconſtans, fortuna regit homines ad arbitrium. Quando ego impendo operam meo amico Mneſilocho, ei invenit amicam, apud quam ſe perdat continuò & ſuas fortunas. Ego ſimul mihi accerſivi malum, & meæ ætati, & meis fortunis. Amor ſic ſtatuit. Sum juvenis. Conceſſum eſt perdere nonnihil ætatis. Quia id fiet nunc convenientius, quàm in ætate devoxa. Sanè id dictum, quod Lydus improbat, eſt ſapientibus dignum. Si juvenis aſpernatus eſt Venerem, aut Baccham, aut deos voluptatis.

ANNOTATIONES.

7. *E terra.*] Dicunt homines, quum antea non eſſ t, e terra prodi e, qui dum cogno erent a quid nempe ſe non exiſtere & v llent exiſtere, non erant.

10 *Amat hic uem video.*] Id eſt, amat is, ut vi eo. Tu c Lydus incipit conjicere, quid quæreret iam ugenter per fora, templa, cæteraſque urbis partes ſuus alumnus Piſtoclerus, nempe amicam; ſe fal lit Lydus neque enim quærebat ſibi amicam, ſe amica ſui Mneſilochi amicam Bacchidem.

11. *Bacchus haud Neptunus.*] Neptunus eſt formidoloſus nautis non Bacchus, ſed hic Bacchus eſt formidoloſus Piſtoclero. propter Bacchides Bacchi ſacris initiatas.

24. *Si Aſtartan.*] *Aſtarte* Syrorum dea erat, quam alio nomine Atergatim, aut Derceto nominarunt. Cicero exiſtimat fuiſſe Venerem, quæ Adonidi nu ſit. Sacræ literæ appellant eo nomine Sidoniorum deam, cui Salomon ſacellum conſecra i paſſus eſt, rogatu unius è con u ı ııs ſuis. Superiori parte erat fœmina, inferiori piſcis.

24. *Deóſque voluptarios.*] Venerem & Cupidinem, ſeu Amorem intelligere planum eſt.

On] Quid *on* ſignificet hoc loco, nemo hactenus divinare potuit, niſi conjun-

25 *Contempſit*

Contempſit juvenis, is aut inſanibit, aut amabit ſenex.
Referam me ad ſcopulum ex naufragio. pater leget fragmina.
Sequere me, Lyde. video ſorores geminas. Bacchanal meum.

INTERPRETATIO.

ille aut evadet ſtultus, aut amabit in ſenectute. Repetam ſcopulum ex naufragio: pater colliget tabulas. Sequere me, Lyde. Cerno geminas ſorores. Meum Bacchanal.

ANNOTATIO.

gendum ſit cum Aſtartan, ut ſit *Aſtartanon Bromium*, id eſt, *Voluptarium Bacchum*, aut *Aſtertanon*, pro *Aſtartam Venerem.*

27. *Bacchanal meum.*] *Bacchanal* locus erat in quem conveniebant Bacchæ ad orgia inchoanda. Hic tamen non pro ædibus Bacchidum, ſed pro ipſis Bacchidibus.

ACTUS PRIMUS. SCENA SECUNDA.

ARGUMENTUM.

AUxilium rogat à Piſtoclero Bacchis altera adverſus Cleomachum militem, qui Bacchidem alteram ſecum in Elatiam abducere parabat. Quod quidem ſubdolè facit meretrix, ut incautum adoleſcentem in ædes ſuas pelliciat, corrumpatque certius. Animadvertit fraudem Piſtoclerus; ſed tandem meretriciis blanditiis vincitur ac vincitur. Hæc ſcena incipit ab abrupto. Nimirum in poſtſcenio Bacchides duæ multa dixerunt de ratione pelliciendi ad ſeſe omni genere lenociniorum Piſtocleri. Mox in ſcenam veniunt, & quaſi concluſionis loco ſtatuunt, ut altera verbis adoriatur adoleſcentem, altera ſileat, vel certè monitricis partibus contenta ſit.

PISTOCLERUS, BACCHIDES.

PISTOCLERUS.

QUID ſi hoc potis eſt, ut taceas, ego loquar? *BA.* lepidè: licet.

INTERPRETATIO.

PIST. *NOnne præſtaret te ſilere, & me* unam *verba* facere? BAC. MN. *Feſtivè* mones: per me *licet.*

ANNOTATIONES.

1. *Quid ſi hoc potis eſt.*] Fingit poëta Bacchides duas in Poſtſcenio dixiſſe alia multa, & conſilium cepiſſe de Piſtoclero in ſuos caſſes vocando, hic quaſi concluſionis loco ſtatuunt utra cum illo ſermonem inſtituat. Amica Mneſilochi eam defert ſorori provinciam, retinétque munus monitricis, ſicubi titubet memoria.

BA. Ubi me fugiet memoria, ibi tu facito, ut ſubvenias, ſoror.
BA. Pol magis metuo, mihi in monendo ne defuerit oratio.
BA. Pol ego quoque metuo, luſcinolæ ne defuerit cantio.
Sequere hâc. *PI.* quid agunt duæ germanæ meretrices cognomines?
Quid in concilio conſuluiſtis? *BA.* bene. *PI.* pol haud meretricium eſt. [gnius?
BA. Miserius nihil eſt quàm mulier. *PI.* Quid eſſe dicis di-

Interpretatio.

BAC. PIST. *Sed quando memoria deficiet, ô ſoror, tum tu da operam, ut mihi ſuccurras.* BAC. MN. *Profectò plus timeo, ne mihi verba minimè ſuppetant in commonefaciendo.* BAC. PIST. *Certè vereor etiam ne cantus deſtituat luſciniam. Sequere me hàc.* PIST. *Quid faciunt duæ meretrices ſorores, quæ ſunt unius nominis? De quo deliberaſtis in hoc colloquio?* BA. PI. *Rectè.* PIST. *Sane id eſt alienum à meretricibus.* BAC. PIST. *Nihil infelicius fœminâ.* PIST. *Quid putas magis mereri?*

Annotationes.

Quid ſi hoc potis eſt? Id eſt, ſi hoc fieri poſſet, ut tu taceres, ego loquerer, quid faciendum putares? *Potis* & *pote* in quolibet genere dicta ſunt olim. Hic & hæc & hoc *potis* ſum, & *pote* ſum, pro *poſſum*; *potis* es, *potis* eſt, *potes* ſumus, *potes* eſtis, *potes* ſunt. Ennius:

Spero ſi ſperes quidquam prodeſſe poteſſunt.

Lucretius in neutro genere uſurpat *potis*:

Nec potis eſt cerni, quod caſſum lumine fertur.

Propertius in maſculino *pote*:

Qua pote quiſque in ea conterat arte diem.

In aliis, *Quid ſi hoc potius eſt.*

Lepidè.] Id eſt, *Lepidè mones.* Aut ut verſu 35. ejuſdem ſcenæ, *lepidè memoras.*

Licet.] *Per me licet*, ſic *volo*, *annuo*, *concedo*, ut tu cum Piſtoclero conferas ſola ſermonem, & vicibus loquendi ultro abſtineo.

2. *Ut ſubvenias.*] *Subvenire*, idem eſt quod Ciceroni *ſuggerere*. Cicero: *Si memoria defecerit, tum erit ut ſuggeras.* Propertius: *Subjicias*:

Nec tibi ſubjiciet carmina ſerus amor.

Subvenire, *ſuggerere*, & *ſubjicere*: Græcè, ὑποβάλλειν. *monitores* ſcenicorum dicebantur, & *ſecundarii*, & ὑποβολεῖς, & *ſubdica*, qui dicentibus è ſcena de poſtſcenio *ſuggerebant*, nobis, *Des ſoufleurs.*

3. *Pol magis metuo.*] Id eſt, rogas ut lapſanti memoriæ ſuccurram; ego verò vereor, ne non ſuppetat quod tibi ſuggeram, adeò memoriâ vales & linguâ, quum utrâque ſim admodum tarda.

4. *Pol ego quoque.*] Id eſt, magis metuam ne luſciniam deſtituat cantus, quàm te oratio in me monenda. Luſcinia, Græcis ἀηδὼν ὡς ἀεὶ ἄδουσα, *ſemper canens.* In Proverbium abiit, *luſcinia deeſt cantio*, de iis quæ miraculo affinia ſunt.

5. *Quid agunt.*] Fingit poëta, nunc primùm in ſcenam venire Piſtoclerum intereadum de eo irretiendo conſultant Bacchides.

6. *Quid in conſilio conſuluiſtis?*] In conſilio conſulere, Atticiſmus Plauto familiaris, quo nihil aliud ſignificatur, quam *quid conſultatis.*

Bene.] Aliter hæc vox à Bacchidibus profertur, aliter à Piſtoclero accipitur. *Bene* eſt vox gratulantis ſecum, & cum ſorore Bacchidis, quòd ipſe Piſtoclerus oportunè adveniat, & ſermonis anſam præbeat. Quod gratulationis verbum quum ſatis altâ voce protuliſſent Bacchides, ut exaudiri poſſet à Piſtoclero, & hoc ſibi reſponſum perperam arbitraretur, ſubjicit.

Pol haud meretricium eſt.] Id eſt, non eſt meretricum rectè conſulere, aut de rectis conſulere, imò eſt earum conſulere, de pernicie juventutis. *Meretricium* pro *meretricum.*

7. *Miſerius nihil eſt quam mulier.*] Diſſimulat aſturè Bacchis jactum à Piſtoclero in ſe, & in ſuum ordinem univer-

BA. Hæc ita me orat, ſibi qui caveat, aliquem ut hominem reperiam,
Ab iſtoc milite: ut, ubi emeritum ſibi ſit, ſe ut revehat domum.
Id, amabo te, huic caveas. *PI.* quid iſtic caveam? *BA.* ut revehatur domum,
Ubi ei dediderit operas: ne hanc ille habeat pro ancillâ ſibi.
Nam hæc ſi habeat aurum, quod illi renumeret, faciat lubens.

INTERPRETATIO.

BAC. PIST. *Hac me rogat, ut inveniam quempiam patronum adverſus illum militem: ut eam reducat in ſuas ades, quando emerita ſit. Quaſo ut praſtes illi hoc patrocinium.* PIST. *Quod patrocinium illi praſtabo?* BACH. PIST. *Ut reducatur in ſuas ades, quando ei miniſtraverit. Ne hanc retineat poſtea tanquam ſervam. Etenim ſi illi eſſet pecunia, quam illi reſtitueret, reſtitueret libenter.*

ANNOTATIONES.

ſum convicium, quo juvenis negat meretrices ullas quidquam boni conſilii capere poſſe; & inſtituit orationem cum eo, à calamitate ſororis ſuæ Bacchidis, quam amabat Mneſilochus.

Quid eſſe dicis dignius.] Quod dixit Bacchis de una ſorore Bacchide, id de omnibus, quotquot ſunt, mulieribus intelligit Piſtoclerus: & quemadmodum ſuperiore verſu in meretrices, hic in univerſum earum ſexum iniquus videri vult, dicitque miſeras quidem eſſe mulieres, ſed illas eſſe miſeriâ digniſſimas: in quo, *dicis*, vim quandam habet, quaſi dicat, *dicis miſerius eſſe nihil muliere, ſed non dicis eam eſſe miſeriâ digniſſimam.* Hoc in vernaculam noſtram tranſtulimus, *Vous ne dites pas que, &c.*

8. *Hac ita me orat.*] Diſſimulat & hoc loco injuriam ſexui ſuo illatam callida Bacchis.

Sibi qui caveat.] *Cavere* hoc loco eſt ſecurum reddere. Is autem ſecurus eſt, cui vel pignore, vel fidei-juſſione conſultum eſt, *En donnant ou gages, ou caution.* Cautor eſt Juriſconſultus vel Patronus, qui clientibus ſuis adeſt, ne quid eorum cauſa detrimenti capiat: *Cautio, caution: Satisdatio, aſſûrance.* Itaque ſibi qui caveat ab iſto milite, nihil aliud eſt, quàm patroni munere fungatur pro Bacchide Mneſilochi amicâ, adverſùs militem Cleomachum, ut videlicet ſatiſdet miles ſe dimiſſurum Bacchidem Mneſilochi, quando tempus abſolutum fuerit, quo eſſe debebat cum illo milite.

9. *Ubi emeritum ſibi ſit.*] Caſtrenſis vox: *emeritus* miles, qui militiâ perfunctus, ab eâque liberatus, vacationem habet. Igitur *ubi emeritum ſibi ſit*, idem eſt ac ubi emeritum ſit à Bacchide, ſeu ubi Bacchis emerita ſit abſoluto tempore, quo eſſe debebat cum milite. Obliquè autem hoc loco ſugillat militem Plautus, uſus caſtrenſi voce ad exprimendam militis libidinem, quæ ipſa per ſeſe eſt inſigne argumentum ignaviæ. In quo & id obſervandum; olim meretrices, ut plurimum fuiſſe libertinas, eaſque ductas fuiſſe in certum tempus, pactâ mercede certâ, & vocatas ab autoribus uxores *uſurarias.* Virgilius per tranſlationem boves vocat *emeritos*, pro feſſis, & opere ſolutis.

11. *Ubi ei dederit operas.*] Id eſt, quando ejus libidini ſervierit pacto tempore.

Ne habeat pro ancillâ.] Poſtquam conſtituto tempore fuerant cum aliquo meretrices, licebat ad jus ſuum redire, ut nunc temporis ſervos videmus. Itaque hoc loco Bacchis Piſtocleri vereri ſe ſimulat, ne miles, poſtquam tempus abſolutum fuerit, quo eſſe cum eo oportebat Bacchidem Mneſilochi, eam contra jus & fas retineat, ut ancillam, ſicut genus illud hominum injuſtum eſſe ſolet & ferox, præſertim quando res eſt cum infirmioribus: id vero eſt in quo cavere, vult Piſtoclerum meretrici meretrix.

12. *Aurum quod illi renumeret.*] Licebat videlicet meretrici in certum tempus locatæ, antequam conſtitutum tempus eſſet abſolutum, renumeratâ pecuniâ, quam accepiſſet, ſui fieri juris.

opus fuerit Scenâ illâ primâ ad Supplementum Actus primi, non video : imò ſi fabula incipiat ab Scenâ ſecundâ, hoc magis eſſe Plautinum videatur initium ; ut planum erit ſi conferatur cum aliis fabulis Plautinis. Conſtat igitur fabulâ, & Epilogo, ſeu grege.

Protaſis patet ab initio, ad Scenam 3. Actus 2. Nimirum in eâ agitur de redimendâ alterâ ex Bacchidibus ; & fraudandi Nicobuli provinciam in ſeſe recipit Chryſalus. A Scenâ 3. Actus 2 ad Scenam 2. Actus 5. eſt Epitaſis. Graviores enim ſunt Scenæ jactationes, detectis libidinibus juvenum, fraudibus ſervorum, periculis omnium, rixis, ſeu joco, ſeu ſerio, ſeu errore, motis ; placatis, recrudeſcentibus, mutatis. In Scena 2. Actus 5. eſt ſolutio: quia ſenes duo, Bacchidum illecebris ad mitiorem mentem traducti, & quod filii, & quod ſervi, & fermè quod Bacchides ipſæ fecerunt, jam jam ſuo calculo approbant. In hujus Epilogo fabulæ, qui Grex appellatur ; licet videre quantum ſit *à teneris aſſueſcere* in rectis, inolita in hac ætate vitia & adoleſcere cum adoleſcentibus, & corroborari cum viris, & ad ultimam vitæ lineam perſeverare.

SCENA EST ATHENIS.

PERSONÆ.

PROLOGUS SILENUS.

NICOBULUS Civis Athenienſis Mneſilochi pater.

MNESILOCHUS filius Nicobuli, Bacchidis Athenienſis procus.

CHRYSALUS, ſervus Mneſilochi & Nicobuli.

ARTEMO, Servus Nicobuli & Mneſilochi, muta perſona.

PHILOXENUS, Piſtocleri pater, vicinus, & amicus Nicobuli.

PISTOCLERUS filius Nicobuli, amicus Mneſilochi.

LYDUS Philoxeni ſervus, Piſtocleri Pædagogus.

CLEOMACHUS Miles Samius.

PARASITUS Cleomachi militis anonymus.

PUER, Cleomachi militis anonymus.

BACCHIS, amica Mneſilochi.

BACCHIS, amica Piſtocleri.

EPILOGUS.

SUPPLEMENTUM

PERIOCHA ACROSTICHA.

B acchidis amore furit Mneſilochus.
A urum ut redimat, Præſumia fertur Epheſum.
C retam Bacchis navigat, atque alteram
C onvenit Bacchidem: inde Athenas redit:
H inc dat Mneſilochus ad Piſtoclerum litteras.
I llam conquirat. redit: turbas movet,
D um putat amari ſuam. ut mutent geminas,
E i dat aurum: pariter amant.
S enes dum gnatis ſtudent, ſcortantur, potitant.

INTERPRETATIO.

MNeſilochus inſanit amore Bacchidis. Antequàm eâ fruatur, *proficiſcitur Epheſum ad repetendam pecuniam ab Archidemide. Bacchis vela facit in Cretam, & adit Bacchidem ſororem. Inde Bacchis revertitur Athenas. Idcirco Mneſilochus ſcribit ad Piſtoclerum epiſtolas, ut quærat Bacchidem. Mneſilochus* Epheſo *revertitur, tumultuatur; quia arbitratur ſuam amicam amari à Piſtoclero; ſed errant* in nomine *geminarum:* quod quum agnoſcit *Mneſilochus, numerat pecuniam militi. Uterque ſuam deperit. Quando ſenes operam dant* corrigendis *filiis; ipſi corrupti à* Bacchidibus, *libidinantur, pergræcantur.*

ANNOTATIONES.

2. *Aurum ut redimat.*] Non ita propriè hoc loco ponitur *redimere*, pro *repetere* pecuniam, niſi *redimere* ponatur, pro *eximere* & *adimere*, quod ſignificat *tollere*, ut ſit idem *redimere* & *referre*; quia erat aurum depoſitum apud Archidemidem. Vide Argumentum fabulæ.

Præſumia.] Factum ab Auctore ſupplementi vocabulum. Videtur enim hoc innuere, Mneſilochum deperire Bacchidem, ſed *antequam ea* fruatur, coactum eſſe ire Epheſum. Itaque *præſumia* idem ſignificare videtur ac *antea*. Mirum in tantâ interpretum turbâ eſſe nullum, qui de voce hac quidquam dixerit.

5. *Hinc dat.*] Videlicet Bacchis amica Mneſilochi, deſiderio videndæ ſororis, amicæ militis Cretenſis, Athenis navigaverat in Cretam inſulam, rurſus è Cretâ Athenas cum ſorore reverſa, hoſpitium mutaverat. Hinc Mneſilochus, qui eſt Epheſi, ignorat ubi jam maneat ſua Bacchis: ſed datis ad Piſtoclerum litteris, mandat eam quæri.

7. *Ut mutent geminas.*] Facilius id ex ſenſu, quàm ex verbis intelligas. *Ut mutent geminas:* id eſt, quando turbas movet Mneſilochus, id accidit, quia errant in mutatione geminarum: nimirum ignarus Mneſilochus duas eſſe Bacchides, quod de ſorore amicæ ſuæ audivit, id de ſuâ amicâ dictum putat.

8. *Ei dat aurum.*] Id eſt, Mneſilochus, operâ Chryſali, circumducto patre Nicobulo, ducentos Philippeos numerat *Cleomacho militi* ad redimendam Bacchidem amicam.

9. *Dum gnatis ſtudent.*] *Studere alicui,* eſt inferioris ad ſuperiorem; vulgò enim ſuperiori *ſtudet* placere inferior. Hoc loco idem ſignificat atque *adhibere mentem, curam, operam, eamque ſedulam,* corrigendis natis.

Potitant.] Videlicet dum Nicobulu Mneſilochi, & Philoxenus Piſtocleri patres ſtudent avocare filios ab amoribu Bacchidum, victi blanditiis meretricum rivales fiunt filiorum, imo ſocii libidinum

PROLOGUS

SILENVS.

MIrum hodie'ſt, ni ſpectatores in ſubſelliis
Ridiculos ſtrepunt, tuſſiunt, rhonchos cient,
Conſulcant frontem, & ore concrepario
Frequenter fremunt, atque malè muſſitant.
Vix in juventâ locum obtineant
Aut glabri hiſtriones, aut pervolſi ludii.
Quid veternoſus prodit internuntius

INTERPRETATIO.

LIcet mirari ſi hodierna die ii qui ſpectaut de ſuis ſedibus. minimè obſtrepant hiſtrionibus, mittant tuſſim, obſtertant, adducant frontem, & obmurmurent identidem ore clamoſo, maledicántque muſſitando iſta: Actores impuberes, aut depilati Lydii in juventute haberent difficilè locum in ſcenâ; quare igitur ille

ANNOTATIONES.

2. *Ridiculos.*] Paſſim in Plauto *ridiculus* ſignificat eum qui concitat riſum aliis, quales Græci γελωτοποιὸς nominant. Ejuſmodi erant ſcurræ & paraſiti. Hic ab Autore Supplementi accipitur pro hiſtrione Sileno, qui habitu & comitatu ad movendum riſum compoſito prodit in ſcenam, ut-potè ſenex impoſitus aſino.

Ridiculos ſtrepunt.] Inuſitata Syntaxis, pro *ridiculis obſtrepunt*, niſi ellipſis ſit præpoſitionis *ob*, quæ regat conjuncta quod regeret ſejuncta.

Rhonchos cient.] *Rhonchus* eſt propriè ſtertentium, à ῥέγχω *ſterto*. Plautus: *Dum dormit, rhonchiſſat.* Ronchus eſt quando flatus erumpit cum tanto impetu è naſo, ut nares ambæ eo ſucceſſæ ſonitum emittant. Hic accipitur pro indicio hominis ægrè ferentis quod aut dicitur aut exhibetur. Apud Martialem pro riſu ſumitur; reverà in effuſo riſu *rhonchus* ineſt quidem.

3. *Ore concrepario.*] *Concrepario* à *crepo* derivatur per Autorem Supplementi. Sed pro archaiſmo Plautino novum invehit barbariſmum in hoc ſuum Supplementum.

5. *Vix in juventâ.*] Eſt proſopopœia ſpectatorum hujus fabulæ. Quaſi dicat; *Inqui ſpectatores* hæc dicunt ſecum *muſſitando; hiſtriones glabri vix obtineant locum*, &c.

6. *Glabri hiſtriones.*] Hiſtriones erant *glabri*, quia erant, aut impuberes, aut *pervolſi*, id eſt, arte depilati. *Hiſtrio* à vocabulo Thuſco *hiſter*, quod ſignificat ludionem.

Pervolſi ludii.] *Ludii* erant adoleſcentes tuniculas induti inſignes, id eſt alias à quotidianis, galeati, enſiferi, & peltati, qui circenſibus & theatralibus ludis in verſum, id eſt, in orbem incedebant, velut pompæ duces, Saliis ſimiles. *Ludi* ex eo vocati, quòd à Lydis hoc genus ludicri inventum videretur: at ſi qui erant grandiuſculi, vellebantur, ut glabri fierent.

7. *Veternoſus.*] *Veternus* eſt morbus, qui inevitabili neceſſitate dormiendi obruit, λήθαργος à Græcis dicitur, à nobis *letargio*. Metaphoricè dicitur pigritia, *veternus*.

Internuncius.] Internuntius in fabulis appellatur, qui nuncius intercedit inter hiſtriones & ſpectatores, qualis eſt hoc loco Silenus in Prologo.

Senex

Senex qui dorſo fertur aſinario?
Attendite, quæſo, atque animum advortite.
Dum nomen hujus eloquor ſtatariæ.
Æquom eſt vos deo facere ſilentium.
Officio oris non decet illos utier,
Qui non ut clament, ſed ut ſpectent, veniunt.
Aureis date otioſas, at non in manum.
Has volo volans vox vacuas feriat.
Quid veremini, ictus an ſint minus noxii,
Qui repetunt laxa, aut hiulca obſtruunt?
Eſtis benigni, meritò vos amant Cœlites.
Factu'ſt ſilentium, tacent pueri.
Novam ad rem jam novom ſpectate nuncium.
Qui ſim, cur ad vos veniam, paucis eloquar:
Simul hujus nomen proferam Comœdiæ.

INTERPRETATIO.

ſenex obrutus veterno, impoſitus tergo aſinino venit in hanc, ſub perſona internuntii? Audite attentè, obſecro, atque adhibete mentem. Intereadum vobis aperio, quomodo vocetur hæc comœdia ſtataria. Eſt juſtum vos audire tacitos numen. Minime convenit eos adhibere munus linguæ, qui huc accedunt, non ut vociferentur, ſed ut ſpectent. Præbete aures vacuas, non quidem apprehendendas manu. Has noſtra vox pulſet vacuas, quando advolabit. Quare formidatis ne ictus, qui aperiunt clauſa, minus lædant, quam qui occludunt aperta. Eſtis benigni, jure Dii vos diligunt. Omnes favent linguis; pueri ipſi ſilent. Aſpicite novum nuntium novæ rei. Dicam breviter quis ſim, & quare me conferam ad vos, & unà dicam quomodo hæc fabula appelletur.

ANNOTATIONES.

8. *Dorſo aſinario.*] Fabulantur Poëtæ Silenum eſſe Bacchi nutritium & pædagogum, aſino vehi ſolitum.

10. *Stataria.*] Duo erant genera fabularum, unum ſtatariarum, alterum motoriarum. Statariæ fabulæ a ſtantibus hiſtrionibus, vel ſaltem placide ſeſe moventibus, repræſentabantur; motoriæ, quæ ab hiſtrionibus diſcurſantibus tumultuantibuſque exhibebantur. Hæc quamvis ſit magna ex parte ſtataria, tamen in Mneſilocho, & patre ejus Nicobulo, nonnihil eſt motoriæ. Videlicet, quando ille totam reſtituit pecuniam patri, hic verò quando ſeſe fraudatum pecuniâ intelligit, non longè abeſt uterque a motoriæ agitatione.

14. *At non in manum.*] Captat hoc loco riſum Autor Supplementi; quia dixit Silenus ſpectatoribus, *aures date*, quaſi veritus ne ſibi avellerent *aures* ipſi, & Sileno petenti darent, ſubjicit, *non in manum*; id eſt, non peto ut aures veſtras mihi detis in manum, ſed tantum ut præbeatis attentas.

15. *Has volo volans.*] Quaſi dicat, præbete aures, ut eas vox mea feriat.

16. *Quid veremini.*] Impedita oratio, & à Plautino ſtilo alieniſſima. Ludit verò in *feriat*, quaſi dicat an veremini, quando a vobis peto, ut claudatis os, & aperiatis aures, ne ictus magis ſint noxii, qui aperiunt aures, quam qui obſtruunt ora. Nam *ictus qui repetunt laxa*, ſunt *qui petunt ut laxa ſint, & aperta aures.* Atqui ſine ullo negotio clauditis os, ſic & extra operam aperietis aures.

19 *Tacent pueri.*] Argumentum eſt altiſſimi ſilentii, quando vel ipſi pueri linguam ōſque premiunt.

Ecce ſabor jam vobis quod expetitis,
Proinde vos mihi facite audientiam.
NATURÆ *Deus ſum, Bromii altor maxumi,*
Fœmineo qui peperit rem exercitu,
Quicquid hujuſce gentes ferunt inclyta,
Non nihil noſtro geſta ſunt conſilio.
Nunquam quod mihi placet, illi diſplicet.
Æquom'ſt, ſi pater obſequitur patri.
Aſibidam Ionii me vocitant greges,

INTERPRETATIO.

Jam jam vobis aperiam, id quod exoptatis, quocirca audite me attentè. Sum Deus naturæ, nutritius potentiſſimi Bacchi. Qui comparavit regnum copiis muliebribus. Fecit meis monitis non-nulla ex iis, quæ nationes ei ſubactæ prædicant de eo. Quod ei probatur, nunquam mihi non probatur. Eſt juſtum ſi pater paret patri. Hiſtrionis me nuncupant Aſibidam, quia ſum ſenex.

ANNOTATIONES.

25. *Naturæ Deus ſum.*] Silenus dicitur Deus naturæ, non quòd unus ſit naturæ Deus; ſed quod è diis naturæ unus ſit. Veteres autem plures naturæ deos venerabantur: primus erat omnium Pan, ſecundus tantùm locus aſſignabatur Sileno. Deorum naturæ nomine fermè intelligebantur ii quibus erat naturæ pars aliqua curæ. Sic Sylvanus & Driades ſylvarum & arborum, Hyades fontium, Oreades montium numina erant. Genius dicitur Deus naturæ, ab Horatio lib. 2. epiſt. 2.

Scit genius natale comes, qui temperat aſtrum.
Naturæ Deus humanæ, mortalis in unum
Quodque caput ——

25. *Bromii altor.*] Bromius vocatus eſt Bacchus, ἀπὸ τοῦ βρέμειν a fremendo; ebrii enim ut plurimum tumultuantur & bacchantur. Silenus dicitur a Poëtis fuiſſe nutritius Bacchi.

26. *Fœmineo exercitu.*] In Indica expeditione habuiſſe in comitatu dicitur Bacchus mulieres inſanientes, quæ *Bacchæ a Bacho, Bacchantes*que, dictæ ſunt.

28. *Noſtro Conſilio.*] Poëtæ dicunt Silenum fuiſſe non ſolum nutritium, ſed & Pædagogum Bacchi. Porro eſt informatoris erigere animum diſcipuli ad honeſti omnia, & conſiliis, hortatu, monitis eum juvare.

30. *Si pater obſequitur patri.*] Pater Bacchus appellatur hoc loco, non Sileni tantùm, ſed omnium: erat enim titulus honoris cum amore conjuncti etiam diis tribui ſolitus. Sic *Jupiter. Mars peter*, id eſt, *Jovis pater*, ubi Jovis eſt antiquus nominativus, & *Mars pater*. Sæpiſſime in veteribus conjunguntur Liber pater, id eſt, Bacchus, quem titulum hoc magis meretur, quòd alterum vitæ præſidium, nempe vinum, in ejus tutelâ poſitum crederetur. Itaque Silenus hoc loco nomine patris, intelligit omnium patrem Bacchum, & innuit uno tempore patrem illum, eſſe ſuum alumnum, & filium, quia informator eſt alter pater.

31. *Aſibidam.*] Quæ ſit vocis hujus origo, ipſe explicat autor Supplementi verſu ſequenti, *quod vectorio ſenex vobar aſinario.* Igitur aſibida venit ab *aſinivehida*. Sed ut conſuleretur euphoniæ, contractius factum eſt verbum, ut pro ἀμφισβολόγος. dicitur ἀμφιβολόγος, & apud nos *idolatrie* pro *idololatrie* ab *idololatria*: ſic pro aſinivehida dictum eſt primo aſivehida, deinde aſivida: ex aſivida autem culpa Librariorum factum eſt aſibida, quod crediderim contigiſſe quòd alter ſcripſerit Librarius altero dictante, qui uſu Aquitanorum, b, pro v pronuntiarit. Aut quod in veteribus elementis capitalium fuerit, v, ut facilè pro b, fuerit uſurpatum.

Ionii greges.] Id eſt, Hiſtriones & Lydii quia Lydia finitima erat Ioniæ in dicam pars.

Quod vecturio ſenex vehar aſinario.
Qui ſim tenetis. ſi tenetis, ſinite,
Ut nomen hujus eloquar ſtataria,
Simul ſciatis ad vos cur venerim.
PHILEMON *Græcam olim dedit fabulam,*
Hanc qui Græciſſant, EVANTIDES *nuncupant,*
Plotus, qui Latiniſſat, vocat BACCHIDES.
Quare non eſt mirum, ſi huc advenerim.
Bacchus bacchanteis Bacchas mittit Bacchides:
Ego ad vos porto. quid? dixi mendacium?
Non decet mentiri deum. at vera fabulor:
Non ego eas porto, verùm ſalſus aſinus
Viâ defeſſus, tres, ſi ritè memorem,

INTERPRETATIO.

qui portor aſino clitellario. Scitis quis ſim? Si ſcitis, patimini jam ut edicam nomen hujus comœdiæ *ſtataria. Uno tempore accipietis quare ad vos acceſſerim. Philemon exhibuit quandam* unam *Comœdiam, quam ii qui Græcè loquuntur appellant* Evantides. *Plautus, qui Latinè loquitur nominat* Bacchides. *Quapropter non eſt mirabile, ſi huc preceſſerim. Bacchus mittit ad vos Bacchides, quæ ſunt Bacchæ bacchantes. Ego ad vos eas affero. Quid? dixi mendacium? Indecorum eſt mentiri deum. Itaque dico vera. Ego non eas affero; ſed aſinus ſalax, itinere defatigatus, portat tres, ſi*

ANNOTATIONES.

32. *Vecturio.*] Id eſt, *vehiterio*, *veho.*

36. *Philemon.*] Syracuſanus Comicus, qui Alexandri magni tempore floruit. Quintilianus, *Philemon pravis ſui temporis judiciis, Menandro ſæpe prælatus eſt, conſenſu tamen omnium meruit ſecundus appellari.*

37. *Græciſſant.*] Vocabulum hoc ad imitationem Græcorum eſt factum. More enim Græcorum agere aut loqui dicebant ἑλληνίζειν. *Patriſſo* dixerunt Plautus & Terentius, pro paternos mores ſequi, in Pſeudolo Plautus, *id ne tu mireris, ſi Patriſſat filius.* Terentius in Adelphis, *laudo, ò Cteſipho, patriſſas, abi te virum judico.* Sequenti verſu *Latiniſſare* eſt Romano more loqui.

37. *Evantides.*] Sic appellatæ ſunt Bacchæ, ab *Evan*: quia inter orgia ſeu ſacra Bacchi erat crebra Baccharum acclematio *Evan, Evan.* Igitur quod Græce Euantides, id Latinè redditur Bacchides.

39. *Quare non eſt mirum.*] Hoc, & ſequenti verſu reddit rationem quare per Silenum Bacchus mittat Bacchides in Scenam; nam cujus eſt curare Bacchas, niſi Bacchi? per quem autem eas mittat, niſi per nutritium ſuum informatorémque Silenum? hoc & amolitur Silenus culpam ab autore Supplementi; neque enim Deus intereſſe debet in Scena, niſi nodus Deo vindice dignus inciderit. Nullus autem nodus eſt qui unius opera Dei ſolvi poſſit. Sed adeſt Silenus ad commendandas Bacchides, quæ & Bacchæ, quia initiatæ erant ſacris Bacchi, & Bacchantes, quia tam ſunt formidoloſæ & Mneſilocho & Piſtoclero illecebris ſuis, quàm eſſe ſolebant Bacchantes Tyrſis ſuis, vociferationibuſque.

42. *Non decet mentiri deum.*] Mendacium ſervile vitium eſt, atque adeò à natura divina alieniſſimum, cujus bonitatis eſt non fallere, ut ſapientiæ non falli. Quò magis homines dignitate eminent, hoc illis eſt mendacium turpius.

43. *Salſus aſinus.*] Id eſt, ſalax: rarò autem Latinè dicitur *ſalſus* pro *ſalace*. Salax a *ſaliendo*, & ſalſus a *ſale*. Salax autem dicitur aſinus præter cætera animalia ab hiſtoriæ naturalis ſcriptoribus.

Fert: unum videtis. ore quid feram, ſpecite,
Duas ſorores debacchanteis Samias,
Meretrices lepidas, uno prognatas tempore,
Iiſdem parentibus, fœtu gemellitico,
Non minus ſimileis, quàm lacti lac, ſi conferas,
Aut aquam aquæ, dimidiatas imputes,
Has ſi videres, ita confundas oculos,
Utra ut ſit, non queas internoſcere.
Quod reſtat expetitis. Jam date ſilentium;
Hujus argumentum eloquar Comœdiæ.
SAMOS *quæ terra ſit, nota eſt omnibus.*
Nam maria, terras, monteis, atque inſulas
Voſtræ legiones reddidêre pervias.
Hac Pyrgoteli SOSTRATA *Pyrocle viro*

INTERPRETATIO.

recordor bene. Cernitis unum. Aſpicite quid feram in ore: nempe *duas ſorores Samias debacchantes, feſtivas puellas, editas uno partu, iiſdem parentibus, fœtu gemino. Quæ ſunt tam ſimiles, quàm ſi compares lac cum lacte; aut aquam cum aquâ: exiſtimes unam ſectam mediam in duas. Si has intuearis, aſpectus tui erunt adeò turbati, ut non poſſis diſcernere utra ſit ambarum. Exoptatis* audire *ea quæ ſuperſunt. Facite nunc ſilentium, dum expono argumentum hujus comœdiæ. Neminem latet quæ regio ſit Samos. Nam veſtri exercitus patefecerunt viam per maria, terras, montes atque inſulas. Soſtrata peperit in hac inſulâ ex Pyrgotele Pyrocle*

ANNOTATIONES.

45. *Ore quid feram.*] Dixit aſinum cui eſt impoſitus Silenus, tres ferre, videlicet Silenum, quem vident ſpectatores, & duas Bacchides, ſed ſe ferre ore duas illas ſorores.

46. *Samias.*] Bacchides erant ex inſulâ Samo.

47. *Uno prognatas tempore.*] Hinc incipit oratio ad exprimendam ſimilitudinem duarum Bacchidum, quæ non abeſt longè à ſtilo Plautino.

55. *Samos quæ terra ſit.*] *Samos*, nunc *Samo*, inſula maris Ionii.

56. *Nam maria*] Adulatur hoc loco Romanis, quorum virtus & fortitudo jam in omnia maria regionéſque penetravit.

58. *Pyrgoteles Pyrocle.*] Raró apud Græcos duo nomina imponebantur uni homini, niſi alterum eſſet aut gentis aut urbis. Quid ſit igitur Pyrgoteles Pyrocles unus Autor Supplementi aperire poſſit. Niſi Pyrocles ſit nomen patris Bacchidum, & Pyrgoteles appelletur à Pyrgotele gemmarum ſculptore nobiliſſimo, à quo tantùm Alexander magnus ſe in gemmis ſculpi paſſus eſt. Plinius lib. 36. c. 1. *Iſmenia ætate multos poſt annos apparet, ſculpi etiam ſmaragdos ſolitos. Confirmat hanc eandem opinionem edictum Alexandri Magni, quo vetuit in gemma ſe ab alio ſculpi, quàm à Pyrgotele, non dubiè clariſſimo artis ejus.* Idem lib. 7. cap. 37. *Idem hic imperator edixit, ne quis ipſum alius, quàm Apelles pingeret: quàm Pyrgoteles ſculperet: quàm Lyſippus ex ære duceret.* Crediderim Autorem Supplementi ludere voluiſſe in nomine Pyrgotelis, quaſi dicat Pyroclem fuiſſe alterum Pyrgotelem, qui tam elegantes forma Bacchides genuerit, & mihi hanc conjecturam adjuvare videtur, quod *bacca*, amotâ aſpiratione, locum præbere potuerit ludo, quaſi dicat in *bacchis*, ſeu gemmis duabus, ſuam induſtriam nobilitaſſe, ut olim Pyrgoteles ille in *baccis*, ſeu gemmis nobilitavit.

Uno edidit gnatas niſu geminas.
Placuitque initiatis Trieteride
Quas ederent, Bacchi vocitare nomine.
Parentes, ut fit crebrò, fata occupant.
Alteram miles ſecum in Cretam vexerat,
Altera geminas adnatat Cecropias
Hanc, ut Nicoboli inſpicit MNESILOCHUS,
Amare occipit, itat ad eam frequentius.
Interea juvenem pater mittit Epheſum,
Ut inde referat aurum, quod poſuerat
Ipſe jampridem apud Archidemidem,
Veterem amicum, ſenem Phœnicarium.
Is quom biennio deſideret Epheſi,

INTERPRETATIO.

ſuo viro duas filias uno partu. Viſum eſt parentibus, qui erant initiati myſteriis Bacchi, appellare Bacchides eas, quas genuerant, à nomine Bacchi. Parentes arripiunt id in aſpicium felix; id quod contingit frequenter. Miles abduxerat ſecum alteram in inſulam Cretam; altera è duabus vela facit Athenas. Statim atque Mneſilochus filius Nicobuli aſpicit hanc, cœpit deperire, inviſit eam crebriùs. Interea Nicobulus mittit Mneſilochum Epheſum, ut huic revehat pecuniam, quam depoſuerat jamdudum apud Archidemidem antiquum amicum, ſenem Phœnicium. Quum Mneſilochus commoraretur duobus annis Epheſi,

ANNOTATIONES.

60. *Initiatis Trietiride.*] *Initia* olim dicebantur propriè Cereris ſacra, quibus neminem intereſſe fas erat, niſi initiatum. Initia autem erant inſtitutiones, quibus explicabantur ſacra & ceremoniæ religionis illius numinis. Bacchi ſacra etiam appellata ſunt initia. *Initiatis Trieteride*, id eſt, ſacris, Bacchi nimirum: celebrabantur quidem quotannis ſacra Bacchi, quæ vocabantur orgia, vel ἀπὸ τῆς ὀργῆς, quia celebrabantur à mulieribus furore percitis, vel ἀπὸ τῶν ὀρέων, à montibus in quibus ſacra hæc celebrabantur; itaque ſacra hæc vocantur à Virgilio *Trieterica*, Georg. 4. ubi audito:

Stimulant Trieterica Baccho,
Orgia.

Sed tertio quoque anno cum majore pompâ. Ratio eſt quia Bacchus triennio commoratus eſt in expeditione Indicâ. Igitur inter celebritatem Trieteridis natæ Bacchides, à parentibus ſacris Bacchi initiatis, nomen habuerunt à Baccho, & *Bacchides* ab eo dictæ.

62. *Fata occupant.*] Quòd natæ eſſent inter ſolennia Trieteridos, Bacchides; quòd à parentibus initiatis ſacris Bacchi, auſpicium ſumunt in imponendo ſuis filiabus nomine pater & mater Bacchidum. Olim enim ſumebant ſic auſpicia è diebus, horis, temporibúſque, quibus naſcerentur infantes. Præterea mathematicos conjectoreſque advocabant conſulebantque, ut ex themate Genethliaco rationem vitæ futuræ prædicerent. Quæ ſi felix videretur, lubentiùs eam accipiebant, & avidius. Hinc *fata occupare*. Porrò dies is quo imponebant ſuis liberis nomina, *nominalia* appellabant.

64. *Geminas Cecropias.*] Quanquam arx ſola Athenienſis dicatur condita à Rege *Cecrope*, tamen, & illa, & urbs appellantur hoc loco *Cecropia* à *Cecrope*: *geminas* enim de urbe & arce intellige.

67. *Mittit Epheſum.*] Urbs Ioniæ Epheſus.

70 *Senem Phœnicarium.*] Videtur hoc loco innuere Autor Supplementi, Archidemidem eſſe Phœnicem, ſed Epheſi manere.

Bacchidem abiiſſe, durum accepit nuncium:
Nam nautæ noti navigaſſe nunciant.
Vt fugitivam curâ & corde quæreret.
Ad Philoxenis PISTOCLERUM *filium*
Sodalem unicum ſulcat epiſtolium.
Dum Piſtoclerus amico impartit operam,
Athenas dudum quæ redierant geminæ,
Conquiſitorem in amorem conciunt.
Altera Piſtoclerum ad ſeſe allicit.
Altera venienti deſidet Mneſilocho.
Geminæ Bacchæ duos Bacchanteis pullulos
Quid mirum ſi ad ſeſe traxerint blandulæ,
Facetæ, pulcræ incurvos libitinarios,
Veterrumos ſenes illorum traherent patres?
Sed eccum Piſtoclerum, qui ad Bacchides
Nuper inventas redit, & ſecum inſolens
Novos amoris diſpuit igniculos.
Nunc prodeo, audite.

INTERPRETATIO.

ei allatus eſt nuncius crudelis, videlicet *Bacchidem, Athenis profectam. Nam nautæ cogniti Mneſilocho nunciant eam vela feciſſe in Cretam. Scribit litteras Piſtoclero filio Philoxeni, ſuo ocio amiciſſimo, ut inveſtiget Bacchidem abſentem diligenter, & amicè. Dum Piſtoclerus impendit operam ſuo amico, Duæ Bacchides, quæ jam pridem reverſæ erant Athenas, concitant amorem in animo quærentis. Altera Bacchidum irretit Piſtoclerum, altera expectat adventum Mneſilochi. Quid mirum ſi duæ Bacchæ ad ſeſe pellexerint duos juvenes Bacchantes, ſuis blanditiis, ſuâ feſtivitate, ſuâ pulchritudine ſi illaqueaverint eorum patres, ſenes devexos, ſilicernios, vetuſtiſſimos. Sed ecce Piſtoclerum, qui revertitur ad Bacchides modo repertas, & diſcutit à ſe ſintillas amoris inſolitas. Nunc repeto poſtſcenium, attendite.*

ANNOTATIONES.

74. *Corde quæreret.*] Corde, id eſt, ſummâ diligentiâ, & non perfunctoriè.

84. *Libitinarios.*] *Libitinarii* propriè erant ii, qui vel locabant, vel vendebant quæ ad pompam funebrem pertinebant. Hoc loco Autor Supplementi eos intelligit, qui ingraveſcente ætate, jam jam ſupremum diem obituri, videntur in capulum includendi. Libitinarii autem dicuntur a Libitinâ deâ, in cujus templo aſſervabantur, quæ ad pompam funerum pertinerent. Libitinam autem deam illam putat Plutarchus eſſe Venerem, ut videlicet admonerentur homines infirmitatis humanæ, quando eandem deam, & naſcentibus præeſſe cernerent, & morientibus.

87 *Inſolens.*] Piſtoclerus, qui non *ſolet* ſentire ignes amoris; nimirum *inſolens* ſumitur duobus modis, & pro *inſueto* & *inſolito*, & pro *ſuperbo*. In priori ſignificatione, id accipe Horatii 3. Carm. Ode 29.

Fortuna ſævo læta negotio, &
Ludum inſolentem ludere pertinax.
Tranſmutat incertos honores,
Nunc mihi nunc alii benigna.

Cæſar: *Inſolens belli multitudo.* Sumitur & pro arrogante & ſuperbo. Cicero: *Victoria quæ ſui natura inſolens & ſuperba eſt.*

88. *Igniculos.*] Appellat igniculos, primos amoris ſenſus, qui niſi citò reſtinguantur, in magnum exardeſcunt incendium.

89. *Nunc prodeo.*] Quid ſibi velit hoc loco Autor Supplementi, non eſt facile conjicere. Silenum enim oportet repetere poſtſcenium, non prodire, niſi aſſumptâ perſonâ, aut Piſtocleri, aut Lydi, maneat in ſcena, non prodeat.

ACTUS PRIMUS.

SCENA PRIMA.

PISTOCLERUS, LYDUS.

PISTOCLERUS.

DI immortales, ut ſentio quod ſentio! quid? neſcio.
Stans fugio. nullus eſt ignis, & totus ardeo.
Quid id, niſi navim? novom perfectò malum
Video & ſentio, potiſne eſt terra ut terat hominem
Atque proſternat? hodie nil præter terram & Baccham tetigi,
Si Baccha eſt hæc. non nutrit Baccha, verùm jugulat.

INTERPRETATIO.

PIST. *Dii immortales! quàm benè experior, id quod experior! Sed quid experior? Ignoro. Sed immotus fugito. Eſt nulla flamma, & totus incendor. Quid eſt hoc, niſi navis? Sine dubio conſpicio & perfero malum inſolitum. Poteſtſne fieri, ut terra terat Piſtoclerum, atque ſupplantet? Nulli rei manum admovi hodie, niſi terræ, & Bacchæ: ſi hæc eſt Bacca, non alit Baccas ſed fauces elidit.*

ANNOTATIONES.

1. *Ut ſentio quod ſentio.*] Sentit nimirum Piſtoclerus primos amoris igniculos, ut appellat ipſe Autor Supplementi in Prologo ſuo: ſed recens adhuc à diſciplina Lydi Præceptoris attenti & diligentis ſentit quidem quod ſentit; ſed quid ſentiat, nondum bene animadvertit.

2. *Stans fugio.*] Stat quidem corpore, ſed fugit animo; luctante videlicet ratione cum primo amoris ſenſu.

3. *Quid id, niſi navim.*] Perturbata oratio ad perturbationem animi exprimendam; *niſi navim* pro, *niſi navis.*

Novum profectò malum.] Ludit, meo quidem judicio, ridiculè in voce *malum*. Nam quia mentionem jam jam fecit navis, dicit novum ſe malum videre, in quo malum non ſignificat infortunium, ſed eſt à *malus*, quæ pars navis, quo vela expanduntur.

4. *Potiſne eſt terra ut terat hominem.*] Ludit & in hoc vocabulo terra. Videlicet Samiæ erant Bacchides, & ex terra Samia fictilia fiebant laudata: igitur nomine terræ intellige Bacchidem, quaſi dicat, fierine poteſt, ut terra Samia tantum afferat mali.

Terat hominem.] Pergit ludere & in hoc vocabulo; *terat*, neque enim eſt terræ terere, ſed teri. tamen Bacchis, terra Samia me peſſumdat, ſeu conterit.

5. *Proſternat.*] Suſpicio eſt ne ludus ſubſit & huic verbo: lubricæ enim terræ eſt fallere incedentium veſtigia, & proſternere, niſi continuata allegoria ſignificet naufragium.

Hodie nihil præter terram.] Quaſi dicat; naufragium feci, & non rupem, ſed terram tantum tetigi, non ſcopulum, ſed Baccham, in quo Bacca ſine aſpiratione poni oportet, ut detur locus ludo verborum.

6. *Si Bacca eſt hæc.*] Baccarum eſt, ſeu minorum fructuum, alere mortales, non perimere.

E terra quoque obrepere olim dixerunt homines,
Qui dum norant, quom eſſe cuperent, erant nihil.
Quid mali hoc? an terra, an Baccha, fecimus naufragium?
LY. *Amat hic quem video, nimirum ſi id eſt, quod emiſſicius*
Fora, templa, theatra, porticus omneis fornices,
Luſtra, & luſtraleis cellulas quæſierit ſedulò.
PI. *Naufragus ſum, fateor. Bacchus, haud Neptunus celocem*
Hanc impellit, agit, quaſſat, immo frangit, diſtrahit.
LY. *Bacchis hinc procellam concitat. actu'ſt. perdidimus remigium.*
PI. *Referam me ad ſcopulum, ut iſtic cum ætate rem perduam.*
Inſtabilis eſt ſors rerum. pro lubidine fata agunt homines.
Ego dum amico Mneſilocho operam impertio,
Illi amicam repperi, ubi pereat cum re aſſiduò.
Et mihi, meæque ætati, reique meæ peperi infortunium.
Si volt Cupido, adoleſcens ſum. ætati licet pluſculum
Jacturæ facere: meliùs, ut id nunc fiat, quàm ſenio.
Sapientum profectò'ſt illud di. um, quod Lydus increpat:
Si Aſtartan on Bromium, deóſque voluptarios

INTERPRETATIO.

Narrant etiam mortales quondam ſermatos eſſe è terra. qui dum cognoſcerent ſe non eſſe; dum vellent exiſtere, nondum exiſtebant. Quodnam eſt illud malum? Fecimúsne naufragium alliſi terra vel Bacca? LY. Is tenetur magno amore, ut intelligo, videlicet ideircò tam diligenter luſtravit, ut explorator, fora, templa, theatra, porticus, omnes fornices, luſtra & luſtrales cellulas. PI. Sum naufragus fateor; Bacchus hanc navim jactat, non Neptunus, agitat concutit, imò comminuit, in fruſta rapit. LY. Bacchis conflat hanc tempeſtatem; actum eſt. Amiſimus remigium. PI. Revertar ad ſcopulum, ut faciam jacturam fortunarum & ætatis. Status rerum eſt inconſtans, fortuna regit homines ad arbitrium. Quando ego impendo operam meo amico Mneſilocho, ei invenı amicam, apud quam ſe perdat continuò & ſuas fortunas. Ego ſimul mihi accerſivi malum. & meæ ætati, & meis fortunis. Amor ſic ſtatuit. Sum juvenis. Conceſſum eſt perdere nonnihil ætatis. Quia id fiet nunc convenientius, quàm in ætate devexa. Sanè id dictum, quod Lydus improbat, eſt ſapientibus dignum. Si juvenis aſpernatus eſt Venerem, aut Baccham, aut deos voluptatis.

ANNOTATIONES.

7. *E terra.*] Dicunt homines, quum antea non eſſent, e terra prodiiſſe, qui dum cognoſcerent aliquid, nempe ſe non exiſtere, & vellent exiſtere, non erant.

10. *Amat hic quem video.*] Id eſt, amat is, ut video. Tunc Lydus incipit conjicere, quid quæreret tam diligenter per fora, templa, cæteraſque urbis partes ſuus alumnus Piſtoclerus, nempe amicam; ſed fallitur Lydus, neque enim quærebat ſibi amicam, ſed amici ſui Mneſilochi amicam Bacchidem.

13. *Bacchus haud Neptunus.*] Neptunus eſt formidoloſus nautis non Bacchus, ſed hic Bacchus eſt formidoloſus Piſtoclero, propter Bacchides Bacchi ſacris initiatas.

24. *Si Aſtartan.*] *Aſtarte* Syrorum dea erat, quam alio nomine Atergatim, aut Derceto nominarunt. Cicero exiſtimat fuiſſe Venerem, quæ Adonidi nupſit. Sacræ litteræ appellant eo nomine Sidoniorum deam, cui Salomon ſacellum conſecrari paſſus eſt, rogatu unius è concubinis ſuis. Superiori parte erat fœmina, inferiori piſcis.

24. *Deóſque voluptarios.*] Venerem & Cupidinem, ſeu Amorem intelligere planum eſt.

On] Quid *on* ſignificet hoc loco, nemo hactenus divinare potuit, niſi conjun-

Contempſit

Contempſit juvenis, is aut inſanibit, aut amabit ſenex.
Referam me ad ſcopulum ex naufragio. pater leget fragmina.
Sequere me, Lyde. video ſorores geminas. Bacchanal meum.

INTERPRETATIO.

ille aut evadet ſtultus, aut amabit in ſenectute. Repetam ſcopulum ex naufragio: pater colliget tabulas. Sequere me, Lyde. Cerno geminas ſorores. Meum Bacchanal.

ANNOTATIO.

gendum ſit cum Aſtartan, ut ſit *Aſtartanon Bromium*, id eſt, *Voluptarium Bacchum*, aut *Aſtertanon*, pro *Aſtartam Venerem*.

27. *Bacchanal meum.*] *Bacchanal* locus erat in quem conveniebant Bacchæ ad orgia inchoanda. Hic tamen non pro ædibus Bacchidum, ſed pro ipſis Bacchidibus.

ACTUS PRIMUS. SCENA SECUNDA.

ARGUMENTUM.

AUxilium rogat à Piſtoclero Bacchis altera adverſus Cleomachum militem, qui Bacchidem alteram ſecum in Elatiam abducere parabat. Quod quidem ſubdolè facit meretrix, ut incautum adoleſcentem in ædes ſuas pelliciat, corrumpatque certius. Animadvertit fraudem Piſtoclerus; ſed tandem meretriciis blanditiis vincitur ac vincitur. Hæc ſcena incipit ab abrupto. Nimirum in poſtſcenio Bacchides duæ multa dixerunt de ratione pelliciendi ad ſeſe omni genere lenociniorum Piſtocleri. Mox in ſcenam veniunt, & quaſi concluſionis loco ſtatuunt, ut altera verbis adoriatur adoleſcentem, altera ſileat, vel certè monitricis partibus contenta ſit.

PISTOCLERUS, BACCHIDES.

PISTOCLERUS.

QUID ſi hoc potis eſt, ut taceas, ego loquar? *BA.* lepidè: licet.

INTERPRETATIO.

PIST. *NOnne præſtaret te ſilere, & me* unam *verba* facere? BAC. MN. *Feſtivè* mones: per me *licet.*

ANNOTATIONES.

1. *Quid ſi hoc potis eſt.*] Fingit poëta Bacchides duas in Poſtſcenio dixiſſe alia multa, & conſilium cepiſſe de Piſtoclero in ſuos caſſes vocando, hic quaſi concluſionis loco ſtatuunt utra cum illo ſermonem inſtituat. Amica Mneſilochi eam defert ſorori provinciam, retinétque munus monitricis, ſicubi titubet memoria.

BA. Hæc ita me orat, ſibi qui caveat, aliquem ut hominem reperiam,
Ab iſtoc milite: ut,ubi emeritum ſibi ſit, ſe ut revehat domum.
Id, amabo te, huic caveas. *PI.*quid iſtic caveam? *BA.* ut revehatur domum,
Ubi ei dediderit operas: ne hanc ille habeat pro ancillâ ſibi.
Nam hæc ſi habeat aurum, quod illi renumeret, faciat lubens.

INTERPRETATIO.

BAC.PIST. *Hæc me rogat, ut inveniam quempiam patronum adverſus illum militem: ut eam reducat in ſuas ædes, quando emerita ſit. Quæſo ut præſtes illi hoc patrocinium.* PIST *Quod patrocinium illi præſtabo?* BACH.PIST *Ut reducatur in ſuas ædes, quando ei miniſtraverit. Ne hanc retineat poſtea tanquam ſervam. Etenim ſi illi eſſet pecunia, quam illi reſtitueret, reſtitueret libenter.*

ANNOTATIONES.

ſum convicium, quo juvenis negat meretrices ullas quidquam boni conſilii capere poſſe; & inſtituit orationem cum eo, à calamitate ſororis ſuæ Bacchidis, quam amabat Mneſilochus.

Quid eſſe dicis dignius.] Quod dixit Bacchis de una ſorore Bacchide, id de omnibus, quotquot ſunt, mulieribus intelligit Piſtoclerus: & quemadmodum ſuperiore verſu in meretrices,hic in univerſum earum ſexum iniquus videri vult, dicitque miſeras quidem eſſe mulieres, ſed illas eſſe miſeriâ digniſſimas: in quo, *dicis,* vim quandam habet, quaſi dicat, *dicis miſerius eſſe nihil muliere, ſed non dicis eam eſſe miſeriâ digniſſimam.* Hoc in vernaculam noſtram tranſtulimus, *Vous ne dites pas que, &c.*

8. *Hæc ita me orat.*] Diſſimulat & hoc loco injuriam ſexui ſuo illatam callida Bacchis.

Sibi qui caveat.] *Cavere* hoc loco eſt ſecurum reddere. Is autem ſecurus eſt, cui vel pignore, vel fidei-juſſione conſultum eſt, *En donnant ou gages, ou cautien.* Cautor eſt Juriſconſultus vel Patronus, qui clientibus ſuis adeſt, ne quid eorum cauſa detrimenti capiat: *Cautio, caution; Satisdatio, aſſúrance.* Itaque ſibi qui caveat ab iſto milite, nihil aliud eſt, quàm patroni munere fungatur pro Bacchide Mneſilochi amicâ,adverſùs militem Cleomachum, ut videlicet ſatiſdet miles ſe dimiſſurum Bacchidem Mneſilochi, quando tempus abſolutum fuerit, quo eſſe debebat cum illo milite.

9. *Ubi emeritum ſibi ſit.*] Caſtrenſis vox: *emeritus* miles, qui militiâ perfunctus, ab eáque liberatus, vacationem habet. Igitur *ubi emeritum ſibi ſit*, idem eſt ac ubi emeritum ſit à Bacchide, ſeu ubi Bacchis emerita ſit abſoluto tempore, quo eſſe debebat cum milite. Obliquè autem hoc loco ſugillat militem Plautus, uſus caſtrenſi voce ad exprimendam militis libidinem, quæ ipſa per ſeſe eſt inſigne argumentum ignaviæ.' In quo & id obſervandum; olim meretrices, ut plurimum fuiſſe libertinas, eaſque ductas fuiſſe in certum tempus,pactâ mercede certâ, & vocatas ab autoribus uxores *uſurarias.* Virgilius per tranſlationem boves vocat *emeritos*, pro feſſis, & opere ſolutis.

11. *Ubi ei dediderit operas.*] Id eſt, quando ejus libidini ſervierit pacto tempore.

Ne habeat pro ancillâ.] Poſtquam conſtituto tempore fuerant cum aliquo meretrices, licebat ad jus ſuum redire, ut nunc temporis ſervos videmus. Itaque hoc loco Bacchis Piſtocleri vereri ſe ſimulat, ne miles,poſtquam tempus abſolutum fuerit, quo eſſe eum eo oportebat Bacchidem Mneſilochi, eam contra jus & fas retineat, ut ancillam,ſicut genus illud hominum injuſtum eſſe ſolet & ferox, præſertim quando res eſt cum infirmioribus: id vero eſt in quo cavere, vult Piſtoclerum meretrici meretrix.

12. *Aurum quod illi renumeret.*] Licebat videlicet meretrici in certum tempus locatæ, antequam conſtitutum tempus eſſet abſolutum, renumeratâ pecuniâ, quam accepiſſet, ſui fieri juris.

PI. Ubi nunc is homo eſt ? *BA.* jam hîc credo aderit. ſed hoc idem apud nos rectius
Poteris agere : atque is dum veniat, ſedens ibi opperibere.
Eâdem biberis : eâdem dedero tibi, ubi biberis, ſavium.
PI. *Viſcus* merus veſtra eſt blanditia. *BA.* quid jam ? *PI.* quia enim intellego,
Duæ unum expetitis palumbem. perii, arundo alas verberat.
Non ego iſtuc facinus mihi, mulier, conducibile eſſe arbitror.
BA. Quî amabo ? *PI.* quia, Bacchis, Baccas metuo & Bacchanal tuum.
BA. Quid eſt, quod metuis ? ne tibi lectus malitiam apud me ſuadeat ?

INTERPRETATIO.

PIST. *Ubi eſt nunc iſte miles ?* BAC. *Arbitror jam jam hic affuturum. Verum poteris praſtare omnia commodius in noſtris adibus. Sedebis illic & expectabis uſque eo dum ille adveniat ; interea potabiss interea, quando potaveris, oſculabor.* PIST. *Veſtra illecebra ſunt viſcum purum putumque.* B A C. *Quare ?* P I. *Quia animadverto vos ambas aucupari unum palumbum. Occidi, telum ferit alas ; mulier, ego non exiſtimo decorum eſſe, id à me fieri.* BAC. *Quare quaſo !* PIST. *Quoniam timeo, ò Bacchis, Bacchas, & tuum Bacchanal.* BAC. *Quare times ?* Metuísne *ne meus lectus te hortetur ad nequitiam ?*

ANNOTATIONES.

13. *Apud nos.*] Id erat de quo conſultaverant Bacchides duæ, nimirum vocandum eſſe in fraudem Piſtoclerum, ſpecie defendendæ Bacchidis Mneſilochi. Idcirco inducendum in ædes, ibique omni lenociniorũ genere oppugnandum.

15. *Eâdem biberis.*] Id eſt, eâdem operâ, uno tempore, *tout d'un temps.*

17. *Palumbem.*] Dicitur, *palumbus, palumbes*, & *palumba*, *un pigeon ramier.* Nos verò ſic vernaculo patrio appellamus, quia præter naturam columbarum, quarum eſt ſpecies una, *in ramis conſidet* arborum, nidificátque. Porro ſunt palumborum genera duo, unum *torquatum*, quia quaſi *torque*, diverſi à cætero corpore coloris, inſignitur; alterum *vinaginem* appellant, quòd Bacchis arborum, ac præſertim vinearum imprimis delectetur. Eleganter hic ſeipſe vocat palumbem Piſtoclerus, continuatâ metaphorâ, quia de viſco ſuprà mentio. *Dua* & *unum*, acuta oppoſitio. Id eſt, ad capiendum palumbem unus ſufficit auceps. ſunt aucupes duæ Piſtocleri Bacchides.

Perii, arundo alas verberat.] Sic ſecum Piſtoclerus, cujus jam conſtantia in reſiſtendo blanditiis meretricis ſatiſcit. Hic ſeſe tantùm non victum confitetur. Continuatur metaphora. Arundo virgula eſt, quæ viſco illita, ubi plumas avis attigit, pertinaciſſimè retinet, & quò magis explicare ſeſe decertat avis, eò magis implicatur. Alii explicant arundinem de telo.

19. *Bacchis.*] Hic rationem nominis totius fabulæ notat Poëta. *Bacchides* dictæ fuerant, quòd parentibus, qui initiati erant ſacris Bacchi, & ipſæ incunte Trieteride eſſent natæ. Differt autem Bacchis à Baccha : Bacchis enim eſt patronymicum, Baccha vero eſt mulier œſtro percita Bacchico, & furioſa. Nimirum Bacchæ erant mulieres, quæ incunte Trieteride ad Citeronem Bœotiæ montem catervatim cum Thyrſis conveniebant, ut ibi Bacchi orgia celebrarent. Ovid. 9. Metam.

Utque tuo mota proles Semeleïa Tyrſo,
Iſmaria celebrant repetita triennia,
Baccha.

Bacchanal.] Bacchanal, & Bacchanale, locus in quo Dionyſia, ſeu Bacchanalia celebrabantur.

PI. Magis illectum tuum quàm lectum metuo. mala tu es beſtia.
Nam Huic ÆTATI NON conducit, mulier, latebroſus locus.
BA. Egomet, apud me ſi quid ſtultè facere cupias, prohibeam.
Sed ego apud me te eſſe ob eam rem, Miles cùm veniat, volo:
Quia, cùm tu aderis, huic mihíque aut faciet quiſquam injuriam.
Tu prohibebis, & eâdem operâ tuo ſodali operam dabis.
Et ille adveniens tuam med eſſe amicam ſuſpicabitur.
Quid amabo obticuiſti? *PI.* quia iſtæc lepida ſunt memoratui:
Eadem in uſu, atque ubi periculum facias, aculeata ſunt,
Animum fodicant, bona deſtimulant, facta & famam ſauciant.
Apage à me, apage. *BA.* ah, nimium ferus es. *PI.* mihi ſum *BA.* malaciſſandus es.
Et quid ab hâc metuis? *PI.* Quid ego metuam rogitas? homo adoleſcentulus
Penetrare hujuſmodi in palæſtram, ubi damnis deſudaſcitur,
Ubi pro diſco damnum capiam, pro curſurâ dedecus?

INTERPRETATIO.

PIST. *Timeo magis tuum illectum quàm lectum. Tu es nequam beſtia. Profectò latebra, ô Bacchis, dedecent meam ætatem.* BACC. *Si quid volueris committere petulanter apud me, ego obſiſtam ipſa: ſed ego optarem te eſſe apud me, ut quando miles redibit, nullus afficiat contumeliâ hanc aut me, te præſente. Tu defendes, & uno tempore opitulabere tuo ſodali* Mneſilocho: *& quando miles revertetur, arbitrabitur me eſſe tuam amicam. Quare quæſo obmutuiſti?* PIS. *Quoniam hæc ſunt feſtiva dictu, eadem factu. & quando ſentias, ſunt plena aculeis, confodiunt animum, labefactant fortunas, obſcurant præclarè geſta & honorem. Id abſit à me, abſit.* BAC. *Es nimis inhumanus.* PIST. *Eſt è re mea ut ſim.* BAC. MN. *Es leniendus: & quid times ab hac?* PIST. *Potis quid ego pertimeſcam? Adoleſcens rudis, deſcendero in hujuſmodi arenam, in quâ deſudant in accipiendis jacturis, in quâ pro diſco ſumam detrimentum?*

ANNOTATIONES.

21. *Magis illectum.*] Eſt ludus in voce *lectus*, & *illectus. Illectus, illectus* quartæ.

22. *Latebroſus locus.*] Id eſt latebræ, luſtrum, ganeum, ſeceſſum videlicet & latebras quærit. Libido etiam effrons, & meretricia. Unde illud Evangelii, *qui malè agit, odit lucem.*

27. *Med.*] *Med.* pro *me.*

28. *Obticuiſti.*] Alii obſtipuiſti pro obſtupuiſti.

Lepida ſunt memoratui.] Lepidus interdum ſignificat politum. Donatus: *lepidus, politus ἀπὸ τῆς λεπίδος. Id eſt, à lamina, & ſquamâ*, hoc loco, pro polito accipi, vel ſic animadvertes, quod oppoſita ſunt vocabula, *aculeata, fodicant, ſauciant*, quaſi dicat, mollia hæc & jucunda tractatu videntur, ſed ubi periculum facis, & manum adhibes, aculeata ſunt: ut roſas videmus, quibus ſubſunt aculei, ad arcendas colligentium alioquin cupidiùs manus.

31. *Malaciſſandus eſt.*] Malaciſſandus eſt à μαλακίζειν, μαλάσσειν mollire.

33. *Deſudaſcitur.*] *Deſudo, deſudaſco.* Id eſt, certatur ad ſudorem: damnis deſudaſcere, id eſt, non ad præmia reportanda, quod fieri ſolet in certaminibus, ſed ad damna arceſſenda allaborare.

34. *Curſura.*] *Curſura à Curro, Cutatura à cuto, vectura à veho.*

BA. Lepidè memoras. *PI.* ubi ego capiam pro machærâ turturem,
Ubique imponat in manum alius mihi pro ceſtu cantharum:
Pro galeâ ſcaphium, pro inſigni ſit corolla plectilis,
Pro haſtâ talus: pro lorica malacum capiam pallium:
Ubi mihi pro equo lectus detur, ſcortum pro ſcuto accubet.
Apage à me, apage. *BA.* ah, nimium ferus es. *PI.* mihi ſum. *BA.* malaciſſandus es.
Equidem tibi do hanc operam. *PI.* at nimium pretioſa es operaria.
BA. Simulato me amare. *PI.* utrum ego iſtuc jocon' aſſimulem, an ſeriò?
BA. Hejah hoc agere meliu'ſt: Miles quum huc adveniat, te volo
Me amplexari. *PI.* quid eo mihi opus eſt? *BA.* ut ille te videat, volo.
Scio, quid ago. *PI.* & pol ego ſcio, quid metuo. ſed quid ais? *BA.* quid eſt?
PI. Quid? ſi apud te veniat deſubitò prandium, aut potatio
Fortè, aut cœna, ut ſolet in iſtis fieri conciliabulis,
Ubi ego tum accubem? *BA.* apud me, mi anime: ut lepidus cum lepidâ accubet.

INTERPRETATIO.

BAC. *Narras feſtivè,* PIST. *In quâ ego habebo turturem pro gladio. in quâ mihi tradatur amphora pro ceſtu: In quâ ſit cymbium pro caſſide, corona florea pro ornamento caſſidis, talus pro haſtâ, accipiam pro thorace indumentum molle: in quâ mihi ſternatur cubile pro equo, meretrix addatur pro clypeo: abſit à me, abſit,* BAC. *Profectò es plus æquo auſterus!* PIS. *Eſt è mea re ut ſim.* BAC. *Es cicurandus: equidem tibi præſtabo hanc operam,* PIST. *At es operaria carior.* BAC. *Finge me à te deperiri.* PIST. *Utro modo fingam ego iſtud, ſpecie an reverà?* BAC. *Profectò præſtat facere ſerio; cupio à te mihi amplexum dari. quando Cleomachus huc adventabit,* PIST. *Quid utilitatis capiam ex eâ re?* BAC. *Cupio ut ille te cernat, ego novi quid faciam,* PIST. *Et ego per Pollucem intelligo quid timeo. Sed quid dicis?* BAC. *Quid eſt?* PIST. *Quid? ſi afferantur apud te epulæ derepentè, aut fortaſſe pocula, aut convivium, ut moris eſt in iſtis cœtibus, ubi decumbam ego tum?* BAC. *In meis ædibus, mi amice, ut ſcitus cœnet cum ſcitâ.*

ANNOTATIONES.

35. *Turturem.*] Moris ſemper fuit, ut pueri & puellæ nutriverint aviculas varias. Turturibus delectabantur Bacchides.

37. *Scaphium.*] Hic poculum eſt ventrioſius, figuræ longioris lateriſimque in ſcaphæ ſimilitudinem reflexorum. Vel vas ad exonerandam alvum, quale ſubjicitur ægrotis, aliter *laxanum* vocat Varro: *ſellam* honeſtè, id à ſedendo, nos patrio ſermone, *aller à la ſelle,*

Pro inſigni.] Id eſt, pro inſigni *capitis.* Inſigne autem capitis eſt criſta, galeæ imponi ſolita, & defigi, quales plumæ apud nos. Inſignia autem illa varia à variis olim accipiebantur. Corona plectilis, eſt florum mollium, & reflexorum corona.

38. *Pallium malacum.*] Mutabant pallium convivæ, quando menſæ accumbebant. Sumebantque ſplendidius molliúſque.

Locus hîc apud nos, quamvis ſubitò venias, ſemper liber eſt.
Ubi tu lepidè voles eſſe tibi, mea roſa, mihi dicito:
Dato, quì bene ſit: ego, ubi bene ſit tibi locum lepidum dabo.
PI. Rapidus fluvius eſt hîc, non hàc temerè tranſiri poteſt.
BA. Atque ecaſtor apud hunc fluvium aliquid perdundum eſt tibi.
Manum da, & ſequere. *PI.* aha, minimè. *BA.* quid ita? *PI.* Quia ISTOC ILLECEBROSIUS.
Fieri nihil poteſt, Nox, Mulier, Vinum, homini adoleſcentulo.
BA. Age igitur. equidem pol nihili facio niſi cauſsâ tuâ.
Ille quidem hanc abducet. tu nullus affueris, ſi non lubet.
PI. Súmne autem nihili, qui nequeam ingenio moderari meo!
BA. Quid eſt quod metuas? *PI.* nihil eſt. nunc ego, mulier, tibi me emancupo.
Tuus ſum, tibi dedo operam. *BA.* lepidus. nunc ego te facere hoc volo.
Ego ſorori meæ cœnam hodie dare volo viaticam:
Ego tibi argentum jubeo jam intùs efferri foras:
Tu facito obſonatum nobis ſit opulentum obſonium.
PI. Ego obſonabo. nam id flagitium ſit meum, meâ te gratiâ,
Et operam dare mihi, & ad eam operam facere ſumtum de tuo

INTERPRETATIO.

Locus erit ſemper vacuus apud nos, tametſi venias inexpectatus. Quando volueris indulgere genio, mea roſa, dic mihi. præbe locum in quo genio indulgere poſſimus. Ego tibi præbebo locum feſtivum, in quo indulgeamus genio. PIST. *Eſt hic flumen rapidum, non poteſt iter haberi hàc temerè.* BAC. *Et ſanè tibi facienda eſt aliqua jactura in hoc flumine. Cede manum, & ſequere.* PI. *Aha! nequaquam!* BA. *Quid ni?* PI. *Quoniam ſunt nulla illecebra funeſtiores adoleſcenti, quàm tenebræ, fœmina, vinum.* BA. *Age ergo. Per polluctum flocci facio hæc, niſi tui gratiâ. Miles abducet* ſororem, *tu non auxiliaberis, ſi non places.* PI. *Nonne ſum nullius pretii, qui non poſſim regere meam cupiditatem!* BA. *Quid pertimeſcis?* PI. *Nihil eſt. Ego, mulier, me dedo tibi. Sum tui juris: tibi devoveo operam.* BA. *Es feſtivus! Ego expeto te agere id: ego cupio præbere meæ ſorori hodiernâ die convivium viaticum: ego imperabo jam tibi afferri domo pecuniam. Tu cura ut nobis inſtruatur convivium ſumptuoſum.* PI. *Ego ſolvam pro convivio. Nam fuerit piaculum, & te mihi opitulari mei cauſâ, & impendere ad id de tuâ re.*

ANNOTATIONES.

56. *Age igitur.*] Ubi videt Bacchis Piſtocleri, Piſtoclerum pertinaciùs recuſantem in ædes ſuas concedere, ad ejus conſtantiam labefactandam aliâ machinâ utitur; ſimulat videlicet nihil eſſe ſibi antiquius, quàm quod illi placet.

58. *Súmne autem nihili.*] Verba ſunt Piſtocleri victi illecebris meretriciis; quaſi dicat, nonne fatendum eſt me eſſe contemnendum.

59. *Tibi me emancipo.*] qui emancipat filium, quaſi manumittit, ut ſuo arbitrio vivat. Itaque Piſtoclerus ſe arbitrio unius è Bacchidibus permittit, ejus captus illecebris: miles emancipatus fœminæ, Horatio, eſt qui ſuâ ſponte ſemet tradit in ſervitutem fœminæ. In hanc quoque ſenſum Cicero. *Ita ſenectus honeſta eſt, ſi ſeipſa defendit, ſi jus ſuum retinet, ſi nemini emancipata eſt.*

BA. At ego nolo dare te quicquam. *PI.* ſine. *BA. PI.* ſino equidem, ſi lubet.
Propera amabo. *PI.* priùs hîc adero, quàm te amare deſinam.
BA. MN. Bene me accipis advenientem, mea ſoror. *BA. PI.* quid ita, obſecro?
BA. MN. Quia piſcatus, meo quidem animo, hic tibi hodie evenit bonus.
BA. PI. Meus ille quidem eſt. tibi nunc operam dabo de Mneſilocho, ſoror,
Ut hîc accipias potiùs aurum, quàm hinc eas cum Milite.
BA. MN. Cupio. *BA. PI.* dabitur opera. aqua calet. eamus hinc intrò, ut laves.
Nam ut in navi vecta es, credo, timida es. *BA. MN.* aliquantum, ſoror.
Simul hinc neſcio qui turbat, qui huc it. decedamus.
BA. PI. Sequere hàc igitur me intrò in lectum, ut ſedes laſſitudinẽ.

INTERPRETATIO.

BA. *Sed ego nolo te quidquam impendere.* PI. *Patere* me impendere. BA. PI. *Ego patiar, ſi ſic juvat. Accelera, quaſo.* PI. *Ero hic antequam ceſſem teneri tui amore.* BA. MN. *Me invitas ſplendidè adventantem, ò mea ſoror!* BA. PI. *Quare amabo?* BA. MN. *Quoniam bona piſcatio tibi contigit hodie, meo quidem judicio.* BA. PI. *Profectò ille eſt meus. Nunc quod ad Mneſilochum pertinet, ò ſoror, curabo ut accipias potiùs pecuniam* a Piſtoclero, *quàm hinc proficiſcaris cum Cleomacho.* BA. MN. *Opto.* BA. PI. *Incumbemus huic rei. Aqua eſt calida; ingrediamur ades, ut capias balneum, nam trepidas, ut arbi... , ut potè qua navigaſti.* BA. MN. *Aliquantùm, ò ſoror. Præterea neſcio quis qui huc accedit, tumultuatur ex illâ parte.* Itaque *abeamus.* BA. PI. *Sequere me hàc domum in cubile, ut leves defatigationem.*

ANNOTATIONES.

67. *Priùs hic adero.*] Quaſi dicat me ſatis admonet meus amor, & ſtimulat, ut quamprimùm revertar: itaque me mones incaſſum, niſi fortè metuis, ne ceſſet meus amor antequàm reverſus fuero.

73. *Timida &c.*] *Timida*, id eſt, *trepida*, metonymia cauſæ pro effectu, trepidatio enim eſt à timore, timor autem & trepidatio ægritudines, quædam animi ſunt, quibus levandis balneum utile eſt. Unde dictum voluit, ἀπὸ τῦ βάλλειν τὰς ἀνίας, ab abſtergendis ægritudinibus.

74. *Neſcio qui turbat.*] Loquitur de Lydo, quem audiebat, & cum Piſtoclero diſcipulo venientem, & de ejus corruptelis expoſtulantem.

ACTUS PRIMUS. SCENA TERTIA.

ARGUMENTUM.

EST imago egregia boni ac diligentis pædagogi, & immorigeri diſcipuli. Lydus reprehendit Piſtoclerum, quòd tam perdite amet Bacchides: contumax juvenis irridet monita ſeduli magiſtri.

PISTOCLERUS,

PISTOCLERUS, LYDUS.

LYDUS.

JAM DUDUM, Piſtoclere, tacitus te ſequor,
Spectans, quas tute res hoc ornatu geras.
Nam, ita me dii ament, ut Lycurgus mihi quidem
Videtur poſſe hîc ad nequitiam adducier.
Quò nunc capeſſis te, hinc advorsâ viâ,
Cum tantâ pompâ? *PI.* huc. *LY.* quid huc? quis iſtîc habet?
PI. Amor, Voluptas, Venus, Venuſtas, Gaudium,
Jocus, Ludus, Sermo, Suavis-ſuaviatio.
LY. Quid tibi commercii eſt cum diis damnoſiſſimis?
PI. MALI SUNT homines, qui bonis dicunt male.
Tu dis nec rectè dicis: non æquum facis.
LY. An deus eſt ullus Suavis-ſuaviatio?
PI. An non putaſti eſſe? nimiumquàm, ô Lyde, es barbarus!
Quem ego ſapere nimio cenſui plus quàm Thalem,
I, ſtultior es barbaro Potitio.

INTERPRETATIO.

LYD. J*Ampridem, Piſtoclere, te ſequor ſilens, & obſervo quid tu agas indutus hac veſte. Etenim, Dii non me ament, ſi Lycurgus non videatur poſſe in his locis provocari ad libidinem. Quò te confers nunc hâc viá cum tanto apparatu?* PI. *Me confero huc.* LY. *Quid te confers huc? Quis habitat iſtic?* PI. *Amor, delecta, lepor, pulchritudo, jucunditas, riſus, oblectamenta, confabulatio, jucunda oſculatio.* LY. *Quam conſuetudinem inviſiſti cum diis perniciosiſſimis?* PI. *Sunt improbi homines, qui vituperant probos. Tu maledicis Diis, iniquè agis.* LY. *Eſt-ne aliquis Deus* nomine *Suavis-ſuaviatio?* PI. *An exiſtimaſti non eſſe? Es nimis peregrinus, ô Lyde! ego putavi te ſapere pluſquam Taletem: i, es ſtolidior Potitio peregrino.*

ANNOTATIONES.

3. *Lycurgus.*] Legiſlator apud Lacedæmonios, ſereniſſimis homo moribus & continentiſſimis. Ovidius idem dicit quod Plautus:

Illic Hyppolytum pone, Priapus erit.

Id eſt, de caſtiſſimo impuriſſimus.

5. *Adversâ viâ.*] Alii, adversâ avi, id eſt, malo omine. Sed putavero retinendum eſſe adversâ viâ, id eſt, adversâ Lycurgo viâ: vel ſimplicius, hâc viâ in quâ pergis, quàm ſequeris.

14. *Thalem.*] Unus è ſeptem Græciæ ſapientibus. Thales Thaletis, & Thalis; Thalem, & Thaletem. Floruit 35. Olymp.

15. *Stultior es Potitio.*] Proverbialis apud veteres formula, ad notandam amentiam & infantiam, in quam relabuntur ſenes ultra metas ætatis à naturâ conſtitutas provecti. *Barbarus* dicitur *Potitius*, id eſt, *Romanus*. Fingitur enim hujus eſſe Fabulæ ſcena apud Græcos. *Potitii & Pinarii*, erant Sacerdotes Herculis. Quemadmodum enim etiamnum eriguntur ſacerdotia, quæ vulgò *beneficia* nunc appellamus, olim *gentilitia ſacerdotia*, eâ lege, ut ſacrorum cura, & fructus perveniat ad unam quandam, ſeu gentem, ſeu perſonam, jure, quod aiunt, patronatus. Sic Hercules ſtatuit, ut ſola Pinariorum familia miniſtra eſſet Potitiis ſacrificantibus. S. Aug. notat, *Stultos Potitios*: quòd cum ab Hercule ritum ſacrificandi accepiſſent,

Qui tantus natu, deorum neſcis nomina.
LY. Non hic placet mihi ornatus. *PI.* nemo ergo tibi
Hoc apparavit: mihi paratum eſt, cui placet.
LY. Etiam me adversùs, exordire argutias?
Qui ſi decem habeas linguas, mutum eſſe addecet.
PI. NON OMNIS ætas, Lyde, ludo convenit.
Magis unum in mente eſt mihi nunc, ſatis ut commodê
Pro dignitate obſonii hæc concuret cocus.
LY. Jam perdidiſti te, atque me, atque operam meam,
Qui tibi nequicquam ſæpe monſtravi bene.
PI. Ibidem ego meam operam perdidi, ubi tu tuam.
Tua diſciplina nec mihi prodeſt, nec tibi.
LY. O præligatum pectus! *PI.* odioſus mihi es.
Tace, atque ſequere, Lyde, me. *LY.* illuc ſis vide,
Non pædagogum jam me, ſed Lydum vocat.
PI. Non par videtur, neque ſit conſentaneum,
Cùm *herus* hîc intus ſit, & cum amicâ *ſuâ* accubet,

INTERPRETATIO.

qui tam provectâ ætate ignoras, quomodo Dii vocentur. LY. *Hic apparatus non mihi probatur.* PI. *Ergo is non tibi inſtructus eſt: Eſt mihi inſtructus, mihi placet.* LY. *Adhibes etiam cavillationes in me? Si præditus ſis decem linguis, expedit te ſilere.* PI. *Lyde, ludus* litterarius *non decet quamvis ætatem. Habeo nunc unum præcipuè in animo, ut coquus curet hæc ſatis lautè pro dignitate convivii.* LY. *Jam te perdidiſti, & me, & meum laborem, quo tibi oſtendi recta tam ſæpè incaſſum.* PI. *Ego perdidi meam operam ibidem, ubi tu tuam: tua inſtitutiones nec mihi proſunt, nec tibi.* LY. *O pectus excantatum!* PI. *Es mihi moleſtus: ſile, & me ſequere, Lyde.* LY. *Vide illud, ſi placet, non me nominat jam præceptorem, ſed Lydum.* PI. *Non eſt æquum, neque convenit, ut quando he*rus *ſit in ædibus, & accubet cum amicâ,*

ANNOTATIONES.

edocuerint ſervos populi Romani, & quòd in ultionem proditi ſecreti duodecim familiæ Potitiorum unâ nocte interierint.

21. *Lyde, ludo.*] Ludus eſt in duobus vocibus *Lyde* & *ludo*, olim enim pro *lydo* dicebatur *ludo*, *υ* græcum ut *u* latinum efferebatur, & etiamnum in pronuntiatione Græci ſermonis *υ* ut *u* effertur.

25. *Monſtravi bene.*] Noſtrates: *Montrer à quelqu'un*; tradere doctrinam aliquam; ſine ſubſtantivo.

28. *Præligatum pectus.*] Ethnici ut etiamnum apud nos complures, exiſtimabant vinculis veneficarum incantatis impediri poſſe conjuges. *Præligatum* igitur pectus, eſt incantatum pectus; ſic incantati non ſolùm *præligati*, ſed etiam *defixi* dicebantur. Virgilius:

——— *animum defigere votis.*

Alibi, *defigere votis*, incantare; & *defixi*, incantati.

30. *Pædagogum.*] Hoc apparet veteres dignitatis nomine, quàm proprio compellari maluiſſe; ut etiam num apud nos. Porrò olim pædagogi diſtinguebantur à præceptoribus: illi mores & vitæ rationem, hi ſtudia procurabant. Seneca, de ira: *Præceptores Pædagogique pueris placidi dentur.*

31. *Non par videtur.*] Reſpondet Piſtoclerus Lydo conquerenti, quòd ſe non Pædagogum, ſed Lydum appellet diſcipulus. Videlicet non decere Pædagogum eſſe teſtem libidinis diſcipuli, atque adeò Lydum, non Pædagogum eſſe appellandum.

Cúmque oſculetur, & convivæ alii accubent,
Præſentibus illis pædagogus unà ut ſiet.
LY. An hoc ad eas res obſonatum eſt obſecro?
„*PI*. SPERAT quidem animus: quò eveniat, diis in manu eſt.
LY. Tu amicam habebis? *PI*. cùm videbis, tum ſcies.
LY. Imò neque habebis, nec ſinam: iturus ſum domum.
PI. Omitte, Lyde, ac cave malo. *LY* quid? cave malo?
PI. Jam exceſſit mihi ætas ex magiſterio tuo.
LY. O barathrum, ubi nunc es? ut ego te uſurpem lubens!
Video nimio jam multo plus quàm volueram.
Vixiſſe nimio ſatiu'ſt jam, quàm vivere.
Magiſtron' quenquam diſcipulum minitarier?
Nihil moror diſcipulos mihi eſſe jam plenos ſanguinis:
Valens afflictet me vacivom virium.
PI. Fiam, ut ego opinor, Hercules; tu autem Linus.
LY. Pol metuo magis, ne Phœnix tuis factis fuam,
Téque ad patrem eſſe mortuum renunciem.
PI. Satis hiſtoriarum eſt. *LY*. hic vereri perdidit.
Compendium edepol haud ætati optabile

INTERPRETATIO.

& deoſculetur, & alii conviva accubent, ut padagogus ſit cum eo, illis ſpectantibus. LY. *An hoc convivium amabo inſtructum eſt idcirco?* PI. *Profectò ſpes eſt: caterum poſitum eſt in manu deorum, quo res evadat.* LY. *Tu habebis amicam?* PI. *Quando cernes, tum agnoſces.* LY. *Imò nec habebis, nec feram: ibo domum.* PI. *Ne eas, Lyde, ac vide ne macteris infortunio.* LY. *Quid ais?* dicis *caveam infortunio?* PI. *Hac atate jam ſubductus ſum tua ferula.* LY. *O barathrum, ubi es jam? quàm lubenter me dem in te pracipitem! Deprehendo jam multò plura quàm vellem. Eſt ſatius jam mortuum eſſe, quàm vivere. Oportétne ullum diſcipulum minari magiſtro? Nolo jam habere diſcipulos adultos: ne robuſtus me affligat, ut-potè vacuum viribus.* PI. *Evadam, ut ego arbitror, Hercules; tu autem Linus.* LY. *Per Pollucem timeo magis, ne evadam Phœnix tuis facinoribus, & renuntiem ad patrem te eſſe peremptum.* PI. *Eſt ſatis fabularum.* LY. *Hic abjecit verecundiam. Per adem Pollucis, haud feciſti lucrum conveniens atati.*

ANNOTATIONES.

45. *Plenos ſanguinis.*] Adultiores juvenes, quia in eâ ætate fervere dicitur ſanguis, atque adeò intumeſcere. Virgil. —— *quibus integer avi ſanguis.*

46. *Vacivom.*] *Vacuum.*

47. *Fiam ut ego opinor.*] Linus Herculem in Muſicis diſcipulum paulò vehementiùs objurgans, ab ipſo interfectus eſſe dicitur.

48. *Ne Phœnix.*] Phœnix ſæpiùs admonitum Achillem diſcipulum ut æſtum iracundiæ temperaret in obſidione Trojanâ, interfectum Peleo patri nuntiavit. Funeſtus eſſe ſolet juvenum parentibutus, & præceptoribus immorigerorum exitus.

48. *Fuam.*] A *Fuo*, ſum; unde *ui*; *fuam*, ſim.

50. *Satis hiſtoriarum eſt.*] Adoleſcentis eſt faſtidentis monitorum à præceptore datorum. *Mettons fin à ces diſcours, à ces contes.*

Hic vereri perdidit.] Id eſt, verecundiam, ſeu timorem liberalem, quem eſſe oportet in diſcipulo adverſus magiſtrum. Tuum ſcire, tua ſcientia, *ton ſçavoir.* Lucretius: *Meminiſſe jacet*; memoria. Cicero. de Finibus: *Videamus, beatè vivere veſtrum, quale ſit.*

51. *Compendium.*] Contrarium eſt, *diſpendium, damnum.*

Feciſti, cum iſtanc nactu's impudentiam.
Occiſus hic homo eſt. ecquid in mentem eſt tibi,
Patrem tibi eſſe? *PI.* tibi ego, aut tu mihi ſervus es?
LY. Pejor magiſter te iſtæc docuit, non ego.
Nimiò es tu ad iſtas res diſcipulus docilior,
Quàm ad illa quæ te docui, ubi operam perdidi.
PI. Iſtactenus tibi, Lyde, libertas data eſt.
Orationis ſatis eſt. ſequere me, ac tace.
LY. Edepol feciſti furtum in ætatem malum,
Quum iſtæc flagitia me celaviſti, & patrem.

Interpretatio.

quando nactus es iſtam impudentiam. Hic homo eſt perditus. An tibi eſt in mente tibi eſſe patrem? PI. *Esne meus ſervus, aut ego tuus?* LY. *Præceptor nequior me, te docuit hæc, non ego. Tu es diſcipulus magis docilis ad iſtas res, quàm ad illa, quæ te docui, quando fruſtra laboravi;* PI. *Hactenus tibi data eſt libertas* loquendi, *Lyde. Satis verborum. Sequere me, & ſile.* LY. *Per ædem Pollucis admiſiſti malum furtum in tuam ætatem, cum celaviſti hæc flagitia & me, & patrem,*

Annotatio.

60. *Furtum.*] Quando clàm patre & magiſtro admiſiſti hæc flagitia, furtum commiſiſti malum, *Vous vous eſtes dérobé pour faire ces actions. Furtum facere*, id eſt, fraudem furtivam, ſeu furto admittere.

ACTUS SECUNDUS.

ARGUMENTUM.

PISTOCLERUS occurrit Chryſalo redeunti Epheſo, eique dicit opus eſſe Bacchidi ducentis nummis Philippeis: eâ pecuniâ fraudat Nicobulum Chryſalus, ſuarum ſycophantiarum operâ.

ACTUS SECUNDUS. SCENA PRIMA.

ARGUMENTUM.

CHRYSALUS antecedit Mneſilochum Epheſo redeuntem, ejus in portum reditum nunciaturus.

CHRYSALUS.

HERILIS patria ſalve! quam ego biennio,
Poſtquam hinc in Epheſum abii, conſpicio lubens.
Saluto te, vicine Apollo, qui ædibus
Propinquus noſtris accolis, venerórque te,
Ne Nicobulum me ſinas noſtrum ſenem
Priùs convenire, quàm ſodalem viderim
Mneſilochi Piſtoclerum, quem ad epiſtolam
Mneſilochus miſit ſuper amicâ Bacchide.

INTERPRETATIO.

CHRYS. *Te ſaluto, ô patria Heri! quam ego te intueor ultro. duobus annis poſtquam hinc profectus ſum, in Epheſum. Salve & tu. Apollo finitime, qui accolis contiguus noſtris ædis, téque veneror, ne patiaris me à noſtro ſene Nicobulo videri, antequam viderim Piſtoclerum, ſodalem Mneſilochi, ad quem Mneſilochus miſit epiſtolam de amicâ Bacchide.*

ANNOTATIONES.

1. HERILIS *patria.*] Mos erat, ut qui, aut primùm in aliquam regionem ingrederentur, aut in eam peregrè reverterentur, eam religiosè ſalutarent, Geniúmque loci, & Deos tutelares, ſive noſcerent, ſive ignorarent. Videtur hoc Plauti è Menandro expreſſum: *χαίρ' ὦ φίλη γῆ, διὰ χρόνου πολλοῦ σ' ἰδὼν ἀσπάζομαι.*

3. *Saluto te, vicine Apollo.*] Apollinem intelligit, quem veluti præſidem in veſtibulo domus Athenienſes, apud quos eſt ſcena hujus fabulæ, collocabant, & colebant, appellabantque *προστάτην*. Quod ut planius fiat, notandum eſt apud Romanos familias diſtinctas fuiſſe in ordines duos, unum ſervorum, qui familia vocabatur; alterum *familia aurea*, qui dominorum, cujus duces ac principes Pater & Materfamilias. *Aureæ familiæ præſtites* Dii, erant *Picumnus & Pilumnus*, id eſt, *Mars & Romulus.* Horum quia *Picumnus* erat princeps Larium, *Lar κατ' ἐξοχὴν* fuit appellatus, & quidem Militaris, & præſes Larium hoſtiliorum. Vocabatur etiam *noſter*, ut Aululariæ act. 2. ſc. 8. *Patrius & Suus.* Alius erat *Lar familiaris*, cui cura foci & familiæ; id eſt, ſervorum, qui etiam in foco, tanquam in præſentiâ Dei ſui, cibum ſumebant. Ille Lar familiaris, ſeu ſervorum, putabatur eſſe Saturnus. *Lar* autem Hetruſca vox, ut diximus ſupra in Aululariâ, & principem, ſeu *προστάτην* ſignificat: Porrò *Lares* dicti varii variarum rerum antiſtites Dii. *Lar cœleſtis & cunctalis.* Ille erat Juppiter, hic Janus, ſic dictus, quòd cuncta regeret. Erant & *Lares urbium*, erant *vicini & viales*. vicorum præſtites dicti *θεοὶ ἀγυιεῖς*, iique erant Apollo & Bacchus: Erat apud Romanos, & *Mater Stata*, & apud Græcos Mercurius *ἐνόδιος*. Romæ Hercules Sancus, cui juxta viam fiebant ſacra ab iis, qui profectionem adornarent. Erant & *Lares Permarini*, qui *θεοὶ διαπόντιοι*, *Neptunus*, *Thetis*, *Glaucus*. Navigationem comparantes immolebant Neptuno taurum, Thetidi juvencam, Glauco bovem. Neptunum *reducis* nomine coluerunt Romani.

ACTUS SECUNDUS. SCENA SECUNDA.

ARGUMENTUM.

ÆGRE dimiſſus à Bacchidibus Piſtoclerus, incidit in ſervum Mneſilochi Chryſalum, eíque aperit, quàm opus ſit Mneſilocho ducentis nummis ad redimendam Bacchidem. Pollicetur Chryſalus aliquâ ſuâ machinatione, ſe id daturum de mille & ducentis nummis, quos affert Epheſo Mneſilochus.

PISTOCLERUS, CHRYSALUS.

PISTOCLERUS.

MIRUM eſt, me, ut redeam, te opere tanto quæſere,
Qui abire hinc nullo pacto poſſim, ſi velim:
Ita me vadatum amore vinctumque attines.
CH. Prô dii immortales, Piſtoclerum conſpicor.
O Piſtoclere, ſalve. *PI.* ſalve, Chryſale.
CH. Compendii verba multa jam faciam tibi.
Venire tu me gaudes, ego credo tibi.
Hoſpitium & cœnam pollicere, ut convenit
Peregrè advenienti: ego autem venturum annuo.
Salutem tibi ab ſodali ſolidam nuncio.
Rogabis me vbi ſit? *PI.* vivit. nempe rectè valet.

INTERPRETATIO.

PIST. *Eſt mirum me à te rogari, ô mea Bacchis, tam obnixè, ut revertar, qui nullomodò queam diſcedere hinc, ſi cupiam, adeò me obligatum conſtrictúmque amore tenes.* CHR. *Proh Dii immortales! Video Piſtoclerum. Salvere te jubeo, Piſtoclere.* PIST. *Tu quoque ſalvus ſis, Chryſale.* CHR. *Jam contraham longam orationem. Tu lætaris me venire, ego tibi habeo fidem: ſpondes hoſpitium & cœnam, ut par eſt, revertenti à longè; ego verò ſpondeo venturum. Tibi affero à ſocio Mneſilocho ſinceram ſalutem. A me poſtulabis, ubi ſit.* PI. *Vivit. Nimirum eſt integrâ valetudine.*

ANNOTATIONES.

1. *Mirum eſt.*] Tres illi verſus ſunt Piſtocleri, ad unam Bacchidum ægrè dimittentem ad obſonia paranda, & ſunt poſtſcenii.

Quæſere.] Id eſt, *orare*; *quæſo* & *quæſumus*, ex verbo obſoleto *quæſo* ſuperſunt. Manil. *Quæſitus* rector Olympi; id eſt, rogatus; & *Quæſivere deos.* Lucret. —— *& prece quæſit*

Ventorum pares. ——

3. *Vadatum.*] Metaphora ducta ab iis, quibus dicitur vadimonium; id eſt, quaſi vadibus à me acceptis obligatum apud te retines. Vadatum paſſivè.

7. *Res nulla eſt.*] Res familiaris nulla eſt, id eſt, periit: prodigunt rem familiarem, profundúntque amantes.

CH. Iſtuc volebam ego ex te percunctarier.
PI. Quî ſcire poſſum? *CH.* nullus plus. *PI.* quemnam admodum?
CH. Quia ſi illa inventa eſt, quam ille amat, vivit rectè & valet:
Si non inventa eſt, minus valet, moribundus eſt.
„ANIMA eſt amica amanti. ſi abeſt, nullus eſt:
„Si adeſt, res nulla'ſt: ipſus eſt nequam & miſer.
Sed tu quid factitaſti mandatis ſuper?
PI. Egon' ut, quod ab illo attigiſſet nuncius,
Non impetratum id advenienti ei redderem?
Regiones colere mavellem Acheronticas,
CH. Eho, an inveniſti Bacchidem? *PI.* Samiam quidem.
CH. Vide quæſo, ne quis tractet illam indiligens.
Scis tu, ut confringi vas citò Samium ſolet.
PI. Jámne, ut ſoles? *CH.* dic ubi ea nunc eſt, obſecro.
PI. Hîc, exeuntem me unde aſpexiſti modò.
CH. Ut iſtuc eſt lepidum: proximæ viciniæ
Habitat. & quidnam meminit Mneſilochi? *PI.* rogas?
Imò unicè unum plurimi pendit. *CH.* papæ!
PI. Imò ut eum credis; miſera amans deſiderat.
CH. Scitum iſtuc. *PI.* imò Chryſale, hem non tantulum
Unquam intermittit tempus, quin eum nominet.
CH. Tanto hercle melior Bacchis. *PI.* imò. *CH.* imò hercle abiero
Potiùs. *PI.* num invitus rem bene geſtam audis heri?

INTERPRETATIO.

CH. *Ego cupiebam à te accipere id.* PI. *Quo modò queam ſcire.* CH. *Nullus & certius* ſciat. PI. *Quomodò?* CH. *Quia ſi illa, quam ille deperit, eſt reperta, vivit rectè & valet: Si non eſt reperta, non vavalet, eſt vicinus morti. Amica eſt anima amantis. Si abeſt, periit: ſi adeſt, res familiaris evertitur: ipſe eſt infælix & miſer. Sed tu perfeciſtíne mandata?* PI. *Ego-ne non perficerem, id quod ejus nuncius ad me detuliſſet? Mallem habitare in plagis inferorum.* CH. *Eho, an reperiſti Bacchidem?* PI. *Samiam profectò.* CH. *Cave rogo, ne quis illam teneat indiligens. Tu noſti, quàm citò vas Samium comminui ſoleat.* PI. *Jámne jocaris pro more?* CH. *Aperi ubi ea eſt jam, rogo.* PI. *Hîc unde me vidiſti modò prodeuntem.* CH. *Quam id eſt facetum! Manet in proximâ viciniâ. Nunquid recordatur Mneſilochi?* PI. *Poſtulas? Imò maximi facit eum unum unicè.* CH. *Papæ!* PI. *Imò quemadmodum vides deſiderari Bacchidem à Mneſilocho; ſic miſera Bacchis deſiderio tenetur* Mneſilochi. CH. *Id eſt bellum.* PI. *Imò, Chryſale, nunquam interponit punctum temporis, quin habeat in ore ejus nomen.* CH. *Per Herculem hoc Bacchis mihi videatur laudabilior.* PI. *Imò.* CH. *Imò per Herculem receſſero potiùs.* PI. *An quia non ultro audis rem proſperè geſtam ab hero?*

ANNOTATIONES.

22. ***Bacchidem Samiam,***] Samiæ inſulæ civem. Inde captat Plautus alluſionis comicæ occaſionem; Bacchidem vaſorum Samiorum inſtar, quæ fictilia erant, fragilem eſſe.

33. PI. *Imò.* CH. *Imò certe abiero.*] Offenſus oratione Piſtocleri Chryſalus; quod identidem habeat in ore *imò*, non ſolùm turbat alia dicere parantem, in hac voce *imò*, quàm repetit ad irridendum hominem; ſed etiam abire vult è Scenâ.

CH. Non herus, ſed actor mihi cor odio ſauciat.
Etiam E P I D I C U M, quam ego Fabulam æquè ac me ipſum amo,
Nullam æquè invitus ſpecto, ſi agit Pellio.
Sed Bacchis etiam fortis tibi viſa eſt? *PI.* rogas?
Nî nactus Venerem eſſem, hanc Junonem dicerem.
CH. Edepol, Mneſiloche, ut rem hanc natam eſſe intellego,
Quod ames, paratum eſt: quod des, invento eſt opus.
Nam iſtòc fortaſſe aurum eſt opus. *PI.* Philippeo quidem.
CH. Atque eo fortaſſe jam opus eſt. *PI.* imò etiam priùs.
Nam jam huc adveniet Miles. *CH.* Et miles quidem!
PI. Qui de amittendâ Bacchide aurum hîc exigit.
CH. Veniat quando vult, atque ita ne mihi ſit moræ.
Domi eſt: non metuo, nec cuiquam ſupplico,
Dum quidem hoc valebit pectus perfidiâ meum.
Abi intrò, ego hîc curabo. tu intus dicito
Mneſilochum adeſſe Bacchidi. *PI.* faciam ut jubes.
CH. Negocium hoc ad me attinet aurarium.

INTERPRETATIO.

CH. *Non herus, ſed narrator mihi vulneras animum. Si Pellio repreſentet Epidicum, quam Comœdiam perinde diligo, ac me ipſum, nullam video tam agrè. Sed Bacchis etiam tibi apparuit conſtans?* PI. *Poſtulas? niſi conſtaret eſſe Venerem, affirmarem eſſe Junonem,* CH. *Per ædem Pollucis, Mneſiloche, ut video hanc rem ſe habere, in manu eſt quod ames, inveniendum eſt quod amica det. Nam forſitan eſt opus auro ad id.* PI. *Et Philippeo quidem.* CH. *Et fortaſſe* nunc *opus eſt eo.* P I. *Imò etiam citiùs quàm* nunc; *nam miles veniet huc* nunc. C H. *Et profectò miles!* PI. *Qui exigit aurum, ſine quo non dimittet* Bacchidem. CH. *Veniat quando volet, & ita ne mihi moras nectat; domi eſt* aurum: *non timeo: nec mihi mendicandum aurum à quoquam, dum quidem meum hoc pectus armatum erit perfidiâ. Ingredere ædes, ego curabo hic* cætera, *tu dic Bacchidi in ædibus Mneſilochum adeſſe.* PI. *Perficiam mandata,* C H. *Hæc res nummaria ad me ſpectat.*

ANNOTATIONES.

37. *Si agit Pellio.*] Alii, *ſi agit Pollio.* Hi enim dicunt veruſtum quendam Comœdum illius nominis, Plautinis temporibus minimè probatum; de hoc Symmachus: *Non idem honor in pronunciandis fabulis Pollioni, qui Ambivio fuit.* Lucianus in Nigrino oſtendit accidiſſe perſepè, ut Tragicorum Comœdorumque opera, alioquin egregiè ſcriptâ, culpâ Hiſtrionum exploſa fuiſſe.

38. *Fortis.*] Id eſt, viſáne tibi conſtans Bacchis inter tædia moratum longarum Mneſilochi? reſpondet Piſtoclerus, eam conſtantia æquare Junonem ipſam, ut ſuperat pulchritudine. Alii *formis* tibi viſa eſt, id eſt, *pulchra*: unde *conformis*; *deformis*; *efformis*; *informis*. Veteres dicebant etiam *formus*, ut *inermus* & *inermis*; *inanimus* & *inanimis*.

42. *Philippeum aurum.*] Cui imago impreſſa Philippi Macedonis, idque laudatiſſimum erat.

43. *Imò etiam prius.*] Dicit non ſolum nunc eſſe opus pecuniâ; ſed etiam priùs, quàm *nunc*. Hyperbolicè, ad ſignificandam celeritatem.

51. *Negotium ærarium.*] In pſeudolo vocat, *commeatum argentarium*; id eſt, parandæ pecuniæ provincia.

Mille

Mille & ducentos Philippos attulimus aureos,
Epheſo quos hoſpes debuit noſtro ſeni.
Inde ego hodie aliquam machinabor machinam,
Unde aurum efficiam amanti herili filio.
Sed foris concrepuit noſtra: quinam exit foras?

INTERPRETATIO.

Attulimus mille & ducentos Philippos aureos Epheſo, quos hoſpes debebat Nicobulo *noſtro ſeni. Ego architectabor inde hodie aliquem dolum, unde comparem aurum filio heri mei amanti. Sed noſtra janua perſtrepuit: quinam prodit foras?*

ANNOTATIONES.

52. *Mille & ducentos Philippos aureos.*] Philippus aureus ponderis erat duorum ſcutatorum aureorum Gallicorum.

53. *Epheſo hoſpes.*] Uno verbo, Epheſo-hoſpes, Epheſo-hoſpitis, Epheſo-hoſpiti, *pro* Epheſio hoſpite. Virgilius, *are-clypeus*,

ACTUS SECUNDUS. SCENA TERTIA.

ARGUMENTUM.

NICOBULUS ſollicitus de ſalute filii, pergit ad Piræeum portum Athenarum, ut interroget de filio aliquem mercatorem, nuper ex Epheſo reverſum. Occurrit Chryſalus, qui confictâ Hiſtoriâ de Archidemidis hoſpitis fraude, reverâ fraudat hominem ducentis nummis, ſeu potiùs viam munit ad fraudem.

NICOBULUS, CHRYSALUS.

NICOBULUS.

IBo in Piræeum. viſam, ecquæ advenerit
In portum ex Epheſo navis mercatoria.
Nam meus formidat animus, noſtrum tam diu
Ibi deſidere, neque redire filium.
CH. Extexam ego illum pulchrè jam, ſi dii volunt.

INTERPRETATIO.

NICOB. *Pergam in Piræeum; videbo utrum aliqua navis mercatoria ex Epheſo appulerit in portum,* Nam *mea mens extimeſcit, quòd noſter filius maneat ibi tandiu, neque revertatur,* CH. *Ego illum depilabo planè modò ſi Diis placet.*

ANNOTATIONES.

1. *Piræeum.*] Portus Athenienſis quadringentarum capax navium, muro duorum millium paſſuum urbi conjunctus.

2. *Epheſo.*] Epheſes urbs Ioniæ ſuo templo Dianæ ſacro, & commercio celebris.

5. *Extexam.*] Id eſt, ſpoliabo auro: extexere eſt telam ſuâ texturâ, aut lanâ nudare.

Si Dii volunt.] Id eſt, cum Diis vo-

Haud dormitandum eſt. opus eſt chryſo Chryſalo.
Adibo hunc, quem quidem ego hodie faciam hîc arietem
Phryxi. itaque tondebo auro uſque ad vivam cutem.
Servus ſalutat Nicobolum Chryſalus.
NI. Prò dî immortales! Chryſale, ubi mihi eſt filius?
CH. Quin tu primùm ſalutem reddis quam dedi?
NI. Salve. ſed ubinam eſt Mneſilochus? *CH.* vivit, valet.
NI. Venítne? *CH.* venit. *NI.* evax, aſperſiſti aquam.
Benéne uſque valuit? pancraticè atque athleticè.
NI. Quid hoc? quâ cauſâ eum in Epheſum miſeram,
Accepítne aurum ab hoſpite Archidemide?
CH. Heu cor meum & cerebrum, Nicobule, finditur,
Iſtius hominis ubi fit quaque mentio.
Tun'hoſpitem illum nominas hoſtem tuum?
NI. Quid ita obſecro hercle? *CH.* quia edepol certè ſcio,

INTERPRETATIO.

Haud pigritandum eſt. Oportet Chryſalum parare Chryſum. Adibo hunc, quem quidem ego reddam hodie hic arietem Phryxi. Itaque tondebo vellus aureum, uſque ad pellem vivam. Chryſalus ſervus ſalutem dicit Nicobulo. NI. *Proh Dii immortales! Chryſale, ubi eſt meus filius?* CH. *Cur non reſtituis tu prius ſalutem quam impertii?* NI. *Salvus ſis: ſed ubinam eſt Mneſilochus?* CH. *Eſt vita & valetudine incolumi.* NI. *Revertitúrne?* CH. *Revertitur.* NI. *Evax! objeciſti aquam, Recténe ſemper valuit?* CH. *Robuſtè atque viriliter.* NI. *Quid hoc? Accepitne pecuniam ab hoſpite Archidemide, cujus gratiâ eum miſeram hinc in Epheſum?* CH. *Heu! meum cor & meum cerebrum ſcinditur, Nicobule, ſtatimatque ſubit recordatio quævis iſtius hominis. Appelláſne tu illum inimicum, tuum hoſpitem?* NIC. *Quare obſecro per Herculem.* CHR. *Quia per ædem Pollucis certò ſcio*

ANNOTATIONES.

lentibus, adjuvantibus. Catullus:

Paucis, ſi tibi Dii favent, diebus,

Si Dii volunt; Diis bene juvantibus, religioſæ exceptiones ſunt; *ſi Diis placet.* Græci: ἢν θεὸς θέλῃ· θεῶν τὰ ἴσα νεμόντων· σὺν θεῷ. Nos noſtrâ vernaculâ; *S'il plaiſt à Dieu; Dieu aidant; Si Dieu m'en fait la grace.*

6. *Eſt opus Chryſo.*] Eſt alluſio ad nomen Chryſali, quæ videtur eſſe, ἀπὸ τοῦ Χρύσου, ex quo facit Latinum *Chryſum* aurum.

7. *Phryxi arietem.*] Athamas Eoli filius, Thebarum Rex, ex Nephele Phrixum & Hellen liberos habuit. Nephele furore Liberi patris incitata in ſylvas abiit relicto Athamante, qui Inonem Cadmi filiam duxit uxorem, Phryxus ſe contulit in Cholchidem ad Oetam Cholchorum Regem, ubi arietem Marti immolavit, ejuſque pellem in ejus templo ſuſpendit. Huc alludit Chryſalus, pollicetúrque ſe detracturum aurum à ſene, ut Phryxus pellem arieti.

13. *Adſperſiſti aquam,*] Terent. in And. *Reddidiſti animum.* Trucul. *Aſperſiſti aquam: jam rediit animus.* Exanimatus eram metu, deficiebámque animo; recreaſti me tuo nuncio, ut recreantur, qui deliquium patiuntur mentis aſpersâ aquâ.

19. *Tun' hoſpitem hoſtem.*] Eſt Paronomaſia. Ovid.

Qui ſic intrabas hoſpes, an hoſtis eras?

Idem:

Hoſtis ut hoſpes init penetralia Collatini.

Vulcanus, Sol, Luna, Dies, dei quatuor,
Sceleſtiorem nullum illuxêre alterum.
NI. Quámne Archidemidem ? *CH.* quàm, inquam, Archidemidem.
NI. Quid fecit ? *CH.* quid non fecit ? quin tu id me rogas
Primum dum inficias ire cœpit filio:
Negare ſe debere tibi triobulum.
Continuò antiquum hoſpitem noſtrum ſibi
Mneſilochus advocavit, Pelagonem ſenem:
Eo præſente homini extemplò oſtendit ſymbolum,
Quem tute dederas ad eum, ut ferret, filio.
NI. Quid, ubi ei oſtendit ſymbolum ? *CH.* infit dicere:
Adulterinum, & non eum eſſe ſymbolum:
Quotque innocenti ei dixit contumelias!
Adulterare eum aiebat rebus cæteris.
NI. Habetin' aurum ? id mihi primùm dici volo.
CH. Poſtquàm quidem Prætor recuperatores dedit,
Damnatus demum, vi coactus reddidit
Ducentos & mille Philippûm. *NI.* tantum debuit.
CH. Porrò etiam auſculta pugnam, quam voluit dare.
NI. Etiámne eſt quid porrò ? *CH.* hem accipe: trina hæc nunc erit.

INTERPRETATIO.

Vulcanum, Solem, Lunam, Diem, quatuor Deos nemini affulſiſſe nequiori. NI. *An quam Archidemidi ?* CH. *Quam, inquam, Archidemidi.* N I. *Quid commiſit ?* CH. *Quid non commiſit ? Quare à me non petis tu id ? Primum dum cœpit inficiari filio: dicere ſe tibi debere ne tres obolos quidem. Statim Mneſilochus advocavit ad ſe Pelagonem ſenem noſtrum antiquum hoſpitem: illico aperuit teſſeram homini, Pelagone præſente, quam tu dederas filio, ut* deferret *ad eum.* NI. *Quid; quando ei oſtendit teſſeram ?* CH. *Cœpit cauſari falſam eſſe, & non eam eſſe teſſeram. Quot affecit probris filium tuum immeritum! Dicebat eum adulterare cætera.* NI. *Habetiſne aurum ? Cupio mihi dici in primis id.* CH. *Poſtquam quidem prætor dedit judices, denique condemnatus, vi adductus, reddidit mille & ducentos Philippos.* NI. *Tantum debuit.* CH. *Porrò audi etiam certamen, quod voluit committere.* NI. *Eſtne etiam aliquid præterea ?* CH. *Hem accipe: hæc erunt jam trina certamina.*

ANNOTATIONES.

21. *Vulcanus, Sol, Luna, Dies.*] Cæſar de Germanis: *Deorum numero eos ſolos ducunt, quos vident, Solem, Vulcanum & Lunam.*

25. *Inficias ire cœpit.*] Id eſt, inficias iis negavit. Helleniſmus & Hebraïſmus. Actuum 1. ὧν ἤρξατο ὁ Ἰησοῦς ποιεῖν τε καὶ διδάσκειν: *Quæ Ieſus cœpit facere & docere*; id eſt, quæ facit & docuit.

29. *Oſtendit ſymbolum.*] Alludit ad morem Græcorum; quibus ſymbola quædam, ſeu teſſeræ tabularum loco, & ſyngrapharum erant: ex iis jus dicebatur.

36. *Recuperatores.*] Judices delegati: *Commiſſaires.*

NI. Deceptus ſum. Autolyco hoſpiti aurum credidi.
CH. Quin tu audi. *NI.* imò ingenium avidi haud pernoram hoſpitis.
CH. Poſtquam aurum abſtulimus, in navem conſcendimus,
Domum cupientes. fortè ut aſſedi in ſtegâ,
Dum circumſpecto; atque ego lembum conſpicor:
Longum eſt rigorem maleficum exornarier.
NI. Perii hercle, lembus ille mihi lædit latus.
CH. Is erat communis cum hoſpite & prædonibus.
NI. Adeon' me fuiſſe fungum, ut qui illi crederem?
Cùm mihi ipſum nomen ejus Archidemidis
Clamaret demturum eſſe, ſi quid crederem.
CH. Is lembus noſtræ navi inſidias dabat.
Occœpi ego obſervare eos, quam rem gerant.
Interea è portu noſtra navis ſolvitur.
Ubi portu exiimus, homines remigio ſequi,
Neque aves, neque venti citiùs. quoniam ſentio
Quæ res gereretur, navem extemplò ſtatuimus.

INTERPRETATIO.

NI. *Sum deluſus. Credidi pecuniam Autolyco hoſpiti.* CH. *Quin tu auſculta?* NI. *Imò haud cognoſcebam animum hoſpitis avari.* CH. *Poſtquam accepimus aurum, conſcendimus navem, optantes* reverti *domum. Fortè ut conſedi in tranſtris, dum circumſpicio, & ego conſpicio lintrem: eſt longum recenſere crudelitatem immanem.* NI. *Interii per Herculem. ille lembus mihi confodit latus.* CH. *Is lembus erat communis cum hoſpite, & cum prædonibus.* NI. *Uſque adeò ne me fuiſſe ſtolidum oportet, ut illi conſiderem, cùm ejus nomen ipſum Archidemidis mihi vociferaretur, negaturum eſſe, ſi quid apud eum deponerem?* CH. *Is lembus ſtruebat inſidias noſtra navi. Ego cœpi obſervare, quod molirentur. Interea noſtra navis diſcedit è portu, prodimus, cœpi urgere homines remigium, neque aves, neque venti velociùs eunt. Quia animadverto quæ comparentur, repentè ſiſtimus navem.*

ANNOTATIONES.

41. *Autolyco.*] Mercurii filius Autolycus, Ulyſſis avus maternus, qui animalium furto abductorum, ſic colorem mutabat, ut ne domini quidem agnoſcerent. Unde jocus Martialis:

Non fuit Autolyci tam piceata manus.

Archidemidem apellat Chryſalus Autolycum, quòd negare depoſitum velit.

44. *Stega.*] *Le Tillac.* στέγη: Conſtratum puppis. Navis conſtrata; tecta. Arbitro, Ciceroni, Cæſari.

46. *Rigorem maleficum.*] Varro legit: *Strigonem maleficum. Strigas* autem vocabant mulieres maleficas, quas etiam noctu volare arbitrabantur; eodem modo *Strigones*, homines maleficos: alii *triconem* legunt. *Trico* autem eſt ille, qui malis ſtrophis creditorem circumducere conatur. Lucilius: *Trico nummarius.*

51. *Archidemidis.*] Eſt vox Græca conflata ex ἄρχειν, *impero*, δῆμος, *populus*; quo magis mirum videtur, quòd Plautus jocandi occaſionem captet ex *demo*, voce Latinâ, quæ in Archidemide incluſa eſt, ſignificátque idem, quod *aufero, tollo; ôter.* Tametſi ſcena Græca ſit, vitabant Romani ejuſmodi monſtra nominum, tanquam mali ominis.

55. *Remigio ſequi.*] Alii *remulco.* Feſtus: *Remulco eſt, cùm ſcapha remis navis magna trahitur.*

Quum jam vident nos ſtare, occeperunt ratem
Turbare in portu. *NI.* Edepol mortalis malos!
Quid denique agitis? *CH.* rurſum in portum recipimus.
NI. Sapienter factum à vobis. quid illi poſtea?
CH. Revorſionem ad terram faciunt veſperi.
NI. Aurum hercle auferre voluêre. ei rei operam dabant.
CH. Non me fefellit, ſenſi: eò exanimatus fui.
Quum jam videmus auro inſidias fieri,
Capimus conſilium continuò, poſtridie
Auferimus inde aurum omne, illis præſentibus,
Palàm atque apertè, ut illi id factum ſciſcerent.
NI. Scitè hercle. cedò, quid illi? *CH.* triſtes illico,
Quom extemplo à portu ire nos cum auro vident,
Subducunt lembum capitibus quaſſantibus.
Nos apud Theotimum omne aurum depoſuimus.
Qui illic ſacerdos eſt Dianæ Epheſiæ.
NI. Qui iſtic Theotimus eſt? *CH.* Megalobuli filius,
Qui nunc in Epheſo eſt Epheſiis cariſſimus.
NI. Næ ille hercle mihi ſit multo tanto carior,
Si me illoc auro tanto circumduxerit.
CH. Quid in ipsâ æde Dianæ conditum eſt,
Ibidem publicitus ſervant. *NI.* occidiſtis me.
Nimio hîc privatim ſervaretur rectius.

INTERPRETATIO.

Quia animadvertunt nos conſiſtere, incipiũt laceſſere ratem in portu. NI. *Per ædem Pollucis homines peſtiferos! Quid demum facitis?* CH. *Rurſus nos recipimus in portum.* NI. *Sapienter à vobis geſtum: quid illi poſtea* tentarunt? CH *Veſpertinis horis revertuntur ad terram.* NI. *Per Herculem cupiebant auferre aurum. Ei rei operam navabant.* CH. *Non me latuit. Animadverti. Id extimui, quia intelligimus collocari inſidias auro, conferimus conſilia ſtatim, poſtridie ſubducimus inde omnem pecuniam illis ſpectantibus palam atque publicè, ut illi viderent id eſſe factum.* NI. *Benè per Herculem. Dic, quid interim illi?* CH. *Mœſti repente cernuntur. quando ſpectant ſtatim digredi à portu cum auro, ſubducunt lembum capita concutientes. Nos contulimus aurum ad Theotimum, qui eſt ibi ſacerdos Dianæ Epheſiæ.* NI. *Quis eſt ille Theotimus?* CH. *Filius Megalobuli; qui eſt jam in Epheſo acceptiſſimus Epheſiis.* NI. *Per Herculem ille mihi ſit tanto magis carus, ſi me circumvenerit tantâ auri ſummâ.* CH. *Cùm collocatum eſt in templo ipſo Dianæ, ibi cuſtoditur publicè.* NI. *Me conficitis. Cuſtodiretur multo tutiùs hîc privatim;*

ANNOTATIONES.

71. *Capitibus quaſſantibus.*] *En hochant la teſte*; ſive demiſſis in ſignum mœſtitiæ.

76. *Carior.*] Luſus eſt Plautinus; quia ſi Theotimus onuſtus auro *carior* eſſe rectè dicitur à *caritate*, i. eſt, pretio auri, non *carior*, *charitate Chryſali*, id eſt, *amore*.

78. *In ipsâ æde Dianæ conditum eſt.*] Veteres idcircò, ſi quid eſſet auri, in templis deponebant, quòd præſidiis ad id ſervandum publicè poſitis, magis eſſe videretur in tuto, quàm ſi domi ſervatum fuiſſet.

Sed nihilne attuliſtis inde auri domum?
CH. Imò etiam. verùm, quantum attulerit, neſcio.
NI. Quid, neſcis? *CH.* quia Mneſilochus noctu clanculum
Devénit ad Theotimum: nec mihi credere
Nec cuiquam in navi voluit. eò ego neſcio
Quantulum attulerit: verùm haud permultum attulit.
NI. Etiam dimidium cenſes? *CH.* non edepol ſcio
Verùm haud opinor. *NI.* fert ne partem tertiam?
CH. Non hercle opinor. verùm verum neſcio.
Profectò de auro nihil ſcio, niſi neſcio.
Nunc tibimet illuc navi capiundum eſt iter,
Ut illud reportes aurum ab Theotimo domum.
Atque heus tu! *NI.* quid vis? *CH.* annulum gnati tui
Facito ut memineris ferre. *NI.* quid opu'ſt annulo?
CH. Quia id ſignum eſt cum Theotimo, qui eum illi afferet,
Ei aurum ut reddat. *NI.* meminero, & rectè mones.
Sed divéſne eſt iſtic Theotimus? *CH.* etiam rogas?
Qui ſoccis habeat auro ſubpactum ſolum.
NI. Cur ita faſtidit? *CH.* tantas divitias habet:
Neſcit quid faciat auro. *NI.* mihi dederit velim.
Sed qui præſente id aurum Theotimo datum eſt?
CH. Populo præſente; nullu'ſt Epheſi, quin ſciat.
NI. Iſtuc ſapienter ſaltem fecit filius,
Cùm diviti homini id aurum ſervandum dedit:
Ab eo licebit quamvis ſubitò ſumere.

INTERPRETATIO.

ſed vos nihilne advexiſtis auri inde domũ? CH. *Imò etiam; ſed ignoro quantum attulerit.* NI. *Quid ignoras?* CH. *Quia Mneſilochus adiit Theotimum noctu occultè, nec voluit mihi credere, nec cuiquam ex navi. Itaque ego ignoro quantum apportaris; ſed non attulit multa.* NI. *Putâſne dimidium attuliſſe.* CH. *Per ædem Pollucis ignoro. Sed minimè puto.* NI. *Affértne tertiam partem?* CH. *Per Herculem non credo; ſed quod verum eſt ignoro. Sanè nihil novi de auro, niſi quod nihil novi. Jam tibimet eundum eſt ad navem, ut revehas aurum ab Theotimo domum, atque heus tu!* NI. *Quid vis?* CH. *Fac ut recorderis gerere annulum tui fili.* NI. *Quid opus eſt annulo?* CH. *Quia ejuſmodi ſignum eſt cum Theotimo, ut reſtituat aurum ei, qui ei oſtenderet eum annulum.* NI. *Recordabor, & benè commonefacis; ſed iſte Theotimus éſtne locuples?* CHR. *Etiam poſtulas? Qui ferat ſoleas ſoccorum compactas auro.* NI. *Quare ſic negligit aurum?* CH. *Tantis pollet divitiis: neſcit quid faciat de auro.* NI. *Optarem mihi daret; verùm quo preſente depoſitum eſt id aurum apud Theotimum?* CH. *Spectante populo; nullus eſt Epheſi, qui neſciat.* NI. *Saltem filius fecit illud prudenter, quando dedit id aurum cuſtodiendum viro locupleti, licebit accipere ſtatim quantumvis ex eo.*

ANNOTATIO.

98. *Soccis compactum.*] Clavis aureis confixas calceorum ſoleas.

CH. Imò hem tantiſper nunquam te morabitur,
Quin habeas illud quo die illuc veneris.
NI. Cenſebam me effugiſſe, à vitâ maritimâ,
Ne navigarem tandem hoc ætatis ſenex,
Id mihi haud utrum velim licere intellego:
Ita bellus hoſpes fecit Archidemides.
Ubi nunc eſt ergo meus Mneſilochus filius?
CH. Deos atque amicos iit ſalutatum ad forum.
NI. At ego hinc ad illum, ut conveniam quantum poteſt.
CH. Ille eſt oneratus rectè, & plus juſto vehit.
Exorſa hæc tela non malè omnino mihi eſt,
Ut amantem herilem copem facerem filium;
Ita feci, ut auri quantum vellet ſumeret.
Quantum autem libeat reddere, ut reddat patri.
Senex in Epheſum *hinc* ibit aurum arceſſere:
Hîc noſtra agetur ætas in malacum modum.
Si quidem hic relinquet, nec ſecum abducet ſenex
Med & Mneſilochum. quas ego hîc turbas dabo!
Sed quid futurum eſt, cùm hoc ſenex reſciverit?
Cùm ſe excucurriſſe illuc fruſtra ſciverit,
Noſque aurum abuſos? quid mihi fiet poſtea?
Credo hercle adveniens nomen mutabit mihi,
Facietque extemplo Crucisalum me ex Chryſalo
Aufugero hercle, ſi magis uſus venerit.

INTERPRETATIO.

CH. *Imò ſane nunquam cunctabitur, vel minimum, quominus illud accipias, ipſo die quo perveneris illuc.* NI. *Exiſtimabam me immunem eſſe à vitâ maritimâ, ne navigarem tandem ſenex, hac atate intelligo minimè mihi licere alterutrum facere quod velim. Hanc habeo gratiam lepido hoſpiti Archidemidi. Ubi eſt ergo Mneſilochus meus filius?* CH. *Ivit ad forum ad ſalutandos Deos atque amicos.* NI. *At mihi hinc ad Archidemedem eundum, ut conveniam quam velociſſimè potero.* CH. *Ille eſt onuſtus egregiè: & bajulat plus aquo. Non ita malè ſum exorſus hanc telam, ut efficiam filium heri copioſum amantem: ſic feci, ut caperet quantùm liberet auri, & ut reddat patri, quantùm voluerit reddere. Senex ibit Epheſum ad aurum arceſſendum: Hic tranſigemus hic noſtrum tempus molliſſimè. Nimirum hîc ſenex deſeret me, & Mneſilochum, nec nos abducet ſecum. Quas turbas concitabo, ego hic! Sed quid futurum eſt, quando ſenex cognoverit hoc? Quando noverit ſe excucurriſſe fruſtra illuc, noſque auro abuſos? Quid mihi parabitur deinceps? Per Herculem, exiſtimo, reverſus mutabit meum nomen reddétque extemplo me Cruciſalum ex Chryſalo. Evadam per Herculem, ſi utilius fuerit.*

ANNOTATIONES.

117. *Copem.*] Copioſum à *copis*, & *copis* à *cops*, inde eſt, *copia*.

121. *In malacum modum.*] μαλακὸς, *mollis*.

128. *Cruciſalum.*] Quaſi à ſaltu in crucem acto.

Qui tantus natu, deorum neſcis nomina.
LY. Non hic placet mihi ornatus. *PI.* nemo ergo tibi
Hoc apparavit: mihi paratum eſt, cui placet.
LY. Etiam me adverſus, exordire argutias?
Qui ſi decem habeas linguas, mutum eſſe addecet.
PI. NON OMNIS ætas, Lyde, ludo convenit.
Magis unum in mente eſt mihi nunc, ſatis ut commodè
Pro dignitate obſonii hæc concuret cocus.
LY. Jam perdidiſti te, atque me, atque operam meam,
Qui tibi nequicquam ſæpe monſtravi bene.
PI. Ibidem ego meam operam perdidi, ubi tu tuam.
Tua diſciplina nec mihi prodeſt, nec tibi.
LY. O præligatum pectus! *PI.* odioſus mihi es.
Tace, atque ſequere, Lyde, me. *LY.* illuc ſis vide,
Non pædagogum jam me, ſed Lydum vocat.
PI. Non par videtur, neque ſit conſentaneum,
Cùm *herus* hîc intus ſit, & cum amicâ *ſuâ* accubet,

INTERPRETATIO.

qui tam provectâ ætate ignoras, quomodo Dii vocentur. LY. *Hic apparatus non mihi probatur,* PI. *Ergo is non tibi instructus eſt: Eſt mihi inſtructus, mihi placet.* LY. *Adhibes etiam cavillationes in me? Si præditus ſis decem linguis, expedit te ſilere.* PI. *Lyde, ludus* litterarius *non decet quamvis ætatem. Habeo nunc unum præcipuè in animo, ut coquus curet hæc ſatis lautè pro dignitate convivii.* LY. *Jam te perdidiſti, & me, & meum laborem, quo tibi oſtendi recta tam ſæpè incaſſum.* PI. *Ego perdidi meam operam ibidem, ubi tu tuam; tua inſtitutiones nec mihi proſunt, nec tibi.* LY. *O pectus excantatum!* PI. *Es mihi moleſtus: ſile, & me ſequere, Lyde.* LY. *Vide illud, ſi placet, non me nominat jam præceptorem, ſed Lydum.* PI. *Non eſt æquum, neque convenit, ut quando herus ſit in ædibus, & accubet cum amicâ,*

ANNOTATIONES.

edocuerint ſervos populi Romani, & quòd in ultionem proditi ſecreti duodecim familiæ Potitiorum unâ nocte interierint.

21. *Lyde, ludo.*] Ludus eſt in duobus vocibus *Lyde* & *ludo*, olim enim pro *lydo* dicebatur *ludo*, *υ* græcum ut *u* latinum efferebatur, & etiamnum in pronuntiatione Græci ſermonis *υ* ut *u* effertur.

25. *Monſtravi bene.*] Noſtrates: *Montrer à quelqu'un*; tradere doctrinam aliquam; ſine ſubſtantivo.

28. *Præligatum pectus.*] Ethnici ut etiamnum apud nos complures, exiſtimabant vinculis veneficarum incantatis impediri poſſe conjuges. *Præligatum* igitur pectus, eſt incantatum pectus; ſic incantati non ſolùm *præligati*, ſed etiam *defixi* dicebantur. Virgilius:

——— *animum defigere votis*,

Alibi, *defigere votis*, incantare; & *defixi*, incantati.

30. *Pædagogum.*] Hoc apparet veteres dignitatis nomine, quàm proprio compellari maluiſſe; ut etiam num apud nos. Porrò olim pædagogi diſtinguebantur à præceptoribus: illi mores & vitæ rationem, hi ſtudia procurabant. Seneca, de ira: *Præceptores Pædagogique pueris placidè dentur.*

31. *Non par videtur.*] Reſpondet Piſtoclerus Lydo conquerenti, quòd ſe non Pædagogum, ſed Lydum appellet diſcipulus. Videlicet non decere Pædagogum eſſe teſtem libidinis diſcipuli, atque adeò Lydum, non Pædagogum eſſe appellandum.

Cúmque oſculetur, & convivæ alii accubent,
Præſentibus illis pædagogus unà ut ſiet.
LY. An hoc ad eas res obſonatum eſt obſecro?
„*PI.* SPERAT quidem animus: quò eveniat, diis in manu eſt.
LY. Tu amicam habebis? *PI.* cùm videbis, tum ſcies.
LY. Imò neque habebis, nec ſinam: iturus ſum domum.
PI. Omitte, Lyde, ac cave malo. *LY* quid? cave malo?
PI. Jam exceſſit mihi ætas ex magiſterio tuo.
LY. O bararhrum, ubi nunc es? ut ego te uſurpem lubens!
Video nimio jam multo plus quàm volueram.
Vixiſſe nimio ſatiu'ſt jam, quàm vivere.
Magiſtron' quenquam diſcipulum minitarier?
Nihil moror diſcipulos mihi eſſe jam plenos ſanguinis:
Valens afflictet me vacivom virium.
PI. Fiam, ut ego opinor, Hercules; tu autem Linus.
LY. Pol metuo magis, ne Phœnix tuis factis fuam,
Téque ad patrem eſſe mortuum renunciem.
PI. Satis hiſtoriarum eſt. *LY.* hic vereri perdidit.
Compendium edepol haud ætati optabile

INTERPRETATIO.

& deoſculetur, & alii convivæ accubent, ut pædagogus ſit cum eo, illis ſpectantibus. LY. *An hoc convivium amabo inſtructum eſt idcirco?* PI. *Profectò ſpes eſt: cæterum poſitum eſt in manu deorum, quo res evadat.* LY. *Tu habebis amicam?* PI. *Quando cernes, tum agnoſces.* LY. *Imò nec habebis, nec feram: ibo domum.* PI. *Ne eas, Lyde, ac vide ne macteris infortunio.* LY. *Quid ais? dicis caveam infortunio?* PI. *Hac ætate jam ſubductus ſum tua ferulæ.* LY. *O barathrum, ubi es jam? quàm lubenter me dem in te præcipitem! Deprehendo jam multò plura quàm vellem. Eſt ſatius jam mortuum eſſe, quàm vivere. Oportétne ullum diſcipulum minari magiſtro? Nolo jam habere diſcipulos adultos: ne robuſtus me affligat, ut-potè vacuum viribus.* PI. *Evadam, ut ego arbitror, Hercules; tu autem Linus.* LY. *Per Pollucem timeo magis, ne evadam Phœnix tuis facinoribus, & renuntiem ad patrem te eſſe peremptum.* PI. *Eſt ſatis fabularum.* LY. *Hic abjecit verecundiam. Per ædem Pollucis, haud feciſti lucrum conveniens ætati,*

ANNOTATIONES.

45. *Plenos ſanguinis.*] Adultiores juvenes, quia in eâ ætate fervere dicitur ſanguis, atque adeò intumeſcere. Virgil.
——— *quibus integer ævi ſanguis.*

46. *Vacivom.*] *Vacuum.*

47. *Fiam ut ego opinor.*] Linus Herculem in Muſicis diſcipulum paulò vehementiùs objurgans, ab ipſo interfectus eſſe dicitur.

48. *Ne Phœnix.*] Phœnix ſæpiùs admonitum Achillem diſcipulum ut æſtum iracundiæ temperaret in obſidione Trojanâ, interfectum Peleo patri nuntiavit. Funeſtus eſſe ſolet juvenum parentibus, & præceptoribus immorigerorum exitus.

48. *Fuam.*] A *Fuo*, ſum; unde *ui*; *fuam*, ſim.

50. *Satis hiſtoriarum eſt.*] Adoleſcentis eſt faſtidentis monitorum à præceptore datorum. *Mettons fin à ces diſcours, à ces contes.*

Hic vereri perdidit.] Id eſt, verecundiam, ſeu timorem liberalem, quem eſſe oportet in diſcipulo adverſus magiſtrum. Tuum ſcire, tua ſcientia, *ton ſçavoir.* Lucretius: *Meminiſſe jacet*; memoria. Cicero de Finibus: *Videamus, beatè vivere veſtrum, quale ſit.*

51. *Compendium.*] Contrarium eſt, *diſpendium, damnum.*

Feciſti, cum iſtanc nactu's impudentiam.
Occiſus hic homo eſt. ecquid in mentem eſt tibi,
Patrem tibi eſſe? *PI.* tibi ego, aut tu mihi ſervus es?
LY. Pejor magiſter te iſtæc docuit, non ego.
Nimiò es tu ad iſtas res diſcipulus docilior,
Quàm ad illa quæ te docui, ubi operam perdidi.
PI. Iſtactenus tibi, Lyde, libertas data eſt.
Orationis ſatis eſt. ſequere me, ac tace.
LY. Edepol feciſti furtum in ætatem malum,
Quum iſtæc flagitia me celaviſti, & patrem.

INTERPRETATIO.

quando nactus es iſtam impudentiam. Hic homo eſt perditus. An tibi eſt in mente tibi eſſe patrem? PI. *Esne meus ſervus, aut ego tuus?* LY. *Præceptor nequior me, te docuit hæc, non ego. Tu es diſcipulus magis docilis ad iſtas res, quàm ad illa, quæ te docui, quando fruſtra laboravi.* PI. *Hactenus tibi data eſt libertas* loquendi, *Lyde. Satis verborum. Sequere me, & ſile.* LY. *Per ædem Pollucis admiſiſti malum furtum in tuam ætatem, cum celaviſti hæc flagitia & me, & patrem.*

ANNOTATIO.

60. *Furtum.*] Quando clàm patre & magiſtro admiſiſti hæc flagitia, furtum commiſiſti malum, *Vous vous eſtes dérobé pour faire ces actions. Furtum facere,* id eſt, fraudem furtivam, ſeu furto admittere.

ACTUS SECUNDUS.

ARGUMENTUM.

PISTOCLERUS occurrit Chryſalo redeunti Epheſo, eíque dicit opus eſſe Bacchidi ducentis nummis Philippeis: eâ pecuniâ fraudat Nicobulum Chryſalus, ſuarum ſycophantiarum operâ.

ACTUS SECUNDUS. SCENA PRIMA.

ARGUMENTUM.

CHRYSALUS antecedit Mneſilochum Epheſo redeuntem, ejus in portum reditum nunciaturus.

CHRYSALUS.

HERILIS patria ſalve! quam ego biennio,
Poſtquam hinc in Epheſum abii, conſpicio lubens.
Saluto te, vicine Apollo, qui ædibus
Propinquus noſtris accolis, veneróque te,
Ne Nicobulum me ſinas noſtrum ſenem
Priùs convenire, quàm ſodalem viderim
Mneſilochi Piſtoclerum, quem ad epiſtolam
Mneſilochus miſit ſuper amicâ Bacchide.

INTERPRETATIO.

CHRYS. *TE ſaluto, ò patria Heri! quam ego te intueor ultro, duobus annis poſtquam hinc profectus ſum, in Epheſum. Salve & tu. Apollo finitime, qui accolis contiguus noſtris tectis, téque veneror. ne patiaris me à noſtro ſene Nicobulo videri, antequam viderim Piſtoclerum, ſodalem Mneſilochi, ad quem Mneſilochus miſit epiſtolam de amicâ Bacchide.*

ANNOTATIONES.

1. HERILIS *patria.*] Mos erat, ut qui, aut primùm in aliquam regionem ingrederentur, aut in eam peregrè reverterentur, eam religiosè ſalutarent, Geniúmque loci, & Deos tutelares, ſive noſcerent, ſive ignorarent. Videtur hoc Plauti è Menandro expreſſum: *χαῖρ' ὦ φίλη γῆ, διὰ χρόνου πολλοῦ σ' ἰδὼν ἀσπάζομαι.*

3. *Saluto te, vicine Apollo.*] Apollinem intelligit, quem veluti præſidem in veſtibulo domus Athenienſes, apud quos eſt ſcena hujus fabulæ, collocabant, & colebant, appellabantque *προστάτην*. Quod ut planius fiat, notandum eſt apud Romanos familias diſtinctas fuiſſe in ordines duos, unum ſervorum, qui familia vocabatur; alterum *familiæ auree*, qui dominorum, cujus duces ac principes Pater & Materfamilias. *Aureæ familiæ præſtites* Dii. erant *Picumnus & Pilumnus*, id eſt, *Mars & Romulus*. Horum quia *Pecumnus* erat princeps Larium, *Lar κατ' ἐξοχὴν* fuit appellatus, & quidem Militaris, & præſes Larium hoſtiliorum. Vocabatur etiam *noſter*, ut Aululariæ act. 2. ſc. 8. *Patrius & Suus*. Alius erat *Lar familiaris*, cui cura foci & familiæ; id eſt, ſervorum, qui etiam in foco, tanquam in præſentiâ Dei ſui, cibum ſumebant. Ille Lar familiaris, ſeu ſervorum, putabatur eſſe Saturnus. *Lar* autem Hetruſca vox, ut diximus ſupra in Aululariâ, & principem, ſeu *προστάτην* ſignificat: Porrò *Lares* dicti varii variarum rerum antiſtites Dii. *Lar cœleſtis & cunctalis*. Ille erat Juppiter, hic Janus, ſic dictus, quòd cuncta regeret. Erant & *Lares urbium*, erant *vicini & viales*. vicorum præſtites dicti *θεοὶ ἀγυιεῖς*, iique erant Apollo & Bacchus: Erat apud Romanos, & *Mater Stata*, & apud Græcos Mercurius *ἐνόδιος*. Romæ Hercules Sancus, cui juxta viam fiebant ſacra ab iis, qui profectionem adornarent. Erant & *Lares Permarini*, qui *θεοὶ θαλάττιοι*, *Neptunus, Thetis, Glaucus*. Navigationem comparantes immolebant Neptuno taurum, Thetidi juvencam, Glauco bovem. Neptunum *reducis* nomine coluerunt Romani.

ACTUS SECUNDUS. SCENA SECUNDA.

ARGUMENTUM.

ÆGRE dimiſſus à Bacchidibus Piſtoclerus, incidit in ſervum Mneſilochi Chryſalum, eíque aperit, quàm opus ſit Mneſilocho ducentis nummis ad redimendam Bacchidem. Pollicetur Chryſalus aliquâ ſuâ machinatione, ſe id daturum de mille & ducentis nummis, quos affert Epheſo Mneſilochus.

PISTOCLERUS, CHRYSALUS.

PISTOCLERUS.

MIRUM eſt, me, ut redeam, te opere tanto quæſere,
Qui abire hinc nullo pacto poſſim, ſi velim:
Ita me vadatum amore vinctumque attines.
CH. Prô dii immortales, Piſtoclerum conſpicor.
O Piſtoclere, ſalve. *PI.* ſalve, Chryſale.
CH. Compendii verba multa jam faciam tibi.
Venire tu me gaudes, ego credo tibi.
Hoſpitium & cœnam pollicere, ut convenit
Peregrè advenienti: ego autem venturum annuo.
Salutem tibi ab ſodali ſolidam nuncio.
Rogabis me vbi ſit? *PI.* vivit. nempe rectè valet.

INTERPRETATIO.

PIST. *Est mirum me à te rogari*, ô mea Bacchis, *tam obnixè, ut revertar, qui nullomodò queam diſcedere hinc, ſi cupiam, adeò me obligatum conſtrictúmque amore tenes.* CHR. *Proh Dii immortales! Video Piſtoclerum. Salvere te jubeo, Piſtoclere.* PIST. *Tu quoque ſalvus ſis, Chryſale.* CHR. *Jam contraham longam orationem. Tu lætaris me venire, ego tibi habeo fidem: ſpondes hoſpitium & cœnam, ut par eſt, revertenti à longè; ego verò ſpondeo venturum. Tibi affero à ſocio Mneſilocho ſinceram ſalutem. A me poſtulabis, ubi ſit.* PI. *Vivit. Nimirum eſt integrâ valetudine.*

ANNOTATIONES.

1. *Mirum eſt.*] Tres illi verſus ſunt Piſtocleri, ad unam Bacchidum ægrè dimittentem ad obſonia paranda, & ſunt poſtſcenii.

Quæſere.] Id eſt, *orare*; *quæſo* & *quæſumus*, ex verbo obſoleto *quæſo* ſuperſunt. Manil. *Quæſitus* rector Olympi; id eſt, rogatus; & *Quæſivere deos*, Lucret. —— *& prece quæſit Ventorum paces.* ——

3. *Vadatum.*] Metaphora ducta ab üs, quibus dicitur vadimonium; id eſt, quaſi vadibus à me acceptis obligatum apud te retines. Vadatum paſſivè.

7. *Res nulla eſt.*] Res familiaris nulla eſt, id eſt, periit: prodigunt rem familiarem, profundúntque amantes.

CH. Iſtuc volebam ego ex te percunctarier.
PI. Quî ſcire poſſum? *CH.* nullus plus. *PI.* quemnam admodum?
CH. Quia ſi illa inventa eſt, quam ille amat, vivit rectè & valet:
Si non inventa eſt, minus valet, moribundus eſt.
„ANIMA eſt amica amanti. ſi abeſt, nullus eſt:
„Si adeſt, res nulla'ſt: ipſus eſt nequam & miſer.
Sed tu quid factitaſti mandatis ſuper?
PI. Egon' ut, quod ab illo attigiſſet nuncius,
Non impetratum id advenienti ei redderem?
Regiones colere mavellem Acherunticas,
CH. Eho, an inveniſti Bacchidem? *PI.* Samiam quidem.
CH. Vide quæſo, ne quis tractet illam indiligens.
Scis tu, ut confringi vas citò Samium ſolet.
PI. Jámne, ut ſoles? *CH.* dic ubi ea nunc eſt, obſecro.
PI. Hîc, exeuntem me unde aſpexiſti modò.
CH. Ut iſtuc eſt lepidum: proximæ viciniæ
Habitat. & quidnam meminit Mneſilochi? *PI.* rogas?
Imò unicè unum plurimi pendit. *CH.* papæ!
PI. Imò ut eum credis; miſera amans deſiderat.
CH. Scitum iſtuc. *PI.* imò Chryſale, hem non tantulum
Unquam intermittit tempus, quin eum nominet.
CH. Tanto hercle melior Bacchis. *PI.* imò. *CH.* imò hercle abiero
Potiùs. *PI.* num invitus rem bene geſtam audis heri?

INTERPRETATIO.

CH. *Ego cupiebam à te accipere id.* PI. *Quo modò queam ſcire.* CH. *Nullus & certius* ſciat. PI. *Quomodò?* CH. *Quia ſi illa, quam ille deperit, eſt reperta, vivit rectè & valet: Si non eſt reperta, non valet, eſt vicinus morti. Amica eſt anima amantis. Si abeſt, periit: ſi adeſt, res familiaris evertitur: ipſe eſt infœlix & miſer. Sed tu perfeciſtine mandata?* PI. *Ego-ne non perficerem, id quod ejus nuncius ad me detuliſſet? Mallem habitare in plagis inferorum.* CH. *Eho, an reperiſti Bacchidem?* PI. *Samiam profectò.* CH. *Cave rogo, ne quis illam teneat indiligens. Tu noſti, quàm citò vas Samium comminui ſoleat.* PI. *Jámne jocaris pro more?* CH. *Aperi ubi ea eſt jam, rogo.* PI. *Hic unde me vidiſti modò prodeuntem.* CH. *Quam id eſt facetum! Manet in proximâ viciniâ. Nunquid recordatur Mneſilochi?* PI. *Poſtulas? Imò maximi facit eum unum unicè.* CH. *Papa!* PI. *Imò quemadmodum vides deſiderari Bacchidem à Mneſilocho; ſic miſera Bacchis deſiderio tenetur* Mneſilochi. CH. *Id eſt bellum.* PI. *Imò, Chryſale, nunquam interponit punctum temporis, quin habeat in ore ejus nomen.* CH. *Per Herculem hoc Bacchis mihi videatur laudabilior.* PI. *Imò.* CH. *Imò per Herculem receſſero potiùs.* PI. *An quia non ultro audis rem proſperè geſtam ab hero?*

ANNOTATIONES.

22. *Bacchidem Samiam,*] Samiæ inſulæ civem. Inde captat Plautus alluſionis comicæ occaſionem; Bacchidem vaſorum Samiorum inſtar, quæ fictilia erant, fragilem eſſe.

33. PI. *Imò.* CH. *Imò certe abiero.*] Offenſus oratione Piſtocleri Chryſalus; quod identidem habeat in ore *imò*, non ſolùm turbat alia dicere parantem, in hac voce *imò*, quàm repetit ad irridendum hominem; ſed etiam abire vult è Scenâ.

CH. Non herus, ſed actor mihi cor odio ſauciat.
Etiam EPIDICUM, quam ego Fabulam æquè ac me ipſum amo;
Nullam æquè invitus ſpecto, ſi agit Pellio.
Sed Bacchis etiam fortis tibi viſa eſt? *PI.* rogas?
Nî nactus Venerem eſſem, hanc Junonem dicerem.
CH. Edepol, Mneſiloche, ut rem hanc natam eſſe intellego,
Quod ames, paratum eſt: quod des, invento eſt opus.
Nam iſtòc fortaſſe aurum eſt opus. *PI.* Philippeo quidem.
CH. Atque eo fortaſſe jam opus eſt. *PI.* imò etiam priùs.
Nam jam huc adveniet Miles. *CH.* Et miles quidem!
PI. Qui de amittendâ Bacchide aurum hîc exigit.
CH. Veniat quando vult, atque ita ne mihi ſit moræ.
Domi eſt: non metuo, nec cuiquam ſupplico,
Dum quidem hoc valebit pectus perfidiâ meum.
Abi intrò, ego hîc curabo. tu intus dicito
Mneſilochum adeſſe Bacchidi. *PI.* faciam ut jubes.
CH. Negocium hoc ad me attinet aurarium.

INTERPRETATIO.

CH. *Non herus, ſed narrator mihi vulneras animum. Si Pellio repreſentet Epidicum, quam Comœdiam perinde diligo, ac me ipſum, nullam video tam ægrè. Sed Bacchis etiam tibi apparuit conſtans?* PI. *Poſtulas? niſi conſtaret eſſe Venerem, affirmarem eſſe Junonem,* CH. *Per ædem Pollucis, Mneſiloche, ut video hanc rem ſe habere, in manu eſt quod ames, inveniendum eſt quod amicæ des. Nam forſitan eſt opus auro ad id.* PI. *Et Philippeo quidem.* CH. *Et fortaſſe* nunc *opus eſt eo.* PI. *Imò etiam citiùs quàm* nunc; *nam miles veniet huc* nunc. CH. *Et profectò miles!* PI. *Qui exigit aurum, ſine quo non dimittet Bacchidem.* CH. *Veniat quando volet, & ita ne mihi moras nectat; domi eſt* aurum: *non timeo: nec mihi mendicandum aurum à quoquam, dum quidem meum hoc pectus armatum erit perfidiâ. Ingredere ædes, ego curabo hic* cætera, *tu dic Bacchidi in ædibus Mneſilochum adeſſe.* PI. *Perficiam mandata,* CH. *Hæc res nummaria ad me ſpectat.*

ANNOTATIONES.

37. *Si agit Pellio.*] Alii, *ſi agit Pollio.* Hi enim dicunt vetuſtum quendam Comœdum illius nominis, Plautinis temporibus minimè probatum; de hoc Symmachus: *Non idem honor in pronunciandis fabulis Pollioni, qui Ambivio fuit.* Lucianus in Nigrino oſtendit accidiſſe perſæpè, ut Tragicorum Comœdorumque opera, alioquin egregiè ſcriptâ, culpâ Hiſtrionum exploſa fuiſſe.

38. *Fortis.*] Id eſt, viſâne tibi conſtans Bacchis inter tædia moratum longarum Mneſilochi? reſpondet Piſtoclerus, eam conſtantiâ æquare Junonem ipſam, ut ſuperat pulchritudine. Alii *formis* tibi viſa eſt, id eſt, *pulchra*; vnde *conformis*; *deformis*; *efformis*; *informis*. Veteres dicebant etiam *formus*, ut *inermus* & *inermis*; *inanimus* & *inanimis*.

42. *Philippeum aurum.*] Cui imago impreſſa Philippi Macedonis, idque laudatiſſimum erat.

43. *Imò etiam prius.*] Dicit non ſolum nunc eſſe opus pecuniâ; ſed etiam priùs, quàm *nunc*. Hyperbolicè, ad ſignificandam celeritatem.

51. *Negotium ærarium.*] In pſeudolo vocat, *commeatum argentarium*; id eſt, parandæ pecuniæ provincia.

Mille

Mille & ducentos Philippos attulimus aureos,
Epheſo quos hoſpes debuit noſtro ſeni.
Inde ego hodie aliquam machinabor machinam,
Unde aurum efficiam amanti herili filio.
Sed foris concrepuit noſtra: quinam exit foras?

INTERPRETATIO.

Attulimus mille & ducentos Philippos aureos Epheſo, quos hoſpes debebat Nicobulo *noſtro ſeni. Ego architectabor inde hodie aliquem dolum, unde comparem aurum filio heri mei amanti. Sed noſtra janua perſtrepuit: quinam prodit foras?*

ANNOTATIONES.

52. *Mille & ducentos Philippos aureos.*] Philippus aureus ponderis erat duorum ſcutatorum aureorum Gallicorum.

53. *Epheſo hoſpes.*] Uno verbo, Epheſo-hoſpes, Epheſo-hoſpitis, Epheſo-hoſpiti, *pro* Epheſio hoſpite. Virgilius, *are-clypeus,*

ACTUS SECUNDUS. SCENA TERTIA.

ARGVMENTVM.

NICOBULUS ſollicitus de ſalute filii, pergit ad Piræeum portum Athenarum, ut interroget de filio aliquem mercatorem, nuper ex Epheſo reverſum. Occurrit Chryſalus, qui confictâ Hiſtoriâ de Archidemidis hoſpitis fraude, reverà fraudat hominem ducentis nummis, ſeu potiùs viam munit ad fraudem.

NICOBVLVS, CHRYSALVS.

NICOBVLVS.

IBo in Piræeum. viſam, ecquæ advenerit
In portum ex Epheſo navis mercatoria.
Nam meus formidat animus, noſtrum tam diu
Ibi deſidere, neque redire filium.
CH. Extexam ego illum pulchrè jam, ſi dii volunt.

INTERPRETATIO.

NICOB. *Pergam in Piræeum; videbo utrum aliqua navis mercatoria ex Epheſo appulerit in portum. Nam mea mens extimeſcit, quòd noſter filius maneat ibi tandiu, neque revertatur.* CH. *Ego illum depilabo planè modò, ſi Diis placet.*

ANNOTATIONES.

1. *Piræeum.*] Portus Athenienſis quadringentarum capax navium, muro duorum millium paſſuum urbi conjunctus.

2. *Epheſo.*] Epheſes urbs Ioniæ ſuo templo Dianæ ſacro, & commercio celebris.

5. *Extexam.*] Id eſt, ſpoliabo auro: extexere eſt telam ſuâ texturâ, aut lanâ nudare.

Si Dii volunt.] Id eſt, cum Diis vo-

Haud dormitandum eſt. opus eſt chryſo Chryſalo.
Adibo hunc, quem quidem ego hodie faciam hîc arietem
Phryxi. itaque tondebo auro uſque ad vivam cutem.
Servus ſalutat Nicobolum Chryſalus.
NI. Prò dî immortales! Chryſale, ubi mihi eſt filius?
CH. Quin tu primùm ſalutem reddis quam dedi?
NI. Salve. ſed ubinam eſt Mneſilochus? *CH.* vivit, valet.
NI. Venítne? *CH.* venit. *NI.* evax, aſperſiſti aquam.
Benéne uſque valuit? pancraticè atque athleticè.
NI. Quid hoc? quâ causâ eum in Epheſum miſeram,
Accepítne aurum ab hoſpite Archidemide?
CH. Heu cor meum & cerebrum, Nicobule, finditur,
Iſtius hominis ubi fit quaque mentio.
Tun'hoſpitem illum nominas hoſtem tuum?
NI. Quid ita obſecro hercle? *CH.* quia edepol certè ſcio,

INTERPRETATIO.

Haud pigritandum eſt. Oportet Chryſalum parare Chryſum. Adibo hunc, quem quidem ego reddam hodie hic arietem Phryxi. Itaque tondebo vellus aureum, uſque ad pellem vivam. Chryſalus ſervus ſalutem dicit Nicobulo. NI. *Proh Dii immortales! Chryſale, ubi eſt meus filius?* CH. *Cur non reſtituis tu prius ſalutem quam impertii?* NI. *Salvus ſis: ſed ubinam eſt Mneſilochus?* CH. *Eſt vita & valetudine incolumi.* NI. *Revertitúrne?* CH. *Revertitur.* NI. *Evax! objeciſti aquam. Recténe ſemper valuit?* CH. *Robuſtè atque viriliter.* NI. *Quid hoc? Accepitne pecuniam ab hoſpite Archidemide, cujus gratiâ eum miſeram hinc in Epheſum?* CH. *Heu! meum cor & meum cerebrum ſcinditur, Nicobule, ſtatimatque ſubit recordatio quavis iſtius hominis. Appelláſne tu illum inimicum, tuum hoſpitem?* NIC. *Quare obſecro per Herculem.* CHR. *Quia per ædem Pollucis certò ſcio*

ANNOTATIONES.

lentibus, adjuvantibus. Catullus:

Paucis, ſi tibi Diis favent, diebus.

Si Dii volunt; Diis bene juvantibus, religioſæ exceptiones ſunt; *ſi Diis placet.* Græci: *σὺν θεοῖς θέλων θεῶν τὰ ἴσα νεμόντων· σὺν θεῷ.* Nos noſtrâ vernaculâ; *S'il plaiſt à Dieu; Dieu aidant; Si Dieu m'en fait la grace.*

6. *Eſt opus Chryſo.*] Eſt alluſio ad nomen Chryſali, quæ videtur eſſe, *ἀπὸ τοῦ Χρύσου*, ex quo facit Latinum *Chryſum* aurum.

7. *Phryxi arietem.*] Athamas Eoli filius. Thebarum Rex, ex Nephele Phrixum & Hellen liberos habuit. Nephele furore Liberi patris incitata in ſylvas abiit relicto Athamante, qui Inonem Cadmi filiam duxit uxorem, Phryxus ſe contulit in Cholchidem ad Oetam Cholchorum Regem, ubi arietem Marti immolavit, ejuſque pellem in ejus templo ſuſpendit. Huc alludit Chryſalus, pollicetúrque ſe detracturum aurum à ſene, ut Phryxus pellem arieti.

13. *Adſperſiſti aquam.*] Terent. in And. *Reddidiſti animum.* Trucul. *Aſperſiſti aquam: jam rediit animus.* Exanimatus eram metu, deficiebámque animo; recreaſti me tuo nuncio, ut recreantur, qui deliquium patiuntur mentis aſpersâ aquâ.

19. *Tun' hoſpitem hoſtem.*] Eſt Paronomaſia. Ovid.

Qui ſic intrabas hoſpes, an hoſtis eras?

Idem:

Hoſtis ut hoſpes init penetralia Collatini.

Vulcanus, Sol, Luna, Dies, dei quatuor,
Sceleſtiorem nullum illuxêre alterum.
NI. Quámne Archidemidem ? *CH.* quàm, inquam, Archidemidem.
NI. Quid fecit ? *CH.* quid non fecit ? quin tu id me rogas
Primum dum inficias ire cœpit filio:
Negare ſe debere tibi triobulum.
Continuò antiquum hoſpitem noſtrum ſibi
Mneſilochus advocavit, Pelagonem ſenem:
Eo præſente homini extemplò oſtendit ſymbolum,
Quem tute dederas ad eum, ut ferret, filio.
NI. Quid, ubi ei oſtendit ſymbolum ? *CH.* infit dicere:
Adulterinum, & non eum eſſe ſymbolum:
Quotque innocenti ei dixit contumelias!
Adulterare eum aiebat rebus cæteris.
NI. Habetin' aurum ? id mihi primùm dici volo.
CH. Poſtquàm quidem Prætor recuperatores dedit,
Damnatus demum, vi coactus reddidit
Ducentos & mille Philippûm. *NI.* tantum debuit.
CH. Porrò etiam auſculta pugnam, quam voluit dare.
NI. Etiámne eſt quid porrò ? *CH.* hem accipe: trina hæc nunc erit.

INTERPRETATIO.

Vulcanum, Solem, Lunam, Diem, quatuor Deos nemini affulſiſſe nequiori. NI. *An quam Archidemidi ?* CH. *Quam, inquam, Archidemidi.* NI. *Quid commiſit ?* CH. *Quid non commiſit ? Quare à me non petis tu id ? Primum dum cœpit inficiari filio: dicere ſe tibi debere ne tres obolos quidem. Statim Mneſilochus advocavit ad ſe Pelagonem ſenem noſtrum antiquum hoſpitem: illico aperuit teſſeram homini, Pelagone præſente, quam tu dederas filio, ut deferret ad eum,* NI. *Quid, quando ei oſtendit teſſeram ?* CH. *Cœpit cauſari falſam eſſe, & non eam eſſe teſſeram. Quot affecit probris filium tuum immeritum ! Dicebat eum adulterare cætera.* NI. *Habetiſne aurum ? Cupio mihi dici in primis id.* CH. *Poſtquam quidem prætor dedit judices, denique condemnatus, vi adductus, reddidit mille & ducentos Philippos.* NI. *Tantum debuit.* CH. *Porrò audi etiam certamen, quod voluit committere.* NI. *Eſtne etiam aliquid præterea ?* CH. *Hem accipe: hæc erunt jam trina certamina.*

ANNOTATIONES.

21. *Vulcanus, Sol, Luna, Dies.*] Cæſar de Germanis: *Deorum numero eos ſolos ducunt, quos vident, Solem, Vulcanum & Lunam.*

25. *Inficias ire cœpit.*] Id eſt, inficias iis negavit. Helleniſmus & Hebraïſmus. Actuum 1. ὧν ἤρξατο ὁ Ἰησοῦς ποιεῖν τε καὶ διδάσκειν: *Quæ Ieſus cœpit facere & docere*: id eſt, quæ facit & docuit.

29. *Oſtendit ſymbolum.*] Alludit ad morem Græcorum; quibus ſymbola quædam, ſeu teſſeræ tabularum loco, & ſyngrapharum erant: ex iis jus dicebatur.

36. *Recuperatores.*] Judices delegati: *Commiſſaires.*

NI. Deceptus ſum. Autolyco hoſpiti aurum credidi.
CH. Quin tu audi. *NI.* imò ingenium avidi haud pernoram hoſpitis.
CH. Poſtquam aurum abſtulimus, in navem conſcendimus,
Domum cupientes. fortè ut aſſedi in ſtegâ,
Dum circumſpecto; atque ego lembum conſpicor:
Longum eſt rigorem maleficum exornarier.
NI. Perii hercle, lembus ille mihi lædit latus.
CH. Is erat communis cum hoſpite & prædonibus.
NI. Adeon' me fuiſſe fungum, ut qui illi crederem?
Cùm mihi ipſum nomen ejus Archidemidis
Clamaret demturum eſſe, ſi quid crederem.
CH. Is lembus noſtræ navi inſidias dabat.
Occœpi ego obſervare eos, quam rem gerant.
Interea è portu noſtra navis ſolvitur.
Ubi portu exiimus, homines remigio ſequi,
Neque aves, neque venti citiùs. quoniam ſentio
Quæ res gereretur, navem extemplò ſtatuimus.

INTERPRETATIO.

NI. *Sum deluſus. Credidi pecuniam Autolyco hoſpiti.* CH. *Quin tu auſculta?* NI. *Imò haud cognoſcebam animum hoſpitis avari.* CH. *Poſtquam accepimus aurum, conſcendimus navem, optantes reverti domum. Fortè ut conſedi in tranſtris, dum circumſpicio, & ego conſpicio lintrem: eſt longum recenſere crudelitatem immanem.* NI. *Interii per Herculem. ille lembus mihi confodit latus.* CH. *Is lembus erat communis cum hoſpite, & cum prædonibus* NI. *Uſque adeò ne me fuiſſe ſtolidum oportet, ut illi conſiderem, cùm ejus nomen ipſum Archidemidis mihi vociferaretur, negaturum eſſe, ſi quid apud eum deponerem?* CH. *Is lembus ſtruebat inſidias noſtræ navi. Ego cœpi obſervare, quod molirentur. Interea noſtra navis diſcedit è portu, prodimus, cœpi urgere homines remigium, neque aves, neque venti velociùs eunt. Quia animadverto quæ compararentur, repentè ſiſtimus navem.*

ANNOTATIONES.

41. *Autolyco.*] Mercurii filius Autolycus, Ulyſſis avus maternus, qui animalium furto abductorum, ſic colorem mutabat, ut ne domini quidem agnoſcerent. Unde jocus Martialis:

Non fuit Autolyci tam piceata manus.

Archidemidem apellat Chryſalus Autolycum, quòd negare depoſitum velit.

44. *Stega.*] *Le Tillac.* στέγη: Conſtratum puppis. Navis conſtrata; tecta. Arbitro, Ciceroni, Cæſari.

46. *Rigorem maleficum.*] Varro legit: *Strigonem maleficum. Strigas* autem vocabant mulieres maleficas, quas etiam noctu volare arbitrabantur; eodem modo *Strigones*, homines maleficos: alii *triconem* legunt. *Trico* autem eſt ille, qui malis ſtrophis creditorem circumducere conatur. Lucilius: *Trico nummarius.*

51. *Archidemidis.*] Eſt vox Græca conflata ex ἄρχειν, *impero.* δῆμος, *populus*; quo magis mirum videtur, quòd Plautus jocandi occaſionem captet ex *demo*, voce Latinâ, quæ in Archidemide incluſa eſt, ſignificátque idem, quod *aufero, tollo; δῆτα.* Tametſi ſcena Græca ſit, vitabant Romani ejuſmodi monſtra nominum, tanquam mali ominis.

55. *Remigio ſequi.*] Alii *remulco.* Feſtus: *Remulco eſt, cùm ſcapha remis navis magna trahitur.*

Quum jam vident nos ſtare, occeperunt ratem
Turbare in portu. *NI.* Edepol mortalis malos!
Quid denique agitis? *CH.* rurſum in portum recipimus.
NI. Sapienter factum à vobis. quid illi poſtea?
CH. Revorſionem ad terram faciunt veſperi.
NI. Aurum hercle auferre voluêre. ei rei operam dabant.
CH. Non me fefellit, ſenſi: eò exanimatus fui.
Quum jam videmus auro inſidias fieri,
Capimus conſilium continuò, poſtridie
Auferimus inde aurum omne, illis præſentibus,
Palàm atque aperte, ut illi id factum ſciſcerent.
NI. Scitè hercle. cedò, quid illi? *CH.* triſtes illico,
Quom extemplo à portu ire nos cum auro vident,
Subducunt lembum capitibus quaſſantibus.
Nos apud Theotimum omne aurum depoſuimus.
Qui illic ſacerdos eſt Dianæ Epheſiæ.
NI. Qui iſtic Theotimus eſt? *CH.* Megalobuli filius,
Qui nunc in Epheſo eſt Epheſiis cariſſimus.
NI. Næ ille hercle mihi ſit multo tanto carior,
Si me illoc auro tanto circumduxerit.
CH. Quid in ipsâ æde Dianæ conditum eſt,
Ibidem publicitus ſervant. *NI.* occidiſtis me.
Nimio hîc privatim ſervaretur rectius.

INTERPRETATIO.

Quia animadvertunt nos conſiſtere, incipiũt laceſſere ratem in portu. NI. *Per ædem Pollucis homines peſtiferos! Quid demum facitis?* CH. *Rurſus nos recipimus in portum.* NI. *Sapienter à vobis geſtum; quid illi poſtea* tentarunt? CH *Veſpertinis horis revertuntur ad terram.* NI. *Per Herculem cupiebant auferre aurum. Ei rei operam navabant.* CH. *Non me latuit. Animadverti. Id extimui, quia intelligimus collocari inſidias auro, conferimus conſilia ſtatim, poſtridie ſubducimus inde omnem pecuniam illis ſpectantibus palam atque publicè, ut illi viderent id eſſe factum.* NI. *Benè per Herculem. Dic, quid interim illi?* CH. *Mœſti repente cernuntur. quando ſpectant ſtatim digredi à portu cum auro, ſubducunt lembum capita concutientes. Nos contulimus aurum ad Theotimum, qui eſt ibi ſacerdos Dianæ Epheſiæ.* N I. *Quis eſt ille Theotimus?* CH. *Filius Megalobuli; qui eſt jam in Epheſo acceptiſſimus Epheſiis.* NI. *Per Herculem ille mihi ſit tanto magis carus, ſi me circumvenerit tantâ auri ſummâ.* CH. *Cùm collocatum eſt in templo ipſo Dianæ, ibi cuſtoditur publicè.* NI. *Me conficitis. Cuſtodiretur multo tutiùs hîc privatim;*

ANNOTATIONES.

71. *Capitibus quaſſantibus.*] *En hochant la teſte*; ſive demiſſis in ſignum mœſtitiæ.

76. *Carior.*] Luſus eſt Plautinus; quia ſi Theotimus onuſtus auro *carior* eſſe recte dicitur à *caritate*, i. eſt, pretio auri, non *carior*, *charitate Chryſali*, id eſt, *amore*.

78. *In ipsâ æde Dianæ conditum eſt.*] Veteres idcircò, ſi quid eſſet auri, in templis deponebant, quòd præſidiis ad id ſervandum publicè poſitis, magis eſſe videretur in tuto, quàm ſi domi ſervatum fuiſſet.

CH. Imò hem tantiſper nunquam te morabitur,
Quin habeas illud quo die illuc veneris.
NI. Cenſebam me effugiſſe, à vitâ maritimâ,
Ne navigarem tandem hoc ætatis ſenex,
Id mihi haud utrum velim licere intellego:
Ita bellus hoſpes fecit Archidemides.
Ubi nunc eſt ergo meus Mneſilochus filius?
CH. Deos atque amicos iit ſalutatum ad forum.
NI. At ego hinc ad illum, ut conveniam quantum poteſt.
CH. Ille eſt oneratus rectè, & plus juſto vehit.
Exorſa hæc tela non malè omnino mihi eſt,
Ut amantem herilem copem facerem filium:
Ita feci, ut auri quantum vellet ſumeret.
Quantum autem libeat reddere, ut reddat patri.
Senex in Epheſum *hinc* ibit aurum arceſſere:
Hîc noſtra agetur ætas in malacum modum.
Si quidem hic relinquet, nec ſecum abducet ſenex
Med & Mneſilochum. quas ego hîc turbas dabo!
Sed quid futurum eſt, cùm hoc ſenex reſciverit?
Cùm ſe excucurriſſe illuc fruſtra ſciverit,
Noſque aurum abuſos? quid mihi fiet poſtea?
Credo hercle adveniens nomen mutabit mihi,
Facietque extemplo Crucisalum me ex Chryſalo
Aufugero hercle, ſi magis uſus venerit.

INTERPRETATIO.

CH. *Imò ſane nunquam cunctabitur, vel minimum, quominus illud accipias, ipſo die quo perveneris illuc.* NI. *Exiſtimabam me immunem eſſe à vitâ maritimâ, ne navigarem tandem ſenex, hac ætate intelligo minimè mihi licere alterutrum facere quod velim. Hanc habeo gratiam lepido hoſpiti Archidemidi. Ubi eſt ergo Mneſilochus meus filius?* CH. *Ivit ad forum ad ſalutandos. Deos atque amicos.* NI. *At mihi hinc ad Archidemedem eundum, ut conveniam quam velociſſimè potero.* CH. *Ille eſt onuſtus egregiè: & bajulat plus æquo. Non ita malè ſum exorſus hanc telam, ut efficiam filium heri copioſum amantem: ſic feci, ut caperet quantùm liberet auri. & ut reddat patri, quantùm voluerit reddere. Senex ibit Epheſum ad aurum arceſſendum: Hic tranſigemus hic noſtrum tempus molliſſimè. Nimirum hic ſenex deſeret me. & Mneſilochum, nec nos abducet ſecum. Quas turbas concitabo, ego hic! Sed quid futurum eſt, quando ſenex cognoverit hec? Quando noverit ſe excucurriſſe fruſtra illuc. noſque auro abuſos? Quid mihi parabitur deinceps? Per Herculem, exiſtimo, reverſus mutabit meum nomen reddétque extemplo me Crucisalum ex Chryſalo. Evadam per Herculem, ſi utilius fuerit.*

ANNOTATIONES.

117. *Copem.*] Copioſum à *copis*, & *copis* à *cops*, inde eſt, *copia*.

121. *In malacum modum.*] *μαλακὸς*, *mollis*.

128. *Crucisalum.*] Quaſi à ſaltu in crucem acto.

Si ero reprehenſus, macto ego illum infortunio:
Si illi ſunt virgæ ruri, at mihi tergum domi eſt.
Nunc ibo, herili filio hanc fabricam dabo,
Super auro, amicáque ejus inventâ Bacchide.

INTERPRETATIO.

Si ero revocatus à fugâ, ego illum mactabo infortunio meo: *ſi ſunt verbera ruri, at mihi tergum domi eſt. Nunc pergam, miniſtrabo hanc machinam filio heri. ſuper auro & Bacchide ejus amicâ inventâ.*

ANNOTATIO.

130. *Si ero reprehenſus.*] Retractus à fugâ Chryſalus, infortunio dominum mactabit mactatus, conſumptis videlicet compluribus virgis, exhauſtis in cedendo ſenis viribus.

ACTUS TERTIUS.

ARGUMENTUM.

LYDUS Pædagogus Piſtocleri, coram Mneſilocho, Philoxeno patri Piſtocleri corruptelas filii detegit, & hoc præſertim, quòd Bacchidem depereat. Mneſilochus ignarus eſſe duas Bacchides, & Samiam amari à Piſtòclero, non Athenienſem, putat ſe proditum ab amico, & pecuniam quâ fraudaverat patrem, ut daret Bacchidi, reddit patri in odium Bacchidis; ſed mox intelligit ſuum errorem.

ACTUS TERTIUS. SCENA PRIMA.

ARGUMENTUM.

LYDUS deplorat corruptelas diſcipuli, & eas ſtatuit detegere patri.

LYDUS.

LYDUS.

PANDITE, atque aperite properè januam hanc orci, obſecro!
Nam equidem haud aliter eſſe duco. quippe quò nemo advenit,
Niſi quem ſpes reliquêre omnes, eſſe ut frugi poſſiet.
Bacchides, non Bacchides, ſed Bacchæ ſunt acerrimæ.
Apage iſtas à me ſorores, quæ hominum ſorbent ſanguinem.
Omnis ad perniciem inſtructa domus opimè atque opipare.
Quæ ut aſpexi, me continuò contuli protinam in pedes.
Egóne ut hæc concluſa geſtem clanculum? ut celem patrem,
Piſtoclere, tua flagitia, aut damna, aut deſpoliabula?
Quibus patrem, & me, téque, amicóſque omnes affectas tuos
Ad probrum, damnum, flagitium appellere unâ & perdere.
Neque mei, neque tui intus puditum eſt factis, quæ facis:
Quibus tuum patrem, méque unà, amicos, affines tuos,
Tuâ infamiâ feciſti geruliſigulos flagitii,
Nunc priusquam malum iſtoc addis, certum eſt jam dicam patri

INTERPRETATIO.

LYD. REſerate & patefacite celeriter hanc portam Orci, rogo! Nam profectò non exiſtimo januam Orci eſſe aliam, quam Bacchidum. Quippe nullus ad eam accedit, quem omnis ſpes non deſtituerit ut bonus eſſe poſſit. Bacchides, non ſunt Bacchides, ſed Bacchæ furioſiſſimæ. Abeant à me iſtæ ſorores, quæ exſugunt ſanguinem hominum. Tota domus eleganter & lautè adornata eſt ad exitium juventutis. Quando eam vidi, me conjeci protinus in fugam. Egóne feram occultè hæc tacitus? Occultémne patri Piſtoclere, tua ſcelera, detrimenta loca in quibus ſpoliaris? In quibus ſtudes perdere, & patrem, & me, & te, & omnes quos tuos amicos, & impellere una in dedecus, detrimentum, ſcelus. Neque puduit te mei, neque tui, in criminibus quæ perpetraſti in his ædibus. Scilicet effeciſti tuo dedecore ut tuus pater, ut ego, ut tui amici affinéſque venirent in partem tui flagitii. Nunc antequam adjicias hoc crimen, decrevi aperire patri.

ANNOTATIONES.

1. *Januam Orci.*] Sic appellat Bacchidum januam. Sic proverbiorum cap. 7. de meretricis ſtabulo: *Via inferi domus ejus.*

5. *Apage iſtas.*] Apage Bacchas iſtas, quæ furore percitæ irruunt in obvium quemque, dilacerant, & ejus ſorbent ſanguinem.

9. *Deſpoliabula.*] Alii *deſidiabula* à *deſidiâ* ut *conciliabula*, à *concilio*; *mendicabula*, à *mendico*.

14. *Geruliſigulos.*] Ab iis qui fictilia vaſa comportant, Bajulorum unum genus pro cæteris. Pro gerulis vitiorum, vel potiùs infamiæ ex flagitiis naſci ſolitæ. Gerulorum autem hoc genus pro alio quovis idcirco uſurpatur, quia maximè contemnebatur apud veteres, ut apud nos bajulorum. Crediderim alludere Poëtam ad vaſa Samia de quibus ſuprà, quia Bacchides erant ex Samo inſula fictilibus vaſis celebri: itaque feciſti nos Geruliſigulos flagitii, id eſt, effeciſti ut in nos recideret univerſum dedecus, quod conſuetudine & familiaritate cum Bacchidibus Samiis initâ contraxiſti.

De me hanc culpam demolibor jam, & ſeni faciam palam,
Ut eum ex lutulento cœno properè hinc eliciat foras.

INTERPRETATIO.

Amoliar à me hanc culpam, & patefaciam ſeni, ut eum educat celeriter ex hoc cœno immundo.

ANNOTATIO.

17. *Ex lutulento cœno.*] Id eſt, ex ganeo & lupanari. Catullus:

——— *ô lutum, lupanar!*

Alii *luculento*; cui verbo ſubeſt grave monitum ad incautam juventutem, nam blanditiæ meretriciæ in ſpeciem ſunt *luculentæ* ac ſplendidæ, re vera lutum & ſordes. Et ut ſupra verſu 6.

Omnis ad perniciem inſtructa domus opimè atque opiparè.

ACTUS TERTIUS. SCENA SECUNDA.

ARGUMENTUM.

MNESILOCHUS ſtatim atque reverſus eſt, pergit ad Philoxenum, ad videndum ejus filium Piſtoclerum, amicum ſuum, ad ſignificandum animum gratum, pro exhibitis ſibi abſenti officiis in quærendâ inveniendâque Bacchide amicâ.

MNESILOCHUS.

MULTISMODIS meditatus egomet mecum ſum, & ita eſſe arbitror:
HOMINI AMICO, qui eſt amicus, ita uti nomen poſſidet,
Niſi deos, ei nihil præſtare. id operâ expertus ſum eſſe ita.
Nam ut in Epheſum hinc abii (hoc factum eſt fermè abhinc biennium)
Ex Epheſo huc ad Piſtoclerum meum ſodalem literas
Miſi, amicam ut mihi inveniret Bacchidem. illum intellego
Inveniſſe, ut ſervus meus mihi nuntiavit Chryſalus.
Condignè is quam techinam de auro adverſum meum fecit patrem,
Ut mihi amanti copia eſſet! ſed *æquum id ei reddere.*

INTERPRETATIO.

MNES. *EGo cogitavi mecum ipſe pluribus modis, & reor rem ita ſe habere, nihil antecellere amico, qui eſt amicus ſicut obtinet nomen* amici, *niſi Deos. Comperi id eſſe ita reipsâ. Nam quando profectus ſum hinc in Epheſum, quod feci fere à duobus annis, miſi epiſtolas huc Epheſo ad Piſtoclerum meum ſodalem, ut mihi reperiret Bacchidem amicam. Audio illum reperiſſe, quemadmodum meus ſervus Chryſalus mihi nuntiavit. Quam Chryſalus ſtruxit opportunè dolum adverſus meum patrem, ad pecuniam ei ſubducendam, ne eâ carerem in amoribus! Sed par eſt rependere id Piſtoclero.*

,, Nam pol quidem, meo animo, INGRATO HOMINE nihil impenſiu'ſt.
,, Malefactorem amitti ſatius, quàm relinqui beneficum.
NIMIO PRÆSTAT impendioſum te, quàm ingratum dicier.
,, Illum laudabunt boni; hoc etiam ipſi culpabunt mali.
Quâ me cauſsâ magis cum curâ eſſe eâ quàm obvigilatè eſt opus.
Nunc, Mneſiloche, ſpecimen ſpecitur, nunc certamen cernitur:
Sis ne nec ne, ut eſſe oportet; malus bonus; cujuſmodi;
Juſtus, injuſtus; malignus, largus; commodus, incommodus.
,, CAVE SIS te ſuperare ſervum ſiris faciundo bene.
Utut eris, moneo, haud celabis. ſed eccos video incedere
Patrem ſodalis, & magiſtrum. hinc auſcultabo quam rem agant.

INTERPRETATIO.

Nam per Pollucem, meâ quidem ſententiâ, nihil eſt injuſtius homine immemori; præſtat maleficum ferre impune crimen, quàm non recordari benemeriti. Præſtat te dici profuſum quàm immemorem. Boni prædicabunt illum. Ipſi mali etiam vituperabunt hunc. Quapropter opus eſt me impenſius curare illud. Nunc, Mneſiloche, videndum eſt, nunc periculum faciendum ſisne, nec ne, ut addecet eſſe; malus, bonus, cujuſmodi eſſe opportet; *juſtus, injuſtus; parcus, largus; facilis, difficilis; vide ſi vis, ne patiaris à ſervo te vinci benefaciendo: qualiſcumque fueris, moneo, haud latebis. Sed ecce video ambulare, patrem Piſtocleri & magiſtrum. hinc audiam quid rerum gerant.*

ANNOTATIONES.

10. *Nihil impenſius.*] Impenſius hoc loco, nihil aliud ſignificat, quam nihil penſi habere ingratum, id eſt, contemnere.

14. *Quâ me cauſâ.*] Perturbata oratio, metiendáque ex iis quæ vult innuere Mneſilochus. Nempe id ſibi incumbere, ne videatur ingratus, id eſſe ſibi providendum.

ACTUS TERTIUS. SCENA TERTIA.

ARGVMENTVM.

LYDUS Piſtocleri pædagogus detegit corruptelas diſcipuli ſui ejus patri, Mneſilocho adſtante & audiente: inter eas Bacchidis amor primus eſt; hinc Mneſilochus arbitratur Piſtoclerum eſſe ſuum rivalem, atque adeò ſibi infidum, & infidam Bacchidem. Ignorat videlicet Bacchides duas eſſe, & non ſuam amari à Piſtoclero: hinc turbæ ingentes.

PHILOXENUS, MNESILOCHUS, LYDUS.

LYDUS.

NUNC experiar, ſitne acetum tibi peracre in pectore.
Sequere. *PH.* quòd ſequar? quò ducis nunc me? *LY.* ad illam, quæ tuum,
Perdidit, peſſumdedit tibi filium uni unicum.
„ *PH.* Eia, Lyde, LENITER qui ſæviunt, ſapiunt magis.
„ MINUS MIRANDUM eſt, illæc ætas ſi quid illorum facit,
„ Quàm ſi non faciat. feci ego iſtæc itidem in adoleſcentiâ.
„ *LY.* HEI MIHI! hei mihi! iſtæc illum perdidit aſſentatio.
Nam absque te eſſet, ego illum haberem rectum ad ingenium bonum:
Nunc propter te tuámque pravus factus eſt fiduciam
Piſtoclerus. *MN.* dii immortales, meum ſodalem hic nominat.
Quid hoc negotii eſt, Piſtoclerum Lydus quòd herum tam ciet?
PH. Pauliſper, Lyde, eſt libido homini ſuo animo obſequi:
Jam aderit tempus, cùm ſeſe etiam ipſe oderit: morem geras:
Dum caveatur, præter æquum ne quid delinquat, ſine.
LY. Non ſino. neque equidem illum me vivo corrumpi ſinam.
Sed tu, qui tam pro corrupto dicis cauſſam filio,
Eadémne erat hæc diſciplina tibi, cùm tu adoleſcens eras?
Nego tibi hoc annis viginti fuiſſe primis copiæ,

INTERPRETATIO.

LYD. *Jam periculum faciam utrum habeas nonnihil vigoris in animo. Sequere.* PH. *Quo ſequar? Quo ducis me nunc?* LY. *Ad eam quæ corrupit & labes fuit tui unici filii.* PH. *Eia Lyde; qui iraſcuntur moderatè, ſunt ſapientiores. Non ita mirum, ſi illa ætas facit aliquid illorum, quàm ſi non faciat: ego feci hæc itidem in adoleſcentiâ.* LY. *Hei mihi, hei mihi! Hæc indulgentia illi exitio fuit; nam ſine te, ille eſſet propenſus ad bonam mentem. Jam tua culpâ, tuaque indulgentiâ Piſtoclerus evaſit improbus.* MN. *Dii immortales! hic appellat meum ſodalem; quid hoc rei eſt, quòd Lydus, ſic vexat Piſtoclerum ſuum herum.* PH. *Libet, Lyde, indulgere pauliſper homini: mox tempus adveniet, quando ſe odio habeat etiam ipſe: indulge, dummodo caveas, ne quid committat præter jus & fas. patere.* LY. *Non patiar, neque ego feram illum inquinari dum vivam. At tu, qui oras cauſam filii tam corrupti; eratne eadem diſciplina olim, quando tu eras adoleſcens? Nego tibi fuiſſe hanc facultatem primis viginti annis, ut efferres pedem*

ANNOTATIONES.

1. *Acetum peracre.*] Id eſt, reprehenſionis ſeveritas, qualis eſſe debet in patre attento in regendis filii diſſoluti moribus. Oleo comparatur monitio amica & mollis.

7. *Aſſentatio.*] Id eſt, indulgentia patris plus æquo remiſſi in reprehendendis filii ſui peccatis.

Dignum longè à pædagogo pedem ut efferres ædibus.
Ante Solem exorientem niſi in palæſtram veneras,
Gymnaſii præfecto haud mediocris pœnas penderes.
Id quoi obtigerat, hoc etiam ad malum arceſſebatur malum,
Et diſcipulus & magiſter perhibebantur improbi.
Ibi curſu, luctando, haſtâ, diſco, pugillatu, pilâ,
Saliendo ſeſe exercebant magis, quàm ſcorto, aut ſaviis:
Ibi ſuam ætatem extendebant, non in letebroſis locis.
Inde de hippodromo & palæſtrâ ubi reveniſſes domum,
Cincticulo præcinctus in ſellâ apud magiſtrum aſſideres:
Cùm librum legeres, ſi unam peccaviſſes ſyllabam,
Fieret corium tam maculoſum, quàm eſt nutricis pallium.
MN Propter me hæc nunc meo ſodali dici diſcrucior miſer.
Innocens ſuſpicionem hanc ſuſtinet cauſſa meâ.
PH. Alii, Lyde, nunc ſunt mores. *LY.* Id equidem ego certò ſcio.
Nam olim populi prius honorem capiebat ſuffragio,
Quàm magiſtro deſinebat eſſe dicto-obediens.
At nunc, priuſquàm ſeptuennis eſt, ſi attingas eum manu,
Extemplo puer pædagogo tabulâ dirumpit caput.
Cùm patrem adeas poſtulatum, puero ſic dicit pater:
NOSTER ESTO, dum te poteris defenſare injuriâ.

INTERPRETATIO.

ab ædibus, vel latum unguem à pædagogo. Niſi adires palæſtram ante Solis ortum, moderator gymnaſii in te animadverteret ſeveriſſime. Et is cui id contingeret, hoc etiam malum alterum accedebat ad malum, ut & diſcipulus & magiſter haberentur improbi. Ibi ſeſe exercebant curſu, luctâ, haſtâ, diſco, ceſtu, pilâ, ſaltu, magis quàm laſciviâ, aut amore. Ibi traducebant ſuam ætatem non in ganeis. Quando redieras domum de hippodromo & palæſtrâ, cingulo ſuccinctus ſedebas apud præceptorem, librum legebas. ſi erraſſes in unâ ſyllabâ, cutis fiebat tam maculata, quàm eſt pallium nutricis. MN. *Enecor infælix hæc exprobrari nunc meo ſodali propter me. Ille incidit in hanc ſuſpicionem innocens.* PH. *Mores juventutis non ſunt nunc ejuſmodi, Lyde* LY. *Equidem hoc minimè ignoro. Nam quondam juvenis adibat magiſtratus ſuffragio populi, antequam deſineret parere magiſtro: ſed jam antequam ſeptem annis natus eſt, ſi eum attigeris manu, continuò puer comminuit caput magiſtro tabulâ. Quando adis patrem ad conquerendum de filio, pater ita affatur puerum: Eris noſter natus, quando poteris propulſare injuriam.*

ANNOTATIONES.

28. *Cincticulo*] Adoleſcentum *cincticulus*, *cinctus* virorum erat, utrumque utrique ætati modeſtiæ continentiæque commune ſignum.

30. *Nutricis pallium.*] Id eſt, nutricis Deorum Cybeles, quod factum eſt ex pellibus pantherarum, quæ ſunt maculis aſperſæ.

37. *Tabula.*] *Tabula litteraria*, quæ ferebatur ad ludum litterarium, utrinque obducta ceris, in quâ quando acumine ſtili aliquid exaraverat diſcipulus, ſi minùs probaretur à Magiſtro, verſo ſtilo qui altera parte erat latus, oblinebatur.

39. *Noſter eſto.*] *Vous ſerez mon fils.*

Provocatur pædagogus : eho ſenex minimi preeii,
Ne attigas puerum iſtac cauſſâ, quando fecit ſtrenuè.
It magiſter quaſi lucerna uncto expretus linteo,
Itur illinc jure dicto. hoccine hic pacto poteſt
Inhibere imperium magiſter, ſi ipſus primus vapulet?
MN. Acris poſtulatio hæc eſt! cùm hujus dicta intellego,
Mira ſunt, ni Piſtocletus Lydum pugnis contudit.
PH. Sed quis hic eſt, quem aſtantem video ante oſtium? *LY.* O
Philoxene
MN. Deos propitios me videre, quàm illum, mavellem mi...
PH. Quis illic eſt? *LY.* Mneſilochus, gnati tui ſodalis Piſtocl...
Haud conſimili ingenio atque ille eſt, qui in lupanari accubat
Fortunatum Nicobulum, qui illum produxit ſibi.
PH. Salvus ſis, Mneſiloche: ſalvum te advenire gaudeo.
MN. Dii te ament Philoxene. *LY.* hic enim ritè productu...
patri
In mare it, rem familiarem curat, cuſtodit domum,
Obſequens obedienſque eſt mori atque imperiis patris.
Hic ſodalis Piſtoclero jam puer puero fuit.
Triduum non interest ætatis uter major ſiet:
Verùm ingenium plus triginta annis majus eſt, quàm alteri.
PH. Cave malum, & compeſce in illum dicere injuſtè. *LY.* tace
STULTUS ES, QUI illi male ægrè patere dici, qui facit.

INTERPRETATIO.

Vocatur pædagogus in medium. Heus, ſenex viliſſime, ne attingas puerum idcirco, quia fecit ſtrenuè. Litterator recedit contemptus obductis vulneribus uncto linteo. Diſcedit hinc judicio pronunciato: hic magiſter poteſtne exercere imperium, ſi ipſe primus det pœnas hac ratione? MN. Hæc accuſatio eſt vehemens quando audio hujus orationem, puto Piſtoclerum pugnos impegiſſe Lydo PH. Sed quis eſt ille quem video ſtantem ad januam? LY. O Philoxene. MN. Mallem conſpicari Deos mihi faventes, quàm iſtum. PH. Quis ille eſt? LY. Mneſilochus ſodalis Piſtocleri tui filii, non ingenio pari, atque ille eſt, qui accubat in luſtris. Fœlicem Nicobulum, qui illum genuit. PH. Salve, Mneſiloche, lætor te reverſum eſſe incolumem. MN. Dii te ament, Philoxene. LY. Hic enim fœliciter productus eſt a patre. It in mare, procurat rem familiarem, tuetur domum, obſequitur paretque voluntati atque mandatis patris. Hic fuit ſodalis Piſtocleri puer puer. Non tres intercedunt dies inter utrumque natalem; ſed animus maturior eſt triginta annis, quàm alteri. PH. Vide ne malum accipiat, ni temperes loqui in illum immeritò. LY. Tace, deſipis, qui inique fers illi dici malè, qui facit malè.

ANNOTATIONES.

42. *Lucerna.*] Id eſt laterna, in quâ eſt lucerna. Laternæ fiebant ex tenui linteo, & quò erumperet lumen magis, oleo inungebantur, ut jam cancellorum papyrus. Comparat caput pædagogi linteo cinctum, cum laterna.

48. *Deos propitios.*] Contrarium pro contrario, id eſt, malim habere Deos iratos, quàm Lydum.

Nam illum meum malum promtare malim, quàm peculium.
PH. Quî dum? *LY.* quia, malum ſi promtet, in dies faciat minus.
MN. Quid ſodalem meum caſtigas, Lyde, diſcipulum tuum?
LY. Periit tibi ſodalis. *MN.* ne dî ſirint. *LY.* ſic eſt, ut loquor.
Quin ego cùm peribat vidi, non ex audito arguo.
MN. Quid factum eſt? *LY.* meretricem indignè deperit. *MN.* non tu taces?
LY. At quæ acerrimè ac æſtuosè abſorbet, ubi quemque attigit.
MN. Ubi ea mulier habitat? *LY.* hic. *MN.* unde eam eſſe aiunt? *LY.* ex Samo.
MN. Quæ vocatur? *LY.* Bacchis. *MN.* erras, Lyde: ego omnem rem ſcio,
Quemadmodum eſt. tu Piſtoclerum falsò atque inſontem arguis.
Nam ille amico & benevolenti ſuo ſodali ſedulò
Rem mandatam exſequitur. ipſus nec amat: ne tu creduas.
LY. Itáne oportet rem mandatam gerere amici ſedulò,
Ut ipſus in gremio oſculantem mulierem teneat ſedens?
* * * * *
* * * * *
* * * * *
* * * * *
Me præſente, neque pudere quicquam. quid verbis opus eſt?
Mihi diſcipulus, tibi ſodalis periit, huic filius.

INTEPRETATIO.

Nam malim illum depromere malum, quàm pecuniam. PH. *Quare?* LY. *Quia, ſi depromat malum, faciet minus in dies.* MN. *Quare reprehendis meum ſodalem, Lyde, tuum diſcipulum?* LY. *Tuus ſodalis periit.* MN. *Dii prohibeant.* LY. *Res eſt ſicut dico. quin ego vidi quando periit. non dico ex audito.* MN. *Quid fecit?* LY. *Perditè amat meretricem.* MN. *Tu non ſiles?* LY. *Et eam* meretricem, *quæ vorat avidè atque fervidè quemque ſtatim atque attigit.* MN. *Ubi ea mulier manet?* LY. *Hic.* MN. *Unde aiunt eſſe eam.* LY. *Ex Samo.* MN. *Quomodo vocatur?* LY. *Bacchis.* MN. *Erras, Lyde. Ego novi omnem rem ut eſt. Tu arguis Piſtoclerum falſo & innocentem. Etenim ille obit ſedulo rem quæ demandata eſt ei à ſuo ſodali, amico, & benevolo. Ipſe non amat: nec tu credideris.* LY. *Oportétne obire negotia amico tam ſedulò, ut ipſe ſedens teneat in ſinu mulierem quæ oſculatur?*

* * * * * * * * * * * * *

me inſpectante, neque eum pudebat ullomodo. Quid plura? Meus diſcipulus periit, tuus ſodalis, filius hujus.

ANNOTATIO.

61. *Promptare.* Philoxenus dixit Lydo, *cave malum*, quæ comminatio eſt. Lydus alio rapit comminationem, quaſi mandet Philoxeno, ne ma[illegible] tamen [illegible]um a[illegible]dat, atque in eum ſenſum reſpondet Lydus malum promptari, id eſt, detrahi malo, quàm peculio; nam ſi malo detrahas, fiat minus, quod non eſt reformidandum; ſi peculio detrahatur, demum exhaurietur: vernilis & illiberalis jocus.

„ Nam Ego illum periiſſe duco, cui quidem periit pudor.
Quid opu'ſt verbis? ſi opperiri vellem pauliſper modò,
Ut opinor, illius inſpectandi mihi eſſet major copia:
Plus vidiſſem quàm deceret, quàm me atque illo æquum foret.
MN. Perdidiſti me ſodalis. egóne illam mulierem
Capitis non perdam? perire me malis mâlim modis
„ Satin ut quem tu habeas fidelem tibi, aut cui credas, neſcias?
LY. Viden', ut ægrè patitur gnatum eſſe corruptum tuum,
Suum ſodalem! ut ipſus ſeſe cruciat ægritudine!
PH. Mneſiloche, hoc tecum oro, ut illius animum atque ingenium regas.
Serva tibi ſodalem, & mihi filium. *MN*. factum volo.
PH.. In te ergo hoc onus omne impono. Lyde, ſequere hac me
LY. ſequor.
Melius eſſet, me quoque unà ſi cum illo relinqueres.
PH. Affatim eſt, Mneſiloche: cura, & concaſtiga hominem probè,
Qui dedecorat te, me, amicos, atque alios flagitiis ſuis.

Interpretatio.

Nam equidem exiſtimo perditum eſſe eum. qui perdidit verecundiam. Quid plura? Si vellem expectare modò paulisper. ut opinor habuiſſem majorem facultatem illius agnoſcendi, plus vidiſſem quàm deceret. quam conveniret mihi atque illi. MN. *Me perdidiſti, ſodalis; egóne non perdam illam mulierem? Malim interire male. Satiſne ſcire queas, qui ſit fidelis, aut cui confidas.* LY. *Vidéſne ut hic fert impatienter tuum filium, ſuum ſodalem, eſſe vitio deditum! ut ipſe ſeſe cruciat dolore!* PH. *Mneſiloche, hoc à te peto, ut modereris illius mentem atque ingenium; ſerva tuum ſodalem, & meum filium.* MN. *Faciam.* PH. *Ergo derivo in te omnem hanc provinciam. Lyde ſequere hàc me.* LY. *Sequor. Præſtaret, ſi me relinqueres etiam unà cum illo.* PH. *Abunde eſt, Mneſiloche cura, & increpa hominem naviter. qui dedecore afficit me, te, amicos, atque alios ſuis ſceleribus.*

Annotatio.

88. *Viden' ut egrè,*] Mneſilochus hoc loco Piſtoclerum animadvertit præripuiſſe ſuam Bacchidem, quo permotus excandeſcit. Lydus & Philoxenus amore in Piſtoclerum efferri exiſtimant, & dolore, quòd ſic corruptus fuerit à meretrice Piſtoclerus.

ACTUS TERTIUS. SCENA QUARTA.

ARGUMENTUM.

Ratus Piſtoclerum eſſe infidum infidámque Bacchidem, expoſtulat Mneſilochus, ſtatuit aurum quo patrem fraudaverat reddere patri.

MNESILOCHUS.

MNESILOCHUS.

AMICIOREM nunc utrum credam magis
Sodalémne eſſe, an Bacchidem, incertum admodum eſt.
Illum exoptavit potius? habeat. optimè eſt.
Næ illa illud hercle cum malo fecit ſuo, meo.
Nam mihi divini nunquam quiſquam creduat,
Ni ego illam exemplis plurimis planéque amo.
Ego faxo haud dicet nactam, quem derideat.
Nam jam domum ibo, atque aliquid ſurripiam patri.
Id iſti dabo. ego iſtanc multis ulciſcar modis:
Adeò ego illam cogam uſque, ut mendicet meus pater.
Sed ſatine ego animum mente ſincerâ gero?
Qui ad hunc modum hæc hîc, quæ futura, fabulor,
Amo hercle, opinor, utpote quod pro certo ſciam.
Verùm quàm illa unquam de meâ pecuniâ
Ramentâ fiat plumeâ propenſior,
Mendicum malim mendicando vincere.
Nunquam edepol viva me irridebit. nam mihi
Decretum eſt renumerare jam omne aurum patri.

INTERPRETATIO.

MNES. Eſt valde dubium uter ſit magis amicus, ſectúſne, an Bacchis. Illum maluit habere? Habeat ſane; benè eſt. Per Herculem illa commiſit id in ſuum exitium & meum. Nam nemo unquam quidquid mihi ſacri confidat, niſi ego omni ratione unicéque amo. Ego efficiam ne dicat ſe eſſe nactam, quem ludibrio habeat. Nam jam pergam domum, atque ſuffurabor nonnihil patri; & prebebo iſti: ego pœnas repetam ab iſta omni ratione: ego illam cogam, ut meus pater ſemper mendicet. Sed habeóne animum ſatis ſanum? Qui loquor hæc, hîc, hoc modo, quæ futura ſunt? Amo per Herculem, ut arbitror, & hoc certo ſcio. Sed malim ſuperare mendicum mendicando, quàm unquam illa evadat gravior ramento pluraei ponderis de meâ pecuniâ. Per ædem Pollucis nunquam m[illegible]des in vitâ. Etenim conſtitui reſt[illegible]ri jam omnem pecuniam.

ANNOTATIONES.

4. *Suo, meo.*] Id eſt, utriuſque damno & incommodo factum, ut Bacchis Piſtoclerum Mneſilocho prætulerit. Sunt qui jungant duo verba *ſuo - meo.*

5. *Mihi divini nunquam quiſquam creduat.*] Jurisjurandi genus veteribus familiare. Quaſi dicas: ſi hoc ita eſt, credere per me licet, me eſſe tam infidum, ut ne ſacra quidem mihi tutò credantur: uno verbo, me paratum eſſe committere ſacrilegium.

6. *Exemplis plurimis.*] Apoſiopeſis, id eſt multis modis mactabo. Idque eo conſilio ut exprimat Mneſilochi amore inſanientis perturbationem; nam quaſi inceptæ orationis, & comminationis pœniteret, ait, *planéque amo*, pro *planéque odi.*

10. *Mendicet meus pater.*] Pro *mendicet* Bacchis mihi infida.

15. *Ramentâ plumeâ propenſior.*] Ramentum eſt quod de metallo auro & argento raditur.

Igitur mihi inani atque inopi ſubblandibitur:
Tum, cùm *meâ illud* nihilo pluris referet;
Quàm ſi ad ſepulcrum mortuo dicat jocum.
Sed antequam illa unquam meis opulentiis
Ramentâ fiat gravior, aut propenſior,
Mori me melim excruciatum inopiâ.
Profectò ſtabile eſt me patri aurum reddere.
Eâdem exorabo, Chryſalo cauſſâ meâ
Pater ne noceat: neu quid ei ſuccenſeat
Meâ cauſsâ de auro, quòd eum ludificatus eſt.
Nam illi æquum eſt me conſulere, qui cauſsâ meâ
Mendacium dixit. *nunc* vos me ſequimini.

INTERPRETATIO.

Itaque adulabitur mihi vacuo, atque egeno: tum, cum illud nihilo illi proderit magis, quàm ſi dicat jocum mortuo ad ejus tumulum. Verùm priuſquam unquam Bacchis onuſtior, aut ditior ramento meis opibus, malim me interire egeſtate confectum. Sanè ſtat reſtituere pecuniam patri; eâdem operâ obteſtabor, ne pater animadvertat in Chryſalum propter me: ne eum objurget propter me de auro, quòd ei ſubduxit. Nam par eſt me eum tutari, qui dixit mendacium propter me. Nunc vos ſequimini me.

ANNOTATIO.

21. *Mortuo dicat jocum.*] Proverbialis forma, in rebus abſurdis.

ACTUS TERTIUS. SCENA QUINTA.

ARGUMENTUM.

DISCEDIT à Bacchidibus Piſtoclerus, pollicitus affuturum ſe ſtatim cum Mneſilocho.

PISTOCLERUS.

REBUS aliis antevortar, Bacchis, quæ mandas mihi:
Mneſilochum ut requiram, atque ut eum mecum ad te adducam ſimul.
Nam illud animus meus miratur, ſi à me tetigit nuncius,
Quid remoratur. ibo, & viſam huc ad eum, ſi fortè eſt domi.

INTERPRETATIO.

PIST. *MEa Bacchis anteponam unum aliis rebus, quas mihi commendas*, nempe *ut quaram Mneſilochum. Atque ut ad te eum reducam ſimul mecum. Nam id miror quid eum retineat, ſi nuncius, quem ego miſi, ad eum pervenit: pergam, & videbo, ſi eſt forſitan domi.*

ANNOTATIONES.

1. *Mecum.*] Alij *medicum*, ut medeatur tædio. Alii *medecum* pro *mecum* antiquitus.

3. *Si à me tetigit nuncius.*] Si nuntius ad eum meo nomine pervenit,

ACTUS TERTIUS. SCENA SEXTA.

ARGUMENTUM.

MNESILOCHUS teſtatur Piſtoclero dolorem ſuum; quòd Bacchidem amicam præripuerit. Aperit Mneſilocho Piſtoclerus duas eſſe Bacchides.

MNESILOCHUS, PISTOCLERUS.

MNESILOCHUS.

REDDIDI patri omne aurum. nunc ego illam me velim
Convenire, poſtquam inanis ſum, contemtricem meam.
Sed veniam mihi quàm gravatè pater dedit de Chryſalo!
Verùm poſtremò impetravi, ut ne quid ei ſuccenſeat.
PI. Eſtne hic meus ſodalis? *MN.* eſtne hic hoſtis, quem aſpicio meus?
PI. Certè is eſt. *MN.* is eſt. *PI.* adibo contra. *MN.* attollam gradum.
PI. Salvus ſis, Mneſiloche. *MN.* ſalve. *PI.* ſalvus cum peregrè advenis,
Cœna detur. *MN.* NON PLACET mihi cœna, quæ bilem movet.
PI. Num quæ advenienti ægritudo objecta eſt? *MN.* atque acerrima.
PI. Unde? *MN.* ab homine, quem mihi amicum eſſe arbitratus ſum antidhac.
„ *MI.* MULTI MORE iſto atque exemplo vivunt, quos cùm cenſeas
„ Eſſe amicos, reperiuntur falſi falſimoniis;
„ Linguâ factioſi, inertes operâ, ſubleſtâ fide.

INTERPRETATIO.

MNES. *Renumeravi omnem pecuniam patri: jam jam ego vellem mihi occurrere illam, quæ me aſpernata eſt, poſtquam non eſt ampliùs aurum. Verùm quàm invito animo pater mihi conceſſit veniam pro Chryſalo! ſed demum conſecutus ſum, ut non ei iraſcatur.* PIST. *Eſtne ille meus ſodalis?* MN. *Eſtne ille meus inimicus. quem video?* PI. *Profectò ipſe eſt.* MN. *Ipſe eſt.* PI. *Ibo obviam.* MN. *Conferam gradum.* PI. *Salvus ſis, Mneſiloche.* MN. *Salvus ſis.* PI. *Quoniam reverſus es à longè incolumis, præbeatur convivium.* MN. *Epulæ non me delectant, quæ cient bilem.* PI. *Aliqua ægritudo accidit advenienti?* MN. *Eaque moleſtiſſima.* PI. *Unde?* MN. *Ab homine, quem exiſtimabam antea meum amicum.* PI. *Complures ſunt hujuſmodi, quando putas eſſe amicos, inveniuntur falſi fallaciis ſuis; ſermone ſtrenui, ignavi re, fide caducâ.*

ANNOTATIONES.

11. *Falſi falſimoniis.*] Id eſt, dolis, fallaciis.

13. *Lingua factioſi.*] A *facio*: quaſi multa faciant, & præſtent linguâ non re.

Subleſtâ fide.] Fluxâ & fragili. Feſtus: *Subleſta ſunt infirma, tenuia.* Nonius: *Subleſtum eſt leve, frivolum.*

Nullus eſt, quoi non invideant rem ſecundam obtingere,
Sibi ne invideatur, ipſi ignavi rectè cavent.
MN. Edepol næ tu illorum mores per quàm meditatè tenes.
Sed etiam unum hoc ex ingenio malo malum inveniunt ſuo:
Nulli amici ſunt, inimicos ipſi in ſeſe omnis habent.
Atque ji ſe cùm fruſtrantur, fruſtrari alios ſtolidi exiſtimant.
Sicut eſt hic, quem eſſe amicum ratus ſum, atque ipſus ſum mihi:
Ille, quod in ſe fuit, accuratum habuit, quod poſſet mali
Facere, & in me inconciliare copias omnis meas.
PI. Improbum iſtunc eſſe oportet hominem. *MN.* ego ita eſſe arbitror.
PI. Obſecro hercle loquere, quis is eſt? *MN.* benevolens vivit tibi.
Nam ni ita eſſet, tecum orarem, ut ei, quod poſſes mali
Facere, faceres. *PI.* dic modò hominem, qui ſit: ſi non fecero
Ei malè aliquo pacto, me eſſe dicito ignaviſſimum.
MN. Nequam homo eſt, verùm hercle amicus eſt tibi. *PI.* tanto magis
Dic, quis eſt. NEQUAM hominis ego parvipendo gratiam.
MN. Video non poteſſe, quin tibi ejus nomen eloquar.
Piſtoclere, perdidiſti me ſodalem funditus.
PI. Quid iſtuc eſt? *MN.* quid eſt? miſíne ego ad te ex Epheſo epiſtolam
Super amicâ, ut mihi invenires? *PI.* fateor factum, & repperi.
MN. Qui, tibi non erat meretricum aliarum Athenis copia
Quibus cum haberes rem, niſi cum illâ, quam ego mandaſſem, tibi?

INTERPRETATIO.

Nullus eſt, cui non evenire doleant res ſecundas. Ipſi imbelles provident diligenter, ne invideatur ſibi. MN. *Per ædem Pollucis tu noviſti apprime illorum inſtituta. Sed incurrunt in unum incommodum propter ſuum malum ingenium: videlicet, nulli ſunt eorum amici. ipſi ſunt omnium inimici: & quando ſe ipſi decipiunt, amentes arbitrantur alios decipi; cujuſmodi eſt hic, quem exiſtimavi eſſe perinde amicum, atque ſum mihi ipſe. Ille fecit, quantum in ipſo fuit, quidquid poſſet facere mali, & à me abalienavit omnia mea præſidia.* PI. *Oportet illum hominem eſſe nequam.* MN. *Ego reor ita eſſe.* PI. *Rogo per Herculem, dic quis eſt ille?* MN. *Eſt qui tibi vult bene. Nam niſi eſſet ita, te rogarem, ut ei machinareris quidquid poſſes machinari malorum.* PI. *Dic modò, qui ſit homo; ſi non eum ultus fuero quoquo modo, dic me eſſe ignaviſſimum.* MN. *Eſt homo malus, ſed per Herculem eſt tuus amicus.* PI. *Tanto lubentiùs dic, quis ſit. Ego parvi facio amicitiam hominis peſſimi.* MN. *Video non poſſe, quin tibi edicam ejus nomen. Piſtoclere, me perdidiſti tuum ſodalem funditùs.* PI. *Quid eſt illud?* MN. *Quid eſt? Nonne ego miſi ad te Epheſo epiſtolam, ut quæreres meam amicam?* PI. *Fateor, factum eſt, inveni.* MN. *Non erant aliæ mulieres Athenis quas amares potiùs quàm illam, quam ego tibi commendaſſem?*

ANNOTATIO.

22. *Inconciliare.*] *Irritare.* Horatius: *Inimicare.*

Occiperes tu te amare, & me ires conſultum malè?
PI, Sanun' es? *MN*. rem repperi omnem ex tuo magiſtro, ne nega.
Perdidiſti me. *PI*. etiámne ultrò tuis me prolectas probris?
MN. Quid amas Bacchidem? *PI*. duas ergo hîc intus eccas Bacchides.
MN. Quid, duæ? *PI*. atque ambas ſorores. *MN*. loqueris nunc nugas ſciens,
PI. Poſtremò, ſi pergis parum mihi fidem arbitrarier,
Tollam ego ted in collum, atque intrò hinc auferam. *MN*. imò ibo: mane.
PI. Non maneo, neque tu me habebis falsò ſuſpectum. *MN*. [ſequor.

INTERPRETATIO.

Tu inciperes eam amare, & mihi injuriam inferres? PI. *Eſne ſanus?* MN. *Comperi omnem rem ex tuo pædagogo, ne diffiteare, perdidiſti me.* PI. *Etiámne laceſſis ultro tuis maledictis?* MN. *Quare amas Bacchidem?* PI. *Ecce ſunt in ædibus duæ Bacchides.* MN. *Quid duæ?* PI. *Atque duæ ſorores.* MN. *Dicis nunc nænias ſciens.* PI. *Demum ſi pergis exiſtimare mihi non habendam eſſe fidem, ego tollam te in humeros, & te auferam hinc in ædes.* MN. *Imò ibo, mane.* PI. *Non maneo, neque tu me falsò ſuſpicaberis.* MN. *Sequor.*

ANNOTATIONES.

36. *Me ires conſultum malè.*] *Me*, pro, *mihi*; antiquitùs, *mihi malè conſuleres.*

38. *Prolectas.*] *Provocas.*

41. *Parum mihi fidem arbitrarier.*] Ellipſis, *eſſe habendam*; ad concitationem animi exprimendam.

ACTUS QUARTUS.

ARGUMENTUM.

CHRYSALUS ſervus Mneſilochi fraudibus ſuis & technis, ducentos Philippeos à Nicobulo Mneſilochi patre recipit, quos det Bacchidi amicæ Mneſilochus.

ACTUS QUARTUS. SCENA PRIMA.

ARGUMENTUM.

PARASITUS Cleomachi militis ab hero venit ad Bacchidem, comite pediſſequo, mandatque ut aut numeret pecuniam, aut ſeſe comparet ad migrandum Athenis in Elatiam.

PARASITVS, Puer.

PARASITUS ego ſum hominis nequam atque improbi
Militis, qui amicam ſecum avexit ex Samo.
Nunc me ire juſſit ad eam, & percunctarier,
Utrum aurum reddat, anne eat ſecum ſimul.
Tu dudum, puer, cum illâ uſque iſti ſimul;
Quæ harum ſunt ædes, pulta: adi actutum ad fores.
Recede hinc dierecte. ut pulſat propudium!
Comeſſe panem tris pedes latum potes,
Fores pultare neſcis! ecquis his in ædibus eſt?
Heus ecquis hîc eſt? ecquis hoc aperit oſtium?
Ecquis exit?

INTERPRETATIO.

PAR. *EGo ſum Paraſitus hominis iniqui, atque ſceleſti militis, qui attulit ſecum amicam ex Samo. Nunc imperavit me pergere ad eam, & ſciſcitari utrum velit renumerare pecuniam, aut proficiſci ſecum. Tu, puer, qui es ejus pediſſequus à longo tempore, impelle has fores, quæ ſunt Bacchidum: accede citò ad oſtium. Abi hinc furcifer, ut ferit impurus! Potes manducare fruſtum panis latum tribus pedibus, nequis impellere oſtium! Ecquis eſt in iſtis tectis? Heus ecquis eſt hic? Ecquis aperit hanc januam? Ecquis egreditur?*

ANNOTATIONES.

4. *Anne eat.*] In Elatiam, in quam, vel eundum eſt Bacchidi cum Cleomacho, aut ipſi Cleomacho rependenda pecunia à Bacchide.

5. *Iſti.*] Iviſti.

7. *Dierecte.*] *Pandart.* Sub *dio erectum, ſublimem, rigentem*; ſignificat.

Propudium.] *Effronſe.* Qui longè pudorem excuſſit, amandavit.

8. *Comeſſe.*] Hyperbole panem tres pedes latum, pro fruſto panis graviore.

ACTUS QUARTUS. SCENA SECUNDA.

ARGVMENTVM.

PULSANTEM petulantiùs ad oſtium Bacchidis Piſtoclerus paraſitum convitiis miniſque ſummovet, negatque aditum.

PISTOCLERVS, PARASITVS.

PISTOCLERVS.

QUID iſtuc? quæ iſtæc eſt pulſatio?
Quæ te mala crux agitat: ad iſtunc qui modum
Alieno vires tuas extentes oſtio?
Fores penè effregiſti. quid nunc vis tibi?
PA. Adoleſcens ſalve. *PI.* ſalve. ſed quem quæritas!
PA. Bacchidem. *PI.* utram ergo? *PA.* nihil ſcio, niſi Bacchidem.
Paucis me miſit miles ad eam Cleomachus;
Vel ut ducentos Philippos reddat aureos,
Vel ut hinc in Elatiam hodie eat ſecum ſimul.
PI. Non it, negato eſſe ituram. abi, & renuncia.
Alium illa amat, non illum. duc te ab ædibus.
PA. Nimis iracundè. *PI.* at ſcin' quàm iracundu ſiem?
Næ tibi hercle haud longè eſt os ab infortunio,
Ita dentifrangibula hæc meis manibus geſtiunt.
PA. Cum ego hujus verba interpretor, mihi cautio eſt,
Ne nucifrangibula excuſſit ex mâlis meis.
Tuo ego iſtæc igitur dicam illi periculo.
PI. Quid ais tu? *PA.* ego iſtuc illi dicam. *PI.* dic mihi,
Quis tu es? *PA.* illius ſum integumentum corporis.
PI. Nequam eſſe oportet, cui tu integumentum improbus es.

INTERPRETATIO.

PIST. *Quid illud* eſt? *Quanam eſt hac pulſatio? Quæ intemperiæ te vexant, qui ita contendas tuum robur* in pulſanda *janua aliena? Propemodum oſtium comminuiſti. Quid rogas nunc?* PA. *Sis ſalvus adoleſcens.* PI. *Sis ſalvus; ſed quem petis?* PA. *Bacchidem.* PI. *Utram petis?* PA. *Neſcio, niſi Bacchidem. Miles Cleomachus me miſit ad illam, ut alloquar paucis, vel ut renumeret ducentos Philippeos aureos, vel ut proficiſcatur hodie ſecum in Elatiam.* PI. *Non proficiſcitur, dic non eſſe ituram; perge & id refer* ad eum. *Illa amat alium, non Cleomachum; exi ab ædibus.* PA. *Nimis ferociter!* PI. *At libétne ſcire quàm ſim iracundus? Per Herculem os tuum non abeſt longè à malo, adeò hæc densi frangibula geſtiunt meis pugnis.* PA. *Dum ego explico hujus verba, mihi providendum eſt, ne excutiat nucifrangibula ex meis maxillis. Itaque ego ad illum referam hæc tuo periculo.* PI. *Quid ais tu?* PA. *Ego ad illum referam illud.* PI. *Dic mihi, quis tu es?* PA. *Sum integumentum illius corporis.* PI. *Oportet eum eſſe nequam, cui tu, qui es tam improbus, es integumentum.*

ANNOTATIONES.

14. *Dentifrangibula.*] Sunt pugni duo. Vocabulum à Plauto factum, à dentibus frangendis.

16. *Nucifrangibula.*] *Caſſe-noiſettes.* Maxillæ.

Integumentum corporis.] Pro *lateris.*

PA. Sufflatus ille huc veniet. *PI.* diruptum velim.
PA. Num quid vis? *PI.* abeas celeriter. facto eſt opus.
PA. Vale dentifrangibule. *PI.* & tu, integumentum, vale.
In eum nunc hæc revenit res locum, ut quid conſilii
Dem meo ſodali ſuper amicâ, neſciam,
Qui iratus reddumeravit omne aurum patri,
Neque nummus ullu'ſt, qui reddatur militi.
Sed huc concedam. nam concrepuerunt fores.
Mneſilochus eccum mœſtus progreditur foras.

INTERPRETATIO.

PA. *Ille veniet huc inflatus iracundiâ.* PI. *Optem diruptum.* PA. *Vt ne aliquid mandare.* PI. *Abſiſte velociter. Oportet facere.* PA. *Vale dentifrangibule.* PI. *Et tu integumentum, vale. Hæc res redit nunc eò loci, ut ignorem quid conſilii dem meo ſodali ſuper amicâ, qui iratus reddidit omnem pecuniam patri, neque eſt ullus nummus, qui reſtituatur militi. Sed huc me recipiam. Nam janua ſtrepuit. Ecce Mneſilochus prodit foras triſtis.*

ACTUS QUARTUS. SCENA TERTIA.

ARGUMENTUM.

MNESILOCHUS deplorat calamitatem ſuam, quòd tam temerè reddiderit pecuniam, quam patri ſuffuratus erat, ut daret Bacchidi. Conſolatur eum Piſtoclerus.

MNESILOCHUS, PISTOCLERUS.

MNESILOCHUS.

PETULANS, protervo, iracundo animo, indomito, incogitato,
Sine modo & modeſtiâ ſum, ſine bono jure atque honore,
Incredibilis, improſque animi, inamabilis, illepidus vivo,
Malevolente ingenio natus. poſtremò id mihi eſt, quod nolo
Ego eſſe aliis. credibile hoc eſt? nequior nemo eſt, neque indignior,
Quoi dii benefaciant, neque quem quiſquam homo aut amet, aut adeat.

INTERPRETATIO.

MNES. *SUm præceps, mente cæcâ. furente, effrens, inconſideratâ, ſine disciplinâ & moderatione. ſine æquitate & honore, ſum fide nullâ dignus, impotens, odioſus, injucundus, invito genio natus. Uno verbo ejuſmodi ſum, quales ego nolim alios eſſe. Idne eſt credendum? Nemo eſt pejor; neque magis indignus beneficiis Deorum; neque quem quivis homo, aut diligat, aut conveniat.*

Inimicos

Inimicos quàm amicos æquius eſt me habere : malos quàm bonos
Par magis me juvare. omnibus probris, quæ improbis viris
Digna ſunt, dignior nullus eſt homo : qui patri reddidi
Omne aurum amans, quod fuit præ manu. ſúmne ego homo
miſer !
Perdidi me, atque operam Chryſali.
PI. Conſolandus hic mihi eſt. ibo ad eum. Mneſiloche, quid fit?
MN. perii.
PI. Dii melius faciant. *MN.* perii. *PI.* non taces inſipiens ?
MN. taceam ?
PI. Sanus ſatis non es. *MN.* perii. multa mala mihi in pectore
Nunc acria atque acerba eveniunt. criminin'me habuiſſe fidem?
Immeritò tibi iratus fui. *PI.* eia bonum habe animum.
MN. Unde habeam ? mortuus pluris pretii'ſt, quàm ego ſum. *PI.*
militis
Paraſitus modò venerat aurum petere : hinc eum ego meis
Dictis malis, his foribus, atque hâc repuli, rejeci hominem.
MN. Quid mihi id prodeſt ? quid faciam ? nihil habeo miſer.
ille quidem
Hanc abducet, ſcio. *PI.* ſi mihi ſit, non pollicear. *MN.* ſcio,
dares.
Novi. ſed niſi ames, non habeam tibi fidem tantam.
Nunc agitas ſat tutè tuarum rerum : egóne ut opem mihi
Ferre putem poſſe inopem te ? *PI.* tacè modò : deus reſpiciet nos
aliquis.

INTEPRETATIO.

Eſt juſtius me habere inimicos quàm amicos : eſt magis æquum mihi auxiliari malos quàm bonos. Nemo magis meretur omnia convitia, quæ merentur homines ſcelerati ; ut-potè *qui reſtitui patri omnem pecuniam amans. quod habui in poteſtate. Súmne ego infelix ! Me perdidi, & labores Chryſali.* PI. *Oportet conſoler hunc ; accedam ad eum. Mneſiloche, quid fit ?* MN. *Interii.* PI. *Dii meliora.* MN. *Interii.* PI. *Non ſiles, inſane ?* MN. *Silebo ?* PI. *Non es mente ſatis ſanâ.* MN. *Interii ; plura incommoda mihi irruunt in animum crudelia, atque acerba. Oportétne me habuiſſe fidem criminationi ? Fui infenſus tibi injuſtè.* PI. *Eia habe bonam mentem.* MN. *Unde habeam ? Mortuus eſt pluris quàm ego.* PI. *Paraſitus militis venerat modò aurum petitum : ego rejeci hominem, meis conviciis, ab hoc oſtio atque à Bacchide.* MN. *Quid utilitatis hinc capiam ! Quid agam ? Nihil habeo infœlix.* Miles *ſine dubio hanc abducet ; ſcio.* PI. *Si mihi eſſet* illa pecunia, *non promitterem.* MN. *Credo te daturum, id intelligo. Sed niſi amares* alteram Bacchidem, *non ſic tibi crederem. Nunc tu ſatagis tuarum rerum ſatis ſecurè. Exiſtiméſne te inopem mihi poſſe ferre opem ?* PI. *Sile modò, aliquis Deus noſtri miſerebitur.*

ANNOTATIONES.

15. *Criminine habuiſſet.*] Criminanti Lydo.

22. *Sed niſi ames.*] Nunc autem, quia amas alteram Bacchidem. facilè crediderim te nihil daturum, quia nihil habes quod des. datis omnibus tuis amicæ.

23. *Agitas ſat.*] Quaſi *ſatagitas, ſatagis.* Inde eſt illud Senecæ epiſt. 98. *& iſtos* ſitageos, *ac ſibi moleſtos, &c.*

MN. Nugæ. *PI.* mane. *MN.* quid eſt? *PI.* tuam copiam eccam Chryſalum video.

INTERPRETATIO.

MN. *Nugæ.* PI. *Mane.* MN. *Quid eſt?* PI. *Ecce video Chryſalum tuarum copiarum autorem.*

ACTUS QUARTUS. SCENA QUARTA.

ARGUMENTUM.

MNESILOCHUS dicit Chryſalo pecuniam ejus induſtriâ ſurreptam à ſe redditam eſſe Nicobulo.

MNESILOCHUS, PISTOCLERUS, CHRYSALUS.

CHRYSALUS.

HUNC homonem decet auro expendi: huic decet ſtatuam ſtatui ex auro.
Nam duplex hodie facinus feci, duplicibus ſpoliis ſum affectus.
Herum majorem meum ut ego hodie luſi lepidè! ut ludificatus eſt!
Callidum ſenem callidis dolis compuli, & perpuli, mihi omnia ut crederet.
Nunc amanti hero, filio ſenis, quî cum ego bibo, quî cum edo, & amo,
Regias copias aureáſque obtuli, ut domo ſumeret, neu foris quæreret.
Non mihi iſti placent Parmenones, Syri, qui duas aut tres minas

INTERPRETATIO.

CHR. *Hic homo præponderandus eſt auro. Eſt huic erigenda ſtatua aurea. Nam geſſi hodie duo præclara facinora, reportavi geminas manubias. Quàm ego feſtivè circumveni meum herum majorem! quàm feſtivè deceptus eſt! Induxi & perduxi meâ calliditate ſenem callidum, ut mihi crederet omnia. Nunc effeci, ut herus filius ſenis, qui amat, quo cum ego poto, quo cum comedo, & amo, ut depromat domo, nec foris mendicet, opes regias & copioſas. Iſti Parmenones, Syri, non mihi probantur, qui exprimunt heris duas aut tres*

ANNOTATIONES.

1. *Hunc hominem.*] Prodit in ſcenam Chryſalus iſta dicendo. In poſtſcenio dixerat, ut eſt ſimile vero: hunc hominem, qui mihi ſimilis eſt, decet auro expendi.

Auro expendi.] *C'eſt un homme qui vaut ſon peſant d'or.*

7. *Parmenones, Syri.*] Nomina ſunt ſervorum in veteribus comœdiis, tum Græcis tum Latinis, Parmeno & Syrus, in ludificandis fraudandiſque heris nobilium. Apud Terentium in Eunuch. Parmeno eſt ſervus Phædriæ. *Parmeno* παρμένων & παραμένων, ab aſſiduitate.

Auferunt heris. nequius nihil eſt, quàm egens conſilii ſervus, niſi habet
Multipotens pectus, ubicunque uſus ſiet, pectore expromat ſuo.
Nullus frugi eſſe poteſt homo, niſi qui & bene & male facere tenet.
Improbis cum improbus ſit, harpaget: furibus furetur quod queat.
Verſipellem frugi convenit eſſe hominem. pectus cui ſapit,
Bonus ſit bonis, malus ſit malis. utcunque res ſit, ita animum habeat.
Sed lubet ſcire, quantum aurum herus ſibi demſit: & quid ſuo reddidit patri.
Si frugi eſt, Herculem fecit ex patre: decumam partem ei
Dedit, ſibi novem abſtulit. ſed, quem quæro, optimò ecce obviam
Mi eſt. num qui nummi exciderunt, here, tibi, quòd ſic terram
Obtuere? quid vos mœſtos tam triſtéſque eſſe conſpicor?
Non placet, nec temerè eſt etiam. quin mihi reſpondetis?
MN. Chryſale, occidi. *CH.* fortaſſis tu auri demſiſti parum.
MN. Quî, malùm, parum? imò verò nimio minus multo parum.
CH. Quid igitur, ſtulte? quoniam occaſio ad eam rem fuit
Meâ virtute parta, ut quantum velles, tantum ſumeres,
Sic hoc digitulis duobus ſumebas primoribus?
An neſciebas, quàm ejuſmodi homini rarò tempus ſe daret?
MN. Erras. *CH.* at quidem tute erraſti, cum parum immerſti ampliter.
MN. Pol tu quàm nunc me accuſes magis, ſi magis rem noveris.

INTERPRETATIO.

minas. Nihil eſt pejus, quàm ſervus inops conſilii, niſi habet refertum dolis pectus, ut ubicumque opus fuerit depromat; nemo poteſt eſſe bonus ſervus, niſi qui ſcit agere & bene & malè; ſit ſceleſtus cum ſceleſtis, rapiat: furetur furibus, quidquid poteſt: oportet hominem probum eſſe callidum; ſi mens ſapit, ſit bonus bonis, ſit malus malis. Ut ut res ſit, ita fingat animum. Sed velim ſcire, quantum auri herus ſumpſit pro ſe, & quid reſtituit ſuo patri. Si ſapit, fecit Herculem ex patre, ei dedit decimam partem, fraudavit novem partibus. Sed ecce is quem quæro venit obviam mihi tempeſtivè. Nonne aliqui nummi tibi exciderunt, here, quod ſic deſpicis terram? Quare vos video adeò eſſe mœſtos triſtéſque? Hoc *non placet, nec eſt fruſtra: quare non reponitis?* MN. *Chryſale perii.* CH. *Forſitan tu retinuiſti parum auri.* MN. *Quid dicis parum? Malum, imò verò, multominùs quàm parum.* CH. *Quare ergo amens? quoniam fuit occaſio parta meâ virtute, ut tantum acciperes, quantum liberet; ſic accepiſti id duobus digitulis primoribus? An ignorabas, quàm raro ſe ſe offerret occaſio ejuſmodi hominis decipiendi,* MN. *Erras.* CH. *Sed profectò, tu ipſe erraſti, quando immerſiſti manum parum amplam in theſaurum patrium.* MN. *Per Pollucem tu me dãnes multò magis, ſi perſpexeris magis rem.*

ANNOTATIONES.

15. *Herculem fecit ex patre.*] Credebant veteres Herculem morientem pollicitum eſſe jugem fœlicitatem iis, qui ſibi mortuo decimas bonorum ſuorum conſecrarent. Igitur Herculem facere ex patre, eſt patri reſtituere decimam partem pecuniæ ablatæ.

26. *Immerſti.*] Immerſiſti.

Occidi! *CH.* animus jam iſtoc dicto plus præſagitur mali.
MN. Perii. *CH.* quid ita? *MN.* quia patri omne cum ramento reddidi.
CH. Reddidiſti; *MN.* reddidi. *CH.* omnéne? *MN.* oppidò. *CH.* occiſi ſumus.
Quî in mentem venit tibi iſtuc facinus facere tam malum?
MN. Bacchidem atque hunc ſuſpicabar propter crimen, Chryſale,
Me malè conſuluiſſe: ob eam rem omne aurum iratus reddidi
Meo patri. *CH.* Quid, ubi reddebas aurum, dixiſti patri?
MN. Id aurum accepiſſe extemplò ab hoſpite Archidemide. *CH.* hem,
Iſtoc dicto dedidiſti hodie in cruciatum Chryſalum:
Nam ubi me aſpiciet, ad carnificem rapiet continuò ſenex.
MN. Ego patrem exoravi. *CH.* nempe ego hoc ut faceret, quod loquor?
MN. Imò tibi ne noceat, neu quid ob eam rem ſuccenſeat.
Atque ægrè impetravi. nunc hoc tibi curandum eſt, Chryſale.
CH. Quid vis curem? *MN.* ut ad ſenem etiam alteram facias viam.
Compara, fabricare, finge quod lubet, conglutina,
Ut ſenem hodie doctum doctè fallas, aurúmque auferas.
CH. Vix videtur fieri poſſe. *MN.* perge, ac facilè hæc feceris.
CH. Quàm, malum, facilè? quem mendacii prehendit maniſeſto modo:
Quem ſi orem, ut mihi nihil credat, id non auſit credere.
MN. Imo ſi audias, quæ dicta dixit me adverſum tibi.

INTERPRETATIO.

perii. CH. *Jam animus auguratur plus damni hoc dicto.* MN. *Interii.* CH. *Quid ita?* MN. *Quia reddidi patri omne aurum, vel cum ramento.* CH. *Reſtituiſti?* MN. *Reſtitui.* CH. *Reſtituiſti omne aurum?* MN. *Omninò.* CH. *Perimus! quomodo animum induxiſti, ut id committeres facinus tam malum?* MN. *Suſpicabar Bacchidem atque Piſtoclerum mihi feciſſe injuriam, propter criminationem: idcirco reſtitui iratus meo patri omne aurum.* CH. *Quid dixiſti patri, quando reddebas aurum?* MN. *Accepiſſe protinus id aurum ab hoſpite Archidemide.* CH. *Hem! hoc verbo egiſti hodie Chryſalum in crucem: nam cùm primùm ſenex me conſpicabitur, rapiet ex templo ad carnificem.* MN. *Ego oravi patrem.* CH. *Nempe ut id ageret, quod dico.* MN. *Imò ne in te animadvertat, neu tibi iraſcatur idcirco. atque ægrè obtinui. Nunc tibi curandum eſt id, Chryſale.* CH. *Quis vis ut curem?* MN. *Ut invenias aliam rationem circumveniendi ſenis, accinge te, architectare, finge quod lubet. conſue dolos ut fallas peritè hodie callidum ſenem, & aurum emungas.* CH. *Apparet vix poſſe fieri.* MN. *Perge, ac feceris hæc facile.* CH. *Quàm facile, malum! quem deprehendit in manifeſto mendacio, quem ſi rogem ut non mihi credat, id non audeat credere.* MN. *Imò ſi audias, quæ dixit de te coram me.*

ANNOTATIO.

29. *Cum ramento.*] *Reſegmina intelligit, à rado, quaſi radimentum. Ramentum,* i; aut *ramenta,* æ. Quaſi dicat ne ſcobem quidem, aut pulviſculum retinui.

CH. Quid dixit ? *MN.* ſi tu illum Solem ſibi Solem eſſe dixeris,
Se illum Lunam credere eſſe, & noctem qui nunc eſt dies.
CH. Emungam hercle hominem probè hodie : ne id nequiquam dixerit.
MN. Nunc quid nos vis facere ? *CH.* enim nihil, niſi ut ametis, impero.
Cæterùm quantumlibet me poſcitote aurum, ego dabo.
Quid mihi refert Chryſalo eſſe nomen, niſi factis probo ?
Sed nunc quantulum uſu'ſt auri tibi, Mneſiloche ? dic mihi,
MN. Militi nummis ducentis jam uſus eſt pro Bacchide.
CH. Ego dabo. *MN.* tum nobis opus eſt ſumtu *CH.* ah, placidè volo
Unum quidque agamus : hoc ubi egero, tum iſtuc agam.
De ducentis nummis primùm intendam baliſtam in ſenem.
Eâ baliſtâ ſi pervortam turrim & propugnacula,
Rectâ portâ invadam extemplò in oppidum antiquum & vetus:
Si id capſo, geritote amicis veſtris aurum corbibus,
Si cui animus ſperat. *PI.* apud te eſt animus noſter, Chryſale.
CH. Nunc tu abi intrò, Piſtoclere; ad Bacchidem, atque effer citò.
PI. Quid ? *CH.* ſtilum, ceram, & tabellas, & linum. *PI.* jam faxo hîc erunt.

INTERPRETATIO.

CH. *Quid dixit ?* MN. *Si tu ſibi dixeris illum Solem eſſe Solem, ſe credere illum eſſe Lunam, & diem qui lucet nunc, eſſe noctem.* CH. *Per Herculem emungam hodie probè hominem, ne id dixerit incaſſum.* MN. *Nunc quid vis nos agere?* CH. *Nihil mando niſi ut ametis. Quod reliquum eſt, petite aurum quantumvis, ego dabo. Quid me prodeſt eſſe verbo tenus Chryſalum, niſi oſtendo re ? Sed jam quanto eſt tibi opus auro, Mneſiloche, dic mihi ?* MN. *Mihi opus eſt nunc pro milite ducentis nummis ad redimendam Bacchidem.* CH. *Ego numerabo.* MN. *Deinde nobis eſt opus auro ad ſumptum.* CH. *Ah, volo nos agere ſingula moderate: quando fecero id, tum ſic agam. Initio convertam machinas in ſenem pro ducentis nummis. Si labefactavero turrim & propugnacula hâc machinâ, invadam ſtatim rectâ portâ in urbem antiquam & vetuſtam; ſi id expugno, ſi quis veſtrorum amicorum optat aurum, conferte illud plenis corbibus.* PI. *Vita noſtra pendet à te Chryſale.* CH. *Jam, Piſtoclere, ingredere ab Bacchidem, atque affer cito.* PI. *Quid ?* CH. *Stilum, ceram, tabulas & linum,* PI. *Jam efficiam erunt hic.*

ANNOTATIONES.

53. *Quid mihi refert Chryſalo eſſe nomen.*] Chryſalus à χρυσῶ, id eſt, *auro* : & ἁλίσκω, *capio.* Unde videretur ſcribendum per aſpirationem in medio Chryshalus.

58. *Intendam baliſtam.*] Id eſt, dolum ad expugnandam ſenis calliditatem.

64. *Ceram.*] Ceræ duplex uſus in tabulis, tabulæ enim ex ligno levigato & tenui imprimis fiebant; deinde cerâ etiam tenuiſſimâ inducebantur, in quâ ſtilo ferreo epiſtola exarabatur, ut jam acu in tabulis pugillaribus ſolemus ſcribere. Hæ tabulæ quoniam rigidæ erant, impoſitis, hinc inde aliis tabulis ſiccis, nec cerâ obductis, tectæ inſuper lino in crucem ducto, conſtringebantur : & ne enodandi lini facultas eſſet, cerâ aliâ ſigillóque nodi muniebantur; ut nos hodie ceris noſtris, quas vulgus Hiſpanas vocant.

MN. Quid nunc es facturus ? id mihi dice. coctum eſt prandium.
CH. Vos duo eritis, atque amica tua erit tecum tertia.
MN. Sicut dicis. *CH* Piſtoclero nulla amica eſt. *MN.* imò adeſt.
Alteram illi amat ſororem, ego alteram, ambas Bacchides.
CH. Quid tu loqueris ? *MN.* hoc ut futuri ſumus. *CH.* ubi eſt biclinium
Vobis ſtratum ? *MN.* quid id exquiris ? *CH.* res ita eſt : dici volo.
Neſcis quid ego acturus ſim, neque facinus quantum exordiar.
MN. Cedo manum, ac ſubſequere propius me ad fores. intrò inſpice.
CH. Evax nimis bellus, atque ut eſſe maximè optabam, locus.
PI. Quæ imperaviſti (imperatum bene bonis) factum illico eſt.
CH. Quid paraſti ? *PI.* quæ parari tu juſſiſti omnia.
CH. Cape ſtilum properè & tabellas tu has tibi. *MN.* quid poſtea?
CH. Quod jubebo, ſcribito iſtic. nam propterea te volo
Scribere, ut pater cognoſcat literas, quando legat.
Scribe. *MN.* quid ſcribam ? *CH.* ſalutem tuo patri verbis tuis.
PI. Quid ſi potius morbum & mortem ſcribat ? id erit rectius.
MN. Ne interturba. jam imperatum in cerâ ineſt. *CH.* dic quemadmodum ?
MN. Mneſilochus ſalutem dicit ſuo patri. *CH.* adſcribe hoc citò.
Chryſalus mihi uſquequaque loquitur nec rectè, pater,
Quia tibi aurum reddidi, & quia non te defraudaverim.
,,*PI.* Mane, dum ſcribit. *CH.* CELEREM oportet eſſe amatoris
,, manum.

INTERPRETATIO.

MN. *Quid jam ages? Dic mihi; prandium eſt coctum.* CH. *Vos eritis duo, & tua amica tertia erit tecum.* MN. *Erimus ſicut dicis.* CH. *Piſtoclerus nullam habet amicam?* MN. *Imò adeſt, ille amat alteram ſororem Bacchidem, ego alteram, ambas Bacchides.* CH. *Quid tu dicis ?* MN. *Ut erimus.* CH. *Ubi eſt biclinium vobis inſtructum ?* MN. *Quid rogas id ?* CH. *Ita res eſt, volo dici, non vides quid ego ſum acturus, neque quantum faetnus molsar.* MN. *Da manum, & me ſubſequere propius ad oſtium, inſpice intro.* CH. *Evax ! eſt valde lepidus locus, perinde atque maximè cupiebam eſſe.* PI. *Factum eſt illico, quod mandaſti.* CH. *Quid comparaviſti ?* PI. *Cuncta quæ tu juſſiſti inſtruere.* CH. *Cape ſtilum eeleriter, & has tabellas.* MN. *Quid deinde ?* CH. *Scribe id quod impero; nam volo te ſcribere, ut pater cognoſcat litteras, quando leget. Scribe.* MN. *Quid ſcribam ?* CH. *Scribe ſalutem tuo patri, tuis verbis.* PI. *Quod ſi ſcribat potius ægritudinem, & exitium, id erit melius.* MN. *Ne interturba, jam ſcripſi in tabulis quod imperaſti.* CH. *Dic quomodo.* MN. *Mneſilochus dicit ſalutem ſuo patri.* CH. *Adſcribe id celeriter. Chryſalus mihi ſemper maledicit, pater, quia tibi renumeravi aurum, & quia non te defraudavi.* PI. *Expecta dum ſcribet.* CH. *Decet manum ejus qui amat, eſſe velocem.*

ANNOTATIO.

69. *Ubi eſt bielinium.*] Nomen ex Latino Græcoque factum, cujus compoſitionis non eſt in laudatioribus autoribus uſus frequens. Et dicuntur *hybrides*, ſeu *hybrida* voces.

„*PI.* Atque idem hercle eſt ad perdundum magis, quàm ad ſcri-
„ bendum citus,
MN. Loquere: hoc ſcriptum eſt. *CH.* nunc, pater mi, proin tu ab eo ut caveas tibi,
Sycophantias componit, aurum ut abs ted auferat:
Et profectò ſe ablaturum dixit, planè aſcribito.
MN. Dic modò. *CH.* atque id pollicetur ſe daturum aurum mihi,
Quod dem ſcortis, quódque in luſtris comedim & congræcem, pater.
Sed pater vide ne tibi hodie verba det: quæſo cave.
MN. Loquere porrò. *CH.* adſcribe dum. *MN.* etiam loquere, quid ſcribam, modò?
CH. Sed, pater, quod promiſiſti mihi, te quæſo ut memineris,
Ne illum verberes, verùm apud te vinctum aſſervato domi.
Cedò tu ceram ac linum actutum. age, obliga, obſigna citò.
MN. Obſecro, quid iſtis ad iſtunc uſu'ſt conſcriptis modum?
Ut tibi ne quid credat, atque ut vinctum te aſſervet domi?
CH. Quia mihi ita lubet. potin. ut cures te, atque ne parcas mihi?
Meâ fiduciâ opus conduxi, & meo periculo rem gero.
MN. Æquum dicis. *CH.* cedo tabellas. *MN.* accipe. *CH.* animum advortite.
Mneſiloche & tu Piſtoclere. jam facite in biclinio
Cum amicâ ſuâ uterque accubitum eatis. ita negotium eſt.
Atque ibidem, ubi nunc ſunt lecti ſtrati, potetis citò.

INTERPRETATIO.

PI. *Et is quidem eſt velocior ad perdendam pecuniam, quàm ad ſcribendum* MN. *Id ſcriptum eſt.* CH. *Proinde, mi pater, moneo te ut caveas tibi ab eo, concinnat dolos ut abs te auferat pecuniam: & quidem dixit ſe ablaturum. Omnino deſcribito.* MN. *Dic modo.* CH. *Atque pollicetur ſe mihi daturum aurum, quod dem ſcortis, & quod in luſtris comedam & perpotem, pater. Sed, pater, vide ne te decipiat hodie: quæſo cave.* MN. *Loquere.* CH. *Scribe.* MN. *Preterea loquere, quod ſcribam.* CH. *Sed, pater te rogo, ut recorderis, quod mihi promiſiſti, te non verberaturum, verùm aſſerva domi ligatum apud te: cedo tu ceram ac linum ſubitò. age, obliga, obſigna celeriter.* MN. *Obſecro quid opus eſt iſtis ſcriptis ad hunc modum? Ut nihil tibi confidat, & ut te cuſtodiat domi?* CH. *Quia ſic mihi libet, potéſne ut cures tuum genium, & ne mihi indulgeas? Rem ſuſcepi meis damnis, & eam facio meo periculo.* MN. *Æquum oras.* CH. *Porrige tabulas.* MN. *Accipe.* CH. *Adhibete mentem. Tu Mneſiloche, & tu Piſtoclere, jam facite uterque ut eatis accubitum uterque cum ſua amica in biclinio. Ita negotii ratio poſtulat, atque potetis ibidem ſtatim ubi lecti ſunt ſtrati.*

ANNOTATIONES.

100. *Fiduciâ.*] *Aſſurance.* Allegoria eſt à redemptoribus ducta, qui datis ſponſoribus, & factis ſyngraphis, ſuo periculo opus aliquod ſuſcipiunt: *A leurs perils & fortunes.* Fiducia nonnunquam, pro depoſito & pignore. Et hoc ſenſu videtur hic accipi, quaſi dicat Chryſalus eſſe ſe fidei juſſorem pignus, depoſitumque, ad has technas ordiendas: *qu'il leur eſt caution.*

PI. Nunquid aliud ? *CH.* hoc, atque etiam ubi erit accubitum ſemel,
Ne quoquam exſurgatis, donec à me erit ſignum datum.
PI. O imperatorem probum ! *CH.* jam bis bibiſſe oportuit.
MN. Fugiamus. *CH.* vos voſtrum curate officium, ego efficiam meum.

INTERPRETATIO.

PI. *Viſne aliud ?* CH. *Hoc unum, & quando ſemel accubueritis, ne exſurgatis ullam in partem, donec à me erit datum ſignum.* PI. *O peritum ducem !* CH. *Jam oporteret bibiſſe bis.* MN. *Fugiamus.* CH. *Vos fungamini, veſtro officio, ego obibo meum.*

ACTUS QUARTUS. SCENA QUINTA.

ARGVMENTVM.

CHRYSALUS pergit ad Nicobulum cum litreris à Mneſilocho ejus ſuaſu ſcriptis.

CHRYSALVS.

INSANUM magnum molior negotium,
Metuóque ut hodie poſſiem emolirier,
Sed nunc truculento mihi atque ſævo uſus ſene eſt.
Nam non conducit huic ſycophantiæ
Senem tranquillum eſſe ubi me aſpexerit.
Verſabo ego illum hodie, ſi vivo, probè.
Tam frictum ego illum reddam, quàm frictum eſt cicer.
Adambulabo ad oſtium, ut quando exeat,
Extemplò advenienti ei tabellas dem in manum.

INTERPRETATIO.

CHR. *ADorior rem immenſam, vereorque ne non poſſim conficere hodie. Sed jam mihi eſt opus ut ſenex exſcandeſcat & ſit implacabilis. Nam non expedit jam huic fallaciæ ſenem eſſe commodum, quando me conſpicatus fuerit. Ego tractabo eum hodie egregiè, ſi vivo. Ego illum reddam tam frictum, quàm frictum eſt cicer. Obambulabo ante limina, ut quando egredietur, illi tradam in manum extemplò litteras.*

ANNOTATIONES.

1. *Inſanum-magnum.*] Unum nomen è duobus compoſitum, *valde magnum.* Sic *inſane bene. Inſanum-bonus; inſanum-bona.*

6. *Verſabo.*] Allegoria ducta à culina, & coquo, & piſcibus, qui quidem in ſartagine *perfriguntur*, torrentur, verſantur.

ACTUS

ACTUS QUARTUS. SCENA SEXTA.

ARGUMENTUM.

INGREDITUR Chryſalus ad Nicobulum. Senex ei exprobrat Fabulam Theotimi, acceptâ filii epiſtolâ & minimè lectâ. Acceſſit lorarios ad conſtringendum Chryſalum.

NICOBULUS, CHRYSALUS.

NICOBULUS.

NIMIO illæc res eſt magnæ dividiæ mihi,
Subterfugiſſe ſic mihi hodie Chryſalum.
CH. Salvus ſum, iratus eſt ſenex. nunc eſt mihi
Adeundi ad hominem tempus. *NI.* quis loquitur propè?
Atque hic quidem opinor Chryſalu'ſt. *CH.* acceſſero.
NI. Bone ſerve ſalve: quid fit? quam mox navigo
In Epheſum, ut aurum repetam ab Theotimo domum?
Taces? per omnes deos adjuro, ut ni meum
Gnatum tam amem, atque ei facta cupiam quæ is velit,
Ut tua jam virgis latera lacerentur probè.
Ferratuſque in piſtrino ætatem conteras.
Omnia reſcivi ſcelera ex Mneſilocho tua.
CH. Men' criminatus eſt? optimè eſt: ego ſum malus,
Ego ſum ſacer, ſceleſtus: ſpecta rem modò.
Ego verbum faciam. *NI.* etiam carnifex
Minitare? *CH.* noſces tu illum actutum qualis ſit.

INTERPRETATIO.

NICOB. *ID mihi moleſtiſſimum eſt, quod Chryſalus ſic mihi elapſus eſt hodie.* CH. *Sum ſecurus, ſenex eſt iratus. Nunc tempus eſt accedendi ad hominem.* NI. *Quis verba facit propè? Atque hic eſt Chryſalus ut exiſtimo.* CH. *Accedam.* NI. *Optime ſerve ſalvus ſis. Quid agis? Statim vela faciam Epheſum, ut afferam aurum domum à Theotimo? Taces? Juro per omnes Deos, quod niſi diligam adeò meum filium, ut velim ei annuere quidquid exoptet, tua latera jam eſſent conciſa virgis egregiè, & traheres vitam in piſtrino, onuſtus cathenis: didici cuncta tua crimina ex Mneſilocho.* CH. *Me ne accuſavit? Bene eſt. ego ſum reus, ego ſum execrandus, nefarius. Attende id modò; ego dicam verbum.* NI. *Etiámne ſceleſte minaris?* CH. *Tu intelliges ſtatim, qualis ſit ille.*

ANNOTATIONES.

1. *Dividiæ.*] Feſtus, *dividiam* interpretatur *diſcordiam.* Nonius: *triſtitiam.*

6. *Bone ſerve.*] Ironia.

14. *Sacer.*] Id eſt, mactandus certo, quemadmodum victima aris devota certo mactanda erat.

Specta rem.] Verba ſunt minitantis; *Vous verrez.*

NICOBULUS, CHRYSALUS.

NICOBULUS.

CONSTRINGE tu illi, Artamo, actutum manûs.
CH. Quid feci? *NI.* impinge pugnum, ſi muttiverit.
Quid hæ loquuntur litteræ? *CH.* quid me rogas?
Ut ab illo accepi, ad te obſignatas attuli.
NI. Eho tu! loquitatúſne es gnato meo malè
Per ſermonem, quia mihi id aurum reddidit?
Et te dixiſti id aurum ablaturum tamen
Per ſycophantias? *CH.* egóne iſtuc dixi? *NI.* ita.
CH. Quis homo eſt, qui dicat me dixiſſe iſtuc? *NI.* tace.
Nullus homo dicit: hæ tabellæ te arguunt,
Quas tu attuliſti. hem, hæ te vinciri jubent. *CH.* aha?
Bellerophontem jam tuus me fecit filius.
Egomet tabellas detuli, ut vincirer? ſine!
NI. Propterea hoc facio, ut ſuadeas gnato meo
Ut pergræcetur tecum, ter venefice.
CH. O ſtulte, ſtulte, neſcis nunc vænire te:
Atque in eo ipſo aſtas lapide, ubi præco prædicat.
NI. Reſponde: quis me vendit? *CH.* QUEM DI diligunt,

INTERPRETATIO.

NICOB. *ARtemo tu colliga illi manus celeriter.* CH. *Quid egi? Pulſa pugno, ſi muſſitaverit. Quid fabulantur hæ tabellæ?* CH. *Quid à me poſtulas? Ad te attuli ſigillo integro, ut accepi ab illo.* NI. *Eho tu! nonne maledixiſti meo filio, quoniam mihi reſtituit illud aurum? Et tamen pollicitus es ademturum id aurum per fraudem?* CH. *Egóne dixi id?* NI. *Dixiſti.* CH. *Quis dicit me dixiſſe id?* NI. *Tace; nemo dicit. Hæ litteræ, quas tu attuliſti, dicunt; hem! hæ imperant te conſtringi.* CH. *Aha, jam tuus filius me fecit Bellerophontem. Egomet attuli litteras, ut conſtringerer? ſine!* NI. *Itaque id ago, ut autor ſis meo filio, ut perpotet tecum, ter venefice.* CH. *O demens, demens! ignoras te venundari nunc? atque aſtas in eo lapide ipſo, ubi præco prædicat.* NI. *Reſponde: quis me venundat?* CHR. *Adoleſcens quem Dii amant,*

ANNOTATIONES.

12. *Bellerophontem.*] Βελλεροφόντης καθ' ἑαυτοῦ γράμματα. De eo qui putat ſe ferre litteras commendatitias, quæ contra ſe ſunt ſcriptæ. Bellerophon videlicet cum apud Prætum hoſpitem ſuum falſo accuſatus eſſet à Stenobæâ ejus uxore, quaſi ad ſtuprum ipſam pellexiſſet, litteras juſſus eſt ab illo ad Jobatam in ſuam perniciem ſcriptas totius rei ignarus perferre. Sic Urias in 2. Regum.

17. *In eo ipſo adſtas lapide.*] Adagium eſt in eum, qui præſens & ſciens delugitur; unde etiam ad nos illud pervenit: *On vous vend en vôtre preſence.* Lapis videlicet erat in quo venales ſervi proponebantur, iique viliſſimi; unde *de lapide emptus* ſervus, id eſt, frugi minimè bonæ.

18. *Quem Dii diligunt.*] Quaſi dicat, credibiléne eſt ejus quem Deus diligat filium interire? Id ex Menandro:

ὃν οἱ θεοὶ φιλοῦσιν ἀποθνήσκει νέος.

Hoc autem nihil aliud innuit, quàm Nicobulum eſſe Diis inviſum.

„ Adoleſcens moritur, dum valet, ſentit, ſapit.
Hunc ſi ullus deus amaret, plus annis decem,
Plus jam viginti mortuum eſſe oportuit:
Terræ odium ambulat. jam nihil ſapit,
Nec ſentit. tanti eſt, quanti eſt fungus putidus.
NI. Tùn' terræ me odium eſſe autumas? abducite hunc
Intrò, atque aſtringite ad columnam fortiter.
Nunquam auferes hinc aurum. *CH.* atqui *ultrò* jam dabis.
NI. Dabo? *CH.* atque orabis me quidem ultrò, ut auferam,
Cùm illum reſciſces criminatorem meum
Quanto in periculo, & quantâ in pernicie ſiet.
Tum libertatem Chryſalo largibere:
Ego adeò nunquam accipiam, *NI.* dic, ſcelerum caput,
Dic, quo in periculo eſt meus Mneſilochus filius?
CH. Sequere hàc me, faxo jam ſcies. *NI.* quò gentium?
CH. Tres unos paſſûs. *NI.* vel decem. *CH.* agedum, tu Artamo,
Forem hanc pauxillùm aperi, placidè, ne crepa;
Sat eſt. accede huc tu. viden' convivium?
NI. Video ex advorſum Piſtoclerum & Bacchidem.
CH. Qui ſunt in lecto illo altero? *NI.* interii miſer.
CH. Noviſtine hominem? *NI.* Novi. *CH.* dic ſodes mihi,
Bellan' videtur ſpecie mulier? *NI.* admodum.
CH. Quid illam, meretricémne eſſe cenſes? *NI.* quippini?
CH. Fruſtra es. *NI.* quis igitur obſecro eſt? *CH.* inveneris,
Ex me quidem hodie nunquam fies certior.

INTERPRETATIO.

interiit, dum viget, ſentit, & ſapit. Si ullus Deus illum diligeret, oporteret eſſe mortuum ab annis plus decem. imo plus viginti: nimirum eſt pondus inutile terra. Et jam ſapit nihil nec ſentit; tanti quanti fungus putidus. NI. *Exiſtimáſne tu me eſſe invisum terra? Abducite hunc intrò, atque alligate ad columnam fortiter. Nequaquam ſuffuraberis hanc pecuniam.* CH. *Atqui numerabis jam ultrò.* NI. *Numerabo?* CH. *Et me precaberis quidem ultrò, ut auferam, quando reſciſces in quanto diſcrimine, & in quantâ pernicie ſit ille meus convitiator. Tum dabis libertatem Chryſalo: Ego adeò accipiam nunquam.* NI. *Dic, ſceleſte homo, dic, in quo periculo eſt meus filius Mneſilochus?* CH. *Veni hac. Curabo ut ſcias.* NI. *Quo te ſequar?* CH. *Tres paſſus ſolos.* NI. *Vel decem ibo.* CH. *Agedum tu Artemo reſera parum hanc januam, leniter, ne audiaris. Satis eſt: accede huc tu. Vidéſne epulum?* NI. *Video ex adverſo Piſtoclerum & Bacchidem.* CH. *Qui ſunt in hoc altero lecto?* NI. *Interii infœlix!* CH. *Noviſtine hominem.* NI. *Novi.* CH. *Dic mihi, ſi placet, mulier videtur ne egregiâ formâ?* NI. *Admodum.* CH. *Quid, exiſtimáſne illam eſſe meretricem?* NI. *Cenſeo.* CH. *Falleris.* NI. *Quæ eſt igitur, obſecro?* CH. *Per te inveneris; non faciam te hodie certiorem.*

ACTUS QUARTUS. SCENA OCTAVA.

ARGUMENTUM.

CLEOMACHUS miles alteram Bacchidum repetit. Minatur exitium Mneſilocho. Terret Nicobulum.

CLEOMACHUS, NICOBULUS, CHRYSALUS.

CLEOMACHUS.

MEAMNE hic Mneſilochus, Nicobuli filius,
Per vim ut retineat mulierem? quæ hæc factio eſt?
NI. Quis ille eſt? *CH.* per tempus hic venit miles mihi.
CL. Non me arbitratur militem, ſed mulierem,
Qui me meóſque non queam defendere.
Nam neque Bellona mihi unquam, neque Mars creduat,
Ni illum exanimalem faxo, ſi convenero,
Níve exhæredem fecero vitæ ſuæ.
NI. Chryſale, quis ille eſt, qui minitatur filio?
CH. Vir hic eſt illius mulieris, quâ cum accubat.
NI. Quid, vir? *CH.* vir, inquam. *NI.* nupta eſt illan' obſecro?
CH. Scies haud multo poſt. *NI.* oppidò interii miſer.
CH. Quid? nunc ſceleſtus tibi videtur Chryſalus?
Age nunc, vincito me, auſcultato filio.
Dixin' tibi ego illum inventurum te qualis ſit?
NI. Quid nunc ego faciam? *CH.* jube ſis me exſolvi citò.
Nam niſi ego exſolvor, jam manifeſtò hominem opprimet.
CL. Nihil eſt lucri, quod me hodie facere mavelim,

INTERPRETATIO.

CLEOM. *O Portétne ut hic Mneſilochus, filius Nicobuli habeat me invito meam mulierem? Quæ eſt hac actio?* NI. *Quis eſt ille?* CH. *Hic miles ad me venit opportunè.* CL. *Non cogitat me militem, ſed mulierem, qui non poſſim propugnare me meóſque. Nam neque Bellona, neque Mars mihi confidat unquam, niſi illum exanimavero, ſi invenero, & niſi effecero exterrem ſua vita.* NI. *Chryſale, quis eſt ille qui minitatur filio?* CH. *Hic maritus eſt illius mulieris, cum quâ accubat filius.* NI. *Quid, maritus?* CH. *Maritus, inquam.* NI. *Eſtne illa conjugata, amabo?* CH. *Audies haud multò pòſt.* NI. *Planè perii, infœlix!* CH. *Quid? Chryſalus tibi videtur jam ſceleratus? Age nunc, conſtringe me, præbe aurem nato. Nonne ego dixi te inventurum qualis ille ſit?* NI. *Quid faciam ego jam?* CH. *Manda ſi vis me exolvi celeriter; nam niſi ſolvor, modò miles obruet filium palam.* CL. *Eſt nullum lucrum, quod malim me facere hodie,*

ANNOTATIO.

2. *Factio.*] Hoc loco *actio*: *quelle maniere d'agir eſt-ce là?* *Factio* alibi eſt intoleranda potentia parta fœdere cum pluribus inito; nos vocamus, *Fiction.*

Quàm illum cubantem cum illâ opprimere, ambo ut necem.
CH. Audin quæ loquitur? quin tu me exſolvi jubes?
NI. Exſolvite iſtum. perii, pertimui miſer.
CL. Tum illam, quæ corpus publicat vulgo ſuum,
Faxo, ſe haud dicat nactam, quem derideat.
CH. Paciſci cum illo pallulâ pecuniâ.
Potes. *NI.* paciſcere ergo obſecro, quid tibi lubet;
Dum ne manifeſtò hominem opprimat, néve enicet.
CL. Nunc niſi ducenti Philippi redduntur mihi,
Jam illorum ego animam amborum exſorbebo oppidò.
NI. Hem illoc paciſcere, ſi potes. perge obſecro.
Paciſcere quidvis. *CH.* ibo & faciam ſedulò.
Quid clamas? *CL.* ubi herus tuus eſt? *CH.* nuſquam: neſcio.
Vis tibi ducentos nummos jam promittier,
Ut ne clamorem hîc facias, neu convicium?
CH. Nihil eſt, quod malim. *CH.* atque ut tibi mala multa ingeram?
CL. Tuo arbitratu. *CH.* ut ſubblanditur carnifex.
Pater hic Mneſilochi eſt. ſequere. is promittet tibi.
Tu aurum rogato: cæterùm verbûm ſat eſt.
NI. Quid fit? *CH.* ducentis Philippis rem pepigi. *NI.* vah, ſalus
Mea, ſervaviſti me. quàm mox dico? Dabo.
CH. Roga hunc tu, tu promitte huic. *NI.* promitto, roga.
CL. Ducentos nummos aureos Philippos probos
Dabin'? Dabuntur, inque: reſponde. *NI.* dabo.
CH. Quid nunc, impure, nunquid debetur tibi?
Quid illi moleſtus? quid illum morte territas?

INTERPRETATIO.

quàm illum confodere jacentom cum illa, ut interficiam utrumque. CH. Accipiſne ea quæ dicit? Quare non imperas me ſolvi? NI. Abſolvite illum, interii, pertimui, infælix! CL. Efficiam ut illa quæ publicè vulgat ſuum corpus, non glorietur ſe reperiſſe cui illudat. CH. Potes convenire cum illo de pauculâ pecuniâ. NI. Conveni, ego obteſtor, quid tibi placebit, dummodò non obruat palam filium, & non interficiat. CL. Jam niſi mihi renumerentur ducenti Philippi, jam exhauriam planè animam illorum duorum. NI. Hem conveni hoc pretio, ſi potes; perge, amabo: conveni quid velis. CH. Ibo & obibo diligenter. Quid vociferaris? CL. Ubi eſt tuus herus? CH. Nuſquam gentium. Neſcio. Viſne tibi promitti modò ducentos nummos, ut non edas hic vociferationem, neque criminationem? CL. Nihil eſt quod malim. CH. Atque ut tibi infligam multa mala; CL. Tuo arbitrio. CH. Ut blandus eſt furcifer! Pater Mneſilochi eſt hic: ſequere; is tibi pollicetur. Tu roga aurum, alioqui ſatis verborum. NI. Quid fit? CH. Conveni de re ducentis Philippis. NI. Vah! mea ſalus, me ſervaviſti. Dicámne modò? Dabo. CH. Roga hunc tu, ſtipulator, promitte huic tu. NI. Spondeo: pete. CL. Dabiſne ducentos nummos aureos Philippos probos? Dic, reſponde, dabuntur. NI. Dabo. CH. Quid jam ſceleſte? Numquid tibi debetur? Quid illi moleſtus es? quid illi minaris mortem?

ANNOTATIO.

41. *Ducentos.*] Inde incipit forma ſtipulationis.

Et ego te & ille mactamus infortunio.
Si tibi eſt machæra, & nobis veruina eſt domi:
Quâ quidem te faciam, ſi tu me irritaveris,
Confoſſiorem ſoricinâ neniâ.
Jamdudum herclè equidem ſentio, ſuſpicio
Quæ te ſollicitet, cum eſſe cum illâ muliere.
CL. Imò eſt quoque. *CH.* ita me Iuppiter, Juno, Ceres,
Minerva, Latona, Spes, Opis, Virtus, Venus,
Caſtor, Polluces, Mars, Mercurius, Hercules,
Submanus, Sol, Saturnus, diíque omnes ament:
Ut ille cum illâ neque cubat, neque ambulat,

INTERPRETATIO.

Et ego & illo te malè multabimus. Si tibi eſt gladius, & eſt nobis domi veru, quo quidem te reddam, ſi tu me provocaveris, pluribus vulneribus perfoſſum, quàm ſunt in tibiâ tenui. Per Herculem animadverto jam pridem ſuſpicionem qua te tenet, putas eſſe cum illâ muliere. CL. *Eſt etiam.* CH. *Jupiter, Juno, Ceres, Minerva, Latona, Spes, Opis, Virtus, Venus, Caſtor, Polluces, Mars, Mercurius, Hercules, Submanus, Sol, Saturnus, Diíque omnes me ament ita, ut ille neque jacet cum illâ, neque ambulat.*

ANNOTATIONES.

46. *Veruina.*] Eſt veru, quod minitatur militi Chryſalus, plus juſto de machæra glorianti.

48. *Soricina nænia.*] *Nænia*, id eſt, cantilena ſoricis morientis; *nam prehenſus ſorex*, inquiunt editores duo vetuſti operum Plautinorum, *veniam poſcere videtur.* Donatus. Ne id Eunuchi ego meo judicio miſer, quaſi ſorex perii. Proprium ſoricum eſt, vel ſtridere clariùs quàm mures, vel ſtrepere magis, quum obrodunt frivola, ad quam vocem multi ſe intendentes, quamvis per tenebras noctis, transfigunt eos. Plautus: *Confoſſiorem te faciam ſoricinâ næniâ.* Turnebus: *Soricina nænia eſt cantio celebris de confoſſo ſorice, qui dum quippiam rodit & ſtridorem mittit, plerumque ſuo indicio perit & confoditur.* Lambinus putat id explicandum eſſe de muſcipula, ſed ſorex confoditur, non nænia ſoricis. Alius de edulii genere, quod nos vocamus, *un hachis*; quia in partes tam minutas conciditur, ut videatur à ſoricibus comminutum; ſed de confoſſo non de conciſo agitur. Feſtus: *Nænia eſt carmen, quod in funere laudandi gratia cantatur ad tibiam.* Cicero de leg. *Honoratorum virorum laudes in concione memorant, eáſque etiam ad cantus, & tibicinem proſequuntur, cui nomen eſt nænia, quo vocabulo etiam Græci cantus lugubres nominant.* Inde patet næniam ad fiſtulas cani ſolitam, & tibicinem ipſum vocari *næniam*. Unde non ita abſurdum fuerit ſuſpicari *fiſtulas* ipſas etiam vocari *nænias*: ut nos noſtro vernaculo dicimus, *donner les violons*, pro plectrorum ſymphoniâ. *Soricinam* verò *fiſtulam* vocari tenuiorum foraminum & ſoni, & Chryſalum minitari tot & tam crebra vulnera, quot ſunt in fiſtulâ. Soricinam autem accipit fiſtulam pro quavis, quia quò tenuior eſt fiſtula, eò minùs à ſe invicem diſtant foramina, & crebriora ſunt. Porrò hic opponit veru machæræ, quia vulnus quod infligitur à veru ſeu a veruinâ, quòd eſt diminutum à veru, ferè rotundum eſt, machæræ plaga lata. Veruina eſt & jaculi genus, quo utebantur in bello, ut & machæra: ut dictum eſt ſuprà. Bernardus Sarracenus, & Joannes Petrus Valla legunt *Confeſſiorem*; quaſi dicat Chryſalus, tu bellator, qui tantùm gloriaris illâ tuâ machærâ, ſi veruinam accipiam, te *confeſſiorem*, id eſt, humiliorem reddam ſorice.

52. *Opis.*] Pro *Ops*, aut *Opis*.

53. *Polluces.*] Pollux.

54. *Summanus.*] Eſt Deus manium ſummus, id eſt, qui omnes ſummanat ſeu rapit, & ſub manes ducit. Vide Notas in Curc. act. 5. v. 46.

Neque oſculatur, neque illud quod dici ſolet.
NI. Ut jurat! ſervat me ille ſuis perjuriis.
CL. Ubi nunc Mneſilochus ergo eſt? *CH.* rus miſit pater.
Illa autem in arcem abivit ædem viſere
Minervæ. nunc aperta eſt, i, viſe, éſtne ibi.
CL. Abeo ad forum igitur. *CH.* vel hercle in malam crucem.
CL. Hodie exigam aurum hoc? *CH.* exige, ac ſuſpende te:
Ne ſupplicare cenſeas, nihili homo.
Ille eſt amotus. ſine me, per, te, here, obſecro
Deos immortales, ire huc intrò ad filium.
NI. Quid eò introibis? *CH.* ut eum dictis plurimis
Caſtigem, cùm hæc ſic facta ad hunc faciat modum.
NI. Imò oro ut facias, Chryſale, & ted obſecro,
Cave parſis in eum dicere. *CH.* etiam me mones?
Satin eſt, ſi plura ex me audiet hodie mala,
Quàm audivit unquam Clinia ex Demetrio?
NI. Lippi illic oculi ſervus eſt ſimillimus:
Si non eſt; nolis eſſe, neque deſideres:
Si eſt; abſtinere, quin attingas, non queas.

INTERPRETATIO.

neque oſculatur, neque illud quod ſolet dici. NI. *Ut jurat! Ille me ſervat ſuis perjuriis.* CL. *Ubi eſt ergo jam Mneſilochus?* CH. *Pater miſit rus: illa verò conceſſit in templum Minervæ ad eum viſendum. Janua eſt nunc aperta. Vide, éſtne ibi?* CL. *Abeo igitur ad forum.* CH. *Abi per Herculem in malam crucem.* CL. *Repetam hodie hoc aurum.* CH. *Repete. ac te ſuſpende: ne putes me tibi ſupplicem futurum, homo viliſſime; ille eſt amandatus, patere me, te obteſtor per Deos immortales, here, ingredi. huc in ædes ad filium.* NI. *Quare illuc ingrederis?* CH. *Ut increpem filium pluribus verbis, eo quod faciat ſic hæc agat.* NI. *Imò obteſtor ut increpes, Chryſale, & te precor, vide ne parcas verbis.* CH. *Me admones etiam? Eſt-ne ſatis, ſi audiet hodie ex me plura convitia, quàm audivit unquam Clinia ex Demetrio?* NI. *Ille ſervus eſt ſimillimus oculo lippo: Si non habes, non vis habere, neque deſideras: ſi habes, non potes temperare, quominùs manum admoveas.*

ANNOTATIONES.

56. *Neque illud quod dici ſolet.*] Id eſt, quod ſuſpicari ſolent de amantibus. Verecundè dictum.

64. *Sine me, per, te, here.*] Sermo involutus & implicatus: cujus eſt hic ordo: *Here, te obſecro per omnes Deos immortales. ſine me intrare hic ad filium.* Antiqui in obteſtationibus inter præpoſitionem ejuſque caſum prænomen interponebant. Terent. Andr. *Per ego te Deos oro.* Virg. 4. Æn. *Per ego has lacrymas.* Seneca in Agamemnone: *Per te præſentis memoriam obteſtor mei.* Feſtus: *Ob vos ſacro, in quibuſdam precationibus eſt, pro, vos obſecro: ut & ſub vos placo, pro, vos ſupplico.*

71. *Quam audivit Clinia ex Demetrio.*] Alludit ad aliquam Comœdiam, ſeu alienam, ſeu veterem, ſeu recentem in quâ Demetrius inſectaretur conviciis, & maledictis infinitis Cliniam. Proverbium verſus redolet.

72. *Lippi oculi ſimillimus.*] Dicit ſervum eſſe ſimilem oculo lippo, quia quemadmodum abſtinere non potes manum ab oculo quamvis dolet: ſic abſtinere non potes à miniſterio ſervi.

75 Nam

Nam ni illic hodie forte fortunâ hîc foret,
Miles Mneſilochum cum uxore opprimeret ſuâ.
Atque obtruncaret mœchum manifeſtarium:
Nunc quaſi ducentis Philippis emi filium,
Quos dare promiſit militi: quos non dabo
Temerè etiam, priuſquam filium convenero.
Nunquam edepol quicquam temerè credam Chryſalo:
Verùm libet etiam mihi has perlegere denuò:
ÆQUUM eſt tabellis conſignatis credere.

INTERPRETATIO.

Nam niſi fortuitò Chryſalus adeſſet hodie hic, miles obrueret Mneſilochum cum ſuâ uxore, atque conficeret veluti adulterum manifeſtò deprehenſum. Nunc redemi filium ducentis Philippis, quos pollicitus eſt militi: quos non numerabo imprudenter, priuſquam videro filium. Per ædem Pollucis nunquam committam quidquam fidei Chryſali. Verùm libet etiam mihi has litteras iterum legere: eſt par fidem habere tabellis obſignatis,

ANNOTATIONES.

75. *Forte fortunâ.*] *Fors* in faſtis & certis, *fortuna* in incertis & temere evenientibus uſurpari dicitur; quamquam promiſcuè non rarò accipiuntur; quod ſi duo hæc verba conjunguntur, ex eorum ſententiâ, qui diſtinguenda putant, ea adhibere oportet, in iis quæ ſtabilia ſunt in ſuâ inconſtantiâ & levitate.

77. *Manifeſtarium.*] In manifeſto ſcelere deprehenſum.

ACTUS QUARTUS. SCENA NONA.

ARGUMENTUM.

JOCATUR Chryſalus in factum ſuum in circumveniendo Nicobulo, comparátque ingenioſiſſimè cum obſidione & expugnatione Trojanâ. Demum reddit ſeni litteras à Mneſilocho, quibus petit & obtínet ducentos Philippeos dandos Bacchidi, quam eſſe uxorem militis dixerat Chryſalus, crediderat ſenex, & quam velle ſe dimittere fingit Mneſilochus, ſi dederit ducentos Philippeos, quos eſt pollicitus.

NICOBULUS, CHRYSALUS.

CHRYSALUS.

ATRIDÆ duo fratres cluent feciſſe facinus maximum:
Cùm Priami patriam Pergamum, divinâ mœnitum manu,
Armis, equis, exercitu atque eximiis bellatoribus,
Millenûm numero navium, decumo anno poſt ſubegerunt.
Non Pelides termento fuit, præut ego herum expugnabo meum
Sine claſſe, ſineque exercitu, & tanto numero militum,
Cepi, expugnavi amanti herili filio aurum ab ſuo patre.
Nunc priuſquam huc ſenex venit, libet lamentari, dum exeat:
O Troja! ô patria! ô Pergamum! ô Priame! periiſti ſenex,
Qui miſerè malè mulcabere quadringentis Philippis aureis.
Nam ego has tabellas obſignatas, conſignatas, quas fero,
Non ſunt tabellæ, ſed equus, quem miſêre Achivi ligneum.
Epius eſt Piſtoclerus: ab eo hæc ſumta. Mneſilochus Sinon eſt
Relictus. ellum! non in buſto Achilli, ſed in lecto accubat:

INTERPRETATIO.

CHR. *Duo fratres Atrei filii dicuntur geſſiſſe præclarum facinus, quando domuerunt Trojam, urbem Priami, munitam à Diis, poſt obſidionem decennem, armis, equis, exercitu, militibus præſtantiſſimis, mille navibus. Achilles non fuit tanta machina, quàm ego in oppugnando meo hero, ſine navibus, ſine exercitu, & ſine tanta multitudine armatorum, cæpi, expugnavi pro filio heri amante aurum ab ejus patre. Nunc antequam ſenex venerit huc, libet deplorare ſortem hujus urbis uſque eo dum prodeat:* O *Troja! ô Patria! ô Pergamum! ô Priame! interiſti ſenex, qui ſpoliaberis crudeliter quadringentis Philippis aureis. Nam hæ litteræ ſigillo communitæ, quas gero conſignatas, non ſunt litteræ, ſed equus ligneus, quem Græci miſêre. Piſtoclerus eſt Epeus: hac architectatus eſt. Mneſilochus deſertus eſt Sinon. Ille non jacet in Achillis monumento, ſed in cubili*

ANNOTATIONES.

1. *Atridæ duo.*] Agamemnon & Menelaus Atræi filii.

Cluent.] Κλύουσι, audiunt, dicuntur, *Paſſent pour avoir fait une grande action.*

2. *Pergamum.*] Troja, à Troe; Ilium ab Ilo, regibus, Troja regio, Ilium civitas, pergamum arx.

Divinâ mœnitum manu.] *Mœnitum* pro *munitum*, à *mœnibus*, antiquum verbum. *Munitum* pergamum divinâ manu dicitur, quia Neptuni & Apollinis operâ eſſe ædificata mœnia Trojana fabulantur.

5. *Non Pelides termento.*] Achilles Pelei filius termentum fuit, id eſt, detrimentum machináque rei Trojanæ, alii tormentum. Achilles non tormentum fuit tam funeſtum Trojanis, quàm Chryſalus eſt Nicobulo.

12. *Sed equus.*] Virgilius: *Doli fabricator Epeus.* Hic Epius, apud Græcos ἵππος δούρειος & δουράτεος, Lucretius Latinum fecit, *Durateum*.

13. *Sinon eſt.*] Sinon is qui à Poëtis dicitur induxiſſe in fraudem Trojanos, eóſque dolis adduxiſſe, ut in urbem etiam per diruta mœnia equum Trojanum admitterent. *Relictus* dicitur, quia Græci relinquere ſimulaverant.

14. *Ellum.*] Ecce illum.

Buſto Achilli.] Non Achillis, ſed Palamedis: qui error conſultò à Plauto committitur: non enim eſt vernæ, qualis eſt Chryſalus, tenere hiſtoriam heroïcam tam accuratè, ut ducem pro duce non accipiat: *buſtum* à *comburendo*. Moris enim fuit apud veteres, ut corpora mortuorum concremarent ne eorum odore ſi terræ mandarentur, vivi infeſtarentur.

Bacchidem habet ſecum. ille olim habuit ignem, qui ſignum daret:
Hæc ipſum exurit. ego ſum Vlyſſes, cujus conſilio hæc geruntur.
Tum quæ hîc ſunt ſcriptæ literæ, hoc in equo inſunt milites
Armati atque animati probè. ita res ſucceſſit, meliùſque adhuc.
Atque hic equus non in arcem, verùm in arcam faciet impetum.
Excidium, exitium, exlecebra fiet hic equus hodie auro ſenis.
Noſtro ſeni huic ſtolido, ei profectò nomen facio ego Ilio.
Miles Menelau'ſt: ego Agamemnon, idem Vlyſſes Laertius.
Mneſilochus eſt Alexander, qui erit exitium rei patriæ ſuæ:
Is Helenam abduxit, cuja cauſsâ nunc facio obſidium Ilio.
Nam illîc eidem audii Vlyſſem, ut ego ſum, fuiſſe & audacem & malum.
Dolis ego deprenſus ſum: ille mendicans penè inventus interiit,
Dum ſibi exquirit fata Iliorum. aſſimiliter mihi hodie obtigit.
Vinctus ſum, ſed dolis exemi. item ſe ille ſervavit dolis.
Ilio tria fuiſſe audivi fata, quæ illi forent exitio:
Signum ex arce ſi periſſet: alterum etiam eſt Troili mors:
Tertium cùm portæ Scææ limen ſuperum ſcinderetur.
Paria item tria eis tribus ſunt fata noſtro huic Ilio:
Nam dudum primò, ut dixeram noſtro ſeni mendacium
Et de hoſpite, & de auro, & de lembo; ibi ſignum ex arce jam abſtuli.

INTERPRETATIO.

habet ſecum Bacchidem. Ille habuit olim facem, qui daret ſignum: Bacchis Mneſilochum exurit. Ego ſum Vlyſſes, prudentiâ cujus hæc fiũt. Tum litteræ quæ ſunt hîc ſcripta, ſunt milites armati egregiè atque incitati qui latent in hoc equo. Res ita evenit; meliùſque adhuc, & hic equus irrumpet, non in arcem, ſed in arcam. Hic equus afferet hodie ruinam & everſionem pecuniæ Nicobuli. Profectò ego nomino Ilium noſtrum ſenem imperitum. Menelaus eſt miles Cleomachus: ego Agamemnon, idem Vlyſſes Laertius. Mneſilochus eſt Paris, qui erit futum ſuæ Reipublicæ. Is abduxit Helenam, cujus gratiâ nunc obſideo Ilium. Nam accepi Vlyſſem fuiſſe illic & audacem, & malum ſicut ego ſum. Ego interceptus ſum; ille mendicans repertus propemodum occidit, dum exquirit fata Trojanorum; mihi obtigit hodie ſimiliter. Sum conſtrictus, ſed memet exſolvi dolis; item ille ſemet defendit calliditate. Accepi in Ilio fuiſſe tria, quæ illi forẽt fatalia. Si imago auferretur ex arce; alterum eſt fatum Troili; tertium quando limen ſuperius Scææ portæ reſcinderetur; ſunt item tria fata paria iis tribus Ilio noſtro: nam ubi primum mentitus ſum noſtro ſeni, & de hoſpite, & de auro, & de navi, tunc abſtuli Palladium ex arce.

ANNOTATIONES.

15. *Ille habuit ignem.*] Sublatâ face noctu Sinon admonuit Græcos à Tenedo redeuntes, tempus eſſe in urbem irrumpendi.

29. *Ilio tria fata.*] Id eſt, fatalia. Primum vita Troili Priami omnium natu minimi. Secundum palladium. Tertium ſepulchrum Laomedontis in portâ ſcæâ. Troilum confecit Achilles; palladium abſtulerunt Ulyſſes & Diomedes; ſepulchrum Laomedontis unà cum portâ ſcæâ dirutum.

Jam duo reſtabant fata tum, nec magis id ceperam oppidum.
Pôſt ubi tabellas ad ſenem detuli, ibi occidi Troilum.
Cùm cenſuit Mneſilochum cum uxore eſſe dudum militis,
Ibi vix me exſolvi. atque id periclum aſſimilo, Vlyſſem ut prædicant
Cognitum ab Helenâ, eſſe proditum Hecubæ. ſed ut olim ille ſe
Blanditiis exemit, & perſuaſit, ſe ut amitteret:
Item ego dolis me illo expuli periculo, & decepi ſenem.
Poſtea cum magnifico milite, urbes verbis qui inermus capit,
Conflixi, atque hominem repuli: dein pugnam conſerui ſeni:
Ego eum adeò uno mendacio devici, uno ictu extempulò
Cepi ſpolia. is nunc ducentos nummos Philippos militi,
......quos dare ſe promiſit, dabit.
Nunc alteris etiam ducentis uſus eſt, qui diſpenſentur
Ilio capto: ut ſit mulſum, quî triumphent milites.
Sed Priamus hic multo illi præſtat. non quinquaginta modò;
Quadringentos filios habet; atque equidem omnis lectos ſine probro:
Eos ego hodie omnes contruncabo duobus ſolis ictibus.
Nunc Priamo noſtro ſi eſt quis emtor. coemtionalem ſenem
Vendam ego, venalem quem habeo, extemplò ubi oppidum expugnavero.

Interpretatio.

Adhuc ſupererant duo fata, & nondum expugnaram id oppidum: ubi detuli deincepi litteras ad ſenem. ibi obtruncavi Troilum. Quando putavit Mneſilochum verſari cum uxore militis, inde vix me expedivi. Quod periculum comparo cum iis quæ narrant de Ulyſſe, qui agnitus eſt ab Helena, & detectus Hecuba: ſed quemadmodum ille olim ſe liberavit eloquentiâ, & ſuaſit ut ſe dimitteret: ſic ego calliditate me ſubduxi huic periculo, & decepi ſenem. Poſtea decertavi cum milite glorioſo, qui expugnat urbes verbis inermis, atque ſummovi hominem. Deinde commiſi certamen cum ſene: ego adeò eum ſuperavi uno mendacio ſtatim, uno ictu vici & ſpoliavi. Is nunc numerabit Cleomacho ducentos nummos Philippeos.... quos pollicitus eſt ſe eſſe numeraturum: nunc eſt opus ducentis aliis Philippeis, qui donentur Ilio capto: ut militibus ſit vinum mellitum, quando triumphabunt. Hic Nicobulus, *noſter Priamus antecellit multum Priamo Trojano: nam non modò habet quinquaginta, ſed quadringentos filios, eoſque omnes eximios, & culpâ carentes. Ego obtruncabo hodie eos omnes duobus ſolis ictibus: nunc ſi quis cupiat emere noſtrum Priamum, ego vendam ſenem, quem habeo venalem aptum ad faciendas coemptiones ſtatimatque cepero Trojam.*

Annotationes.

42. *Urbes verbis capit.*] Alibi uno verbo Plautus appellat, *Urbicapos.*

50. *Omnes lectos ſine probro,*] Id eſt, electos dignóſque regio ſanguine.

52. *Coemptionalem ſenem.*] Id eſt, ſenem utilem coemptionibus faciendis. Olim in auctionibus & coemptionibus adhibebantur ſenes, ut ex eorum & experientiâ & ætate autoritas coëmptionibus accederet. Senem ejuſmodi ſe venalem habere prædicat Chryſalus.

Venalem.] Cicero: *Fidem habere venalem.* Propertius: *Auro venalia jura.* Silius: *Animas venales.* Tertullianus: *Auro venales maritos.* Lucanus: *Venalia caſtra,*

Sed Priamum aſtantem eccum ante portam video. adibo atque alloquar.
NI. Cujánam vox prope me ſonat? *CH.* ô Nicobule. *NI.* quid fit? quid,
Quod te miſi, ecquid egiſti? *CH.* rogas? congredere, *NI.* congredior.
CH. Optimus ſum orator. ad lacrumas coegi hominem caſtigando,
Maléque dictis, quæ quidem quivi comminiſci. *NI.* quid ait? *CH.* verbum.
Nullum fecit: lacrumans tacitus auſcultabat, quæ ego loquebar:
Tacitus conſcripſit tabellas: obſignatas mihi has dedit;
Tibi me juſſit dare. ſed metuo, ne idem cantent quod priores.
Noſce ſignum. éſtne ejus? *NI.* novi. libet perlegere has. *CH.* perlege.
Nunc ſuperum limen ſcinditur, nunc adeſt exitium Ilio.
Turbat equus lepidè ligneus. *NI.* Chryſale ades, dum ego has perlego.
CH. Quid me tibi adeſſe opus eſt? *NI.* volo, ut quod jubebo facias,
Ut ſcias quæ hîc ſcripta ſient. *CH.* nihil moror, neque ſcire volo.
NI. Tamen ades. *CH.* quid opus eſt? *NI.* taceas. quod jubeo, id facias. *CH.* adero.
NI. Euge literas minutas. *CH.* qui quidem videat parum:
Verùm, qui ſatis videat, grandes ſatis ſunt. *NI.* animum advortito igitur.
CH. Nolo, inquam. *NI.* at volo, inquam. *CH.* quid opus eſt? *NI.* at enim id, quod te jubeo facias.
„ *CH.* Juſtum eſt, Tuus TIBI ſervus tuo arbitratu ſerviat.

INTERPRETATIO.

Sed ecce video ante oſtium Priamum aſtantem, conveniam atque alloquar. NI. *Cujus vox auditur juxta me?* CH. *O Nicobule!* NI. *Quid eſt? Numquid egiſti id propter quod te miſi?* CH. *Rogas? eamus unà.* NI. *Eo.* CH. *Sum diſertiſſimus orator. Compuli Mneſilochum ad fletum increpando, & obruendo omnibus conviтiis, quæ potui excogitare.* NI. *Quid dicit?* CH. *Dixit nullum verbum; ſed tacitus & lacrymans audiebat quæ ego dicebam, conſcripſit epiſtolam tacitus; mihi has dedit obſignatas; imperavit mihi ut hanc tibi darem; ſed vereor, ne fabuletur idem quod prior. Noſce ſigillum, éſtne ejus?* NI. *Agnoſco; volo hanc perlegere.* CH. *Perlege. Nunc limen ſuperius reſcinditur; nunc adeſt excidium Ilii. Equus ligneus quatit mœnia feſtivè.* NI. *Ades Chryſale, dum ego hanc epiſtolam perlego.* CH. *Quid opus eſt me tibi præſto eſſe?* NI. *Volo ut facias quod impero, ut noſcas quæ ſcripta ſunt in hac epiſtolâ.* CH. *Nullomodò curo, neque opto cognoſcere.* NI. *Tamen ades.* CH. *Quid eſt opus?* NI. *Tace: facid quod impero.* CH. *Adero.* NI. *Euge minutos characteres.* CH. *Minuti quidem iis qui videant ægre; ſed ſunt ſatis magni, ſi videant ſatis.* NI. *Adhibe ergo mentem.* CH. *Nolo, inquam.* NI *At volo, inquam.* CH. *Quid eſt opus?* NI. *At enim facias illud quod mando.* CH. *Æquum eſt tuum ſervum tibi ſervire tuo arbitrio.*

NI. Hoc agesis jam nunc. *CH.* ubi lubet, recita : aurium operam tibi dico.
NI. Ceræ quidem haud parſit, neque ſtilo. ſed quicquid eſt, perlegere certum eſt.
Pater ducentos Philippos quæſo Chryſalo
Da, ſi eſſe ſalvum vis me, aut vitalem tibi.
CH. Malum quidem hercle magnum, tibi dico. *NI.* quid eſt ?
CH. Non prius ſalutem ſcripſit ? *NI.* nuſquam ſentio.
CH. Non dabis, ſi ſapies. verùm ſi das maxumè,
Næ ille alium gerulum quærat, ſi ſapiet, ſibi.
Nam ego non laturus ſum, ſi jubeas maxumè :
Sat ſic ſuſpectus ſum, cùm careo noxiâ.
NI. Auſculta porrò, dum hoc, quod ſcriptum eſt, pellego.
CH. Inde à principio jam impudens epiſtola eſt.
NI. Pudet prodire me ad te in conſpectum, pater.
Tantum flagitium te ſcire audivi meum,
Quòd cum peregrini cubui uxore militis.
NI. Pol haud derides. nam ducentis aureis
Philippis redemi vitam ex flagitio tuam.
CH. Nihil eſt illorum, quin ego illi dixerim.
NI. Stultè feciſſe fateor. ſed quæſo, pater,
Ne me, in ſtultitiâ, ſi deliqui, deſeras.
Ego animo cupido, atque oculis indomitis fui.
Perſuaſum eſt facere, cujus nunc me facti pudet.
NI. PRIUS TE CAVISSE ergo, quàm pudere, æquum fuit.

INTERPRETATIO.

NI. *Age hoc ſi vis jam nunc.* CH. *Quoniam vis, lege : tibi polliceor attentionem.* NI. *Non quidem parcus eſt aut cerâ, aut ſtilo : ſed quidquid eſt, conſtitui perlegere. Pater da rogo Chryſalo ducentos Philippos, ſi vis me eſſe incolumem, aut diutius vivere.* CH. *Per Herculem tibi aperio grande peccatum.* NI. *Quid eſt ?* CH. *Mneſilochus non præſcripſit ſalutem?* NI. *Nuſquam video.* CH. *Non dabis ſi ſanus es ; ſed ſi maximè das, certè Mneſilochus quærat alium bajulum, ſi ſapit ; nam ego non feram, ſi imperes maximè : ſum ſatis ſuſpectus quamvis careo culpâ.* NI. *Audi porrò, dum pergo legere id quod ſupereſt.* CH. *Litteræ ſunt impudentes, jam inde ab initio.* NI. *Pudet me venire in tuum conſpectum, pater, quòd accepi te ſcire tantum ſcelus meum, quòd fui cum uxore militis peregrini.* NI. *Per Pollucem ſeriò dicis ; nam redemi tuam vitam ex ſcelere ducentis Philippeis aureis.* CH. *Nihil eſt in illis, quod non illi prædixerim.* NI. *Fateor feciſſe amenter, ſed obſecro pater, ne me relinquas in amentiâ, ſi peccavi. Ego fui incitatus cupiditate, & habui oculos immoderatos. Sum impulſus ad faciendum id cujus me pudet facti.* NI. *Sed fuit par te caviſſe prius, quàm pudere.*

ANNOTATIO.

73. *Ceræ quidem haud parſit.*] Tabulæ videlicet cerâ inductæ, in quâ litteræ ſcribebantur, ut noſtræ in charta. Cùm autem paulò longior eſt littera, nos non ceræ, ſed papyro non parcere dicimus ; *il n'a pas reglet au papier.*

CH. Eadem iſtæc verbà dudum illi dixi omnia.
NI. Quæſo, ut ſat habeas id, pater, quòd Chryſalus
Me objurgavit plurimis verbis malis,
Et me meliorem fecit præceptis ſuis,
Ut te ei habere gratiam æquum ſit bonam.
CH. Eſtne iſtuc iſtîc ſcriptum? *NI.* hem ſpecta, tum ſcies.
„ *CH.* Ut qui deliquit, ſupplex eſt ultrò omnibus!
NI. Nunc ſi me fas eſt obſecrare abs te, pater,
Da mihi ducentos nummos Philippos, te obſecro.
CH. Ne unum quidem hercle, ſi ſapis. *NI.* ſine pellegam:
Ego jusjurandum verbis conceptis dedi,
Daturum id me hodie mulieri ante veſperum,
Priusquam à me abiret. nunc, pater, ne pejerem,
Cura: atque abduce me hinc ab hâc quantum poteſt,
Quam propter tantum damni feci & flagitii.
Cave tibi ducenti nummi dividiæ fuant.
Sexcenta tanta reddam, ſi vivo, tibi.
Vale, atque hæc cura. Quid nunc cenſes, Chryſale?
CH. Nihil ego tibi hodie conſilii quicquam dabo:
Neque ego haud committam, ut, ſi quid peccatum ſiet,
Feciſſe dicas de meâ ſententiâ.
Uerùm ut ego opinor, ſi ego in iſtoc ſiem loco,
Dem potiùs aurum, quàm illum corrumpi ſinam.
Duæ conditiones ſunt: utram tu accipias, vide.

INTERPRETATIO.

CH. *Illi dixi dudum omnia hæc eadem verba.* NI. *Rogo, pater, ut ſatis ſit tibi, quòd Chryſalus me increpavit plurimis verbis acerbis, & me reddidit meliorem ſuis documentis, ut juſtum ſit te ei habere gratiam.* CH. *Idne eſt inſcriptum inibi?* NI. *Hem aſpice, & vide.* CH. *Ut qui peccavit, ſeſe abjicit lubenter apud omnes!* NI. *Nunc ſi mihi licet abs te rogare aliquid, pater, da mihi ducentos nummos Philippeos, te precor.* CH. *Ne unum quidem Philippum da. ſi es ſanus.* NI. *Patere ut perlegam. Ego affirmavi jurejurando verbis conceptis, me daturum hodie mulieri ante veſperam, priuſquam diſcedat à me: nunc, pater, fac ut ne pejeram: atque me vindica ab hac muliere quàm primùm fieri poterit, propter quam incidi in tot damna & flagitia. Vide ne tibi moleſtum ſit numerare ducentos Philippos, ſi vivo, tibi reſtituam ſexcenties tantum. Vale, & hæc attende. Quid jam exiſtimas, Chryſale?* CH. *Ego nihil tibi dabo conſilii hodie; neque ego committam, ut, ſi ſit aliquid factum perperam, exprobres factum meo conſilio. Verùm ut ego exiſtimo, ſi ego ſim conſtitutus in hoc loco, numerem potiùs aurum, quàm patiar illum perdi. Sunt duæ conditiones, vide utram tu eligas.*

ANNOTATIONES.

97. *Objurgavit me plurimis verbis.*] *Colaphis*, Petronius. *Ferulis*, Suetonius. *Molli brachio*, Cicero.

111. *Sexcenta tanta.*] Sextuplo plura: *ſix fois autant.*

114. *Neque ego haud.*] Duæ negationes non hic affirmant, ſed more Græcorum augent negationem.

Vel ut aurum perdas, vel ut amator pejeret.
Ego neque te jubeo, neque veto, neque ſuadeo.
NI. Miſeret me illius. *CH.* tuus eſt, non mirum facis.
Si plus perdundum ſit, periſſe ſuavius eſt,
Quàm illud flagitium volgo diſpaleſcere.
NI. Næ ille edepol Epheſi multo mavellem foret,
Dum ſalvus eſſet, quàm reveniſſet domum.
Quin ergo iſtic, quod perdundum eſt, propero perdere?
Binos ducentos Philippos jam intus efferam:
Et militi quos dudum promiſi miſer,
Et iſtos. mane iſtic: jam exeo ad te, Chryſale.
CH. Fit vaſta Troja, ſcindunt proceres Pergamum.
Scivi ego jamdudum fore me exitium Pergamo.
Edepol qui me eſſe dicat cruciatu malo
Dignum, næ ego cum illo pignus haud auſim dare,
Tantas turbellas facio. ſed crepuit foris:
Effertur præda ex Trojâ. taceam nunc jam.
NI. Cape hoc tibi aurum, Chryſale. i, fer filio.
Ego ad forum autem hinc ibo, ut ſolvam militem.
CH. Non equidem accipiam. proin tu quæras qui ferat.
Nolo ego mihi credi. *NI.* cape verò: odioſè facis.
CH. Non equidem capiam. *NI.* at quæſo. *CH.* dico, ut res ſe habet.
NI. Morare. *CH.* nolo, inquam, aurum concredi mihi.
Vel da aliquem, qui me ſervet. *NI.* ohe, odioſè facis.

Interpretatio.

vel ut amittas aurum; vel ut amator ſit perjurus. Ego neque te impero, neque prohibeo, neque hortor. NI. *Me miſeret illius.* CH. *Eſt tuus* filius, *quod facis non eſt mirandum. Si perdendum ſit, longè tolerabilius eſt perire illam pecuniam, quàm vulgari hoc crimen.* NI. *Per ædem Pollucis mallem illum eſſe Epheſi, dummodò eſſet incolumis, quàm reverſum domum. Quid igitur cunctor perdere, quod eſt perdendum? Jam efferam domo quadringentos Philippeos; & quos pollicitus ſum jampridem militi, infelix, & iſtos. Mane hic: jam redeo ad te, Chryſale.* CH. *Troja vaſtatur, exſcindunt proceres Pergamum. Ego intellexi jam pridem me futurum victorem Trojæ. Per ædem Pollucis, qui contendat me mereri cruciatum; ego non auſim depoſito pignore contendere cum illo. Adeò magnæ ſunt turbæ, quas edo: ſed fores audiuntur: effertur præda ex Troja, ſilebo nunc jam.* N I. *Accipe hoc aurum, Chryſale, i, fer filio. Ego autem ibo hinc ad forum, ut ſolvam militi.* C H. *Sanè non accipiam: quare verò, qui deferat, ego nolo mihi credi aurum.* NI. *Accipe verò; moleſtus es.* CH. *Non accipiam.* N I. *Dico ut res ſe habet.* C H. *Me moraris.* N I. *At precor.* C H. *Nolo inquam mihi credi aurum: vel da quempiam qui me obſervet.* N I. *Ohe! moleſtus es.*

Annotationes.

123. *Diſpaleſcere.*] Quaſi dicas, *propalari, à palam.*

134. *Turbelas.*] Non *turbellas*, ut à *ſuada*, *ſuadela* non *ſuadella*.

CH. Cedò,

CH. Cedò, ſi neceſſe eſt. *NI.* cura hoc. jam ego huc revenero.
CH. Curatum eſt, eſſe te ſenem miſerrimum.
Hoc eſt incepta efficere pulchrè, veluti mihi
Evenit, ut ovans prædâ onuſtus incederem.
Salute noſtrâ atque urbe captâ per dolum,
Domum reduco integrum omnem hinc exercitum.
Sed ſpectatores, vos nunc ne miremini,
Quòd non triumpho. pervulgatum eſt, nihil moror.
Veruntamen accipientur mulſo milites,
Nunc hanc prædam omnem jam ad quæſtorem deferam.

INTERPRETATIO.

CH. *Da, ſi oportet me ferre.* NI. *Cura hoc, jam ego revertar huc.* CH. *Curavi ut ſis ſenex infeliciſſimus. Hoc eſt perducere ad exitum feliciter quod incepiſti. ſicut mihi contigit jam, ut gaudens prædâ refertus ſim. Hinc reduco domum omnes copias ſalvas, nobis incolumibus, atque urbe expugnatâ dolo. Sed ſpectatores, ne vobis mirum ſit jam, ſi non triumpho. Nimis vulgare eſt triumphare, id non curo. Attamen milites invitabuntur mellito vino, nunc jam deferam ad quæſtorem omnia hæc ſpolia.*

ANNOTATIONES.

151. *Accipientur mulſo milites.*] In triumphis milites invitabantur mellitis & medicatis poculis.

152. *Ad quæſtorem deferam.*] Moris erat Romanorum, ut capta ab hoſtibus præda à victoribus publicè deferretur ad quæſtores urbanos, ut ad gloriam fortitudinis laus quoque liberalitatis, ejuſque publicæ, accederet.

ACTUS QUARTUS. SCENA DECIMA.

ARGUMENTUM.

PHILOXENUS pater Piſtocleri ratus Mneſilochum eſſe laudatiſſimæ frugi, ſtatuit ei etiam atque etiam ſuum filium commendare.

PHILOXENUS.

QUAM magis in pectore meo foveo, quas meus filius turbas turbet,
Quam ſe ad vitam, & quos ad amores præcipitem inſcitus capeſſat,

INTERPRETATIO.

PHIL. *Quanto magis verſo in meo animo quos tumultus meus filius concitet, ad quam vivendi rationem, & in quas libidines incurrat imprudens,*

ANNOTATIO.

2. *Inſcitus.*] Feſtus: *Stultus,* Quaſi dicas, *ignarus. A ſcie, inſcius, inſcitus.*

Magis curæ eſt, magíſque afformido, ne is pereat, neu corrumpatur.
Scio. ego fui illâ ætate, & feci illa omnia; ſed more modeſto.
Neque placitant mores, quibus video volgo gnatis eſſe parentes.
Duxi, habui ſcortum, potavi, edi, donavi. & enim id rarò.
Ego dare me ludum meo gnato inſtitui. ut animo obſequium
Sumere poſſit, æquum eſſe puto. ſed nimis nolo deſidiæ
Ei dare ludum. nunc Mneſilochum, quod mandavi, viſo:
Ecquid eum ad virtutem aut ad frugem operâ ſuâ compulerit:
Sicut eum ſi convênit, ſcio feciſſe. eo eſt ingenio natus.

INTEPRETATIO.

tantò magis ſum ſollicitus, magíſque pertimeſco, ne is ſeſe perdat, néve prorſus *corrumpatur. Non oblitus ſum. Ego fui in illâ ætate, & feci omnia illa; ſed moderatè: neque mores mihi probantur, quibus animadverto eſſe parentes erga ſuos liberos. Duxi, habui meretricem, bibi, edi, donavi; ſed id per rarò. Ego mihi propoſui concedere meo filio copiam ludendi: exiſtimo eſſe par, ut poſſit obſequi animo; ſed nolo plus æquo indulgere otio: nunc viſam numquid Mneſilochus eum cohortatus fuerit ad virtutem, aut ad* laudatam *frugem ſuis monitis, ſicut commendavi: ſicuti ſcio Mneſilochum feciſſe, ſi contulit ſermonem. Hæc eſt Mneſilochi mens.*

ANNOTATIONES.

7. *Dare ludum.*] Id eſt, ludendi copiam.
9. *Ei.*] Alii *em*, vetus pro *eum.*

ACTUS QUINTUS.

ARGUMENTUM.

NICOBULUS & Philoxenus, poſtquam animadvertunt ſe in eadem cymbâ navigare, & filios ſe habere perinde corruptos, pergunt unà ad Bacchides, ut inde filios ſuos Mneſilochum & Piſtoclerum abducant, ſed blanditiis deliniti muliercularum duarum, tantùm non ipſi ſocii eorum libidinis evadunt.

ACTUS QUARTUS. SCENA PRIMA.

ARGUMENTUM.

NICOBULUS Chryſali fraudibus detectis expoſtulat, & unà cum Philoxeno pergit ad Bacchides, ut inde educant filios ſuos.

NICOBULUS, PHILOXENUS.

NICOBULUS.

QUicunque ubique ſunt, qui fuêre, quíque futuri ſunt poſthac
Stulti, ſtolidi, fatui, fungi, bardi, blenni, buccones,
Solus ego omnes longè antedeo ſtultitiâ, & moribus indoctis.
Perii, pudet. hoccine me ætatis ludos bis factum eſſe indignè?
Magis quàm id reputo, tam magis uror, quæ meus filius turbavit.
Perditus ſum, atque etiam eradicatus ſum. omnibus exemplis crucior.
Omnia me mala conſectantur, omnibus exitiis interii.
Chryſalus me hodie laceravit, Chryſalus me miſerum ſpoliavit:
Is me ſcelus uſque attondit dolis doctis indoctum, ut lubitum eſt.
Ita miles memorat meretricem eſſe, quam ille uxorem eſſe aiebat.
Omnia, ut quidque actum eſt, memoravit. eam ſibi hunc annum conductam.
Reliquum id auri factum, quod ego ei ſtultiſſimus homo promiſiſſem.
Hoc, hoc eſt, quod peraceſcit, hoc eſt demum quod percrucior.
Me hoc ætatis ludificari? imò edepol ſic ludos factum!
Cano capite, atque albâ barbâ miſerum me auro eſſe emunctum!

INTERPRETATIO.

NICOB. *EGo ſupero longè unus amentiâ & imperitiâ cunctos ſtultos, ſtolidos, fatuos, viles, hebetes, infantes, garrulos, quicumque ſunt ubique, qui fuerunt, & qui erunt deinceps. Occidi: pudet. Hácne ætate me eſſe ſic bis ludificatum? Quantò magis recogito quantas turbas meus filius concitavit, tantò magis inflammor iracundiâ. Sum perditus, atque etiam radicitus. Diſcrucior omni ratione, omnia incommoda me circumveniunt. Perii omni genere exitiorum. Chryſalus me concidit hodie, Chryſalus me nudavit infœlicem! Ille, ô ſcelus! me attondit ſuis dolis eruditis ineruditum, ad arbitrium. Miles mihi dixit eſſe ſuam meretricem, quam Chryſalus dicebat eſſe ejus uxorem; & narravit quemadmodum omnia geſta ſunt; eam à ſe locatam in hunc annum. Id aurum quod ego ei pollicitus eſſem homo amentiſſimus, ſuperfuiſſe. Hoc, hoc eſt, quod acerbum eſt, hoc eſt demum quod intolerandum, me irrideri hac ætate. Imò per ædem Pollucis, ſic propinatum ſannis cano capite, cano mento. Infœlicem me fraudatum eſſe pecunia!*

ANNOTATIONES.

1. *Fungus.*] Homo minimè ſapiens, ut *fungus* nullius per ſeſe ſaporis eſt, niſi accedat coqui artificium.

Bardi.] Βραδεῖς metatheſi litteræ. tardi.

Blenni.] Βλέννα muccus βλεννὸς muccoſus, ut pueri ſunt; unde tranſlatio ad infantes homines, & minimè acutos & *emunctæ naris*, ut aliquis appellat.

Buccones.] Garruli, & inconditâ garrulitate moleſti, à bucca, *un hableur.*

Perii. hoc ſervum meum non nauci facere eſſe auſum ? atque ego,
ſi alibi [ducam
Plus perdiderim, minus ægrè habeam, minuſque id mihi damno
PH. Certò hîc prope me mihi neſcio quis loqui viſu'ſt. ſed quem
video ? [mali video.
Hic quidem pater Mneſilochi. *NI.* euge, ſocium ærumnæ & mei
Philoxene, ſalve. *PH.* & tu. unde agis ? *NI.* unde homo miſer
atque infortunatus.
PH. At pol ego ibi ſum, eſſe ubi miſerum hominem decet atque
infortunatum.
NI. Igitur pari fortunâ, ætate ut ſumus, utimur. *PH.* ſic eſt.
ſed, tu,
Quid tibi eſt ? *NI.* pol mihi par idem eſt quod tibi. *PH.* nunquidnam ad filium
Hæc ægritudo attinet ? *NI.* admodum. *PH.* idem mihi morbus
in pectore eſt.
NI. At mihi Chryſalus optimus homo····
Perdidit filium, me, atque rem omnem····
Meam. *PH.* quid tibi ex filiónam, obſecro, ægrè eſt ? *NI.* ſcies
id : periit
Cum tuo : atque ambo æquè amicas habent. *PH.* quî ſcis ? *NI.* vidi.
PH. hei mihi, diſperii.
NI. Quid dubitamus pultare, atque huc evocare ambos foras ?
PH. Haud moror. *NI.* heus Bacchis, jube ſis actutum aperiri
fores,
Niſi mavoltis fores & poſtes comminui ſecuribus.

INTERPRETATIO.

Interii ? oportétne meum ſervum eſſe auſumſie me nihili pendere ? Et quidem ſi ego plus amiſerim in alia re, feram minus indignè, atque exiſtimabo, id non mihi eſſe tanto detrimento. PH. *Profectò neſcio quis mihi viſus eſt fabulari hic juxta me : ſed quem conſpicio, hic eſt profectò pater Mneſilochi.* NI. *Euge, animadverto participem ærumnarum & dolorum. Philoxene, ſis ſalvus.* PH. *Et tu. unde venis ?* NI. *Unde homo infœlix atque calamitoſus.* PH. *At per Pollucem ego eò loci deveni, ubi oportet eſſe hominem ærumnoſum & infœlicem.* NI. *Ergo ſumus pari ſorte, ut pari ætate.* PH. *Sic eſt : ſed tu, quid eſt tibi ?* NI. *Per Pollucem mihi eſt par quod tibi.* PH. *Numquid hic dolor ſpectat ad filium ?* NI. *Prorſus.* PH. *Eſt mihi idem dolor in animo.* NI. *Sed Chryſalus optimus vir perdidit meum filium, me, & omnes meas res.* PH. *Quidnam eſt tibi ægritudinis ex filio, amabo ?* NI. *Scies id : interiit cum tuo : atque ambo habent pariter amicas.* PH. *Qui ſcis ?* NI. *Conſpicatus ſum.* PH. *Hei mihi, interii !* NI. *Quid cunctamur pulſare, atque evocare huc ambos foras ?* PH. *Non moror quominus facias.* NI. *Heus Bacchis, impera ſi vis ſtatim reſerari januam, niſi mavultis perfringi ſecuribus fores & poſtes.*

ANNOTATIO.

20. *Unde agis.*] *Te* ſubauditur, id eſt, *ægre venis. Agere* dicitur de eo qui tardus & triſtis ambulat. Virgilius : *Seſe paſſim agebat.* Obmittitur ferme caſus verbi Tei. *Quò hinc agis. Meveo,* id eſt, *ire pergo : move vero ocius, mea nutrix.*

ACTUS QUINTUS. SCENA SECUNDA.

ARGUMENTUM.

NIcobulus & Philoxenus blanditiis duarum muliercularum adducti, conceptam animo iram in filios, & in ipſas Bacchides, ſic deponunt, ut fermè ætatis ſuæ & honeſtatis obliti, eorum libidinis ſocii fiant.

NICOBULUS, PHILOXENUS, BACCHIDES.

BACCHIDES.

QUis ſonitu ac tumultu tanto, nomine nominat
Me, atque pultat ædes? *NI.* ego atque hic. *BA.* quid hoc eſt
Negotii? nam, amabo, quis has huc oves adegit?
NI. Oves nos vocant peſſumæ. *SO.* paſtor harum
Dormit, cùm hæ eunt ſic à pecu palitantes.
BA. At pol nitent, haud ſordidæ videntur ambæ.
SO. Attonſæ hæ quidem ambæ uſque ſunt. *PH.* ut videntur
Deridere nos! *NI.* ſine, ſuo uſque arbitratu.
BA. Rerin' ter in anno tu has tonſitari? *SO.* pol hodie
Altera jam bis detonſa certò eſt. *BA.* vetulæ
Sunt thymiamæ. *SO.* at bonas fuiſſe credo.
BA. Viden' limulis, obſecro, ut intuentur!

INTERPRETATIO.

BAC. *Quis me appellat nominatim, atque pulſat fores cum tanto ſtrepitu ac fragore?* NI. *Ego atque hic.* BA. *Quid rei eſt hoc? Quiſnam quæſo, compulit huc has oves?* NI. *Maligna nos nuncupant oves!* SO. *Harum opilio dormit, quoniam hæ digrediuntur à grege, & ſic vagantur.* BA. *Sed per Pollucem ſunt egregia ambæ, nec illautæ videntur.* SO. *Hæ ambæ profectò ſunt ad cutem abraſæ.* PH. *Ut nos ludificant.* NI. *Patere ut nobis illudant quantum voluerint.* BA. *Arbitrariſne tu has tonderi poſſe ter per annum?* SO. *Per Pollucem pro certo, altera eſt jam detonſa hodie bis.* BA. *Sunt vetulæ & thymum amant.* SO. *At exiſtimo fuiſſe laudatas.* BA. *Vidéſne amabo, ut nos aſpiciunt limis oculis!*

ANNOTATIONES.

3. *Oves.*] Sic vocantur ſenes duo à Bacchidibus, quòd ſint cano capite, atque albâ barbâ.

5. *Palitantes.*] Palor, vagor: id dicitur de iis qui digrediuntur a turbâ imprudentes, & longius abeunt, quales ſunt oves, quæ à grege aliæ aliò abeunt.

7. *Attonſæ ſunt.*] Irridentur ſenes à Bacchidibus, quia filii opera Chryſali, eos auro emunxerunt.

10. *Altera bis detonſa.*] Chryſalus bis fraudaverat unâ die Nicobulum.

11. *Thymiamæ.*] Qui thyma amant.

12. *Limulis.*] Limus oculus, eſt obliquus, & eſſe dicitur ejus, qui videre vult, & non vult videri ſpectare.

BA. Ecaſtor ſine omni arbitror malitiâ eſſe.
PH. Meritò hoc nobis fit, qui quidem huc venerimus.
BA. Cogantur quidem intrò. *SO.* haud ſcio quid eo opus ſit,
Quæ nec lactem, nec lanam ullam habent. ſic ſine aſtent.
Exoluêre, quanti fuêre. omnis fructus
Jam illis decidit. non vides, ut palantes
Solæ liberè graſſentur? quin ætate credo eſſe mutas:
Ne balant quidem, cùm à pecu cætero abſunt. *SO.* ſtultæ atque haud malæ videntur.
BA. Revortamur intrò, ſoror. *NI.* illico ambæ manete: hæ oves volunt vos.
BA. Prodigium hoc quidem eſt: humanâ nos voce appellant oves.
PH. Hæ oves vobis malam rem magnam, quam debent, dabunt.
BA. Si quam debes, te condono, tibi habe, nunquam abs te petam.
Sed quid eſt, quapropter nobis vos malum minitamini?
PH. Quia noſtros agnos concluſos iſtic eſſe ajunt duos.
NI. Et, præter eos agnos, meus eſt iſtîc clam mordax canis:
Qui niſi nobis producuntur jam, atque emittuntur foras,
Arietes truces nos erimus, jam in vos incurſabimus.
BA. Soror, eſt, quod te volo ſecretò. *SO.* eho amabo. *NI.* quò illæ abeunt? *BA.* ſenem illum
Tibi dedo ulteriorem, lepidè ut lenitum reddas: ego ad hunc

INTERPRETATIO.

SO. *Per ædem Caſtoris exiſtimo eas eſſe non malignas.* PH. *Id nobis evenit jure, qui venerimus huc.* BA. *Compellantur in ſtabulum.* SO. *Quid nobis opus eſt iis, quæ nec lac habent, nec ullam lanam. Patere ut ſic aſtent ſemper: jam exoletæ ſunt, quanti cumque pretii fuerunt: jam omnis fructus eis expreſſus. Nônne vides ut ambulant ſolæ, vagantes, ſolutæ? Quin puto eſſe elingues ætate: nequidem balant, quando abſunt à reliquo grege.* SO. *Apparent haud inſipientes atque nequam.* BA. *Repetamus in ædes, ſoror.* NI. *State illic ambæ. hæ oves cupiunt vos* alloqui. BA. *Hoc ſane eſt miraculum; oves nos nuncupant voce humana.* PI. *Hæ oves mactabunt infortunio quo debent.* BA. *Si aliquod debes, condono tibi, tibi habe, nunquam abs te petam. Sed quare vos nobis minitamini malum?* PH. *Quia dicunt noſtros duos agnos eſſe iſtic incluſos.* NI. *Et præter eos agnos, meus canis mordax eſt hic occultus; qui niſi jam nobis producuntur, atque emittuntur foras, nos erimus arietes truces; jam impetum faciemus in vos.* BA. *Soror cupio tibi dicere nonnihil ad aurem.* SO. *Eho obſecro.* NI. *Quò vadunt illæ?* BA. *Tibi trado in manus illum ſenem qui ulterius ſtat, ut efficias manſuetum feſtivè: ego aggredior*

ANNOTATIONES.

15. *Conantur intro.*] Proprium de grege ovibúſque verbum, Virgilius: *Tityre coge pecus.*

16. *Lactem.*] *Lactis, lactis,* maſculinum olim.

17. *Exoluere.*] Ab exoleſco, id eſt, *effœta ſunt.*

Iratum aggrediar. poſſumus nos hos intrò illicere huc? *SO.* meum
Penſum ego lepidè accurabo. quanquam odioſum eſt mortem amplexari.
BA. Facito ut facias. *SO.* taceas. tu tuum facito, ego quod dixi haud mutabo.
NI. Quid illæc illic in conſilio duæ ſecretò conſultant?
PH. Quid ais tu homo? *NI.* quid me vis? *PH.* pudet dicere me tibi quiddam.
NI. Quid eſt, quod pudeat? *PH.* ſt! amico homini tibi quid volo credere. certum eſt,
Nihili ſum. *NI.* iſtuc jampridem ſcio. ſed, quid nihili ſis, memora.
PH. Tactus ſum vehementer viſco: cor ſtimulo foditur. *NI.* pol tibi
Multo æquius eſt coxendicem.
Sed quid iſtuc eſt? etſi jam ego ipſe, quid ſit, propè ſcire puto me,
Verùm audire etiam ex te ſtudeo. *PH.* viden' hanc? *NI.* video. *PH.* haud mala eſt mulier.
NI. Pol verò iſta mala, & tu nihili. *PH.* quid multa? ego amo. *NI.* an amas? *PH.* necas. [quî non?
NI. Tun' homo putide, amator iſtâc fieri ætate audes? *PH.*
NI. Quia flagitium eſt. *PH.* quid opus verbis eſt? meo filio non ſum iratus.
Neque te tuo eſt æquum eſſe iratum: ſi amant, ſapienter faciunt.
BA. Sequere hâc. *NI.* eunt. eccas tandem probri perlecebræ & perſuaſtrices.
Quid nunc etiam redditis nobis filios & ſervum? an ego

INTERPRETATIO.

ad hunc iratum, nos poſſumus hos pellicere in ædes? SO. *Ego obibo feſtivè meas partes, tametſi eſt ingratum complecti mortuo ſimilem.* BA. *Præſta ut preſtes.* SO. *Tace, tu ſuſtine tuas partes, ego ſtabo promiſſis.* NI. *Quid illæ duæ deliberant illic in conſilio?* PH. *Quid ais de iis tu, Nicobule?* NI. *Quid me vis dicere?* PH. *Me pudet tibi aperire nonnihil.* NI. *Quid eſt quod pudeat?* PH. *St, volo tibi credere aliquid, ut-pote homini amico. Profectò perii.* NI. *Jam animadverto iſtud; ſed dic quare periiſti.* PH. *Impeditus ſum fortiter illecebris: cor vulneratur ſtimulo amoris.* NI. *Per pollucem eſt multò ſatius fodi coxam: Sed quid eſt hoc? tametſi ego ipſe exiſtimo me propemodùm tenere jam quid ſit. Sed cupio audire etiam ex te.* PH. *Vidéſne illam?* N I. *Video.* PH. *Eſt mulier non ita illepida.* NI. *Per Pollucem verò iſta nequam, & tu nequam.* PH. *Quid plura? ego amo.* NI. *An amas?* PH. *Enecas.* NI. *Tu homo fœtide, audes evadere amator iſtac ætate?* P H. *Cur non?* N I. *Quia eſt flagitium.* PH. *Quid opus eſt verbis? Non ſum iratus meo filio. Neque eſt par te eſſe iratum tuo; ſi amant, ſapiunt.* BA. *Sequere hàc.* NI. *Eunt; ecce tandem! pellecebræ ad probrum & illices. Quid jam, etiam nobis reſtituitis filios & ſervum? An*

ANNOTATIONES.

33. *Mortem amplexari.*] Senes pallidi, exangues, frigidi.

40. *Æquius eſt coxendicem.*] Præſtaret ſtimulo compungi coxendicem, ut equo vel aſino contumaci, quàm cor.

Experior tecum vim majorem? *PH.* abin'hinc?
Non homo tu quidem es, qui iſtoc pacto tam lepidam illepidè appelles.
BA. Senex optime, quantum eſt in terrâ, ſine hoc exorare abs te,
Ut iſtuc delictum deſiſtas tanto opere ire oppugnatum.
NI. Niſi abeas, quanquam tu bella es, malum tibi magnum dabo jam. *BA.* patiar.
Non metuo, ne quid mihi doleat, quod ferias. *NI.* ut blandiloqua eſt!
Hei mihi, metuo. *SO.* hic magis tranquillu'ſt.
I, i hàc mecum intrò, atque ibi, ſi quid vis, filium concaſtigato.
NI. Abin' à me, ſcelus? *BA.* ſine, mea pietas, exorem. *NI.* exores tu me?
BA. Ego quidem ab hoc certè exorabo. *PH.* imò ego te oro, ut me intrò abducas.
SO. Lepidum te! *PH.* at ſcin', quo pacto me ad te intrò abducas? *SO.* mecum ut ſis.
PH. Omnia quæ cupio, commemoras. *NI.* vidi ego nequam
Homines, verùm te neminem deteriorem. *PI.* ita ſum.
BA. I, i hàc mecum intrò, ubi tibi ſit lepidè victibus, vino atque unguentis.
NI. Satis, ſatis jam veſtri ex convivii: me nihil pœnitet, ut ſim acceptus.
Quadringentis Philippis filius me & Chryſalus circunduxerunt,
Quem quidem ego ut non excruciem,
Alterum tantum auri non meream.

INTERPRETATIO.

afferam huc vim majorem? PH. *Abis hinc, non homo es, ut qui appelles hoc modo tam illepidè tam lepidam.* BA. *Senex optime omnium qui ſunt in terrâ, ſine me hoc impetrare à te, ut ceſſes oppugnare tantopere iſtud factum.* NI. *Niſi abſiſtas, tametſi tu es pulchra, tibi infligam jam ingens malum.* BA. *Perferam. Non timeo ne doleat, quod ferias.* NI. *Ut eſt ſuaviloqua! Hei mihi, metuo.* SO. *Hic eſt lenior. I, i hàc mecum in ædes, atque ibi increpa filium, ſi quid ei vis.* NI. *Recediſne à me, ſceleſta?* BA. *Sine me te placem, mea pietas.* NI. *Tune me places?* BA. *Equidem exorabo ab hoc* Philoxeno. PH. *Imò ego te precor, ut me deducas in ædes.* SO. *O te feſtivum!* PH. *At ſciſne, quâ conditione me abduces?* SO. *Ut ſis mecum.* PH. *Narras cuncta quæ exopto.* NI. *Ego vidi homines malos; ſed non vidi quemquam te pejorem.* PH. *Ita ſum.* BA. *I, i hàc mecum intrò, ut excipiaris lautè epulis, poculis, & unguentis.* NI. *Satis, eſtis epulata* è mea re: *non eſt quod me pigeat, quòd non ſim ſatis lautè exceptus. Filius & Chryſalus me defraudaverunt quadringentis Philippis, ego ut non Chryſalum mactem, non accipiã alterum tantum* pecuniæ!

ANNOTATIO.

63. *Me nihil pœnitet.*] Exprobrat Bacchidibus expilatum ſe ab eis fraude filii & ſervi, & exceptum eſſe lautiùs.

BA. Quid

BA. Quid tandem, ſi dimidium auri redditur? iſne tu hàc mecum
Intrò, atque ut eis delicta ignoſcas? *PH.* faciet.
NI. Minimè. nolo, nihil moror. ſine ſic. mâlo illos ulciſci ambo.
,,*PH.* Etiam tu homo nihili, QUOD DII dant boni, cave culpâ tuâ amiſſis.
Dimidium auri datur, accipias, potéſque, & ſcortum accumbas.
NI. Egon', ubi filius corrumpatur meus, ibi potem? *PH.* potandum eſt.
NI. Age jam id, ut ut eſt, etſi eſt dedecorum, patiar: facere inducam
Animum, egon', cum hæc cùm illo accumbet, inſpectem? *BA.* imò equidem pol tecum
Accumbam: te amabo, & te amplexabor. *NI.* caput prurit. perii.
,, Vix negito. *BA.* non tibi venit in mentem, amabo, ſi DUM VIVAS,
,, Tibi benè facias. jam pol id quidem eſſe haud per longinquum:
,, Neque ſi hoc hodie amiſeris, poſt in morte id eventurum eſſe
,, unquam?
NI. Quid ago: *PH.* quid agas, rogitas etiam? *NI.* libet, & metuo. *BA.* quid metuis?
NI. Ne obnoxius filio ſim, & ſervo. *BA.* mel meum, amabo, iſtæc fiunt.
Tuus eſt. unde illum cenſes ſumere, niſi quod tute illi dederis?
Hanc veniam illis ſine te exorem. *NI.* ut terebrat! ſatin' offirmatum
Quod mihi erat, id me exorat? tuâ ſum operâ & propter te im-[probior.

INTERPRETATIO.

BA. *Quid denique, ſi reſtituitur media pars pecuniæ? Ingredierìſne mecum in ædes; & eis condonabis culpam.* PH. *Condonabit.* NI. *Nequaquam; nolo. nihil curo. Patere* me *ſic* agere. *Malo de illis ambobus ultionem capere.* PH. *Vide nequam, ne perdas tuâ culpâ, quod Dii boni largiuntur. Reſtituitur dimidia pars auri. accipies, bibe, & ſcorto accumbe.* NI. *Bibámne ego, ubi meus filius corruptus eſt?* PH. *Bibendum eſt.* NI. *Fac id quidquid ſit, patiar, etſi eſt inverecundum, à me impetrabo, ut faciam: egóne videbo, quando Bacchis hæc cum filio accumbet!* BA. *Imò per Pollucem tecum accumbam: te amabo, & te complectar.* NI. *Caput prurit, interii. Non poſſum negare.* BA. *Non recordaris hujus adagii, ſi dum vives genio indulgeas, id non eſt admodum diuturnum: & ſi prætermiſeris id, hodie nunquam eſt reverſurum te mortuo.* NI. *Quid facio?* PH. *Rogitas adhuc, quid facias?* NI. *Libet, & timeo.* BA. *Quid times?* NI. *Ne ſim addictus filio & ſervo.* BA. *Meum me, quæſo, iſthæc ſunt humana; eſt tuus filius; unde vis illum pecuniam accipere, niſi ex iis quæ tu illi dederis? Sine ut te exorem pro illis hanc veniam.* NI. *Ut confodit animum. me deducit ab eo, quod erat in me altiſſimè defixum? Sum nequior tua opera, & propter te,*

ANNOTATIONES.

75. *Caput prurit, perii.*] Id eſt, caput ſcalpo, qui enim ſentiunt adeſſe aliquid contra ſententiam, caput ſcalpere ſolent, veluti ſi pruriat.

80. *Obnoxius filio.*] Pater nequit reprehendere filium eâ libertate quâ debet, ſi eidem, quo filius, eſt obnoxius peccato.

BA. Nuſquam me à te avelles. ſatin' ego iſtuc habeo offirmatum?
NI. Quod ſemel dixi, haud mutabo. *BA.* it dies, ite intrò accubitum.
Filii vos expectant intus. *NI.* quàm quidem actutum emoriamur.
BA. Veſper hic eſt, ſequimini. *PH.* ducite nos quò lubet, tanquam quidem addictos.
BA. Lepidè ipſi hi ſunt capti, ſuis qui filiis fecêre inſidias. ite.

INTERPRETATIO.

BA. *Nunquam te diripies à me; aſſequutáne ſum ego veniam pro filio, ſatis certam & conſtantem.* NI. *Quod ſemel dixi non revocabo.* BA. *Abit dies: ite intrò accubitum. Filii vos expectant in ædibus.* NI. *Ut* videlicet *quàmprimum pereamus.* BA. *Adeſt veſper, ſequimini.* PH. *Ducite nos quo volueritis, tanquam quidem deditos veſtro arbitrio.* BA. *Lepidè hi ipſi ſunt irretiti, qui ſtruxêre inſidias filiis. ite.*

ANNOTATIONES.

86. *Quàm actutum emoriamur.*] Bacchidi expectari ſenes à filiis monenti, ait ſenex non tamen expectari ſe ad cœnam, quam ad interitum.

87. *Addictos.*] Qui non erant ſolvendo creditoribus, eis addicebantur, nec ſui erant juris, dum debita renumeraſſent.

GREX.

ARGVMENTVM.

GRAVE eſt, & ipsâ ſcholâ Socratis, imò & Chriſti, dignum ad juventutem monitum, ut ab ipsâ adoleſcentiâ reliqua vitæ moderatè piéque regendæ fundamenta jaciant.

GREX.

HI ſenes, niſi fuiſſent nihili jam inde ab adoleſcentiâ.
Non hodie hoc tantum flagitium facerent cânis capitibus;
Neque adeò hæc faceremus, ni antehac vidiſſemus fieri,
Ut apud lenones rivales filiis fierent patres.
Spectatores vos valere volumus, & clarè applaudere.

INTERPRETATIO.

GREX. *Niſi hi ſenes fuiſſent nequam jam inde ab juventute, non commiſiſſent hodie hoc tantum crimen canis capitibus: neque adeo repræſentaremus* hæc, *niſi antea vidiſſemus repreſentari, ut patres evaderent rivales filiorum apud lenones. Spectatores optamus vos valere, & applaudere clarè.*

ANNOTATIO.

2. *Canis capitibus.*] Amor illegitimus turpis eſt per ſeſe & pudendus, ſed in ſenibus longe turpiſſimus,

M. ACCII PLAUTI
MOSTELLARIA.

ARGUMENTUM.

THEUROPIDES Athenienſis mercator filium habuit Philolachetem, & ſervos duos Tranionem & Grumionem. Is proficiſcitur in Ægyptum ad mercatum, & annis tribus totis ibi commoratur: Interim filius ejus Philolaches deperit Philematium egregiam formâ tibicinam; ſed non adeſt juveni pecunia ad eam emendam. Sumit fœnore minas quadraginta à Daniſta, mina una in decem: & triginta quidem ponit in emendâ Philematio, & decem alias in ſumptus alios. Socium ſibi adjungit ſuatum helluationum inſignem nepotem Callidamatem, cum ejus amicâ Delphio. Fortè fortunâ accidit, ut cùm unâ die intus pergræcarentur & Philolaches & Callidamates cum ſuis aſſeclis, nunciatum eſt adeſſe in Pyræo reverſum ex improviſo Theuropidem. Adeò ſunt convivæ temulenti, vinóque obruti, ut ne loco quidem ſeſe movere poſſint, & fugâ vacuam redeunti ſeni domum facere. Itaque ſi ingrediatur domum Theuropides, neceſſe eſt eum & ſpectare Philolachetis ebrietatem, & alia ſuſpicari de clade fortunarum ſuarum. Tranio Herilium libidinum adjutor, technis & fraudibus compotorum ebrietatem regere aggreditur; ac primum exit ab ædibus, deinde jubet occludi fores ac diligenter obſerari, ebriósque Philolachetem & Callidamatem intus includi. Adeſt Theuropides, pulſat oſtium, accurrit territo ſimilis Tranio, ad illudendum ſeni: narrat, idque tremens, judicio prætoris eſſe occluſas à ſex menſibus ædes propter monſtra & ſpectra quæ intus cernantur, & ad movendum ſeni timorem fingit Diapontium quemdam tranſmarinum hoſpitem à ſexaginta annis illuc veniſſe & habitaſſe apud hoſpitem ſuum, à quo eſſet ædes mercatus Theuropides: multam ſecum pecuniam habuiſſe, idcirco ab hoſpite fuiſſe interfectum, ſpoliatum, in ædibus ſepultum, & eundem filio Philolacheti in ſomniis apparuiſſe, caſúmque ſuum narraſſe. Ex eo tempore ædes jam eſſe ſceleſtas, & Manibus infeſtas. Jubet Tranio Theuropidem fugere, & ſe commendare Herculi. Paret ſenex ne in Ma-

nium manus incidat commentitiorum. Hæc eſt prima Tranionis fallacia; adeſt & altera: Daniſta, à quo pecuniam ſumpſerat Philolaches, tum cum eſt cum Tranione ipſo, ſupervenit, flagitat, idque improbè, importunè, clamosè, tum ſortem, tum fœnus pecuniæ: rogat à Tranione Theuropides, quare pecunia ſumpta ſit à Daniſtâ. Homo ex dolis conflatus totus reſpondet ſumptam eſſe pecuniam ad coëmendas ædes. Lætatur luſus hoc mendacio Theuropides, ratus filium jam in amplificandâ re familiari incumbere. Jubet numerari quatuor & quadraginta minas Daniſtæ; ſed ſtatim remordet ſuſpicioſum ſenem hæc cura; quæ ſint tandem illæ ædes, quas ſuus mercatus eſt filius. Tranio affirmat eſſe vicini Simonis. Urget hominem Theuropides. Mandat ipſi Tranioni fores ut pulſet, evocétque quempiam ex ædibus à quo circumducatur, & oſtendantur ædes. Tranio ad promovendam fraudem Theuropidi, ſuadet Simonem & univerſam ejus familiam dolore teneri non minimo, quòd ſit mercatus ædes Philolaches, itaque eſſe eorum parcendum dolori inter luſtrandas ædes, neque ullam eſſe mentionem faciendam coemptarum ædium. Credit verſipelli Tranioni Theuropides. Ei imperat ut eat intrò, rogétque à Simone verbis ſuis, ædes ut liceat inſpicere. Tranio ingreſſus petit à Simone ædes quidem ut liceat conſpicere; ſed & addit de ſuo, ut ad earum exemplum ipſe Theuropides ædificet. Annuit Simo, & puero uno addito ad commonſtrandas ædes, ipſe migrat ad forum. Oſtendit ædes Tranio, & ludificatur Theuropidem ad libidinem. Gratulatur ſibi ſenex propter illam acceſſionem luculentam fortunis ſuis à filio factam. Sed demum adeſt fraudum fraudibus nexarum finis. Nimirum ſervi duo Callidamatis, veniunt ad ædes Theuropidis, ipſo obverſante Theuropide, quem non norunt; occluſas impellunt fores, evocant Callidamatem ſuum herum. Theuropides ab illis diſcit quid geſtum ſit à filio & filii compotoribus domi ex quo diſceſſit ad mercatum, & eſſe etiamnum intus ſomno vinóque ſepultos. Erumpit in querelas cum Simone Theuropides, à quo ad cumulum doloris diſcit non eſſe ſuas à Philolachete filio coemptas: offert ſeſe mœſto iratóque ſeni Callidamates, purgat Philolachetem quantùm in ſe eſt, & ad placandum ſenem avarum quatuor & quadraginta minas de ſuo numerat. Et quoniam univerſa facti invidia recidere videbatur in Tranionem, eò etiam confert vim ingenii omnem & orationis Callidamates, ut vindicet à pœnâ, & pœnæ metu Tranionem; quod concedit ægrè admodum Theuropides; concedit tamen ad feſtivum ipſius Tranionis dictum, quo pollicetur brevi tempore novâ ſe culpâ aliquâ geminæ vindictæ heri eſſe ſubjiciendum. Hæc fabula habet nomina duo. Dicitur enim *Moſtellaria* & *Phaſma*. Alterum nomen eſt Latinum, alterum Græcum. *Moſtellaria* eſt ab antiquo *moſtrum*, quod idem eſt quod *monſtrum*, à *moſtrum* autem fit *Moſtellum*, ut à *Caſtrum Caſtellum* per diminutionem, & à

Moſtellum fit *Moſtellaria*, ſupple Comœdia. Phaſma verò idem ſignificat quod monſtrum. Eſt autem hujus Fabulæ ſumptum à Mænandro argumentum. Hæc Comœdia Prologo caret, & conſtat partibus duabus, fabulâ videlicet, & Epilogo. Protaſis Fabulæ Actu primo continetur. Ab Actu primo ad Scenam ſecundam Actus quarti eſt Epitaſis; & ab Actus quarti Scenâ ſecundâ ad ultimum verſum eſt Cataſtrophe; verſu ultimo Epilogus Hæc Fabula oſtendit quò demum calliditas recidat, quò deſinant fraudes: de iis enim ſemper victrix veritas denique triumphat, & ex illis ſupereſt pudor, contumelia, & ſæpè ſæpiùs pœna. Oſtendit & id, nihil eſſe tam pernicioſum ad corruptelas liberorum, quam ſervos nequam.

SCENA EST ATHENIS.

PERSONÆ.

THEUROPIDES mercator Athenienſis, Philolachetis pater.

TRANIO. }
GRUMIO. } Servi Theuropidis & Philolachetis.

PHILEMATIUM, Tibicina amica Philolachetis.

SCAPHA, ancilla Philematii.

CALLIDAMATES, Compotor Philolachetis.

PHANISCUS, }
SERVUS ANONYMUS, } Servi Callidamatis.

PUER.

DELPHIUM, Amica Callidamatis.

SIMO, Vicinus Theuropidis.

MISARGYRIDES, DANISTA.

EPILOGUS.

PERIOCHA ACROSTICHA.

MANUMISIT emptos ſuos amores Philolaches,
Omnémque abſente rem ſuo abſumit patre.
Senem, ut revenit, ludificatur Tranio:
Terrifica monſtra ait videri in ædibus,
Et inde primùm emigratum. intervenit
Lucripeta fœnus fœnerator poſtulans.
Ludúſque rurſum fit ſenex. nam mutuum
Acceptum dicit pignus emptis ædibus ?
Requirit quæ ſint : ait vicini proxumi.
Inſpectat illas. poſt ſe deriſum dolet :
Ab ſui ſodale gnati exoratur tamen.

INTERPRETATIO.

Philolaches donavit libertate ſuam amicam, & dilapidat omnes fortunas dum pater abeſt. Tranio illudit ſeni redeunti; Suadet ſpectari horribilia ſpectra in tectis, & ea ideirco fuiſſe relinquenda. Interim adeſt Daniſta avarus, flagitátque fœnus : uterum illuditur ſeni. *Nimirum* Tranio *mentitur eſſe acceptam mutuo pecuniam ad emendas ædes, Senex rogat quæ ſint* ædes, Tranio *dicit eſſe vicini finitimi :* ſenex *illas inviſit. Poſtea idem ægrè fert ſe eſſe ludificatum. Tamen placatur à ſocio ſui filii.*

ANNOTATIONES.

1. *Suos amores.*] Id eſt, ſuam amicam Philematium.

2. *Suo patre.*] Theuropide.

3. *Tranio.*] Servus Philolachetis.

7. *Mutuum acceptum.*] Id eſt, ſuadet pecuniam, de quâ loquitur Daniſta, fuiſſe ab eo ſumptam, ut eſſet *pignus*, ſeu pretium emptarum à Philolachete ædium.

ACTUS PRIMUS.

ARGUMENTUM.

IN ædes Theuropidis conveniunt Philolaches & Callidamates, amicæque Philolachetis & Callidamatis Philematium & Delphium, ad compotandum, helluandum, laſciviendum.

ACTUS PRIMUS. SCENA PRIMA.

ARGUMENTUM.

GRUMIO ſervus ruſticus Theuropidis venerat Athenas ad ervum pro bobus petendum, aut pecuniam ad id coemendum. Dicax Tranio, ruſticum Satyrico ſale paulò mordaciùs defricat in culinâ, eumque ex illâ ejicit. Ruſticus onerat hominem maledictis, exprobrat corruptelas Philolachetis heri, & interminatur reditum Theuropidis.

GRUMIO. TRANIO.

GRUMIO.

Exi è culinâ, ſis, foras maſtigia,
Qui mihi inter patinas exhibes argutias.
Egredere, herilis pernicies, ex ædibus.
Ego pol te ruri, ſi vivam, ulciſcar probè.
Exi, inquam, nidor è culinâ, quid lates?
TR. Quid tibi, malùm, hîc ante ædes clamitatio eſt?
An ruri cenſes te eſſe? abſcede ab ædibus.
Abi rus; abi dierecte; abſcede ab januâ.

INTERPRETATIO.

GR. *Egredere ſi vis è culinâ, flagrio, qui profers in me dicteria inter lances. Egredere è tectis, labes heri: per Pollucem ego in te animadvertam, ut par eſt, ruri, ſi vixero. Egredere, inquam, nidor è culinâ, cur deliteſcis?* TR. *Quare ſic vociferaris ante domum, nefas. Num putas te verſari in tuis agris? Abſiſte ab ædibus. Fuge rus; fuge furcifer; abſiſte à limine.*

ANNOTATIONES.

1. *Exi è culinâ.*] Fingit poëta Grumionem ruſticum & Tranionem ſeſe laceſſiviſſe multis convitiis, antequam alter veniat in ſcenam, ac primum quidem illud prorſus Comicum, quod Grumio prodit è culinâ in ſcenam, & jubet adverſarium ſuum Tranionem egredi ex culinâ in quâ eſt. Cúmque ita provocatus Tranio prodit è culinâ, impingit Grumioni colaphum.

5. *E culinâ nidor.*] Exprobrat Grumio Tranioni, quod tam parum diſcedat à culinâ, quàm nidor, ſeu odor eduliorum.

6. *Quid tibi clamatio eſt?*] Id eſt, quid clamas? Phraſis Plauto familiaris. Hoc dicit Tranio quando procedit è culinâ, & ſcenam orditur à colapho Grumioni impacto.

7. *An ruri?*] Ruſticum eſt, & nonniſi illiberali homine dignum, tollere vocem altiùs, præſertim publicè. Alibi poëta vocat *pipulum.*

8. *Dierecte.*] *Pendu, pendart.* Quia qui de cruce pendent, & erecti, ſeu elati ſunt, recto ſunt rigidóque corpore, & ſtatu, quia exanimati hominis membra ſuo pondere demiſſa pendent deorſum.

Hem? hoccine volebas? *GR.* perii. cur me verberas?
TR. Quia tu vis. *GR.* patiar. ſine modò adveniat ſenex.
Sine modò venire ſalvom, quem abſentem comes.
TR. Nec veriſimile loquere, nec verum, frutex,
Comeſſe quenquam ut quiſquam abſentem poſſiet.
GR. Tu urbanus verò ſcurra, deliciæ popli,
Rus mihi tu objectas? ſanè credo, Tranio,
Quòd te in piſtrinum ſcis actutùm tradier.
Cis hercle paucas tempeſtates, Tranio,
Augebis ruri numerum, genus ferratile.
Nunc, dum tibi lubet licétque, pota, perde rem,
Corrumpe herilem filium adoleſcentem optimum:
Dies noctéſque bibite, pergræcamini,
Amicas emite, liberate, paſcite
Paraſitos, obſonate pollucibiliter.

INTERPRETATIO.

Tene alapam,*id ne flagitabas?* GR. *Interii! Quare me percutis?* TR. *Quoniam tu cupis.* GR. *Perferam. expecta dum ſenex revertatur. Sine eum redire incolumem, quem comedis quando abeſt.* TR. *Tu loqueris id quod nec eſt verum, nec ſimile vero, arbuſcula, ut aliquis poſſit comedere quemquam, quando abeſt.* GR. *Tu verò urbanus ſcurra, amor civium, mihi exprobras meos agros. Puto certè, Tranio, quòd intelligis te conjiciendum mox in piſtrinum. Per Herculem intra paucos annos, Tranio, augebis in agris gentem ferratam. Jam pergræcare, dum te juvat & licet, effunde fortunas, deprava filiũ heri præſtantiſſimũ juvenem, potate diu noctúq; belluamini, mercamini, meretrices aſſerite in libertatẽ, ſatiate paraſitos, epulamini oppipare,*

ANNOTATIONES.

9. *Hem! hoccine volebas.*] Verba adjuvat actio Tranionis colaphum impingentis Grumioni.

11. *Abſentem comes.*] Pro abſentis fortunas.

12. *Frutex.*] Per contemptum dictum de agreſti ſervo; quia arbores & naſcuntur, & creſcunt ruri, & agreſtes ſervi contemnendi, ut inter arbores eſt *frutex* & humilis, & contemptus. Virgilius comparat urbes minores cum fruticibus, majores cum arboribus proceris. Eclo. 1. Romam comparat cum cupreſſis, alias cum viburnis: *Verum hæc tantùm alias inter caput extulit urbes, Quantùm lenta ſolent inter viburna cupreſſi.* Viburnum *fruticis* genus.

14. *Tu urbanus ſcurra.*] Jocum joco ſemetitur Grumio, & Tranionem gloriantem quod non eſſet ruſticus, ſed urbanus, ſcurræ convitio caſtigat. Scurrarum autem genus erat contemptui, quia facetiis ſeſe in lautiores menſas, & cœnas inſinuabant unctiores.

15. *Rus mihi objectas.*] Quaſi dicat: Tu mihi objectas rus? Merito, quia in urbe modò in piſtrinum traderis. Tu mihi objectas rus? Ruſticus & ipſe modo futurus inter ſervos compedibus ferreis vinctos; hos vocat genus ferratile.

17. *Cis paucas tempeſtates.*] Id eſt, intra paucos menſes: tempeſtates enim anni quatuor diſtinguuntur menſibus. *Cis menſem*, id eſt, *infra menſem.*

21. *Pergræcamini.*] Cicero: *Ut Græco more biberetur.* Aſcanius Pedianus: *Eſt Græcus mos, ut Græci dicunt, συμπιεῖν κυαθίζομένους. Quum merum Cyathis libant, ſalutantes primò Deos, deinde amicos ſuos nominantes: nam toties merum bibunt, quoties & Deos, & caros ſuos nominatim vocant.*

23. *Obſonate pollucibiliter.*] Id eſt, *Obſonia parate*, quaſi eduliis aram Herculis

Hæccine

Hæccine mandavit tibi, cùm peregrè hinc iit, ſenex:
Hoccine modo hîc rem curatam offendet ſuam?
Hoccine boni eſſe officium ſervi exiſtimas,
Ut heri ſui corrumpat & rem & filium?
Nam ego illum corruptum duco, quom his factis ſtudet,
Quo nemo ædæquè juventute ex omni Atticâ
Antehac eſt habitus parcus, nec magis continens:
Is nunc in aliam partem palmam poſſidet.
Virtute id factum tuâ & magiſterio tuo.
TR. Quid tibi, malùm, me, aut quid ego agam, curatio'ſt?
An ruri quæſo non ſunt, quos cures, boves?
Lubet potare, amare, ſcorta ducere.
Mei tergi facio hæc, non tui, fiduciâ.
GR. Quàm confidenter loquitur! fue. *TR.* at te Juppiter
Diique omnes perdant, oboluiſti allium,
Germana illuvies, ruſticus, hircus, hara ſuis,
Canes capro commiſta. *G R.* quid tu vis fieri?
» NON OMNES poſſunt olere unguenta exotica,

INTERPRETATIO.

ſenex tibíne præcepit id quando hinc profectus eſt? Hócne modo hic invenies res ſuas à te adminiſtratas? Putáſne eas eſſe partes boni ſervi, ut perdat & fortunas & filium ſui heri? nam ego exiſtimo illum perditum, quando dat operam his rebus, quo nullus ex cuncta juventute Athenienſi eſt viſus hactenus perinde moderatus, vel magis continens. Idem jam obtinet principatum in contrariam partem. Id geſtum tuâ induſtriâ, & tuis inſtitutis. TR. *Quid, malû, ſollicitus es de me, aut meis rebus? Nónne ſunt boves in agris de quibus ſis ſollicitus: libet bibere, amare, meretrices ducere. Cõmitto hæc fretus meo tergo, non tuo.* GR. *Quàm audacter loquitur! fue.* TR. *At Jupiter & omnes Dii te perdant. Oles allium, vera peſtis, hircus, agreſtis, ſtabulum ſuis, canis conjuncta capro.* GR. *Quid agam? Cuncti non poſſunt olere unguenta peregrina,*

ANNOTATIONES.

eſſetis oneraturi. Decimæ eduliorum omnium imponebantur Herculis aræ, & illa oblatio vocabatur *pollucere*, proprio vocabulo, & quod fuerat conſecratum, *polluctum*.

32. *Magiſterio.*] Tuis inſtitutis, conſilio, hortatu, monitis.

33. *Quid tibi curatio eſt me?*] Quid me curas? Quid curas res meas?

37. *Fue.*] Eſt ructantis imperfecta vox & naturalis.

38. *Oboluiſti allium.*] Anima tua fœtet. Allium Græcè, *σκόροδον* à *σκῶρ* *ſtercus*, propter fœtorem hujus bulbi. *Scoria* eſt ſpuma quæ tanquam excrementum ebullit è metallo. Seneca vocat *ſcordalum*, & *allium*, & *ſtercus*. Galenus dicit allium eſſe *Theriacam ruſticorum*. Crediderim ſcortum eſſe à *σκῶρ* per contemptum; quaſi ad fœtorem hujus generis exprimendum; quaſi dicas *putidam*, a quo *putidulam*, & *putillam*, quod non longè abeſt à convitio vernaculo quo notamus eas.

39. *Germana illuvies.*] Vera *illuvies*, ſeu verus *fœtor*, pro *fœtido* & *putido*. Metonymia adjuncti pro ſubjecto. Immundi ſunt ruſtici, quòd in immundo opere faciendo fermè ſemper verſentur.

40. *Canes.*] *Canis:* vetus.

41. *Unguenta exotica.*] Suaviùs olere videntur unguenta quæ longiùs afferuntur, & difficiliùs parantur. Qui & noſtrorum hominum error eſſe ſolet. *Olo elis. Olere peregrinos odores. Olere moſcum.*

Si tu oles : neque ſuperior accumbere,
Neque tam facetis, quàm tu vivis, victibus:
Tu tibi iſtos habeas turtures, piſces, aveis:
Sine me alliato fungi fortunas meas.
Tu fortunatus, ego miſer: patiunda ſunt.
Meum bonum me, te tuum maneat malum.
TR. Quaſi invidere mihi hoc vidêre, Grumio.
Quia mihi benè eſt, & tibi malè eſt; digniſſimum eſt.
Decet me amare, & te bubulcitarier:
Me victitare pulcrè, te miſeris modis.
GR. O carnificum cribrum, quod credo fore.
Ita te forabunt patibulatum per vias
Stimulis, ſi huc reveniat ſenex.
TR. Quî ſcis an tibi iſtuc priùs eveniat quàm mihi?
GR. Quia nunquam merui: tu meruiſti, & nunc meres.
TR. Orationis operam compendî face,
Niſi te malâ re magnâ mactari cupis.

INTERPRETATIO.

ſi tu oles, nec accumbere menſa ſupra domino, nec tam mollibus cibis vivere, quàm tu: tu habeas iſtos turtures, piſces, aves. concede mihi ut fruar meis fortunis in comedendo alliato pane, Tu fœlix, ego infœlix: ferenda ſunt hæc. Meum bonum mihi, tibi tuum malum conſtet, TR. *Mihi videris invidere hoc, Grumio, quia mihi bene eſt, & tibi malè eſt; digniſſimum eſt. Decet me amare, & te boves paſcere: me epulari lautè, te triſti modo.* GR. *O cribrum carnificum, ut puto futurum eſſe! ita carnifices tuam cutem conforabunt verberibus, quando feres furcam per vias, ſi ſenex redeat huc.* TR, *Quomodo ſcis, an iſtud non tibi accidat antequam mihi?* GR. *Quia nunquam meritus ſum, tu meritus es, & nunc mereris,* TR. *Contrahe orationem, niſi vis te mactari magno infortunio,*

ANNOTATIONES.

42. *Neque ſuperior.*] Poſtulat orationis filum ut ſit *ſuperiores* pro *ſuperiori*, niſi, quod condonandum ruſtico, in his verbis ad ſeſe reſpiciat unum; quaſi dicat, non omnes poſſunt olere unguenta, non ego poſſum ſuperior accumbere, id eſt, ſedere ad menſam in honorato loco.

45. *Alliato,*] Alliatum dicitur comicè & jnculariter de fœtido agreſti, ut unguentatum de eo qui ſuaviùs olet. Sine me alliato, id eſt, alliato pane tolerare vitam panis alliatus, erat: panis defricatus allio ad titillandam famem, pro cibo alioquin inſuavi.

Fungi fortunas meas.] Id eſt, fungi fortunis meis, quod eſt fungi officiis, quæ decent meam fortunam.

52. *O carnificum cribrum.*] Quia cutis ſi detrahatur ſervo ſtimulis compuncto, erit inſtar cribri & incerniculi; adeò crebris foraminibus erit pertuſa & pervia, Unde Catullo, *Concribillare nates flagellis*. Alii *carnificinum*. Alii *carnificium*. id eſt, *carnificum*, ut olim *civitatium*, *civitatum*; *hominium*, *hominum*.

54. *Patibulatum.*] A pateo, non à patior, eſt *patibulum*, ut clamat ipſa vocis quantitas, Differt autem patibulum à cruce: eſt enim patibulum pars illa crucis tranſverſa, quæ inſtar brachiorum eſt, & in quâ hinc inde ſuffigebantur manus cruciarii, & patebat omnium oculis ſuffixus. Crux autem ſtipes qui defixus humo tranſverſum ſuſtinet patibulum.

57. *Compendi facere.*] Facere compendii, & facere lucri, fermè idem, id eſt, ne tempus & operam pone in loquendo,

GR. Ervom daturin' eſtis, bubus quod feram?
Date æs, ſi non eſtis. agite porrò, pergite
Quomodo occœpiſtis: bibite, pergræcamini,
Eſte, effercite vos, ſaginam cædite.
TR. Tace, atque rus abi: ego ire in Piræum volo,
In veſperum parare piſcatum mihi.
Ervom tibi aliquis cras faxo ad villam afferat.
Quid eſt? quid tu me nunc obtuere, furcifer?
GR. Pol tibi iſtuc credo nomen actutum fore.
TR. Dum interea ſic ſit, iſtuc actutum ſino.
„ *GR*. Ita eſt. ſed unum HOC SCITO, NIMIO celeriùs
„ Venire quod moleſtum eſt, quàm id quod cupidè petas.
TR. Moleſtus ne ſis! nunc jam i rus, teque amove.
Ne tu erres, hercle præterhac mihi non facies moram,
GR. Satin' abiit, neque quod dixi flocci exiſtimat!
Pro dî immortales, obſecro voſtram fidem,
Facite huc ut redeat noſter quàm primum ſenex,
Triennium qui jam hinc abeſt. priuſquam omnia
Periêre, & ædis, & ager: qui niſi huc redit,
Paucorum menſium ſunt relictæ reliquiæ.
Nunc rus abibo. nam eccum herilem filium
Video, corruptum ex adoleſcente optumo.

INTERPRETATIO.

GR. *Dabitiſne ervum quod deferam ad boves? Date pecuniam* ad mercandum, *ſi non vultis* dare ervum. *Agite verò, pergite, potate, manducate, quemadmodum inſtituiſtis comedite, ſaturate vos, pingueſcite.* TR. *Sile, atque abi in agros: ibo in Pyreum ad emendos piſces pro cœna. Cura ut aliquis ad te afferat cras ervum ad villam. Quid eſt? quare me intueris nunc furcifer?* GR. *Per Pollucem credo tibi imponendum modò illud nomem.* TR. *Modò interim ſi vivere, liceat, non curo iſtud* modò. GR. *Ita eſt; ſed pro certo habe, hoc accidere longè velociùs, quod eſt injucundum, quàm id quod poſtules cupidè.* TR. *Noli eſſe importunus; jam i rus, téque hinc proripe. Ne fallaris, per Herculem non me retardabis ampliùs.* GR. *Ecce aufugit; & nihili æſtimat quod dixi! O Dii immortales, obſecro veſtram fidem! date ut noſter ſenex huc revertatur brevi, qui hinc abeſt jam à triennio, antequam cuncta diſpereant, & ager & ædes: hic niſi revertatur huc, quæ ſuperſunt peribunt intra paucos menſes. Nunc in agros migrabo; nam ecce video heri natum perditum, qui erat juvenis optimus.*

ANNOTATIONES.

61. *Pergræcamini.*] Pergræcari ſignificat intemperantiùs bibere, & Græcis ludis oblectari, diſco, pilâ, ſaltu &c. recurrit ſæpiùs vox.

62. *Saginam cædite.*] Sagina dicitur, & de loco in quo ſaginantur animalia, qui dicitur vulgò vivarium; & de belluis ſaginatis: igitur ſaginam cædere, eſt occidere ſaginatas belluas, & comedere.

69. *Nimio celeriùs venire, quod moleſtum eſt.*] Sophocles Βλάβας ποδώκεις; *damna celeribus pedibus euntia* appellat.

73. *Satin' abiit.*] Id eſt, ſatiſne celeriter ſeſe hinc proripuit. Quaſi dicat; potéſtne velociùs ſeſe proripere hinc: *Peut-on ſe retirer plus bruſquement?*

ACTUS PRIMUS. SCENA SECUNDA.

ARGUMENTUM.

LONGA ſed nihilominus gratâ allegoriâ, ſuam, & juventutis univerſæ, inſtitutionem adumbrat Philolaches.

PHILOLACHES.

RECORDATUS multùm & diu cogitavi,
Argumentáque in pectus multa inſtitui
Ego: atque in meo corde, ſi eſt quod mihi cor,
Eam rem volutavi & diu diſputavi,
Hominem quojus rei, quando natus eſt,
Similem eſſe arbitrarer, ſimulacrumque habere.
Id repperi jam exemplum.
Novarum ædium eſſe arbitror ſimilem ego hominem,
Quando hic natus eſt. ei rei argumenta dicam.
Atque hoc haud videtur veriſimile vobis?
At ego id faciam eſſe ita ut credatis.
Profectò ita eſſe, ut prædico, vero vincam.
Atque hoc vosmetipſi ſcio,
Proinde uti nunc ego eſſe autumo, quando

INTERPRETATIO.

PHIL. *Equidem diu multúmque meditatus ſum, reputavi, & induxi in animum complures rationes, eáque verſavi in mente, ſi habeam ullam mentem, cui rei homo eſſet ſimilis, & cujus imaginem gereret quando eſt editus in lucem. Demum inveni eam ſimilitudinem; ego reor hominem, quando primùm venit in lucem, non eſſe abſimilem ædificii recentis. Afferam rationes hujus rei; atque id quidem vobis apparet parùm ſimile; id verò ego efficiam, ut putetis illud ſe ſic habere, & oſtendam veris argumentis ita eſſe ut affirmo, & vos ipſi quod ſcio fatebimini illud non eſſe aliter, atque ego prædico eſſe.*

ANNOTATIONES.

1. *Recordatus.*] Tum alibi paſſim, tum his verſibus primis licet admirari ubertatem Plautinam, copiámque verborum lectiſſimorum.

3. *Si eſt quod mihi cor.*] Id eſt, fortitudo & conſtantia. Nos etiam dicimus: *il n'a point de cœur.* Inde *excors*: ut qui hebetioris eſt mentis, dicitur, *amens.*

12. *Vero vincam.*] *Je vous convaincray.*

14. *Autumo.*] Agellius: *Invenimus in commentario Nigidiano verbum* autumo *compoſitum ex* ab *præpoſitione, & verbo* æſtumo *dictúmque interciſè* autumo, *quaſi* ab æſtumo: *quòd ſignificaret totum æſtumo, quaſi adnumero. Hanc Nigidii ſententiam Agellius improbat; quod ſit cum honore multo dictum P. Nigidii hominis eruditiſſimi; audacius hoc argutiuſque eſſe videtur, quàm verius: autumo enim non id ſolum ſignificat; ſed & dico, & opinor, & cenſeo, cum quibus verbis præpoſitio iſta, neque cohærentiâ*

Dicta audietis mea, haud aliter id dicetis.
Auſcultate, argumenta dum dico ad hanc rem.
Simul gnarures vos volo eſſe hanc rem mecum.
Ædes quom extemplò ſunt paratæ, expolitæ,
Factæ probè, examuſſim,
Laudant fabrum, atque ædes probant. ſibi quiſque
Inde exemplum expetunt: ſibi quiſque ſimile,
Suo uſque ſumptu: operæ ne parcunt ſuæ.
Atque ubi illò immigrat nequam homo indiligénſque
Cum pigrâ familiâ, immundus, inſtrenuus,
Hîc jam ædibus vitium additur,
Bonæ cùm curantur malè.
Atque illud ſæpe fit; tempeſtas venit,
Confringit tegulas, imbricéſque: ibi
Dominus indiligens, reddere alias nevolt.

INTERPRETATIO.

quando accipietis mea verba. Audite interea dum profero rationes hujus rei, & uno tempore opto vos eſſe gnaros hujus rei perinde atque me. Simul atque ædificium eſt extructum, concinnatum, rectè conditum ad amuſſim, omnes celebrant Architectum & comprobant ædes: quilibet capit inde exemplum ædificandi: quilibet optat ædificare ſimile ſuis ſumptibus, in eo ponunt ſuam induſtriam. Sed quando vecors homo, negligénſque cum familiâ ſocordi, illautâ ignavâ, in illo habitat, hinc ædificiū vitium facit, quando ædes bonæ malè curantur; & id accidit frequenter; nimbus ingruit, comminuit tegulas & ſtillicidia; tum Dominus negligens renuit reſtituere

ANNOTATIONES.

vocis, neque ſignificatione ſententiæ convenit. Alii deductum volunt ab antiquo, auquo: unde auctor, & ab auctor auctumo, adempto *c* autumo. Certè *autumo*, ſicut *autumnus*, eſt ab *auctumnus*. Eſt *autor ſum*, quòd nec ſic longè abeſt ab Agellii ſententia.

16. *Auſcultate.*] Ab *auſes* pro *aures*. Veteres enim *Papiſii*, *Valeſii*, *Fuſii*, *aſa*, *laſes*, *aſena*, *ſ* pro *r*. Certè Varro ab *audiendo* deducit *auſculto*, lib. 5. de ling. Lat. ab audiendo auſcultare declinamus, quod hi auſcultare dicuntur, qui auditis parent, à quo dictum poëtæ *audio*, haud *auſculto*. Cæcilius, *audire ignoti quod imperant, ſoleo non auſcultare*. Pacuvius: *Magis audiendum, quàm auſcultandum cenſeo.*

17. *Gnarures.*] Gnaros, ab antiquo gnaruris. Gnaruris hanc rem, pro *gnarus* hujus rei. *Ignarures*; *ignari*; *gnaruro*, *noſco*. Ut gnarus hanc rem dicit, pro, gnarus hujus rei, ut doctus hanc rem.

19. *Examuſſim.*] *Amuſſis* eſt inſtrumentum quodvis quo probant artifices, utrum ſit ſuum opus factum ad perpendiculum; venit ab ἀμύττω, unguibus rado, nimirum ungue ducto opus eſſe perpolitum intelligunt artifices. Unde eſt illud poëtæ, *caſtigatus ad unguem*, & Metaphoricῶs, *ſcire aliquid ad unguem*, quando in nullo ceſpitat memoria, Feſtus: *Amuſſim, regulariter, tractum à regula, ad quam aliquid exæquatur, quæ amuſſis dicitur.* Nonius: *Eſt amuſſis regula fabrorum, quam architecti, quum opus probant, rubricâ illinunt.* Varro in quæſtionibus Plautinis, amuſſis eſt æquamentum lævigatum, & eſt apud fabros tabula quædam, quâ utuntur ad ſaxa coæquanda. Ab amuſſis in Vitruvio eſt *amuſſium opus amuſſiatum*, in Plauto opus amuſſitatum.

Venit imber, lavit parietes, perpluunt
Tigna, putrefacit aër operam fabri:
Nequior factus jam eſt uſus ædium:
„Atque haud eſt fabri culpa. ſed MAGNA PARS
„Moram hanc induxerunt, ſi quid nummo ſarciri poteſt,
„Uſque mantant, neque id faciunt, donicum
„Parietes ruunt. ædificantur ædes totæ denuò.
Hæc argumenta ego ædificiis dixi. nunc etiam volo
Dicere, ut homines ædium eſſe ſimiles arbitremini.
Primùm dum parentes fabri liberûm ſunt,
Et fundamentum ſubſtruunt liberorum,
Extollunt, parant ſedulò in firmitatem,
Ut & in uſum boni, & in ſpeciem populo
Sint: ſibíque aut materiæ ne parcunt.
Nec ſumptus ibi ſumptui eſſe ducunt:
Expoliunt, docent literas, jura, leges;
Sumptu ſuo & labore nituntur, ut
Alii ſibi eſſe illorum ſimiles expetant.
Ad legionem quom itant, adminiculum eis danunt
Tum jam aliquem cognatum ſuum.
Eatenus abeunt à fabris.
Unum ubi emeritum eſt ſtipendium, igitur tum
Specimen cernitur, quò eveniat ædificatio.

INTERPRETATIO.

aliàs, aqua decidit, lavat parietes, contignationes manant, aër corrumpit opus lignarii, uſus ædificii evadit jam deterior: idque non culpâ architecti; ſed quia complures adhibuerunt hanc cunctationem, procraſtinant ſemper, ſi aliquid poteſt refici nummo, non inſtaurant id, donec parietes concidunt; conſtruuntur ædes totæ de novo. Ego notavi hæc in ædibus: animus eſt etiam aperire, quemadmodum homines ſunt ſimiles ædibus. Primùm parentes: fabri liberorum ſunt, informant liberos, atque ponunt fundamentum eorum vitæ, extollunt, provident diligenter, ut firmum ſit, ut liberi ſint patriæ & utilitati & ornamento: neque operæ parcunt aut pecuniæ, neque exiſtimant impenſas eſſe impenſas, erudiunt, tradunt diſciplinas, jus, leges; conantur ſuis impenſis & laboribus id aſſequi, ut alii parentes expetant filios ſibi eſſe ſimiles illorum. Quando proficiſcuntur ad bellum, tum inde eis addunt ſocium aliquem è ſuis cognatis, tanquam adminiculum, excedunt hoc loco ab informatoribus: quando facti ſunt unius ſtipendii, tunc captatur indiciũ, quò inſtitutio evadat.

ANNOTATIONES.

30. *Perpluunt.*] Perpluuntur.

41. *Extollunt.*] Alii *extulunt* ab *extulo*; unde *extuli*, quod eſt adhuc in uſu.

48. *Adminiculum danunt.*] Id eſt, *dant.* Romani primo militiæ anno liberis ſuis cuſtodem adjungebant. Unde Severus Sulpitius in vitâ B. Martini, dicit Martinum meruiſſe *inter ſcholares alas*, id eſt inter eos qui nondum Tyrocinium armorum poſuerant.

51. *Unum ſtipendium.*] Id eſt, unum annum. *Stipendia* enim annorum ſpatio metiebantur veteres. Unus annus, & unum *ſtipendium*, anni duo & *ſtipendia* duo idem ſignificant.

Nam ego ad illud frugi uſque & probus fui
In fabrorum poteſtate dum fui.
Poſteaquam immigravi in ingenium meum,
Perdidi operam fabrorum. illico oppidò
Venit ignavia; ea mihi tempeſtas fuit,
Ea mihi adventu ſuo grandinem, imbrémque attulit:
Hæc verecundiam mihi & virtutis modum
Deturbavit, texit, detexitque à me illico.
Poſtillà obtigere eam neglegens fui:
Continuò pro imbre Amor advenit in cor meum.
Is uſque in pectus permanavit, permadefecit
Cor meum. nunc ſimul res, fides, fama, virtus,
Decúſque deſeruerunt: ego ſum inuſu
Factus nimiò nequior. atque edepol ita
Hæc tigna humidè putent. non videor mihi
Sarcire poſſe ædis meas. quin totæ
Perpetuæ ruant, quin cum fundamento
Perierint, nec quiſquam eſſe auxilio queat.
Cor dolet, cùm ſcio ut nunc ſum, atque ut fui:
Quo neque induſtrior de juventute erat
Arte gymnaſticâ, diſco, haſtis, pilâ,
Curſu, armis, equo. victitabam volupe:
Parſimoniâ & duritiâ diſciplinæ aliis eram:

INTERPRETATIO.

Etenim interea dum ego fui in manibus artificum, toto hoc tempore bonus & laudatus ex quo vixi meo arbitratu, ſtatim amiſi funditus labores architectorum: gliſcit pigritia, eſt hæc tempeſtas, quæ mihi incumbit; ea mihi affert ſuo adventu grandinem, pluviámque; hæc mihi avertit pudorem, atque modeſtiam, illico me texit, detexitque; poſtea neglexi eam obtegere: ſtatim Amor venit in meum ſinum pro pluvia; jam opes, fides, fama, virtus, honórque unà reliquerunt: ego evaſi longè deterior ſolito. Mihi videor non poſſe reſarcire meas ædes, ut non concidant unà omnes, ut non convellantur à fundamentis, ut nemo queat eis opitulari. Diſcrucior animi, quando cogito qualis ſim nunc, & qualis fui: erat nemo de omni juventute præſtantior arte gymnaſticâ, diſco, haſtâ, pilâ, curſu, armis, equo. Vivebam immunis à voluptatibus; eram aliis exemplo, frugalitate & ſeveritate morum. Optimus

ANNOTATIONES.

59. *Virtutis modum.*] Id eſt, virtutem quæ inſtar modi & menſuræ eſt, quæque ipſa modus & mediocritas eſt.

62. *Pro imbre.*] Id eſt, *tanquam imber*, pro ſano loqueris. Apuleius: *Nec pro amico, nec pro philoſopho*. facere ut ſanum, ut amicum, ut Philoſophum decet.

65. *Inuſu.*] Uno verbo, *ignaviâ*.

69. *Perpetua ruant.*] Non fruſtatim; ſed quaqua verſum porriguntur ædes in longum, latum, altum, profundum.

75. *Arte gymnaſtica.*] Ars gymnaſtica dicitur, quòd corpus in exercitationibus nudum eſſet totum, aut levioribus obtectum veſtimentis. Ars gymnaſtica ferè intelligitur de luctâ.

Optumi quique expetebant eam doctrinam ſibi.
Nunc poſtquam nihili ſum, id verò meopte ingenio repperi.

INTERPRETATIO.

quiſque optabat mea inſtituta; nunc ex illo tempore, quo ſum perditis moribus, lapſus ſum eò meâ unius culpâ.

ACTUS PRIMUS. SCENA TERTIA.

ARGUMENTUM.

PHILOLACHES è latebris auſcultat, quid amica Philematium; & ejus ancilla Scapha garriant. In hac Scenâ eſt ingenuæ pulchritudinis deſcriptio, & fidei in amore ſinceræ, quæ pravis lenæ monitis labefactari non poteſt. In Philolachete licet admirari, quibus motibus ſubinde mens amore illegitimo irretita jactetur.

PHILEMATIUM, SCAPHA, PHILOLACHES.

PHILEMATIUM.

JAmpridem ecaſtor frigidâ non lavi magis lubenter,
Nec unde me melius, mea Scapha, rear eſſe defæcatam.
SCA. Eventus rebus omnibus, velut horno meſſis magna
Fuit. *PHI.* quid ea meſſis attinet ad meam lavationem?
SCA. Nihilo plus, quàm lavatio tua ad meſſim, *PHILO.* oh, Venus venuſta!
Hæc illa eſt tempeſtas mea, mihi quæ modeſtiam omnem
Detexit, tectus quâ fui: quam mihi Amor & Cupido

INTERPRETATIO.

PHIL. *PEr ædem Caſtoris à longo tempore non me lavi lubentiùs aquâ frigidâ, nec puto meas ſordes unquam fuiſſe meliùs abſterſas.* SCA. *Sicut hoc anno fuit fœlix meſſis; ſic fuit ſucceſſus proſper cunctis rebus noſtris.* PHI. *Quid ea meſſis ſpectat ad meum balneum?* SC. *Nihilo magis, quàm balneum tuum ad meſſem.* PHILO. *O formoſam Venerem! ecce illa procella, quæ mihi detraxit omnem moderationem quâ eram tectus: hanc tempeſtatam amor & libido*

ANNOTATIONES.

1. *Frigidâ non lavi.*] Triplex balneorum genus, *ſudatorium, tepidarium, frigidarium.* Sudatorium Dioni *πυριατήριον*, Senecæ *ſudatorium*, in quo ſine aquâ ſudor elicitur. *Tepidarium* ab aquâ *tepida*, *frigidarium* à *frigidâ*, de hoc ultimo hic agitur.

3. *Eventus rebus omnibus.*] Scapha notat balnea ſucceſſiſſe ex voto Philematio, ut meſſem illius anni agricolis.

Horno.] Hoc anno. Horatius: *Hornum: horna fruges.* Cicero: *Frumentum hornotinum.* Propertius: *Horni agni*, id eſt, *anniculi.*

7. *Tectus quâ fui.*] Apuleius: *Pudor enim veluti veſtis quantò obſoletior eſt, tantò incurioſiùs habetur.*

In

In pectus perpluit meum, neque jam unquam obtigere poſſum.
Madent jam in corde parietes. periêre hæc oppido ædes.
PHI. Contempla amabo, mea Scapha, ſatin hæc me veſtis deceat?
Volo meo placere Philolachi, meo ocello, meo patrono.
SCA. Quin tu te exornas moribus lepidis, quum lepida tota es?
„Non vestem amatores mulieris amant, ſed veſtis fartum.
PHILO. Ita me dî ament, lapida eſt Scapha! ſapit ſcelesta multùm.
Ut lepidè res omnes tenet, ſententiaſque amantum!
PHI. Quid nunc? *SCA.* quid eſt? *PHI.* quin me aſpice & contempla, ut hæc me decet.
SCA. Virtute formæ id evenit, te ut deceat, quicquid habeas.
PHILO. Ergo hoc ob verbum te, Scapha, donabo ego profectò hodie aliquî;
Neque patiar te iſtanc gratis laudaſſe, quæ placet mihi.
PHI. Nolo ego te aſſentari mihi. *SCA.* nimis tu quidem ſtulta es mulier.
Eho, mavis vituperari falsò, quàm verò extolli?
Equidem pol vel falsò tamen laudari multò mâlo,
Quàm verò culpari, aut alios meam ſpeciem irridere.
„ *PHI.* Ego Verum amo, verum volo dici mihi. mendacem odi.
SCA. Ita tu me ames, ita Philolaches tuus te amet, ut venuſta es!

Interpretatio.

immittunt in meum animum, neque valeo jam ullatenus obtegere. Parietes jam manant aqua in corde. Hæ ædes prorſus concidere. PHI. *Conſidera quæſo, mea Scapha, utrum hæc veſtis mihi bene ſedeat? Volo placere meo Philolachi, meo ocello, meo patrono.* SCA. *Cur non te inſtruis in feſtiva vitæ ratione, quando quidem es tota feſtiva? Amatores non depereunt veſtem mulieri, ſed quod latet intra veſtem.* PHILO. *Ita me Dii ament; Scapha eſt faceta! Illa maligna ſapit admodùm. Quàm novit pulchrè omnes res, & opiniones amantum.* PHI. *Quid jam ais?* SCA. *Quid eſt* quod dicam? PHI. *Circumſpice me & contemplare, quàm hæc veſtis mihi ſedet bene.* SCA *Id ſit vi pulchritudinis, ut omnia quæ feras, tibi pulchrè ſedeant.* PHILO. *Ergo ob id dictum ſanè ego te afficiam hodie munere; neque ſinam te laudaſſe gratis illam, quæ mihi placet.* PHI. *Ego nolo te mihi adulari.* SCA *Sane tu es nimis demens, mulier, videlicet mavis culpari falsò quàm laudari verè. Equidem per Pollucem multo malo prædicari tametſi falso, quam deprimi verè, aut alios irridere meam formam* PHI. *Ego delector veris, volo mihi proferri vera, odi mendaces.* SCA. *Ita tu me diligas, ita te depereat tuus Philolaches, ſicut es formoſa!*

Annotationes.

8. *Pectus perpluit.*] Propertius: *Niobe depluit lachrymas*, pro *lachrymis*.

12. *Exornas moribus.* Mores lepidos appellat lena, ut patet ex iis quæ ſequuntur, quod nos vulgò appellamus, *Galanterie*; & quod verbo uno Latino non ſatis appoſitè reddere poſſumus: hortatur enim lena, ut provocet moribus meretricis amatores quàmplurimos, ut provocat pulchritudine.

13. *Veſtis fartum.*] Corpus quod intra veſtem latet, ut in edulijs in corpore animalis, fartum includitur. Fartum, *farce*.

17. *Virtute formæ.*] Apuleius: *Virgo formoſa, etſi ſit pauper, tamen abundè dotata eſt.* Ovid. *Dotatiſſima formâ Virgo*

PHILO. Quid ais, ſceleſta? quomodo adjuraſti? ita ego iſtam amarem?
Quid iſthæc me; id cur non additum eſt? infecta dona facio.
Periiſti: quod promiſeram tibi donum, perdidiſti.
SCA. Equidem pol miror tam catam, tam doctam te, & bene eductam;
Non ſtultam ſtultè facere. *PHI*. quin mone quæſo, ſi quid erro?
SCA. Tu ecaſtor erras, quæ quidem illum exſpectes unum, atq; illi
Morem præcipuè ſic geras, atque alios aſperneris.
Matronæ, non meretricium eſt, unum inſervire amantem.
PHILO. Pro Juppiter! nam quod malum verſatur meæ domi illud?
Dii deæque omnes me peſſumis exemplis interficiant,
Niſi ego illam anum interfecero ſiti faméque atque algu.
PHI. Nolo ego mihi malè te, Scapha, præcipere. *SCA*. ſtulta es planè, quæ
Illum tibi æternum putes fore amicum & benevolentem.
Moneo ego te: te deſeret ille ætate & ſatietate.
,,*PHI*. Non ſpero. *SCA*. Insperata accidunt magis ſæpe quàm quæ ſperes
Poſtremò, ſi dictis nequis perduci, ut vera hæc credas,
Mea dicta ex factis noſce: rem vides; quæ ſim, & quæ fui antè.
Nihilo ego, quàm nunc tu, amata ſum, atque uni modò geſſi morem,
Qui pol me, ubi ætate hoc caput colorem commutavit,
Reliquit, deſeruitque me. tibi idem futurum crede.
PHILO. Vix comprimor, quin involem illi in oculos ſtimulatrici.

INTERPRETATIO.

PHILO. *Quid dicis, ſcelerata? Quomodo juraſti? Ego illam amarem ita? Quare non adjectum eſt, quomodo illa me amet? Idcirco facio promiſſa irrita. Interiiſti; perdidiſti munera quæ tibi pollicitus eram.* SCA. *Equidem per Pollucem miror te adeo ſolertem, adeo peritam, & adeo benè inſtitutam; & non te animadvertere amentem eſſe, & amenter agere.* PHI. *Inſtrue me, amabo, ſi quid pecco.* SCA. *Sanè peccas quando expectas Philolachem unum atque illi ſic morigera es, ut contemnas cæteros. Eſt Matronæ, non meretricis, obſequi uni amanti.* PHILO. *O Juppiter! quodnam eſt illud malum quod verſatur in meis ædibus? Cuncti Dii, Deæque me mactent peſſimis modis, niſi occidero illam vetulam ſiti, fame, & frigore.* PHI. *Ego nolo te mihi ſuadere mala.* SCA. *Es amens prorſus, quæ exiſtimes illum futurum eſſe ſemper amicum & benevolum. Ego te monitam volo quod ille te deſtituet, accedente ætate & faſtidio.* PHI. *Non id metuo.* SCA. *Inexpectata eveniunt frequenter magis, quàm quæ ſperes. Demum ſi non potes adduci verbis, ut credas hæc, intellige ex factis, quæ tibi dico. Cernis quæ ſim, & quæ fuerim antea; ego dilecta ſum nihil ominus quàm tu nunc, atque parui uni, qui per Pollucem me reliquit, & deſtituit, quando hoc caput commutavit colorem ætate: idem crede tibi poſſe accidere.* PHILO. *Vix tempero, quominus invadam in oculos illius veneficæ.*

ANNOTATIO.

46. *Stimulatrici.*] Quia ſtimulat & hortatur Philematium, ut multis amatoribus det operam. Alii, *ſimulatricium*, *Simulatrices* autem olim *ſagæ*, *veneficæ*. Statius: *Colchis & Eoo ſimulatrix litore Circe.*

PHI. Solam illi meo ſoli cenſeo eſſe oportere obſequentem.
Solam ille me ſoli ſibi ſuo liberavit.
PHILO. Prô di immortales, mulierem lepidam, & pudico ingenio!
Benè herclè factum, & gaudeo mihi nihil eſſe hujus cauſsâ.
SCA. Inſcita ecaſtor tu quidem es. *PHI.* quapropter? *SCA.* quæ iſtuc cures,
Utrum ille amet. *PHI.* cur obſecro non curem? *SCA.* libera es jam.
Tu jam quod quærebas habes: ille, te niſi amabit ultrò,
Id, pro capite tuo quod dedit, perdiderit tantum argenti.
PHILO. Perii hercle, ni ego illam peſſumis exemplis enicaſſo.
Illa hanc corrumpit mulierem malè-ſuada vitilena
PHI. Nunquam ego illi poſſum gratiam referre, ut meritu'ſt de me.
Scapha, id tu mihi ne ſuadeas, ut illum minoris pendam.
SCA. At hoc unum facito cogites, ſi illum inſervibis ſolum,
Dum tibi nunc hæc ætatula eſt, in ſenectâ malè querêre.
PHILO. In anginam ego nunc me velim verti, ut veneficæ illi
Fauces prehendam, atque enicem ſceleſtam ſtimulatricem.
» *PHI.* Eundem animum oportet nunc mihi eſſe gratum, ut impetravi,
Atque olim, priuſquam id extudi, quom illi ſubblandiebar.

Interpretatio.

PHI. *Arbitror oportere me eſſe unam deditam illi uni. Ille me redemit unam, ſibi uni, ſuo ære.* PHILO. *O Dii immortales, mulierem feſtivam, & animo caſto! Per Herculem rectè feci, & lætor mihi ſupereſſe nihil hujus rei causâ.* SCA. *Per ædem Caſtoris tu es infaceta.* PHI. *Quare?* SC. *Quia curas, utrum ille diligat.* PHI. *Quare, quæſo, non curem?* SCA. *Es jam libera, tu habes jam quod quærebas, niſi ille te amabit ultro, perdat totum id argentum quod dedit pro te.* PHILO. *Interii per Herculem, niſi illam mactavero peſſimis modis; nam hæc lena ſceleſta hortatrix vitiorum perdit hanc mulierem.* PHI. *Nunquam ego queo illi reddere gratiam, quam meritus eſt de me. Scapha, ne mihi tu præcipias ut illum faciam minoris.* SCA. *Sed vide ne, ſi illi inſervias ſoli nunc in hac tenera ætate, de eo conquereris in ſenectute.* PHILO. *Ego optarim jam mutari in anginam, ut occupem fauces illius veneficæ, atque præfocem illam peſſimam hortatricem.* PHI. *Decet me habere jam eundem animum gratum, poſtquàm conſecuta ſum, atque olim habui, quando adulabar, antequam obtinui id.*

Annotationes.

51. *Inſcita,*] Id eſt, *ſtulta.* Feſtus: *Inſcitia ſtultitia eſt.*

56. *Malè ſuada.*] Virgilius: *Et metus & malè ſuada fames.*

Vitilena.] *Vitioſa lena.* Cato: *Vitiligatores.* Salluſtius: *Vitii magiſtratus.* Manlii & Sylani, qui vitio creati.

61. *Anginam.*] Philolaches optat ſe ex Philolachete factum morbum Anginam, in ultionem ſceleris Scaphæ. Angina ab ἄγχω, *ſtrangulo, ſuffoco*: qui quidem morbus eſt, quo venæ arteriæque jugulares intumeſcunt, inflammanturque & intercludunt ſpiritum, demum præfocant hominem, jugulant, & extinguunt.

PHILO. Dii me faciant quod volunt, ni ob iſtam orationem
Te liberaſſo denuò, & niſi Scapham enicaſſo.
SCA. Si tibi ſat acceptum eſt, fore victum tibi ſempiternum,
Atque illum amatorem tibi proprium futurum in vitâ,
Soli gerendum cenſeo morem, & capiundos crines.
,,*PHI.* Ut fama est homini, exin ſolet pecuniam invenire.
,,Ego si bonam famam mihi ſervaſſo, ſat ero dives. [potiùs,
PHILO. Si quidem hercle vendundum eſt, pater vænibit multò
Quàm te, me vivo, unquam ſinam egere, aut mendicare.
SCA. Quid illis futurum eſt cæteris, qui te amant? *PH.* magis amabunt,
Quom videbunt gratiam referri.
PHILO. Utinam meus nunc mortuus pater ad me nuncietur,
Ut ego exhæredem meis bonis me faciam, atque hæc ſit hæres.
SCA. Jam iſta quidem abſumta res erit: dieſque noctéſque eſtur,
Bibitur, neque quiſquam parſimoniam adhibet. ſagina planè eſt.
PHILO. In te hercle certum'ſt principium, ut ſim parcus, experiri.
Nam neque edes quicquam, neque bibes apud me hiſce diebus.
PHI. Si quid tu in illum bene voles loqui, id loqui licebit,
Nec rectè ſi illi dixeris, jam ecaſtor vapulabis.

Interpretatio.

PHILO. *Dii de me ſtatuant quod volunt, niſi te liberavero iterum propter illam orationem, & niſi enecavero Scapham.* SCA. *Si tu habeas pro certo te habituram jugem victum, atque illum amatorem tibi futurum ſemper tuum dum vivit, arbitror ei eſſe obſequendum ſoli, & intorquendos crines.* PH. *Homo pro fama ſua ratione ſolet reperire pecuniam. Ego ſi curam geſſero bonæ famæ, ero ſatis locuples.* PHILO. *Profectò ſi aliquid vendendum eſt, vendam patrem multò potiùs, quàm patiar, unquam te egere, aut mendicare me vivente.* SCA. *Quid facient cæteri qui te amant?* PHI. *Amabunt magis quando videbunt referri gratiam Philolachi.* PHILO. *Utinam mihi nuncietur jam meum patrem eſſe mortuum, ut ego me ſpolsem mei fortunis, atque hanc faciam hæredem.* SCA. *Profectò iſta bona erunt modo conſumpta, edunt, potant diu noctúque & nullus conſulit parcimoniæ: eſt ſaginatio mera.* PHIL. *Per Herculem, deliberatum eſt incipere à te, colere parcimoniam, nam neque comedes, neque bibes quidquam apud me hiſce diebus.* PHI. *Si tu volueris dicere aliquid boni in illum, licebit id dicere: ſi illi malè dixeris, jam per ædem Caſtoris dabis pœnas.*

Annotationes.

67. *Si ſat acceptum eſt.*] Id eſt, Si ſatis acceptum: *Si vous avez aſſeurance, répondant, caution pour cela.* Satis accipit qui prædes, ſponſores, fidejuſſores accipit.

66. *Capiendos crines.*] Suetonius: *Circumtonſum à matrona Auguſto miniſtravit in habitum puerilem.* Meretrices comam non alebant, ut veſtes alterutrius ſexûs ſumere poſſent ſubinde quando luberet, ſed quæ ſeſe unius libidini addicerent, ſinebant creſcere capillos, matronarum more.

71. *Servaſſo.*] *Servavero.*

85. *Nec rectè.*] *Nec rectè*: *non-rectè*: *malè.* Eadem *ne* pro *non.* *Nefrens* porculus qui frangere non poteſt glandem, *Nefunera*, *nejurium* eſt, *nonjurium*, *nefunera*, *nepurus.* In uſu ſunt, *Nefas*, *nefeſtus*, *nefandus*, *nequeo*, *nemo*, *nequam*, *negotium*.

PHILO. Edepol ſi ſummo Jovi vivo argento ſacruficaſſem,
Pro illius capite quod dedi, nunquam æquè id bene collocaſſem,
Ut videas eam medullitùs me amare! oh! probus homo ſum:
Quæ pro me cauſſam diceret, patronum liberavi.
SCA. Video te nihili pendêre præ Philolache omnes homines.
Nunc, ne ejus cauſſâ vapulem, tibi potiùs aſſentabor,
Si acceptum ſat habes, tibi fore illum amicum ſempiternum.
PHI. Cedò mihi ſpeculum, & cum ornamentis arculam actutum,
Scapha:
Ornata ut ſim, quom huc veniat Philolaches, voluptas mea.
SCA. Mulier quæ ſe ſuámque ætatem ſpernit, ſpeculo ei uſus eſt.
Quid opu'ſt ſpeculo tibi, quæ tute ſpeculo ſpeculum es maximum?
PHILO. Ob iſtuc verbum, nequicquam, Scapha, tam lepidè
dixeris,
Dabo aliquid hodie tibi peculi. Philematium mea!
PHI. Suo quique loco viden' capillus ſatis compoſitu'ſt commodè?
SCA. Ubi tu commoda es, capillum commodum eſſe credito.
PHILO. Vah, quid illâ pote pejus quicquam muliere memo-
rarier,
Nunc aſſentatrix ſcelesta eſt, dudum adverſatrix erat.
PHI. Cedò ceruſſam. *SCA.* quid ceruſſa opus nam? *PHI.* quî
mâlas oblinam
SCA. Unâ operâ ebur atramento candefacere poſtules.

INTERPRETATIO.

PHILO. *Per ædem Pollucis, ſi litaſſem ſummo Joui illo argento, quod numeravi pro illius libertate, non id perinde bene impendiſſem. Adeo manifeſtum eſt eam me deperire penitiſſimè. Oh! ſum homo fœlix: videlicet liberavi patronam, quæ diceret pro me.* SCA. *Intelligo te nihili facere omnes mortales præ Philolache. Jam tibi adulabor potiùs, ne malè excipiar hujus causâ. Si habes pro certo illum fore ſemper tuum amicum.* PH. *Da mihi cito ſpeculum, & arcam in quâ ſunt ornamenta. Scapha, ut ſim ornata, quando veniet huc Philolaches, meus amator.* SCA. *Opus eſt ſpeculo mulieri quæ ſe negligit ſuámque ætatem. Quid opus tibi eſt ſpeculo, quæ tu es ſpeculum nitidius ipſo ſpeculo.* PHILO. *Tibi dabo hodiè aliquod præmium, Scapha, propter illud dictum. ne protuleris gratis tam feſtivum verbum. Mea Philematium!* PHI. *Vide an capilli mei ſunt ſatis concinnè compoſiti?* SCA. *Quando tu es concinna, crede capillum eſſe concinnum.* PHILO. *Vah quid poteſt dici pejus hac muliere? Nunc eſt adulatrix peſſima, modo erat adverſatrix.* PHI. *Da mihi ceruſſam.* SCA. *Quid opus eſt ceruſſa?* PHI. *Ut oblinam genas.* SCA. *Eſt perinde, ac ſi volueris dealbare ebur atramento.*

ANNOTATIONES.

84. *Vivo argento.*] Si argentum ipſum fuiſſet ita vivum, ut id mactari & ſacrificari poſſet, id non melius ſacrificaſſem ipſi Jovi, quam meæ Philematio.

97. *Capillus compoſitus.*] Ancillæ quæ capillitium muliebre componerent, appellabantur *ornatrices, coſmetæ, cyniflones, cinerariæ.*

101. *Ceruſſa.*] Fuci genus, *le blanc.* A *cera* Martial *Et ceruſſa candidiora cute.*

102. *Una opera ebur.*] Propertius: *Naturæ que decus mercato perdere vultu: Nec ſinere in propriis membra nitere bonis.* Idem. *Ut natura dedit ſic omnis recta figura eſt*

PHILO. Lepidè dictum de atramento atque ebore. euge plaudo Scaphæ.

PHI. Tum tu igitur cedò purpuriſſum. *SCA.* non do : ſcita es tu quidem.

Novâ picturâ interpolare vis opus lepidiſſimum.

,, Non istanc ætatem oportet pigmentum ullum attingere.

,, Neque ceruſſam, neque melinum, neque ullam aliam offuciam.

Cape igitur ſpeculum. *PHILO.* hei mihi miſero, ſavium ſpeculo dedit.

Nimis velim lapidem, qui ego illi ſpeculo diminuam caput.

SCA. Linteum cape, atque exterge tibi manus. *PHI.* quid ita, obſecro?

SCA. Ut ſpeculum tenuiſti, metuo ne oleant argentum manus:

Ne uſquam argentum te accepiſſe ſuſpicetur Philolaches.

PHILO. Non videor vidiſſe lenam callidiorem ullam alteram.

Ut lepidè atque aſtutè in mentem venit de ſpeculo malæ!

PHI. Etiámne unguentis ungendam cenſes? *SCA.* minimè feceris.

,, *PHI.* Quapropter? *SCA.* quia ecaſtor Mulier recte olet, ubi nihil olet.

Nam iſtæc veteres, quæ ſe unguentis unctitant, interpoles,

Vetulæ, edentulæ, quæ vitia corporis fuco occulunt,

Interpretatio.

PHILO. *Scitè dictum de atramento & ebore. Euge gratulor Scaphæ.* PHI. *Itaque præbe purpuriſſum.* SCA. *Non dabo : tu es feſtiva quidem : vis fœdare opus pulcherrimum pigmentis novis. Non decet ullum pigmentum addere huic ætati. Neque album, neque nigrum, neque ullas alias offucias. Accipe igitur ſpeculum.* PHILO. *Hei mihi infœlici, impreſſit oſculum ſpeculo! mallem eſſe lapidem, quo ego comminuam caput illi ſpeculo.* SCA. *Accipe linteum, atque abſterge tuas manus.* PHI. *Quare quæſo?* SCA. *Quia metuo ne manus oleant argentum, propterea quod tenuiſti ſpeculum, ne Philolaches ſuſpicetur accepiſſe aliunde argentum.* PHILO. *Non puto vidiſſe unquam ullam lenam aliam veriutiorem : ut mala cogitat de ſpeculo citè & callidè.* PHI *Credisne etiam me ungendam eſſe unguentis?* SCA. *Ne feceris.* PH. *Quare?* SCA. *Quia peræde Caſtoris mulier bene olet, quando olet nihil. Nam illæ vetulæ. quæ ſeſe perungunt interpolatæ, vetulæ, edentulæ, quæ occultant*

Annotationes.

104. *Purpuriſſum.*] [Fuci genus, *du rouge.* Fit ex ſpumâ purpuræ.

105. *Interpolare.*] Nova obſoletis aſſuere.

107. *Melinum.*] Fucus ab inſula Melo.

111. *Ut ſpeculum tenuiſti.*] Apuleius, *& cuncti ſpecula vel uda, vel ſuda.* Uda fontes fluvii, aquæ; *ſuda ex ære argentóve.*

116. *Mulier rectè olet.*] Cicero 2. ad At. ep. 1. *Quanquam tua illa horridula mihi atque incompta viſa ſunt, ſed tamen erant ornata hoc ipſo, quòd ornamenta neglexerant. & ut mulieres ideò bene olere quia nihil olebant videbantur.* Martialis lib. 2. epiſt. 12.

Hoc mihi ſuſpectum eſt, quod oles bene poſthume ſemper,

Poſthume non bene olet, qui bene ſemper olet.

Plinius: *Ea aqua eſt optima, quæ nihil ſapit.*

Ubi ſeſe ſudor cum unguentis conſociavit, illicò
Itidem olent, quaſi cùm unà multa jura confundit cocus.
Quid oleant neſcias, niſi id unum, ut malè olere intellegas.
PHILO. Ut perdoctè cuncta callet! nihil hac doctâ doctius.
Verum illud eſt, maximaque adeò pars veſtrorum intellegit,
Quibus anûs domi ſunt uxores, quæ vos dote meruerunt.
PHI. Agedum contempla aurum & pallam, ſatin' hæc me deceat, Scapha
SCA. Non me curare iſtuc oportet, *PHI.* quem obſecro igitur?
SCA. eloquar:
Philolachem, is ne quid emat, niſi quod tibi placere cenſeat.
„Nam AMATOR MERETRICIS mores ſibi emit auro & purpurâ.
Quid opus eſt, quod ſuum eſſe nolit, ei ultro oſtentarier?
Purpura ætas occultanda eſt: aurum turpe mulieri.
Pulcra mulier nuda, erit quam purpurata pulcrior
„Poſtea NEQUICQUAM exornata eſt bene, ſi morata eſt malè.
„PULCRUM ornatum turpes mores pejus cœno collinunt
„Nam SI PULCRA eſt, nimis ornata eſt. *PHILO.* nimis diu abſtineo manum.
Quid hic vos duæ agitis? *PHI.* tibi me exorno ut placeam.
PHILO. ornata es ſatis.
Abi hinc tu intrò, atque ornamenta hæc aufer: ſed voluptas mea,
Mea Philematium, potare tecum collibitum eſt mihi.
PHI. Libet & edepol mihi tecum. nam quod tibi libet, idem mihi libet,

INTERPRETATIO.

fucis mendas corporis, quando ſudor ſeſe commiſcuit cum unguentis [illegible] *olent idem quaſi cum cocus confudit una multa jura* [illegible] *dicere nequeas quid oleant niſi intelligas id unum, eas olere male.* PHILO. *Quàm ſcit bene omnia! nihil doctius hac magiſtrâ.* [illegible] *illud eſt certum, atque adeo magna pars veſtrûm animadvertit, qui habent domi uxores, quæ eos meruerunt dote.* P H I. *Agedum, Scapha, conſidera aurum & pallam, mene decet hæc ſatis?* SCA. *Non oportet me eſſe de hac ſollicitam.* P H I. *Quam ergo oportet curare,* [illegible] SCA. *Dicam; oportet, Philolachetem curare ne quid emat, niſi quod putet tibi placere. Nam amator emit mores meretricis auro & purpurâ.* Q: *id eſt opus ei oſtentari ultro* [illegible] *quod nolet ad ſe pertinere? obv* [illegible] *landa eſt* [illegible] *purpura. Aurum* [illegible] *mulieri. Formoſa mulier eſt* [illegible] *quàm purpurata. Poſtea* [illegible] *eſt mal* [illegible] *moribus* [illegible] *ex* [illegible]. *Mores* [illegible] *cœnis fœdant mag* [illegible] *ornamenta* [illegible] *lutum ſi eſt formoſa eſt* [illegible] *ornata.* PHILO. *Nimis diu differo amicam adire. Quid agitis hic vos ambæ?* PHI. *Me exorno ut tibi placeam.* PHILO. *Es ſatis ornata. Ingredere tu in ædes atque aufer hæc ornamenta* [illegible] *ſed mea voluptas* [illegible] *mea Philematium,* [illegible] *mihi libet bibere tecum.* P H. *Per ædem Pollucis* [illegible] *mihi libet etiam bibere tecum nam quod tibi placet, idem mihi placet*

ANNOTATIONES.

123. *Pars veſtrorum.*] Pro *veſtrum*, [illegible] dicunt Æoles, ex quo ὑμῶν.

128. *Meretricis mores.*] Mores meretricii hoc loco, & ferè in totâ hac fabulâ, atque adeò in toto Plauto, pro obſequio & [illegible] tate accipiuntur.

130. *Ætas.*] *Senectus,*

Mea voluptas. *PHILO.* hem, iſtuc verbum vile eſt viginti minis.
PHILE. Cedò, amabo, decem: benè emptum tibi dare hoc verbum volo.
PHILO. Etiam nunc decem minæ apud te ſunt: vel rationem puta.
Triginta minas pro capite tuo dedi. *PHI.* cur exprobras?
PHILO. Egóne id exprobrem, qui mihimet cupio id opprobrarier?
Nec quicquam argenti locavi jam diu uſquam æquè bene.
PHI. Certè ego, quod te amo, operam nuſquam melius potui ponere.
PHILO. Bene igitur ratio accepti atque expenſi inter nos convenit.
Tu me amas, ego te amo: meritò id fieri uterque exiſtimat.
Hæc qui gaudent, gaudeant perpetuo ſuo ſemper bono.
Qui invident, ne unquam eorum quiſquam invideat prorſus commodis.
PHILE. Age, accumbe igitur. cedò aquam manibus, puer appone hic menſulam.
Vide tali ubi ſint. vin' unguenta? *PHILO.* quid opus eſt? cum ſtactâ accubo.
Sed eſt ne hic meus ſodalis, qui huc incedit cum amicâ ſuâ?
Is eſt. Callidamates cum amicâ eccum incedit. euge, oculus meus:
Conveniunt maniplares. eccos! prædam participes petunt.

INTERPRETATIO.

mea jucunditas. PHILO. *Hem, illud dictum emptum viginti minis vile eſt.* PHI. *Da mihi, quæſo, decem: volo tibi dare hoc dictum bene emptum.* PHILO. *Sunt etiam nunc decem minæ apud te, id [illegible] rationibus deprehendes, dedi triginta minas pro tua libertate.* PHI. *Cur exprobras?* PHILO. *Egone exprobrarem id, quin velim mihimet probro verti exprobrationem: non poſui ullam in re jampridem tam bene ullam pecuniam.* PHI. *Equidem non potui melius collocare operam, quam in te amando.* PHILO. *Itaque in rationibus rerum acceptarum & expenſarum convenimus ambo. Tu me amas, ego te amo: uterque putat fieri jure: qui lætantur hæc ita eſſe, fruantur perpetuâ fœlicitate: qui invident, nunquam ullus prorſus invideat eorum commodis.* PHI. *Age accumbe igitur; da aquam manibus puer, appone hic menſam parvam; vide ubi ſint tali. Vinum unguenta?* PHILO. *Quia opus eſt? accumbo cum ſtactâ; ſed eſt ne ille meus ſodalis, qui accedit huc cum ſuâ amicâ? ipſe eſt. ecce Callidamates accedit cum amicâ. Euge amiciſſima manipulares conveniunt, ecce petunt prædam communi Marte.*

ANNOTATIONES.

148. *Hæc qui gaudent.*] Id eſt, his. Cælius Ciceroni. In theatrum Curionis Hortenſius introivit, puto, ut gaudium ſuum gauderemus. Terentius: *Hunc ſcio mea ſolide ſolum gaviſurum gaudia.*

149. *Qui invident.*] Martialis: *Omnibus invideas, livide, nemo tibi.*

151. *Stactâ.*] Succus e cynnamomo & myrrha, aliiſque odoratis arboribus inciſis ſtillans. A ςάζω, *ſtillo.*

ACTUS

ACTUS PRIMUS. SCENA QUARTA.

ARGVMENTVM.

CALLIDAMATIS ebrii deſcriptio & ſermo.

CALLIDAMATES, DELPHIVM, PHILOLACHES, PHILEMATIVM.

CALLIDAMATES.

ADVORSUM venire mihi ad Philolachem
Volo tempori. audi: hem, tibi imperatum eſt.
Nam illîc ubi fui, inde effugi foras.
Ita me ibi malè convivii ſermoníſque
Tæſum eſt. nunc commiſſatum ibo ad Philolachetem,
Ubi nos hilari ingenio & lepidè accipiet.
Ecquid tibi videor, mamma, madere? *DE.* ſemper
Iſtoc modò moratus vivere debebas.
CA. Víſne ego te, ac tute me amplectâre?
DE. Si tibi cordi eſt facere, licet. *CA.* lepida es.
Duce me amabo. *DE.* cave ne cadas. aſta.
CA. Ohoho! ocellus es meus; tuus ſum alumnus, mel meum.
DE. Cave modò, ne priùs in viâ accumbas,
Quàm illîc, ubi lectus eſt ſtratus, coimus.

INTERPRETATIO.

CALL. *Volo te venire maturè obviam mihi apud Philolachem. Audis: hem tibi id mandatum eſt. Nam evaſi foras inde ubi eram; adeò me tæduit ibi epularum, ſermoniſque; nunc pergam cœnatum apud Philolachem, qui nos excipiet animo læto & alacri: nonne tibi videor Delphium ebrius?* DELP. *Oportebat te ſemper tenere hanc rationem vitæ.* CA. *Viſne ut ego te complectar, & tu me amplexare?* DEL. *Si libet facere, volo.* CAL. *Es ſcita. Duc me quæſo.* DEL. *Vide ne corruas, conſiſte.* CAL. *Oh! es meus ocellus; ſum tuus alumnus, meum mel.* DE. *Vide ne decumbas in itinere, antequàm illuc perveniamus ubi lectus eſt compoſitus.*

ANNOTATIONES.

7. *Mamma.*] Sic mater eſt ſemper appellata apud veteres, & puerile apud nos verbum inde ſumptum eſt, *maman*; quòd etiamnum ab utroque ſexu etiam adultiore, etiam conjugato Pariſiis ſolet uſurpari: dictum hoc à mamma, quam vocat Agellius: *Fontem illum ſanctiſſimum corporis, humani generis educatorem.*

8. *Iſtoc modò moratus.*] Id eſt, oportebat ſemper te proripere à cœtu & conſuetudine helluonum, ut mox temet proripuiſti, non tantùm divitiarum diſſipaſſe.

14. *Coimus.*] Alii *convivis*: id eſt, lectus eſt illic ſtratus pro convivis.

CA. Sine ſine cadere me. *DE*. ſino: ſed & hoc, quod mihi in manu eſt,
Si cades, non cades quin cadam tecum.
Jacentes tollet poſtea nos ambos aliquis.
Madet homo. *CA*. tun' me ais, mamma, madere?
DE. Cedò manum; nolo equidem te affligi.
CA. Hem tene, age, i ſimul. quo'd ego eam, eam, an ſcis?
DE. Scio. *CAL*. in mentem venit modò. nempe domum eo
Comiſſatum. *DE*. imò. *CAL*. iſtuc quidem jam memini.
PHILO. Num non vis obviam me hiſce ire, anime mi?
Illi ego ex omnibus optimè volo: jam
Revortar. *PHI*. diu eſt jam id mihi. *CA*. ecquis hic eſt?
PHILO. Adeſt. *CA*. eu? Philolaches, ſalve amiciſſime
Mihi hominum omnium. *PHILO*. dii te ament. accuba,
Callidamates. unde agis te? *CA*. unde homo ebrius.
PHILO. Probè. quin amabo accubas, Delphium mea!
CA. Date illi quod bibat: dormiam ego jam.
PHILO. Num mirum aut novum quippiam facit? quid ego
Hoc faciam poſtea, mea? *DE*. ſic ſine eumpſe. *PHILO*. age tu
Interim da ab Delphio citò canthatum circum.

INTERPRETATIO.

CAL. *Patere me ruere.* DEL. *Patior: ſed & id faciam, quod poſſum: ſi rues, non rues quin ruam tecum. Deinde aliquis nos tollet ambos ſtratos humi. Homo ebrius eſt.* CAL. *Dicisne me temulentum eſſe, mamma?* DEL. *Da manum: nolo ſane te cadere.* CAL. *Hem accipe, age, eamus ſimul: an ſcis quo ego vadam?* DEL. *Intelligo.* CAL. *Recordor jam, nempe eo domum ad epulandum.* DEL. *Imò.* CAL. *Sanè jam recordor id.* PHILO. *Num non vis me occurrere his, mi anime? Ego illi fauſta adprecor in omnibus.* jam *redeo.* PHI. *Id* jam *eſt mihi diuturnum.* CAL. *Quis eſt ille?* PHILO. *Adeſt.* CAL. *Heu Philolaches, ſalve amiciſſime mihi omnium hominum.* PHILO. *Dii te ament: accuba. Callidamates. Unde venis?* CAL. *Unde homo temulentus.* PHILO. *Probè, quin amabo accumbis, mea Delphium.* CAL. *Date illi potum: ego jam dormiam* PHIL. *Num facis mirum, aut aliquid novum? quid ego faciam deinde hoc, mea Delphium?* DEL. *Sine eum ipſum ſic.* PHILO. *Age tu interim, cito circumfer cantharum à loco in quo ſedet Delphium.*

ANNOTATIONES.

25. *Diu eſt jam id.*] Id eſt, id *jam*, quod brevitatem notat temporis, eſt *diu*. id eſt, *diuturnum* mihi videtur: quaſi dicas; *ce* jam *eſt pour moy un* diu.

28. *Unde agis te.*] Id de iis qui ægrè incedunt.

33. *Da ab Delphio cantharum circum.*] Circumda, circumfer. *συμπιφορεῖ*, dicebantur hæ poculorum *circumlationes*, *περιπίζειν*, *in orbem bibere*. Apuleius: *Ut primum occurſoriam potionem labris contigerat*. Sidonius: *Bacchóque rotato*.

ACTUS SECUNDUS.

ARGUMENTUM.

THEUROPIDES reverſus ex improviſo contendit ad ſuas ædes in quibus Philolaches & Callidamates, corúmque amicæ Delphium & Philematium, pergræcabantur: qui, quia movere ſe loco minimè poſſunt, ut fugiant, adeò madent vino, Tranio ut venientem ſenem arceat ab ædibus, narrat Theuropidi ædes eſſe monſtris infeſtas, & hoc nomine à menſibus ſex judicio prætoris eſſe clauſas.

ACTUS SECUNDUS. SCENA PRIMA.

ARGUMENTUM.

NUNCIATUR compototibus jamjam affuturum Theuropidem: comminiſcitur Tranio fallaciam ad arcendum ab ædibus ſenem ne ſomno vinóque ſepultos in eis inveniat.

TRANIO, PHILOLACHES, CALLIDAMATES, DELPHIUM, PHILEMATIUM, PUER.

TRANIO.

JUPPITER ſupremus ſummis opibus atque induſtriis
Me periſſe, & Philolachetem cupit herilem filium.
Occidit ſpes noſtra, nuſquam ſtabulum eſt confidentiæ:
Nec Salus nobis ſaluti jam eſſe, ſi cupiat, poteſt:
Ita mali mœroris montem maximum ad portum modò

INTERPRETATIO.

TRAN. *SUmmus Juppiter decrevit omni ope & ratione me perdere, & Philolachetem filium heri. Spes noſtra eſt everſa. Eſt nullus locus fiduciæ; ne Salus quidem ipſa poteſt eſſe ſaluti, etiam ſi vellet; adeò magnum cumulum mœroris,*

ANNOTATIO.

3. *Stabulum confidentiæ.*] Id eſt, ſtatio confidenti aperta. Stabulum à ſtando. Statio locus in quo conſiſtat ipſa confidentia, audacia.

Conſpicatus ſum. herus advenit peregrè. periit Tranio.
Ecquis homo eſt, qui facere argenti cupiat aliquantum lucri,
Qui hodie ſeſe excruciari meam vicem poſſit pati?
Ubi ſunt iſti plagipatidæ, ferritribaces viri?
Vel iſti, qui haſtis trium numorum cauſſâ ſubeunt ſub falas?
Ubi aliqui quindenis haſtis corpus transfigi ſolent?
Ego dabo ei talentum, primus qui in crucem excucurrerit.
Sed eâ lege, ut offigantur bis pedes, bis brachia.
Ubi id erit factum, à me argentum petito præſentarium.
Sed ego ſumne ille infelix, qui non curro curriculo domum?
PHILO. Adeſt obſonium. eccum Tranio à portu redit.
TR. Philolaches. *PHILO.* quid eſt? *TR.* & ego & tu. *PHILO.*
quid & ego & tu? *TR.* periimus.
PHILO. Quid ita? *TR.* pater adeſt. *PHILO.* quid ego ex te audio? *TR.* abſumpti ſumus,
Pater inquam tuus venit. *PHILO.* ubi eſt is, obſecro? *TR.* adeſt.
PHILO. Quis id ait? quis vidit? *TR.* egomet, inquam, vidi.
PHILO. væ mihi. [agas? accubas.
Quid ego ago? *TR.* nam quid tu, malùm, me rogitas, quid

INTERPRETATIO.

vidi mox in portu. Videlicet *herus reverſus eſt à peregrinatione. Tranio occidit. Nullú'ne eſt, qui velit lucrari nonnullam pecuniam, ut patiatur hodie ſeſe in crucem agi in meum locum? Ubi ſunt illi ſervi, tam patientes plagarum, ferrum terere ſoliti? Aut iſti qui accedunt ad altiſſimas turres pro tribus aſſibus inter Phalaricas? Ubi nonnullorum corpora ſolent transverberari quindecim Phalaricis. Ego dabo talentum ei, qui primus accelerav.rit ad crucem; ſed ea conditione, ut ejus pedes affigantur binis clavis, binis brachia: cùm primùm id erit factum, poſtules pecuniam præſentem; ſed nonne ſum inſanus, qui non contendo velociter in ædes?* PHILO. *Adeſt edulium; ecce Tranio revertitur à portu.* TRA. *Philolaches.* PHILO. *Quid eſt?* TR. *Et ego & tu.* PHILO. *Quid & ego & tu?* TR. *Occidimus.* PHILO. *Quare?* TRA. *Adeſt pater.* PHILO. *Quid ego audio ex te?* TRA. *Sumus perditi. Tuus pater inquam venit.* PHILO. *Ubi eſt ille quæſo?* TR. *Adeſt.* PHILO. *Quis ait id? Quis vidit?* TR *Egomet, inquam, vidi.* PHILO. *Væ mihi; quid faciam ego?* TR. *Quare petis à me quid agas, malum! accubas.*

ANNOTATIONES.

9. *Plagipatidæ.*] A plaga & patior: ſic dicti ſervi, quòd in perferendis verberibus & plagis ferrei viderentur.

Ferritribaces.] Id eſt, indurati in ſervitute, ita ut catenæ quibus eſſent vincti, uſu diuturno eſſent detritæ. Hæc autem vox hybris eſt, mixta è Latino *ferrum*, & Græco, *τρίζω*, *tero.* Tam raræ autem ſunt in ſæculis Latinitatis melioribus hæ voces, quàm frequentes in ſequioribus.

10 *Trium nummorum.*] Quotidianum militum ſtipendium notat ſervus, quod erat aſſium trium, & irridet amentiam eorum, qui tam exiguo pretio ſibi propoſito alacres periculum capitis adeunt.

Falæ.] Vetus verbum, quod turrim ſignificat, unde & teli genus oppugnandis propugnandiſque turribus idoneum, *falaricum* appellatur. Virgilius:

Sed magnũ ſtridens contorta falarica venit
Fulminis acta modo.

16. *Adeſt obſonium.*] Miſſus videlicet Tranio à Philolachete ad comparanda edulia revertitur, & antequam per tempus licuerit hero dicere ſe vidiſſe ſenem reverſum ex Ægypto, Philolaches gaudet, quaſi reverſus Tranio pro edulis, non attuliſſet triſtiſſimum nuncium.

PHILO. Tun' vidiſti? *TR*. egomet, inquam. *PHILO*. certè? *TR*.
certè inquam. *PHILO*. óccidi,
Si tu vera memoras. *TR*. quid mihi ſit boni, ſi mentiar?
PHILO. Quid ego nunc faciam? *TR*. jube hæc hinc omnia
amolirier.
Quis iſtic dormit? *PHILO*. Callidamates. *TR*. ſuſcita iſtum,
Delphium.
DE. Callidamates, Callidamates, vigila. *CA*. vigilo: cedò ut bibam:
DE. Vigila: pater advenit peregrè Philolachæ. *CA*. valeat pater,
PHILO. Valet ille quidem, atque ego diſperii. *CA*. diſperiſti.
quî poteſt?
PHILO. Quæſo edepol exſurge: pater advenit. *CA*. tuus venit,
pater?
Jube abire rurſum. quid illi reditio etiam huc fuit?
PHILO. Quid ego agam? pater jam hîc me offendet miſerum
adveniens ebrium?
,, Ædis plenas convivarum, & mulierum. MISERUM EST opus,
,, Igitur demum fodere puteum, ubi ſitis fauces tenet.
Sicut ego adventu patris nunc quæro, quid faciam miſer.
TR. Ecce autem hic depoſivit caput, & dormit. ſuſcita.
PHILO. Etiam vigilas? pater, inquam, aderit jam hîc meus. *CA*.
ain tu, pater?
Cedò ſoleas mihi, ut arma capiam. jam pol ego occidam patrem.
PHILO. Perdis rem, tace. amabo, abripite hunc intrò actutum
inter manus,

INTERPRETATIO.

PHILO. *Túne vidiſti?* TRA. *Egomet, inquam.* PHILO. *Certéne?* TR. *Certè, inquam.* PHILO. *Occidi, ſi tu dicis vera.* TR. *Quid ſit boni ſi mentiar.* PHILO. *Quid agam ego jam?* TR. *Jube averti omnia hæc; quis dormit hic?* PHILO. *Callidamates.* TR. *Excita illum, Delphium.* DEL. *Callidamates, Callidamates excitare.* CAL. *Excitor. da mihi potũ.* DEL. *Excitare. pater Philolachetis reverſus eſt à peregrinatione.* CAL. *Pater valeat.* PHILO. *Sanè ille valet, & ego occidi.* CAL. *Occidiſti, quomodo poteſt fieri?* PHILO. *Surge obteſtor per ædem Pollucis, pater reverſus eſt.* CAL. *Tuus pater venit? impera illi ut proficiſcatur denuo; quare ille rediit huc?* PHILO. *Quid faciam ego? pater reverſus me reperiet hic jam ebrium, infœlicem domum refertam convivis & mulieribus. Eſt res acerba fodere puteum, tum cum ſitis occupat fauces; quemadmodum ego laboro nunc adveniente patre? Quid moliar infœlix?* TR. *Ecce verò hic reclinavit caput, & indormiſcit; excita.* PHILO. *Heus tu, excitare? Meus pater aderit jam hic.* CAL. *Aiſne tu pater? Da mihi calceos, ut accipiam arma: jam interficiam patrem.* PHILO. *Evertis negotium, ſile rogo; auferte hunc in ædes citò inter manus.*

ANNOTATIO.

22. *Miſerum eſt opus.*] Extremæ dementiæ eſt non providere futuræ neceſſitati, ſed expectare dum opprimat. Quia interim dum puteum fodias, ſitis, quæ fauces tenet, ſuffocat.

CA. Jam hercle ego vos pro matulâ habebo, niſi mihi matulam datis.
PHILO. Perii. *TR.* habe bonum animum: ego iſtum lepidè medicabor metum.
PHILO. Nullus ſum. *TR.* taceas: ego, quî iſtæc ſedem', meditabor tibi.
Satin' habes, ſi ego advenientem ita patrem faciam tuum,
Non modò ne introeat, verùm etiam ut fugiat longè ab ædibus:
Vos modò hinc abite intrò, atque hæc hinc properè amolimini.
PHILO. Ubi ego ero? *TR.* ubi maximè eſſe vis, cum hâc, cum iſtâc eris.
DE. Quid eſt igitur! abeamus hinc nos. *TR.* non hoc longè, Delphium.
Nam intus potate haud tantillo hâc quidem cauſſâ minus.
PHILO. Hei mihi, quàm iſtæc blanda dicta quò eveniant, madeo metu!
TR. Potin' animo ut ſies quieto, & facias quod jubeo? *PHILO.* pote'ſt.
TR. Omnium primum, Philematium: intrò abi. & tu Delphium.
DE. Morigeræ tibi erimus ambæ. *TR.* ita ille faxit Juppiter?
Animum advorte nunc tu jam, quæ volo accurarier.
Omnium primùm-dum ædes jam fac occluſæ ſient:
Intus cave muttire quemquam ſiveris. *PHILO.* curabitur.
TR. Tanquam ſi intus natus nemo in ædibus habitet. *PHILO.* licet.

INTERPRETATIO.

CA. *Per Herculem ego vos habebo pro matulâ, niſi mihi detis matulam.* PHILO. *Occidi.* TRA. *Eſto æquo animo, ego medebor rectè iſti timori.* PHILO. *Interii.* TRA. *Sile, ego comminiſcar quomodo expediam iſta. Eſt ne ſatis, ſi ego reddam patrem reverſum adeò tuum, ut non modò non ingrediatur, ſed etiam ut abſiſtat procul à tectis; vos jam recedite hinc in ædes, & auferte ita celeriter hinc.* PHILO: *Ubi ero ego?* TRA. *Ubi optes maximè eſſe, cum hâc, cum iſtâ.* DEL. *Quid eſt ergo? Demigremus nos hinc.* TR. *Ne latum quidem tuum digitum abeſto, Delphium; nec bibite ullatenùs quidē minùs in ædibus propterea.* PHILO. *Me miſerum, quanto metu ſuffundo incertus quò evadant hæc mollia verba.* TR. *Poté ne à te impetrare, ut ſis mente ſerenâ, & impleas quod mando?* PHILO. *Poteſt fieri.* TR. *Ante omnia, Philematium, ingredere in ædes, & tu Delphium.* DEL. *Tibi erimus utraque obſequentes.* TR. *Ita Jupiter faciat! tu jam animadverte quæ cupio fieri nunc ante omnia, cura ut ædes ſint jam obſeratæ, vide ne patiaris quemquam muſſitare in ædibus.* PHILO. *Fiet.* TR. *Quemadmodum ſi nemo maneret intus.* PHILO. *Eſto.*

ANNOTATIONES.

57. ***Clavem Laconicam.***] Clavim majorem & principem qualis extimarum ædium, ſub quâ unâ clave omnia quæ intus ſunt minoribus clavibus occluſa continentur: cùm autem ejuſmodi clavis ſit ferè cæteris impolitior, & minus elegans, Laconica dicitur, quia amabant Lacedæmones artis opera rudia & impolita; unde non roncinâ, ſed ſecuri tantùm tigna domorum poliri volebant.

TR. Neu quiſquam reſponſet, quando haſce ædis pultabit ſenex.
PHILO. Nunquid aliud? *TR*. clavem mihi harunce ædium Laconicam
Jam jube efferri intus: haſce ego ædis occludam hinc foris.
PHILO. In tuam cuſtodiam mèque & meas ſpes trado, Tranio.
„*TR*. Pluma haud intereſt, patronus, an cliens probior ſiet
„Homini, cui nulla in pectore eſt audacia.
„Nam cuivis homini, vel optumo vel peſſumo,
„Quamvis deſubitò facile eſt facere nequiter:
(Clavem cedò atque abi intrò, atque occlude oſtium)
Verùm id videndum'ſt, id viri docti eſt opus,
Quæ deſignata ſint & facta nequitiâ,
Ne quid patiatur, quamobrem pigeat vivere:
Tranquillè cuncta & ut proveniant ſine malo.
Sicut ego efficiam, quæ facta hîc turbabimus,
Profectò ut liqueant omnia & tranquilla ſint,
Neque quicquam nobis patiant ex ſe incommodi.
Sed quid tu egrederis? perii! ô jam jam optume
Præceptis paruiſti! *PV*. juſſit maxumo
Opere orare, ut patrem aliquo abſterreres modo,
Ne introiret. adeſt. *TR*. quin etiam illi hoc dicito,
Factum me, ut ne etiam aſpicere ædes audeat
Capite obvoluto ut fugiat cum ſummo metu.

INTERPRETATIO.

TRA. *Néve quivis reſpondeat, quando ſenex impellet haſce fores.* PHILO. *Vis aliud?* TR. *Manda jam mihi apportari ab ædibus clavem Laconicam harum ædium, ego occludam has ædes ab hac parte foris.* PHILO. *Me committo, & meas ſpes, in tuam tutelam.* TR. *Parùm refert, ſi homo, qui nullam conſtantiam gerit in animo, habeat patronum, aut clientem præſtantem: nam eſt promptum cuivis homini, ſive bono, ſive malo, facere nimis fortiter, quamvis derepente: cedò clavem, & ingredere in ædes, & junge januam, verùm curandum eſt, & eſt viri periti efficere ne in iis quæ propoſuit facere nefariè, aliquid accidat propter quod pigeat lucis, ſed ut omnia fluant pacificè, & citra incommodum; quemadmodum ego conabor, ut quæ hîc miſcuerim, eadem omnia aperta ſint & tranquilla; nec nobis afferant per ſeſe ullum detrimentum. Sed quare egrederis tu? interii! ô! jam jam diligentiſſimè obtemperaſti mandatis!* PU. *Philolaches mandavit etiam atque etiam orare, ut quoquomodo perterrefacias ſic patrem, ut non ingrediatur. adeſt.* TR. *Referto quoque illi me operam daturum, ut non audeat quidem conſpicere ædes; ſed fugiat cum maximo timore capite involuto.*

ANNOTATIO.

78. *Capite obvoluto.*] Caput operiebant in turpi re deprehenſi, ſummo pudore affecti: Socrates in Phædro de amore verba facturus, caput operit: ſic in rebus deſperatis. Horatius: *Nam malè re geſtâ, quum vellem mittere operto Me capite in flumen.* Morte damnati, Livius: *I lictor colliga manus, caput obnubito, arbori infelici ſuſpendito.* Hîc timore percitus, caput involvet.

Clavim cedò, atque abi hinc intrò, atque occlude oſtium
Et ego hinc occludam. jube venire nunc jam.
Ludos ego hodie vivo præſenti hîc ſeni
Faciam, quod credo mortuo numquam fore.
Concedam à foribus huc, hinc ſpeculabor procul,
Unde advenienti ſarcinam imponam ſeni.

INTERPRETATIO.

Da clavim, & abi hinc in ædes, & junge januam; ego vero obſerabo ab hac parte. Sine jam ſenem venire; ego exhibebo hodiè ludos huic ſeni vivo & ſpectanti, quos credo exhibendos nunquam mortuo. Recedam in hunc locum ſecus fores, eminus obſervabo occaſionem imponendæ ſarcinæ ſeni advenienti.

ANNOTATIO.

84. *Sarcinam imponam.*] Id eſt, imponam ſeni, fallam ſenem.

ACTUS SECUNDUS. SCENA SECUNDA.

ARGUMENTUM.

TRANIO territo ſimilis occurrit Theuropidi à portu ad ædes ſuas properanti, narrat homini ædes eſſe monſtris infeſtas, & judicio prætoris à menſibus ſeptem clauſas, terrétque adeò meticuloſum ſenem, ut aliò ſeſe recipiat, commendatâ Herculi fugâ.

THEUROPIDES, TRANIO.

THEUROPIDES.

HABEO, Neptune, gratiam magnam tibi,
Quom me amiſiſti à te vix vivum modò.
Verùm ſi poſthac me pedem latum modò
Scies impoſiſſe in undam, haud cauſſa illico'ſt,
Quod nunc voluiſti facere, quin facias mihi.

INTERPRETATIO.

THEU. *Tibi ago maximas gratias, ô Neptune, quia me mex dimiſiſti à te, tametſi vix viventem; ſed ſi inpoſterum me committam fluctibus, vel latum pedem, non eſt quod mihi non facias illico, quod voluiſti nuper facere.*

ANNOTATIONES.

3. *Pedem latum.*] Juvenalis:
I nunc, & ventis animam committe, dolato
Confiſus ligno, digitis à morte remotus
Quatuor aut ſeptem, ſi ſit latiſſima tæda.

4. *Impoſiſſe.*] Id eſt, *impoſiviſſe*, vetus.

Apage,

Apage, apage te à me. nunc jam poſt hunc diem,
Quod crediturus tibi fui, omne credidi.
TR. Edepol, Neptune, peccaviſti largiter,
Qui occaſionem hanc amiſiſti tam bonam.
TR. Triennio pòſt Ægypto advenio domum,
Credo, exſpectatus veniam familiaribus.
TH. Nimio edepol ille potuit exſpectatior
Venire, qui te nunciaret mortuum.
TH. Sed quid hoc? occluſa janua eſt interdius?
Pultabo. heus, ecquis iſtas aperit mî fores?
TR. Quis homo eſt, qui noſtras ædes acceſſit propè?
TH. Meus ſervos hic quidem eſt Tranio. *TR.* ô Theuropides
Here, ſalve: ſalvum te adveniſſe gaudeo.
Uſquéne valuiſti? *TH.* uſque, ut vides. *TR.* factum optumè.
TH. Quid vos? inſanine eſtis? *TR.* quî dum? *TH.* ſic, quia
Foris ambulatis. natus nemo in ædibus
Servat, neque qui recludat, neque qui reſpondeat.
Pultando pedibus pænè confregi haſce ambas. *TR.* eho,
An tu tetigiſti has ædis? *TH.* cur non tangerem?
Quin pultando, inquam, pænè confregi fores.
TR. Tetigiſtin'? *TH.* tetigi, inquam, & pultavi. *TR.* vah! *TH.* quid eſt?
TR. Malè hercle factum. *TH.* quid eſt negotii? *TR.* non poteſt
Dici, quàm indignum facinus feciſti, & malum.

INTERPRETATIO.

Abi, abi à me; nunc tibi commiſi omnia, quæ tibi fui commiſſurus impoſterum. TR. *Per ædem Pollucis, Neptune, magnopere erraſti, qui perdidiſti hanc occaſionem adeò commodam.* TH. *Revertor ex Ægypto domum meam à tribus annis. Spero fore ut recipiar optatus à meis domeſticis.* TR. *Per ædem Pollucis poterat venire magis optatus, qui afferret nuntium tuæ mortis.* TH. *At quid eſt hoc? Janua eſt juncta per diem? pulſabo. Heus, ecquis mihi patefaciat hanc januam?* TR. *Quis eſt ille, qui acceſſit ad noſtras fores?* TH. *Adeſt Tranio meus famulus.* TR. *O Theuropides here, ſalve: lætor te reverſum eſſe incolumem. Sempérne ſanus fuiſti?* TH. *Semper, ſicut aſpicis.* TR. *Eſt bene.* TH. *Quid? Eſtiſne vos amentes?* TR. *Quare?* TH. *Quoniam verſamini ſic extra ædes, & nullus eſt in ædibus, qui eas ſervet, neque qui aperiat, neque qui reſpondeat; propemodum confregi has duas valvas pulſando calcibus.* TR. *Eho, nonne tu tetigiſti has fores?* TH. *Quare non tangerem? Imò ferè communi januam pulſando.* TR. *Tetigiſtine?* TH *Tetigi, inquam, & impuli.* TR. *Vah!* TH. *Quid eſt?* TR. *Per Herculem malè feciſti.* TH. *Quid eſt rei?* TR. *Non poteſt dici quàm grave facinus commiſiſti & dirum.*

ANNOTATIONES.

14. *Occluſa janua.*] Januæ erant duæ; una in quam de vicis gradus fiebat, & quæ etiamnum à noſtris exterior dicitur, altera interior. hæc ſemper erat clauſa; illa nunquam, niſi aut noctu, aut cum vacuæ eſſent ædes, & claudebatur Laconicâ clavi, de quâ ſuperiori ſcenâ.

21. *In ædibus ſervat.*] Nonius: *Servare, eſt ſollicitè ac ſuſpiciosè obſervare.*

TH. Quid jam? *TR.* fuge obſecro atque abſcede ab ædibus.
Fuge huc. fuge ad me propiùs. tetigiſtin' foreis?
TH. Quomodo pultare potui, ſi non tangerem?
TR. Occidiſti, hercle. *TH.* quem mortalem? *TR.* omnes tuos.
TH. Di te deæque omnes faxint cum iſto omine!
TR. Metuo, te atque iſtos expiare ut poſſies.
TH. Quamobrem? aut quam ſubitò rem mihi apportas novam?
TR. Eheu, jube illos illinc, amabo, abſcedere.
TH. Abſcedite. *TR.* ædes ne attingite. tangite
Vos quoque terram. *TH.* obſecro, hercle, quin eloquere jam.
TR. Quia ſeptem menſes ſunt, cum in haſce ædes pedem
Nemo intrò tetulit, ſemel ut emigravimus.
TH. Eloquere, quid ita? *TR.* circumſpice dum, nunquis eſt
Sermonem noſtrùm qui accupet. *TH.* tutum probè eſt.
TR. Circumſpice etiam. *TH.* nemo eſt, loquere nunc jam.
TR. Capitalis cædis facta eſt. *TH.* quid eſt? non intellego.
TR. Scelus, inquam, factum'ſt jam diu antiquum & vetus.
Antiquom. id adeò nos nunc factum invenimus.
TH. Quid iſtuc eſt, ſceleſte? aut quis id fecit? cedò.

INTERPRETATIO.

TH. *Cur?* TR. *Fuge, amabo, atque abſiſte ab tectis, accelera huc, accelera propiùs ad me: tetigiſti ne fores?* TH. *Quomodo potui pulſare, niſi tetigi?* TR. *Interfeciſti per Herculem.* TH. *Quem hominem!* TR. *Cunctos tuos.* TH. *Omnes Dii & Deæ te* occidant, *cum tuo omine!* TR. *Vereor ne non valeas te purgare & iſtos.* TH. *Quare? quid novi mihi renuncias derepentè.* TR. *Et heus, quæſo manda illos illinc abſiſtere.* TH. *Abſiſtite.* TR. *Ne vos attingite domum; tangite etiam terram.* TH. *Per Herculem, quare non aperis, amabo, quid ſit?* TR. *Quia ſunt ſeptem menſes, ex quo exceſſim ex his ædibus. & nemo intulit in eas pedem.* TH. *Dic quare?* TR. *Circumſpice, an non ſit aliquis qui audiat noſtrum ſermonem.* TH. *Eſt benè ſecurum.* TR. *Circumſpice adhuc.* TH. *Nemo eſt, loquere jam.* TR. *Homicidium eſt perpetratum.* TH. *Quid eſt hoc? non video.* TR. *Crimen, inquam, antiquum & vetus perpetratum eſt jamdudum antiquum quidem: ſed nos modò cognovimus factum fuiſſe.* TH. *Quid eſt hoc ſcelus? aut quis id pertravit: dic.*

ANNOTATIONES.

33. *Dii te Deæque omnes faxint.*] Dixit Tranio, ante: *occidiſti. & omnes tuos.* Reſpondet Theuropides: *Dii & Deæ faciant, ut ipſe occidas tuo omine. Nam es è meis.*

36. *Jube illos.*] Id eſt, comites tuos, quos ex Ægypto tecum adduxiſti.

38. *Tangite terram.*] Genus quoddam venerationis erat & ceremoniæ terram tangere in iis rebus, quæ ad Deos Inferos, ac mortuos pertinent. Macrob. *Cum tellurem dicit, manibus terram tangit.*

44. *Capitalis cædis.*] Alii, *capitalis ædis. Capitalis* autem *ædis*, fit quando in eâ *capital* admittitur. Homo *capitalis* eſt homo nefarius, qui *capital* admiſit. Feſtus: *Locus capitalis eſt. ubi ſi quid violatum eſt, capite violatoris expiatur.*

45. *Scelus antiquum & vetus.*] Antiquum & vetus duæ voces, quæ idem fermè ſignificant, ideo à Tranione geminatæ, quia videri vult territus, non ſolum vultu, ſed etiam oratione.

47. *Quid iſtuc eſt ſceleſte.*] Id eſt, quodnam eſt illud ſcelus.

TR. Hoſpes necavit hoſpitem captum manu ;
Iſte , ut ego opinor, qui has tibi ædis vendidit.
TH. Necavit ? *TR*. aurumque eit ademit hoſpiti ,
Eumque hic defodit hoſpitem ibidem in ædibus.
TH. Quapropter id vos factum ſuſpicamini ?
TR. Ego dicam , auſculta. Ut foris cœnaverat
Tuus gnatus , poſtquam rediit à cœnâ domum ,
Abimus omnes cubitum , condormivimus :
Lucernam fortè oblitus fueram extinguere ;
Atque ille exclamat derepentè maximum.
TH. Quis homo ? an gnatus meus ? *TR*. ſt, tace : auſculta modò.
Ait veniſſe illum in ſomnis ad ſe mortuum.
TH. Nempe ergo in ſomnis ; *TR*. ita. ſed auſculta modò.
Ait illum hoc pacto ſibi dixiſſe mortuum.
TH. In ſomnis ? *TR*. mirum quin vigilanti diceret ,
Qui abhinc ſexaginta annis occiſus foret.
Interdum ineptè ſtultus es.
TH. Taceo. *TR*. ſed ecce quæ ille inquit :
Ego tranſmarinus hoſpes ſum Diapontius.
Hîc habito. hæc mihi dedita eſt habitatio.
Nam me Acheruntem recipere Orcus noluit ,
Quia præmaturè vitâ careo. per fidem
Deceptus ſum , hoſpes hîc me necavit , iſque me
Defodit inſepultum clam ibidem in hiſce ædibus ,

INTERPRETATIO.

TR. *Hoſpes apprehendit hoſpitem , & manu interfecit , ille eſt , ut arbitror qui tibi vendidit has ædes.* TH. *Occidit ?* TR. *Et eripuit aurum huic hoſpiti , & terræ condidit eundem hoſpitem , ibidem in ædibus.* TH. *Quare auguramini vos id eſſe geſtum.* TR. *Ego proferam, audi : Cùm tuus filius cœnaviſſet foris , poſtquam reverſus eſt in ædes à convivio , proficiſcimur cuncti cubitum, condormimus ; fortè oblitus fueram extinguere lucernam , continuò ille exclamat ſubitò maximâ voce.* TH. *Quis ille exclamat ? Meúſne filius.* TR. *ſt , ſile : adhibe aures modò ; affirmat filius illum mortuum veniſſe ad ſe in ſomnis.* TH. *Nimirum in ſomnis ?* TR. *Etiam. At audi jam. Dicit eum ſibi dixiſſe hoc modo mortuum.* TH. *In ſomnis ?* TR. *Mirum quod non dicat vigilanti , qui fuerit interfectus ab hinc ſexaginta annis : nonnunquam demens es ineptè.* TH. *Sileo.* TR. *At ecce quæ ille dicat : ego ſum Diapontius hoſpes tranſmarinus, hic maneo : hoc domicilium eſt in mea poteſtate: Infernus noluit me admittere in Acherontem , quoniam interii fato immaturo: fraudatus ſum propter fidem: hoſpes me obtruncavit in hoc loco.idémque me terrâ obruit inhumatum occultè ibidem in*

ANNOTATIO.

71. *Defodit inſepultum.*] Id eſt , in terram quidem defoſſum humavit , ſed non ritè , id eſt juſto ſepulturæ honore adhibito. Virgilius :

Hæc omnis quam cernis,inops, inhumatáque turba eſt.

Ubi *inhumatus* idem ſignificat , quod *inſepultus* in Plauto , & utrumque *honoribus ſepulturæ privatum.* Perſius vocat *oſſa inhonora* , quæ caruerunt honoribus ſepulturæ.

Sceleſtus auri cauſsâ : nunc tu hinc emigra :
Sceleſtæ hæ ſunt ædes, impia eſt habitatio.
Quæ hîc monſtra fiunt, anno vix poſſum eloqui :
St, ſt! *TH.* quid obſecro hercle factum eſt? *TR.* concrepuit foris.
Hiccine percuſſit? *TH.* guttam haud habeo ſanguinis,
Vivom me arceſſunt ad Acheruntem mortui.
TR. Perii, illiſce hodie hanc conturbabunt fabulam.
Nimis quàm formido, ne manifeſtò hic me opprimat.
TH. Quid tute tecum loquere? *TR.* abſcede ab januâ.
Fuge obſecro hercle! *TH.* quò fugiam? etiam tu fugis?
TR. Nihil ego formido : pax mihi eſt cum mortuis.
TH. Heus, Tranio! *TR.* non me appellabis, ſi ſapis.
Nihil ego commerui, neque iſtas percuſſi foreis.
TH. Quæſo quid ægrè eſt? quæ res te agitat Tranio?
Quîcum iſtæc loquere? *TR.* an quæſo tu appellaveras?
Ita me di amabunt, mortuum illum credidi
Expoſtulare, quia percuſſiſſes foreis.
Sed tu etiámne aſtas, nec quæ dico obtemperas?
TH. Quid faciam? *TR.* cave reſpexis; fuge, atque operi caput.
TH. Cur non fugis tu? *TR.* pax mihi eſt cum mortuis.
TH. Scio, quid modò igitur? cur tantopere extimueras?

INTERPRETATIO.

hiſce ædibus, nefarius propter pecuniam: jam tu proficiſcere hinc. hæ ædes ſunt polluta, hæc habitatio eſt impia. Vix poſſum dicere uno anno monſtra, quæ contingunt hic. ſt, ſt! TH. *Quid factum eſt, amabo, per Herculem?* TR. *Janua concrepuit; éſtne qui pulſarit?* TH. *Nullam habeo guttam ſanguinis. mortui me vocant vivum ad Inferos.* TR. *Occidi. Illi prodent hodie hunc dolum. magnopere pertimeſco ne hic me obruat palam.* TH. *Quid dicis tu tecum?* TR. *Abſiste ab janua. fuge obſecro per Herculem.* TH. *Quo fugiam? quin tu fugis etiam.* TR. *Ego timeo nihil, feci fœdus cum mortuis.* TH. *Heus. Tranio!* TR. *Non me nominabis, ô umbra! ſi ſapis. ego nihil commiſi: neque impuli iſtas fores.* TH. *Obſecro, quid moleſtum eſt tibi? Quæ res te vexat Tranio? Quocum loqueris id?* TR. *An amabo tu vocaveras? Ita me Dii ament. exiſtimavi illum mortuum conqueri, quia impuliſti fores. At aſtáſne tu etiam? Nec pares iis quæ dico.* TH. *Quid agam?* TR. *Vide ne retro aſpexeris; fuge, atque involve caput.* TH. *Quare non fugis tu?* TR. *Percuſſi fœdus cum mortuis.* TH. *Intelligo: quare ergo mox tantopere extimeſcebas?*

ANNOTATIONES.

78. *Perii! illiſce hanc conturbabunt fabulam.*] Verba ſunt Tranionis ſecum loquentis, & metum ſuum ſignificantis; ne ſtrepitu intra ædes edito, Theuropides non intelligat, non eſſe monſtra, ſed filium & filii ſodalem; atque adeò univerſa monſtrorum fabula conturbetur.

82. *Nihil ego formido.*] Formido dicitur à *formis*, id eſt, *ſpectris*.

83. *Non me appellabis.*] Eſt ſermo Tranionis ad mortuum, à quo vocatum ſe ſimulat Tranio, quamquam vocatus fuiſſet ab ipſo Theuropide.

88. *Expoſtulare.*] Erant apud veteres ſacra *depulſoria*, quæ & *depoſtulationes*, & *depoſtuliones* appellabantur, ad arcenda ſpectra, & mala omina.

TR. Nihil me curaſſis, inquam: ego mihi providero;
Tu, ut occœpiſti, tantùm quantùm quis, fugies,
Atque Herculem invocabis. *TH*. Hercules, te invoco.
TR. Et ego, tibi hodie ut det, ſenex, magnum malum.
Pro dii immortales, obſecro voſtram fidem,
Quid ego hodie negotii confeci, malum!

INTERPRETATIO.

TR. *Noli de me eſſe ſollicitus, inquam, ego providero mihi: tu fuge, ut cœpiſti tantùm, quantùm vales, & invocabis Herculem.* TH. *Hercules te invoco.* TR. *Et ego ut tibi infligat hodie, ſenex, aliquod ingens damnum. Proh! Dii immortales, obſecro veſtram fidem: quam rem aggreſſus ſum hodie? O malum!*

ANNOTATIONES.

95. *Herculem invocabis.*] Quia videlicet Hercules erat, ἀλεξίκακος, id eſt, *malorum depulſor*. In ſubitis timoribus ſolebat invocari. Præterea apud Romanos, Hercules inter Lares ponebatur viales, eique juxta viam ſacra à profecturis fiebant.

ACTUS TERTIUS.

ARGUMENTUM.

STATIM ATQUE reverſus eſt Theuropides, adeſt Daniſta, qui quadraginta minas, & fœnus repetit à Tranione, præſente Theuropide; ſed ludificatur Theuropidem Tranio: dicit has minas quadraginta cepiſſe Philolachetem à Daniſtâ, ad ædes Simonis vicini coëmendas. Tum Theuropides, vult ſibi domum oſtendi emptam à filio: paret Tranio, ſed adeò callidè, ſuo more, ut vicini domum totam videat Theuropides, nec verbum ullum ultro citróque dicatur, aut à Simone, aut à Theuropide, quo appareat domum eſſe, aut non eſſe emptam.

ACTUS TERTIUS. SCENA PRIMA.

ARGUMENTUM.

DANISTA à Theuropide, jam jam reverſo, & Tranione repetit minas quadraginta, & fœnus, quas dedit Philolacheti. Tranio, quò eâ pecuniâ circumducat ſenem, dicit eſſe ſumptam fœnere à Philolachete ad emendam domum vicini Simonis. Theuropides jubet numerari & minas quadraginta, & quatuor in fœnus Daniſtæ.

DANISTA, THEVROPIDES, TRANIO.

THEVROPIDES.

SCELESTIOREM ego annum argento fœnori
Nunquam ullum vidi, quàm hic mihi annus obtigit.
A mane ad noctem uſque in foro dego diem,
Locare argenti nemini nummum queo.
TR. Nunc pol ego perii planè in perpetuum modum.
Daniſta adeſt, qui dedit *argentum fœnori*,
Quî amica eſt empta, quóque *opus in ſumptûs fuit.*
Manifeſta res eſt, niſi quod occurro priùs,
Ne hoc ſenex reſciſcat. ibo huic obviam.
Sed quidnam hic ſeſe tam citò recipit domum?
Metuo ne de hâc re quippiam inaudiverit.
Accedam atque appellabo. hei quàm timeo miſer!
„NIHIL EST MISERIUS, quàm animus hominis conſcius,
Sicut me habet. verùm utut res hæc ſeſe habet,
Pergam turbare porrò. ita hæc res poſtulat.

INTERPRETATIO.

THEU. *NUnquam ego vidi ullum nunum minus opportunum ad ponendam pecuniam in fœnore, quàm eſt hic annus. Sum in foro per totum diem à manè uſque ad veſperam, non poſſum cuiquam collocare ullum nummum.* TR. *Per Pollucem ego nunc interii funditùs omni ratione. Ecce Daniſtam, qui dedit fœnori pecuniam quâ Philematium eſt empta, & quâ opus fuit ad ſumptum. Eſt fraus detecta, niſi eam obviam prior, ne ſenex rem condiſcat, occurram illi; ſed quid cauſa eſt, quare hic ſeſe recipit tam citò domum, vereor ne acceperit nonnihil ex hâc re; ibo propius, atque vocabo. Hei! quàm metuo infœlix, nihil eſt calamitoſius, quàm mens hominis malè ſibi conſcia, quemadmodum eſt mea. Sed quoquo modo res ſeſe habeat, proſequar miſcere* omnia, *hujus rei ratio ſic exigit.*

ANNOTATIONES.

1. *Scelestiorem.*] Id eſt, infœliciorem, causâ pro effectu poſitâ: ſcelus enim eſt fermè malorum omnium cauſa, Horatius: *Sceleſtam plebem*, id eſt, *infœlicem*. Appellat infra 35. v. *Næ ego ſum miſer, ſceleſtus*, id eſt, *infœlix*.

Argento fœnori.] Supple, *locando*. Horatius: *Conducere nummos*, id eſt, *fœnori accipere*.

8. *Niſi quod occurro priùs.*] *Si ce n'eſt que j'aille au devant.*

13. *Nihil eſt miſerius, quàm animus hominis conſcius.*] Salluſtius: *Suus cuique animus ex conſcientiâ ſpem præbet.* Cicero pro Mil. *Magna vis eſt conſcientiæ, judices. & magna in utramque partem, ut neque timeant qui nihil commiſerint; & pœnam ſemper ante oculos verſari putent, qui peccaverint.* Idem pro Roſc. Amer. *Suus quemque fraus, & ſuus terror maximè vexat, ſuum quemque ſcelus amentiáque afficit, ſuæ malæ cogitationes conſcientiæque animi terrent, hæ ſunt impiis aſſiduæ domeſticæque furiæ.* Ovid. 1. Faſt.

Conſcia mens ut cuique ſua eſt, ita concipit intra
Pectora pro facto ſpémque metúmque ſuo.

Sicut me habet.] Id eſt, ſicut meus animus ſe habet.

Unde is? *TH.* convéni illum, unde haſce ædes emeram.
TR. Nunquid dixiſti de illo, quod dixi tibi?
TH. Dixi Hercule verò omnia. *TR.* væ miſero mihi!
Etiam fatetur de hoſpite? *TH.* imò pernegat.
TR. Cape hercule, obſecro, cum eo unà judicem.
Sed eum videto ut capias, qui credat mihi.
Tam facilè vinces, quàm pirum volpes comeſt.
Metuo ne technæ meæ perpetuò perierint.
TH. Quid tute tecum? *TR.* nihil enim. ſed dic mihi,
Dixtin' quæſo? *TH.* dixi, inquam, ordine omnia.
TR. Etiam fatetur de hoſpite? *TH.* imò pernegat.
TR. Negat? *TH.* negat, inquam, *TR.* perii oppidò, cùm cogito.
Non confitetur? *TH.* dicam, ſi confeſſus ſit.
Quid nunc faciundum cenſes? *TR*, egon' quid cenſeam?
Cape, obſecro hercule, cum eo unà judicem:
Sed eum videto ut capias, qui credat mihi:
Tam facilè vinces. quàm pirum volpes comeſt.
DA. Sed Philolachetis eccum ſervum Tranium,
Qui mihi neque fœnus, neque ſortem argenti danunt.
TH. Quò te agis? *TR.* nec quóquam abeo. næ ego ſum miſer;

INTERPRETATIO.

Unde venis? TH. *Adivi illum à quo mercatus eram has ædes.* TR. *An aliquid dixiſti de iis quæ tibi aperui.* TH. *Dixi per Herculem verò, atque omnia.* TRA. *Væ mihi infœlici fatetúrne de hoſpite?* TH. *Imò pernegat.* TR. *Elige, per Herculem, quæſo arbitrum unà cum eo; ſed vide ut eligas eum, qui mihi fidem habeat: ſuperabis tam facilè, quàm vulpes comedit pirum. Vereórne meæ verſutiæ pereant planè?* TH. *Quid tu loqueris tecum?* TR. *Nihil quidem, ſed dic mihi. dixiſtíne, amabo?* TH. *Aperui. inquam, univerſa ſigillatim.* TR. *Fatetúrne etiam de hoſpite?* TH. *Imò pernegat.* TRA. *Negat.* TH. *Negat, inquam.* TRA. *Perii planè quando cogito; non confitetur?* TH. *Dicerem ſi confiteretur. Quid cenſes faciendum nunc?* TR. *Poſtuláſne, quid ego exiſtimem? Elige quæſo per Herculem, unà cum eo arbitrum; ſed vide ut eligas eum. qui mihi fidem habeat, ſuperabis tam facilè. quàm vulpes comedit pyrum.* DA. *Sed ecce Tranium ſervum Philolachetis, qui non dat, neque fœnus, neque ſortem pecuniæ.* TH. *Quo te confers?* CR. *Non eo quoquam. Profectò ego ſum infœlix,*

ANNOTATIONES.

22. *Quàm pirum vulpes comeſt.*] Vernilis comparatio, & illiberalis, arreptáque de trivio. Seneca de Claudio Cæſare nihilo graviorem comparationem attulit, quando ait: *Tam facilè homines occidebat, quàm canis exta edit.* Interdum autores laudatiſſimi hîc labuntur, neque hâc vacat culpâ omnium dux ac Princeps Homerus.

33. *Tranium.*] *Tranius & Tranio. Antipho & Antiphus.*

34. *Neque fœnus. neque ſortem argenti.*] Sors eſt patrimonium, ſive ſumma, ſive caput illius pecuniæ, quæ confertur in ſocietatem, ut inde lucrum accedat. Hinc *conſortes* & *conſortium*. Aliàs quadam ſignificatione ſors dicitur, quælibet pecunia, cui accedit uſura vel reditus. Martialis: *Debitor argentum pariter cum ſorte negabit.* Sors, *le principal.* Fœnus, *arrerage d'une rente.*

Sceleſtus, natus diis inimicis omnibus!
Jam illo præſente adibit, næ. ego homo ſum miſer!
Ita & hinc & illinc mihi exhibent negotium.
Sed occupabo adire. *DA.* hic ad me it, ſalvus ſum.
Spes eſt de argento. *TR.* hilarus eſt fruſtra iſtic homo.
Salvete jubeo te Miſargyrides, bene.
DA. Salve & tu. quid de argento? *TR.* abi ſis, belua,
Continuò adveniens pilum injeciſti mihi.
DA. Hic homo eſt inanis. *TR.* hic homo eſt certè ariolus.
DA. Quin tu iſtas mittis tricas? *TR.* quin quid vis cedò.
DA. Ubi Philolaches eſt? *TR.* nunquam potuiſti mihi
Magis opportunus advenire, quàm advenis.
DA. Quid eſt? *TR.* concede huc. *DA.* quin mihi argentum redditur?
TR. Scio te bonâ eſſe voce, ne clama nimis.
DA. Ego hercle verò clamo. *TR.* ah, gere morem mihi.
DA. Quid tibi ego morem vis geram? *TR.* abi quæſo hinc domum.
DA. Abeam? *TR.* redito huc circiter meridie.

INTERPRETATIO.

genitus invitis omnibus Diis! Jam Daniſta me conveniet Theuropide præſente. Certò ſum homo infortunatus! Adeò me circumſtant incommoda, & hinc & illinc. ſed antevertam Theuropidem *in eo adeundo.* DA. *Tranio, venit ad me, ſum ſalvus, eſt ſpes de pecuniâ.* TR. *Hic homo te gaudet incaſſum: impertio tibi multam ſalutem. Miſargyrides.* GA. *Sis ſalvus & tu; quid dicis de pecuniâ quam dedi.* TR. *Abi ſi vis, inhumane, ſtatim atque advenis, in me contorques telum.* DA. *Hic homo non habet pecuniam.* TR. *Hic homo eſt procul dubiò augur.* DA. *Quin tu prætermittis hæc effugia?* TR. *Quare non aperis quid petas.* DA. *Ubi eſt Philolaches?* TR. *Nunquam potuiſti advenire opportuniùs quàm advenis.* DA. *Quid eſt?* TR. *Accede huc.* DA. *Quare non mihi redditur argentum?* TR. *Novi te eſſe valentibus faucibus. ne vociferere adeò.* DA. *Ego verò per Herculem vociferabor.* TR. *Ah, obtempera mihi.* DA. *In quo me vis tibi obtemperare?* TR. *Abi rogo domum.* DA. *Abeam?* TR. *Revertere huc verſus meridiem.*

ANNOTATIONES.

36. *Ne ego miſer, ſceleſtus.*] Hinc uſque ad v. 41. Tranio ſolus loquitur. Sceleſtus in eundem ſenſum dicitur ac miſer. Quamquam enim revera ſceleſtiſſimus ſit Tranio, tamen hic de ſe minimè confitetur.

Natus Diis inimicis.] Hoc aliquanto ampliùs dicit, quàm ſi invito genio natum ſe diceret; hic nonnulli jungunt 36. 38. verſ. & hæc verba, *Ita hinc & illinc exhibent negotium*, de Diis dicta volunt; ſed quidni retinetur collocatio verſuum. & hæc verba de Theuropide & Daniſta accipiantur?

41. *Miſargyrides.*] Per antiphraſim oſor pecuniæ dicitur fœnerator longè avariſſimus.

43. *Pilum injeciſti mihi.*] Pilum erat Romanorum telum. Pilum injicere. *eſt magno incommodo afficere.* Cicero: *Quam te ſecurim injeciſſe putas petitioni meæ.* id eſt, *impedimentum.* Idem, *infligere reipublicæ ſecurim.* Juvenalis: *Impacta ſecuris*, idem eſt ac *tragulam injicere.* Suprà.

DA. Redde-

DA. Reddetúrne igitur fœnus? *TR.* reddetur: nunc abi.
DA. Quid ego huc recurſem, aut operam ſumam, aut conteram?
Quid, ſi hìc manebo potiùs ad meridiem?
TR. Imo abi domum. verum hercle dico: abi modò.
DA. Quin vos mihi fœnus date. quid nugamini?
TR. Eu, hercle, næ tu abi modò: auſculta mihi.
DA. Jam, hercle, ego illunc nominabo. *TR.* euge ſtrenuè!
Beatus verò es nunc, cùm clamas. *DA.* meum peto.
Multos me hoc pacto jam dies fruſtramini.
Moleſtus ſi ſum, reddite argentum, abiero.
Reſponſiones omnes hoc verbo eripite
TR. Sortem accipe. *DA.* imò fœnus, id primùm volo.
TR. Quid, tu, homo hominum omnium teterrime,
Veniſti huc te extentatum? agas quod in manu eſt.
Non dat, non debet. *DA.* non debet? *TR.* nec erit quidem.
Ferre hoc potes? an *mavis ut ali*quò abeat foras?
Urbem exul *linquat factus* hic cauſſa tui,
Cui ſortem *vix dare* licebit? *DA.* quin non peto.
TH. Eia, maſtigia, ad me redi. *TR.* jam iſtîc ero.
Moleſtus ne ſis, nemo dat, age quid lubet.
Tu ſolus, credo, fœnore argentum datas.
DA. Cedò fœnus. redde fœnus. fœnus reddite.
Daturin' eſtis fœnus actutum mihi?
Date mihi fœnus. *TR.* fœnus illîc, fœnus hîc.

INTERPRETATIO.

DA. *Reddetúrne ergo fœnus?* TR *Reddetur. Jam proficiſcere.* D A. *Quare ego recurſabo huc? Aut ſumam hanc operam, aut eam perdam? Quid, ſi harebo potius hic ad meridiem?* TR. *Imò abi in ædes; per Herculem, ſeriò loquor, abi modo.* DA. *Quin mihi pendite vos fœnus? Quid nugamini?* TR. *Eu per Herculem, abi modò, prabe aures mihi.* D A. *Jam per Herculem illum nominabo.* TR. *Age animosè! Es verò beatus jam, cùm vociferaris.* DA. *Poſtulo quæ mea ſunt, me fallitis hoc modo jam multos dies; ſi ſum importunus, reddite pecuniam, abibo. Auferte omnes reſponſiones hoc verbo.* TR. *Accipe ſortem.* D A. *Imò fœnus pendite, id opto prius.* TR. *Quid tu veniſti huc ad contendendam vocem, homo crudeliſſime omnium hominum? Fac jam quod eſt in tuâ poteſtate, non dat, non debet.* DA. *Non debet?* TR. *Nec erit quidem tibi, hoc vis accipere? An mavis ut Philolaches fugiat aliquò foras? Deſerat urbem quaſi factus exul tui gratiâ, qui poterit vix dare ſortem?* D A. *Non illud peto.* TH. *Eia, maſtigia, revertere ad me.* TR. *Ero jam iſtic, ne ſis acerbus; nemo dat, fac quidquid libueris. Puto tu unus ponis argentum in fœnore.* DA. *Da fœnus. Reſtitue fœnus, rependite fœnus. Mihine numeraturi eſtis fœnus illicò? Depromite mihi fœnus.* T R A. *Illic fœnus, hic fœnus.*

ANNOTATIONES.

60. *Beatus.*] Dives.

64. *Sortem accipe.*] Horatius: *Quinas hic capiti mercedes exſecat*; id eſt, centeſimas de ſorte deducit in ſingulos menſes: id eſt, *cinq pour cent.*

66. *Extentatum.*] Aliis, *externatum* Nonius: *Externavit*; *eſt dementem fecit.* Catullus: *Ah! miſera aſſiduis, quàm luctibus externavit.* Alii *exenteratum.*

Neſcit quidem niſi fœnus fabularier
Veterator. neque ego tetriorem beluam
Vidiſſe me unquam quenquam, quàm te, cenſeo.
DA. Non edepol nunc me tu iſtis verbis territas.
TH. Calidum hoc eſt: etſi procul abeſt, urit malè.
Quod illud eſt fœnus obſecro, quod illic petit?
TR. Pater eccum advenit peregrè non multò priùs
Illius, is tibi & fœnus & ſortem dabit:
Ne inconciliare quid nos porrò poſtules.
Vide num moratur? *DA*. quin feram, ſi quid datur. [petit?
TH. Quid ais tu? *TR*. quid vis? *TH*. quis illic eſt? quid illic
Quid Philolachetem gnatum compellat meum
Sic, & præſenti tibi facit convicium?
Quid illi debetur? *TR*. obſecro hercle, jube
Obici argentum huic ob os impuræ beluæ.
TH. Jubeam? *TR*. jube homini argento os verberarier.
DA. Perfacilè ego ictûs perpetior argenteos.
TH. Quod illud argentum eſt? *TR*. huic debet Philolaches
Paulùm. *TH*. quantillum? *TR*. quaſi quadraginta minas.
DA. Ne ſanè id multum cenſeas, paulum id quidem eſt.
TR. Audin'? videturne obſecro hercle idoneus,
Daniſta qui ſit? genus quod improbiſſimum eſt.

INTERPRETATIO.

Hic quidem veterator non poteſt deblaterari niſi fœnus. Neque ego exiſtimo me vidiſſe unquam quamquam beſtiam immaniorem, quàm te. DA. *Tu non me terres, per ædem Pollucis, iſtis dictis.* TH. *Id eſt fervidum, urit magnopere, quamvis abeſt longè. Quodnam eſt illud fœnus, quæſo, quod ille flagitat?* TR. *Ecce illius pater revertitur à longè, non multo ante: ille tibi pendet & fœnus & ſortem: ne moleſtus ſis nobis, porrò vide quid petas à nobis, moratúrne?* DA. *Profectò accipiam, ſi aliquid ſolvitur.* TH. *Quid ais tu?* TR. *Quid vis?* TH. *Quis ille eſt? quid ille flagitat? quid nominat ſic Philolachetem filium meum? & tibi faceſſit contumeliam coram? quid illi debetur?* TR. *Obteſtor per Herculem jube injici nonnihil pecuniæ in os hujus impuræ beſtiæ.* TH *Jubeam?* TR. *Manda percelli os hominis argento.* DA. *Ego patienter feram ictus argenteos.* TH. *Quanam eſt illa pecunia?* TR. *Philolaches huic debet pauca.* TH. *Quantùm?* TR. *Ferè quadraginta minas.* DA. *Id quidem eſt paulum: ne putes eſſe tantùm.* TR. *Audiſne? videtúrne quæſo, per Herculem, idoneus qui ſit Daniſta? quod eſt genus moleſtiſſimum.*

ANNOTATIONES.

81. *Calidum hoc eſt.*] Allegoria ab iis, quæ adeò calida ſunt, ut procul calorem propagent. Id eſt, mendacium ab incude recens.

85. *Inconciliare.*] Id eſt, *irritare.* Horatius: *Inimicare.*

95. *Quaſi 40. minas.*] Quaſi, id eſt, ferè. Cicero: *Sol quaſi pedalis videtur.* Idem: *Quaſi in extrema pagina Phædri.* Nos patrio ſermone totidem elementis in eadem acceptione retinemus, *quaſi.*

TH. Non ego iſtuc curo, qui ſit, unde ſit:
Id volo mihi dici, id me ſcire expeto.
Adeò etiam argenti fœnus creditum audio.
TR. Quatuor quadraginta illi debentur minæ.
Dic te daturum, ut abeat. *TH.* egon' dicam dare?
TR. Dic. *TH.* egone? *TR.* tu ipſus dic modò, auſculta mihi.
Promitte: age inquam, ego jubeo. *TH.* reſponde mihi;
Quid eo eſt argento factum? *TR.* ſalvum eſt. *TH.* ſolvite
Vosmet igitur, ſi ſalvum eſt. *TR.* ædeis filius
Tuus emit. *TH.* ædeis? *TR.* ædeis. *TH.* euge, Philolaches
Patriſſat. jam homo in mercatura vortitur.
Ain tu, ædeis? *TR.* ædeis, inquam: ſed ſcin' cujuſmodi?
TH. Quî ſcire poſſim? *TR.* vah! *TH.* quid eſt? *TR.* ne me roga.
TH. Nam quid ita? *TR.* ſpeculo claras, clarorem merum.
TH. Bene hercle factum. quid? eas quanti deſtinat?
TR. Talentis magnis totidem, quot ego & tu ſumus.
Sed arraboni has dedit quadraginta minas.
Hinc ſumſit quas ei dedimus. ſatin' intellegis?
Nam poſtquam hæce ædis ita erant, ut dixi tibi,
Continuò eſt alias ædis mercatus ſibi.
TH. Bene hercle factum. *DA.* heus, jam appetit meridies.

INTERPRETATIO.

TH. *Ego non curo iſtud qui ſit, unde ſit: nolo mihi dici id. Expeto ſcire id, audio etiam creditum fœnus argenti.* TR. *Illi debentur quadraginta quatuor minæ. Dic te penſurum, ut proficiſcatur.* TH. *Dicámne me daturum?* TR. *Dic.* TH. *Egóne?* TR. *Tu ipſe dic modò, præbe aures mihi: pollicere; age, inquam; ego jubeo.* TH. *Reſponde mihi; Quid factum eſt de eâ pecuniâ?* TR. *Integra eſt.* TH. *Pendite voſmet igitur, ſi integra eſt.* TR. *Tuus filius mercatus eſt domum.* TH. *Domum?* TR. *Domum.* TH. *Euge, Philoloches patrem imitatur: jam ille verſatur in commercio. Diciſne tu domum?* TR. *Domum, inquam; ſed ſciſne cujuſmodi.* TH. *Qui ſcire poſſim?* TR. *Vah!* TH. *Quid eſt?* TR. *Ne à me poſtules.* TH. *Quare?* TR. *Nitidiorem ſpeculo, merum nitorem.* TH. *Per Herculem rectè factum: quid, quanti eam emit?* TR. *Totidem magnis talentis, quot ego & tu ſumus. Sed dedit has quadraginta minas in arrhabonem; accepit hinc eas quas ei numeravimus: ſatiſne capis? Nam poſtquam tuæ ædes infeſtæ fuerint monſtris, ſicut tibi narravi, continuò emit alias ædes.* TH. *Per Herculem benè factum.* DA. *Heus jam meridies imminet.*

ANNOTATIONES.

108. *In mercatura vortitur.*] *Vortitur,* id eſt, *verſatur. In mercatura verti* dicitur, qui mercaturam exercet; hinc *verſura* verbum mercatorum, & *vertumnus,* Deus *vertendarum* rerum, hoc eſt, mercaturæ.

111. *Speculo claras.*] Id eſt, adeò claræ, ut iis vice ſpeculi uti liceat, *qu'on ſe mireroit dedans.*

113. *Quot ego & tu ſumus.*] Id eſt, duobus talentis. Talentum magnum eſſe docet hic exertè Plautus, quando dicit, ædes fuiſſe emptas centum viginti minis, ex quibus 40. arraboni datæ ſunt, & 80. debentur.

115. *Arrhaboni.*] Arrhabo, ſeu arrha, quod emptionis nomine datur, ut conſtet fides inter eos qui vendunt emúntque.

TR. Abſolve hunc quæſo vomitum, ne hic nos enecet.
Quatuor quadraginta illi debentur minæ,
Et ſors & fœnus. *DA.* tantum eſt: nihilo plus peto.
TR. Velim quidem hercle, ut uno nummo plus petas.
TH. Adoleſcens, mecum rem habe. *DA.* nempe abs te petam.
TH. Petito cras. *DA.* abeo; ſat habeo, ſi cras fero.
TR. Malum quod iſti dî deæque omnes duint?
Ita mea conſilia perturbat pæniſſimè.
,,Nullum, edepol, hodie genus eſt hominum tetrius,
,,Nec minus bono cum jure, quàm Daniſticum.
TH. Quâ in regione iſtas ædis emit filius?
TR. Ecce autem perii? *TH.* dicisne hoc, quod te rogo?
TR. Dicam: ſed nomen domini quæro quid ſiet.
TH. Age, comminiſcere ergo. *TR.* quid ego nunc agam?
Niſi ut in vicinum hunc proximum mendacium.
Eas emiſſe ædis hujus dicam filium.
,,Calidum hercle audivi eſſe optimum mendacium.
,,Quicquid dei dicunt, id rectum eſt dicere.

Interpretatio.

TR. *Dimitte quaſo hanc ſentinam, ne hic nos occidat: illi debentur quadraginta quatuor minæ, & ſors & fænus.* DA. *Tantùm eſt: nihil peto ampliùs.* TR. *Velim quidem, per Herculem, ut petas ampliùs vel uno nummo.* TH. *Daniſta, res tibi eſt mecum.* DA. *Itaque accipiam abs te.* TH. *Pete cras.* DA. *Abeo; ſatis eſt, ſi accipio cras.* TR. *Satis eſt, ſi fers malum quod omnes Dii Deæque iſti dent! Adeò ſus déque confundit omnia mea conſilia. Eſt nullum genus hominum immanius, & alienius à bono jure, quàm Daniſticum.* TH. *In quâ parte urbis meus filius mercatus eſt illam domum?* TR. *En verò interii!* TH. *Aperiſne id, quod à te peto?* TR. *Aperiam: at cogito quod ſit nomen domini.* TH. *Age, recordare igitur.* TR. *Quid faciam ego jam? Niſi ut* conferam *mendacium, in hunc proximum vicinum: mentiar hujus filium mercatum eſſe hanc domum. Per Herculem accepi quod mendacium recens eſt acceptiſſimum; quicquid Dii ſuggerunt, id eſt bonum dicere.*

Annotationes.

120. *Abſolve hunc vomitum.*] Id per ſummum contemptum in Daniſtam torquetur, & non impurus, ut antè & poſt hunc verſum, ſed vomitus, quo nihil eſt impurius, appellatur. Lucilius de Trebellio: *Marcebat febris, ſenium, vomitus, pus.*

129. *Bono cum jure.*] *Jus bonum* eſt idem, quod Ciceroni, *Æquum bonum*, Id eſt, moderatum jus, non ſummum, quod eſſe dicitur ſumma injuria.

136. *Calidum mendacium.*] Id eſt, recens cuſum, videlicet mens acriùs vires exerit, quando intelligit jam jam impendere ſibi periculum, & non niſi adhibito mendacio eſſe effugium. Mendacium calidum eſt etiam audax, impudens, & durâ fronte dignum, alioquin ſuſpectum evadit.

137. *Quidquid Dei dicunt.*] Id eſt, quidquid Dii monent & ſuggerunt. Quidquid enim ſubitò in mentem venit, & citra meditationem, præſertim ſi circumſtet nos periculum, id divino lumini ſolet tribui. Hic nequam mancipium etiam de mendacio, cujus eſſe numen autor minimè poteſt, affirmat. Sed nec id abhorret ab Ethnico errore, qui mendaciorum Mercurium Deum colebant; & Lavernam fraudum Deam.

TH. Quid igitur? jam commentu's? *TR.* dii iſtum perduint:
Imò iſtunc potiùs. de vicino hoc proximo
Tuus emit ædis filius. *TH* bonan'fide?
TR. Si quidem es argentum redditurus, tum bonâ:
Si redditurus non es, non emit bonâ.
TH. Non in loco emit perbono has. *TR.* imò optimo.
TH. Cupio hercle inſpicere has ædis. pulta dum fores,
Atque evoca aliquem intus ad te, Tranio.
TR. Ecce autem iterum nunc quid ego dicam neſcio,
Iterum jam ad unum ſaxum me fluctûs ferunt.
Quid nunc? non hercle, quid nunc faciam, reperio:
Manifeſtò teneor. *TH.* evoca dum aliquem foras:
Roga circumducat. *TR.* heus tu. at hîc ſunt mulieres:
Videndum eſt primum, utrùm eæ velintne, an non velint.
TH. Bonum æquómque oras. percontare & roga.
Ego hîc tantiſper, dum exis, te opperiar foris.
TR. Dii te deæque omnis funditùs perdant, ſenex:
Ita mea conſilia undique oppugnas mala.
Euge optimè: eccum dominus ædium foràs
Simo progreditur ipſus. huc conceſſero,
Dum mihi Senatum conſilii in cor convoco.
Igitur dum accedam hunc, quando quid agam invenero.

INTERPRETATIO.

TH. *Quid ergo? Recordatúſne jam es?* TR. *Dii perdant Daniſtam: imò Theuropidem potius. Tuus filius mercatus eſt domum de hoc vicino proximo.* TH. *Mercatúſne domum filius, bonâ fide?* TR. *Profectò mercatus eſt bonâ fide, ſi numeraveris pecuniam; non mercatus eſt bonâ fide, ſi non numeraveris.* TH. *Non emit hanc domum in loco laudatiſſimo?* TR. *Imò laudatiſſimo.* TH. *Per Herculem volo inſpectare hanc domum. Impelle oſtium, & jube exire quempiam ab ædibus, Tranio.* TR. *En verò jam ignoro quid ego eloquar. Nunc undæ me impellunt rurſus in eumdem ſcopulum. Quid* ago *nunc? Per Herculem non invenio quid ego moliar: deprehenſus ſum palam.* TH. *Jube quempiam prodire foras: ora ut circumducat.* TR. *Sed heus tu. Sunt hîc mulieres: primùm rogandum eſt, utrùm hæ velint, an nolint.* TH. *Rogas rem bonam juſtámque, interroga & precare. Ego te expecto foris hîc paulum uſque eò dum egrediaris.* TR. *Omnes Dii Deæque obruant te penitus, ſenex: adeò evertis mea mala machinamenta undique. Euge commodè; en Simo ipſe Dominus ædium prodit foras. Huc me conferam, intereà dum voco in animum Senatum conſiliorum meorum. Itaque conveniam Simonem, quando excogitavero quid faciã.*

ANNOTATIONES.

140. *Bonáne fide.*] Loquerisne bonâ fide? Verúmne eſt meum filium eſſe mercatum ædes? Sed Tranio conſultò trahit in alium ſenſum duo hæc verba, quaſi ſenex hoc ſibi velit: emítne bonâ fide ædes, & bonáne fide ita venditæ ſunt illi, ut ejus ſint? Itaque actiones bonæ fidei appellantur, quibus poſtulatur, ut fides data, uti par eſt, ſervetur.

158. *Senatum conſilii in cor convoco.*] Id eſt, omnes artes & dolos, quaſi tot Senatores in animum voco, ut deliberem de decipiendo ſene. Ut difficilibus reipublicæ temporibus vocari Senatus ſolet, Conſúlque crebrò: ſic ſcurra hic ad architectandum aliquod mendacium fallacias omnes, quaſi ad conſilium vocat.

ACTUS TERTIUS. SCENA SECUNDA.

ARGUMENTUM.

OSTENDIT ædes ſuas Simo Theuropidi rogatu Tranionis, qui hinc, ut fraudem tegeret, ſuaſerat Simoni, eo conſilio videndarum ædium copiam rogare Theuropidem, ut ſimiles ædificet: illinc, ne & Theuropides mentionem faciat emptarum à Philolachete ædium, innuit Theuropidi ægerrimè ferre Simonem, quòd illas mercatus ſit juvenis.

SIMO, THEUROPIDES, TRANIO.

SIMO.

MELIUS anno hoc mihi non fuit domi,
Nec quando eſca una meruerit magis.
Prandium uxor mihi perbonum dedit.
Nunc dormitum jubet me ire, minimè.
Non mihi forte viſum illico fuit,
Melius quom prandium, quàm ſolitum, dedit.
Voluit in cubiculum abducere me anus.
,,NON BONUS SOMNUS eſt de prandio: apage:
Clanculum ex ædibus me edidi foras.
Tota turget mihi uxor, ſcio, nunc, domi.

INTERPRETATIO.

SIMO. *Non ſum invitatus lautiùs apud me. hoc anno*, quàm fui hodie, *neque unquam eſca ulla mihi fuit jucundior. Conjux mihi præbuit cœnam perſuavem, jam mandat me ire diſcubitum. Non ibo. quando dedit melius prandium ſolito, ſtatim ego animadverti id non factum caſu: anus veluti me allicere in cubiculum. Apage, inquam: ſomnus haud eſt ſanus poſt prandium. Me domo proripui furtim. Non ignoro conjugem diſrumpi nunc iracundiâ in ædibus.*

ANNOTATIONES.

1. *Melius non fuit.*] Bene eſſe, quod tam crebro recurrit in Plauto, nihil aliud ſignificat, quàm vitam ducere jucundam & voluptariam. Petronius arbiter item: *Sic erimus cuncti poſtquam nos auferet orcus: Ergo vivamus, dum licet eſſe bene.* In Paulò, impii: *Edamus, bibamus; cras enim moriemur.* Horatius idem vocat: *Pulchrè eſſe.* Catullus: *Benè ac beatè.*

2. *Eſca una meruerit.*] Id eſt, nec fuit ulla eſca, quæ me meruerit magis, *qui m'ais plus gagné.* Aut quæ potuerit me demereri magis. Animadvertebat enim Simo eam eſcam ſibi eſſe appoſitam ab uxore, ut ejus iniret eâdem gratiam.

8. *Non bonus ſomnus eſt de prandio.*] Varro: *Æſtivo die, ſi non diffinderem meo inſititio ſomno meridiem, vivere non poſſem. Inſititius ſomnus* igitur eſt, qui extra noctem capitur & luce hinc inde obſidetur, quaſi *inſitus* in die.

9. *Me edidi foras.*] Se dare foras: *Se jetter dehors.*

TR. Res parata eſt mala in veſperum huic ſeni.
Nam & cænandum & cubàndum eſt intus malè.
SI. Quò magis cogito cum meo animo;
„Si quis dotatam uxorem habet,
„Neminem ſollicitat ſopor:
„Ire dormitum odio eſt. *nunc* verò *mihi*
Exſequi certa res eſt, ut abeam
Potiùs hinc ad forum, quàm domi cubem.
Atque pol neſcio, ut moribus ſient
Voſtræ: hæc ſat ſcio quàm me habeat malè:
Pejúsque poſthac fore, quàm fuit mihi.
TR. Si abitus tuus tibi, ſenex, fecerit malè,
Nihil erit quod deorum ullum accuſites:
Te ipſe jure optimo meritò incuſes licet.
Tempus nunc eſt ſenem hunc alloqui mihi.
Hoc habet: reperi, quî ſenem ducerem:
Quo dolo à me dolorem procul pellerem.
Accedam. dii te ament plurimum, Simo.
SI. Salvos ſis, Tranio. *TR.* ut vales? *SI.* non malè.
Quid agis? *TR.* hominem optimum teneo. *SI.* amicè facis,
Cùm me laudas. *TR.* decet certè. *SI.* hercle at te ego
Haud bonum teneo ſervum. *TR.* quid ita verò, Simo?
SI. Quid nunc, quàm mox? *TR.* quid eſt? *SI.* quod ſolet fieri.
TR. Dic *igitur, quod ſolet fieri*, quid id eſt?

INTERPRETATIO.

TR. *Peſtis eſt certa huic ſeni in veſperum. Etenim malè comedendum & dormiendum eſt domi.* SI. *Quo fit ut ego ſtatuam ſepiùs id in mente*; quod *ſi quis habet conjugem bene dotatam, ſomnus titillat neminem in ædibus, moleſtum eſt ire diſcubitum. Nunc verò ſtatui ut proficiſcar potiùs ad forum, quàm decumbam in ædibus. Equidem ignoro, qui ſint mores veſtrarum* uxorum. *Sentio ſatis quantùm hæc mihi moleſta ſit, & mihi moleſtiorem futuram in poſterum, quàm fuit.* TR. *Si tua fuga tibi accerſit moleſtiam, ó Senex, non debebis accuſare ullum Deorum: oportet te reprehendas ipſe optimo jure. Nunc eſt tempus mihi compellandi hujus ſenis; eſt captus. Inveni quomodo decipiam ſenem, quâ technâ avertam à me longè moleſtiam; appropinquabo. Dii te ament valde, Simo.* SI. *Salve Tranio.* TR. *Quomodo vales?* SI. *Non malè. Quid facis?* TR. *Teneo optimum hominem.* SI. *Perhumanè facis, quando me laude afficis.* TR. *Eſt æquum profectò.* SI. *Sed age, per Herculem, ego te teneo ſervum minimè bonum.* TR. *Quare, Simo?* SI. *Quid* agitis *nunc? Quàm* mulierem *mox* ducebatis? TR. *Quorſum, hæc?* SI. *Quod ſolet fieri.* TR. *Loquere, ergo quæ ſolent fieri; quid id eſt?*

ANNOTATIONES.

16. *Ire dormitum.*] Nolunt ire dormitum, quia mulieres quarum eſt dos amplior, ut plurimùm ſunt impotentes, clamoſæ, nec dormire ſinunt, aut maritos ſuos, aut domeſticos.

25. *Habet.*] *Il en tient.* Vox eſt in gladiatores, aut vulneratos, aut irretitos ab adverſario inſultante, vel a cclamante vulgò ſolita dici. Seneca: *Agam. habet peractum eſt, quas petis pœnas dedit.*

27. *Quo dolo dolorem.*] Ludus in verbo *dolo.*

SI. *Quod facitis vos. ſed, ut verum Tranio*, loquar:
„Sic decet. Ut homines sunt, itá morem geras.
„Vita quam ſit brevis, ſimul cogita.
TR. Quid? ehem, vix tandem
Percepi, ſuper his rebus noſtris te loqui.
SI. Muſicè, hercle, agitis ætatem, ita ut vos decet:
Vino & victu, piſcatu probo, electili
Vitam colitis. *TR.* imò vita antehac erat:
Nunc nobis omnia hæc exciderunt.
SI. Quîdum? *TR.* ita oppidò occidimus omnes, Simo.
SI. Non taces? proſperè vobis cuncta uſque adhuc
Proceſſerunt. *TR.* ita, ut dicis, facta haud nego.
Nos profectò probè, ut voluimus, viximus.
Sed, Simo, ita nunc ventus navem
Deſeruit. *SI.* quid eſt? quomodo peſſime?
Quæne ſubducta erat tutò in terra?
TH. Hei! *SI.* quid eſt? *TR.* me miſerum, óccidi, *SI.* quî? *TR.* quia
Venit navis, noſtræ navi quæ frangat ratem.
SI. Velim ut velles, Tranio. *ſed* quid eſt negotii?
Eloquere. *TR.* herus peregrè venit. *SI.* tunc tibi
Chor*da* tenditur: inde *in* ferriterium,

Interpretatio.

SI. *Quid facitis vos? Sed ut dicam verè Tranio, ſic oportet ſeſe accommodare hominibus, ut ut ſunt. Memento uno tempore, quantum vita ſit contracta.* TR. *Quid? Ehem, vix denique animadverti te verba facere de his rebus noſtris.* SI. *Per Herculem ducitis vitam ſimilem muſicis, ut oportet. Colitis vitam vino & victu bono, piſcatu electo.* TR. Jucundam; *imò vita erat hujuſmodi antea, nunc cuncta hæc nobis erepta ſunt.* SI. *Quomodo?* TR. *Adeò omnes planè interimus, Simo.* SI. *Non ſiles? Omnia hactenus vobis ceſſerunt fœliciter.* TR. *Non nego fuiſſe ſicut dicis. Nos ſanè viximus rectè, ut voluimus; ſed ventus reliquit jam ratem, ò Simo.* SI. *Quod eſt? quomodo peſſimè? Eáne quæ erat ſubducta tuto in portu?* TR. *Hei!* SI. *Quid eſt?* TR. *Me miſerum, perii.* SI. *Quomodo?* TR. *Quia venit navis, quæ franget ratem noſtra navis.* SI. *Optarem ut res ſuccederet ex voto, Tranio. Sed quid eſt rei? aperi.* TR. *Herus peregrè venit.* SI. *Tum tibi porrigitur funis; inde in compedes.*

Annotationes.

37. *Vita quam ſit brevis.*] Horatius: *Dum licet in rebus jucundis vive beatus; Vive memor, quàm ſis ævi brevis.* Lucretius: *Brevis eſt hic fructus homillis.* Hæc oratio eſt Doctorum de harâ Epicureâ; Chriſtiana doctrina deterret à voluptatibus hujus vitæ, oſtendítque futuras delicias, ad quas via nulla eſt, niſi ſtrata ſpinis & vepribus.

40. *Muſicè agitis vitam.*] Muſicè vivere, Tibicinis vitam vivere: id eſt, lautè vivere alieno ſumptu.

48. *Ventus deſeruit navem.*] Allegoria, id eſt, *jam deſtituti ſumus pecuniâ, quâ pergamus tenere eundem vitæ curſum.*

53. *Velim ut velles.*] Id eſt, velim ut eveniant res tibi, ut tu ipſe velles. Dictum iis quibus non ex animi ſententiâ res ſuccedebat fœliciter. Fœliciter quod agis, gratulationis erat formula, quando res ex voto fluebant.

55. *Chorda tenditur.*] Id eſt, *vincula parantur.*

Poſtea

Poſtea *in crucem rectà*. *TR*. *nunc te ego per* genua,
Obſecro, ne indicium hero facias meo. *SI*. è me,
Ne quid metuas, nihil ſciet. *TR*. patrone ſalve.
SI. Nihil moror mihi iſtiuſmodi clientes.
TR. Nunc hoc quod ad te noſter me miſit ſenex.
SI. Hoc mihi reſponde primùm, quod ego te rogo:
Jam de iſtis rebus veſter quid ſenſit ſenex?
TR. Nihil quicquam. *SI*. nunquid increpavit filium?
TR. Tam liquidus eſt, quàm liquida eſſe tempeſtas ſolet.
Nunc te hoc orare juſſit opere maximo,
Ut ſibi liceret inſpicere has ædis tuas.
SI. Non ſunt venales. *TR*. ſcio equidem iſtuc. ſed ſenex
Gynæceum ædificare volt hic in ſuis,
Et balineas & ambulacrum & porticum.
SI. Quid conſomniavit? *TR*. ego dicam tibi:
Dare volt uxorem filio quantùm poteſt:
Ad eam rem facere volt novum gynæceum.
Nam ſibi laudaſſe haſce air architectonem
Neſcio quem, eſſe ædificatas has ſanè bene.
Nunc hinc exemplum capere vult, niſi tu nevis.
SI. Næ ille malo quidem ab opere exemplum petit,
TR. Quia hîc *audivit* eſſe æſtatem perbonam:
Subdiu coli *abſque Sole* perpetuum diem.

INTERPRETATIO.

deinde in crucem rectà. TR. *Ego te obteſtor jam per genua, ne detegas meo hero*. SI. *Ne metuas quidquam, ſciet nihil à me*. TR. *Salve patrone*. SI. *Non curo ejuſmodi clientes*. TR. *Nunc hoc eſt cur noſter ſenex me miſit ad te*. SI. *Aperi mihi hoc antea, quod ego à te peto. Quid veſter ſenex animadvertit de iſtis rebus?* TR. *Nihil omnino*. SI. *Nonne reprehendit filium?* TR. *Eſt ſic quietus, ut aſſolet eſſe quieta æſtas; nunc mandavit me à te petere hoc maximopere, ut ſibi liceat reinſpicere has tuas ædes*. SI. *Non ſunt venales*. TR. *Scio profectò iſtud, ſed ſenex optat extruere mulierum contubernium hic in ſuis ædibus, & balneum, & ambulationem, & porticum*. SI. *Quid conſomniavit?* TR. *Ego tibi aperiam. Optat dare uxorem filio, quantum in ſe eſt: idcircò optat ſtruere novum mulierum contubernium: nam dicit neſcio quem Architectum ſibi prædicaſſe haſce ædes eſſe extructas optimè: nunc cupit ex iis ſumere exemplum, ſi per te licet*. SI. *Sanè ille ſumit exemplum à pravo opere*. TR. *Quia accepit æſtatem eſſe hic per-amœnam: in aperto habitari; ſine ſole totis diebus*.

ANNOTATIONES.

64. *Liquida tempeſtas.*] Liquidum, id eſt planum, quia quæ liquida ſunt, ultro plana fiunt, ſi ſuæ naturæ reddantur, ut amoto vento plana eſſe facies Oceani ſolet: *Liquida æthra, liquidus ignis, liquidum auſpicium*.

68. *Gynæceum.*] Græca vox. Locus in quem concedebant fœminæ apud Græcos, ſeorſim à virorum conſortio, & conſpectu.

78. *Subdiu.*] *Interdiu* eſt in uſu.

SI. Imò edepol verò, cum uſquequaque umbra eſt, tamen
Sol ſemper hîc eſt uſque à mani ad veſperam.
Quaſi flagitator aſtat uſque ad oſtium,
Nec mihi umbra uſquam eſt, niſi ſi in puteo quæpiam eſt.
TR. Quid, Sarſinatis ecqua eſt! ſi Umbram non habes.
SI. Moleſtus 'ne ſis: hæc ſunt ſicut prædico.
TR. Attamen inſpicere volt. *SI.* inſpiciat, ſi lubet.
Si quid erit quod illi placeat, de exemplo meo
Ipſe ædificato. *TR.* eon'? voco huc hominem? *SI.* i, voca.
TR. Alexandrum magnum, atque Agathoclem aiunt maximas
Duo res geſſiſſe. quid mihi fiet tertio,
Qui ſolus facio facinora immortalia?
Vehit hic clitellas, vehit hic autem alter ſenex.
Novitium mihi quæſtum inſtitui non malum!
Nam muliones mulos clitellarios
Habent: ego habeo homines clitellarios.
Magni ſunt oneris: quicquid imponas, vehunt.
Nunc hunc haud ſcio an colloquar. congrediar.
Heus Theuropides. *TH.* quis nominat me?

INTERPRETATIO.

SI. *Imo verò, per ædem Pollucis, quando umbra eſt undequaque; tunc Sol eſt hic ſemper à mane ad veſperam, ſemper ſtat ad januam, quaſi creditor: neque habeo umbram ullo in loco, niſi quampiam in puteo.* TR. *Quid, quæ eſt Sarcinas; ſi non habes Umbram?* SI. *Ne ſis gravis, hæc ſunt ſicut dico.* TR. *Attamen optat videre.* SI. *Videat. ſi lubet: ſi erit quid quod illi placeat, ipſe ædificato ad meum exemplum.* TR. *Ibóne? accerſam huc hominem?* SI. *Vade, accerſe.* TR. *Dicunt duos* duces *Alexandrum magnum, & Agathoclem perpetraſſe maxima facinora. Sed qui honores exhibebuntur mihi, qui ſum tertius, qui gero ſolus facta immortalia? Hic portat clitellas, ille alter ſenex portat etiam, mihi viam feci ad quæſtum non contemnendum: nam muliones habent mulos clitellarios: ego habeo homines clitellarios. Sunt magni oneris; portant quidquid imponas; neſcio nunc an hunc alloquar. Congrediar, Heus Theuropides.* T H. *Quis me compellat?*

ANNOTATIONES.

80. *A mani.*] *Mani* eſt velut ablativus nominis *mane.* Sic *veſperi.*

83. *Sarcinatis.*] Pro. *ſarcinas. Summatis, infimatis. Cujatis, ſummas, infimas, Cujas.* Civitas umbriæ Sarcina, patria Plauti; quia fortè eſt, aut eſſe fingitur Sarcinas ancilla, atque adeò Umbra, Tranio neganti eſſe umbram apud ſe, fingit ſe accipere dictum, non de umbrâ, quæ abſente Sole adeſt, ſed de Umbrâ ancillâ, aut quavis muliere ex Umbriâ natâ.

88. *Alexandrum. Agathoclem.*] Hîc Siciliæ, ille Græciæ Imperator, uterque factis clarus; quibus ſeſe connumerare non dubitat Tranio ſervus, fraudum ſuarum titulo.

91. *Clitellas.*] Clitellæ, eſt ſella dorſuaria jumenti, vulgò *un baſt*, hoc loco ſervus gloriatur, quòd imponat ad libidinem domino ſuo, & Simoni.

95. *Magni ſunt oneris.*] Id eſt, magno oneri ferendo pares ſunt.

96. *Haud ſcio.*] *Neſcio. Haud ſcio an, pro fortaſſe*, uſurpat Cicero: *Quod neſcio an ulli unquam noſtro acciderit Imperatori*, Idem: *Eſt id quidem magnum, atque haud ſcio an maximum.*

TR. Hero ſervus multum ſuo fidelis.
Quò me miſeras, affero omne impetratum.
TH. Quid illic obſecro tam diu reſtitiſti?
TR. Seni non otium erat, id ſum opperitus.
TH. Antiquum hoc obtines tuum, tardus ut ſis.
TR. Heus tu, ſi voles verbum hoc cogitare,
„SIMUL FLARE ſorberéque haud facile
Eſt: ego hîc eſſe & illîc ſimul haud potui.
TH. Quid nunc? *TR*. viſe: ſpecta tuo arbitratu.
TH. Age, duc me. *TR*. num moror? *TH*. ſubſequor te.
TR. Senex ipſe te ante oſtium eccum opperitur.
Sed mœſtus eſt ſe haſce vendidiſſe.
TH. Quid tandem? *TR*. orat ut ſuadeam Philolacheti,
Ut iſtas remittat ſibi. *TH*. haut opinor.
„SIBI QUISQUE ruri metit. ſi malè emptæ
Forent, nobis iſtas redhibere haud liceret.
„LUCRI quicquid eſt, id domum trahere oportet.
„Miſericordias *jam habere haud* hominem oportet;
TR. Morare hercle, *cùm verba* facis. ſubſequere. *TH*. fiat.
Do tibi ego operam. *TR*. ſenex illic eſt. hem! adduxi tibi hominem.
SI. Salvum te adveniſſe peregrè gaudeo, Theuropides.
TH. Dii te ament. *SI*. inſpicere te ædis has velle aiebat mihi.

INTERPRETATIO.

TR. *Servus fideliſſimus ſuo Domino: apporto quidquid imperaſti, inde quò me miſeras.* TH. *Quare quaſo tardaſti tamdiu ibi?* TR. *Senex non habebat otium; expectavi id.* TH. *Retines hunc tuum antiquum morem, ut ſis ſegnis.* TR. *Heus tu, ſi voles recordari, hoc dictum eſt difficile, & flare & ſorbere uno tempore. Ego minimè potui eſſe ſimul, hìc & illìc.* TH. *Quid nunc?* TR. *Vide, aſpice tuo arbitrio.* TH. *Age, duc me.* TR. *Non moror.* TH. *Te ſequor.* TR. *Ecce ſenex ipſe te expectat ante januam: ſed eſt ſubtriſtis quod vendiderit haſce ades.* TH. *Quid tandem?* TRA. *Rogat ut ſuadeam Philolacheti, ut ſibi iſtas reddat.* TH. *Haud opinor faciendum: ſibi quiſque metit ruri. Si forent plus aquo pretio empta, nobis minimè liceret iſtas reddere. Quidquid eſt lucri, oportet id ferre domum, non oportet jam tangi miſericordiá.* TR. *Retardas per Herculem, quando fabularis; ſubſequere.* TH. *Sequor, ego te audio.* TR. *Adeſt ſenex, ecce tibi adduxi hominem.* SI. *Lator te eſſe reverſum peregrè ſanum, Theuropides.* TH. *Dii te ament.* SI. *Mibi dixit te velle reſpicere has ades.*

ANNOTATIONES.

104. *Simul flare ſorberéque.*] Adagialis formula de rebus duabus, quæ uno tempore fieri non poſſunt. Cicero: *Duas res, magnas prætertim, non modò agere uno tempore; ſed ne cogitando quidem explicare quiſquam poteſt.* Miraculo proximum, quòd de Julio Cæſare narrat Plinius lib. 7. c. 25. *Scribere, & legere, ſimul dictare, & audire ſolitum accepimus. Epiſtolas verò tantarum rerum quaternas pariter librariis dictare, aut ſi nihil aliud ageret ſeptenas.* Spartianus de Hadriano: *Uno tempore ſcribebat, dictabat, audiebat, & cum amicis fabulabatur.*

112. *Sibi quiſquis ruri metit.*] *Chacun pour ſoy.*

TH. Niſi tibi incommodum eſt. *SI.* imò commodum. i intrò; atque inſpice.
TR. At enim mulieres. *SI.* cave tu ullam floccifaxis mulierem.
Quàlibet perambula ædis oppidò tanquam tuas.
TH. Tanquam? *TR.* ah! cave tu illi objectes nunc in ægritudine,
Te has emiſſe: non tu vides hunc, vultu ut triſti eſt ſenex?
TH. Video. *TR.* ergo irridere ne videare, & geſtire admodùm,
Noli facere mentionem te emiſſe. *TH.* intellego.
Et bene monitum duco, atque te exiſtimo humano ingenio.
Quid nunc? *SI.* quin tu is intrò, atque ocioſè perſpectas, ut lubet?
TH. Bene benignéque arbitror te facere. *SI.* factum edepol volo.
TR. Viden' veſtibulum ante ædis hoc? & ambulacrum quojuſmodi?
TH. Luculentum edepol profectò. *TR.* age ſpecta, poſtes cujuſmodi!
Quantâ firmitate facti, & quantâ craſſitudine.
TH. Non videor vidiſſe poſteis pulcriores. *SI.* pol mihi
Eo pretio empti fuerant olim. *TR.* audin', Fuerant, dicere?
Vix videtur continere lacrimas. *TH.* quanti hoſce emeras?
SI. Treis minas pro iſtis duobus, præter vecturam, dedi.
TH. Hercle quin multum improbiores ſunt quàm à primo credidi.
TR. Quapropter. *TH.* quia edepol ambo ab infimo tarmes ſecat.

INTERPRETATIO.

TH. *Niſi tibi eſt importunum.* SI. *Imò commodum. I intrò, atque intuere.* TRA. *At enim mulier eſt.* SI. *Cave tu flocci facias ullam mulierem; perambula quaquaverſum ædes, ut par eſt, tanquam tuas.* TH. *Tanquam.* TR. *Ah! tu vide ne illi edicas jam in mœrore, te has mercatum eſſe. Non vides tu, ut hic ſenex eſt vultu mœſto.* TH. *Video.* TR. *Igitur ne videaris irridere & nimis lætari. Noli dicere te mercatum eſſe.* TH. *Intelligo. & exiſtimo bene monitum, & te puto animo eſſe urbano: quid nunc?* SI. *Quin tu introïs, atque inſpicis otioſè tuo arbitratu?* TH. *Exiſtimo te facere rectè commodéque.* SI. *Per ædē Pollucis ſic fiat.* TR. *Vidéſne ante ædes hoc veſtibulum, & cujuſmodi ambulacrum.* TH. *Profectò eſt egregium per ædem Pollucis.* TR. *Age, vide cujuſmodi poſtes, quàm ſolidi ſunt, quàm craſſi.* TH. *Non reor me vidiſſe poſtes elegantiores.* SI. *Sanè eos olim mercatus fueram eo pretio, ut* debeant eſſe pulcri. TR. *Audiſne dicere,* fueram: *vix videtur temperare à lachrymis.* TH. *Quanti eos mercatus fueras.* SI. *Dedi tres minas pro iſtis duobus, præter vecturam.* TH. *Per Herculem ſunt multò deteriores quàm arbitratus ſum initio.* TR. *Quare?* TH. *Quia vermis ferat ambos ab imò.*

ANNOTATIO.

* 138. *Tarmes ſecat,*] Vermis genus Tarmes. Græcè θρίψ, terebrat ligna molitque, & lignum tarmite appetitum nos appellamus uno verbo, *vermoulu*,

TR. Intempeſtivos exciſos credo, id eis vitium nocet.
Atque etiam nunc ſatis boni ſunt, ſi ſint inducti pice.
Non enim hæc pultifagus opifex opera fecit barbarus.
Viden' coagmenta in foribus? *TH.* video. *TR.* ſpecta, quàm arctè dormiunt.
TH. Dormiunt? *TR.* illud quidem, ut connivent, volui dicere.
Satin' habes? *TH.* ut quidque magis contemplor, tantò magis placet.
TR. Viden' pictum, ubi ludificatur cornix una volturios duo?
Cornix aſtat, ea volturios duo viciſſim vellicat.
Quæſo huc ad me ſpecta, cornicem ut conſpicere poſſies.
Jam vides? *TH.* profectò nullam equidem illìc cornicem intuor.
TR. At tu iſtò ad vos obtuere, quoniam cornicem nequis
Conſpicari, ſi vulturios fortè poſſis contui.
TH. Omnino, ut te abſolvam, nullam pictam conſpicio hîc avem.
TR. Age jam mitto, ignoſco: ætate non quis obtuerier.
TH. Hæc, quæ poſſum, ea mihi profectò cuncta vehementer placent.
SI. Latius demum eſt operæ pretium iviſſe. *TH.* rectè edepol mones.
SI. Ehò iſtum, puer, circumduce haſce ædis, & conclavia.
Nam egomet ductarem, niſi mihi eſſet ad forum negocium.

INTERPRETATIO.

TR. *Exiſtimo exciſos intempeſtivè: id vitium eis nocet. atque ſunt etiamnum ſatis boni, ſi ſint obliti pice: nam non opifex barbarus pultifagus concinnavit hac operas videſne coagmenta in foribus?* TH. *Video.* TR. *Cerne quàm arctè dormiunt.* TH. *Dormiunt?* TR. *Volui quidem illud dicere, ut connivent: ſatiſne eſt.* TH. *Quo propius conſpicor ſingula, eo magis placent.* TR. *Videſne picturam in qua una cornix ludificatur duos vultures; cornix aſtat. Illa viciſſim mordicat duos vultures, quæſo intuere huc ad me, ut poſſis videre cornicem. Vides jam?* TH. *Sanè nullam video illic cornicem.* TR. *At tu inſpice iſtâ parte ad vos, quia non potes conſpicari cornicem utrùm poſſis contemplari forſitan vultures.* TH. *Nullam video hic avem pictam, ut tibi dicam ingenuè.* TR. *Age, jam omitto, parce; non potes videre ob ætatem* provectam. TH. *Cuncta hæc quæ poſſum videre, mihi placent admodũ.* SI. *Denique eundum eſt latiùs.* TH. *Per ædem Pollucis bene admones.* SI. *Heus puer circumduce iſtum per has ædes, & conclavia; nam egomet deducerem, niſi mihi eſſet negotium in foro.*

ANNOTATIONES.

139. *Intempeſtivos exciſos credo.*] Id eſt, *intempeſtivè*. Plinius lib. 18. 32. *Omnia quæ caduntur, carpuntur, tonduntur, innocentiùs decreſcente Lunà quàm creſcente fiunt.*

142. *Coagmenta.*] Nonius: *Coagmenta dicta ſunt conjunctiones arcta & compares: A cogendo*. id eſt, *ſtringendo*: unde *coagulum*, *hinc coagmentare.*

Dormiunt.] Durior metaphora, ſed in operibus lignariis apud nos uſitata. Hinc cancelli dormientes, id eſt fixi, immoti, *Chaſſis dormans.*

143. *Pultifagus opifex.*] Id eſt Pœnus; Pœni enim lignariis operibus claruerunt arctè commiſſis, & ad unguem expolitis. Laudat Plinius *lectos punicos*, *feneſtras punicas*, *torqulare punicum*, *coagmenta punica.*

145. *Viden pictum.*] Id eſt, *picturam.*

PVER. Vin' qui perductet? *TH.* apage iſtum perductorem! non placet.
Apage iſtum à me perductorem! nihil moror ductarier.
Quidquid eſt, errabo potiùs, quàm perductet quiſpiam.
PV. Ædes dico. *TH.* ergo intrò eo ſine perductore. *PV.* i, licet.
TH. Ibo intrò igitur. *TR.* mane ſis: videam ne canis. *TH.* agedum vide.
TR. Eſt. *TH.* ubi canis eſt? *TR.* abi dierecta. ſt! abin' hinc in malam crucem?
At etiam reſtas? ſt! abi iſtinc. *SI.* nihil pericli eſt, age.
Tam placida eſt, quàm eſt aqua: viſe. ire intrò audacter licet.
Eo ego hinc ad forum. *TH.* feciſti commodè, bene ambula.
Tranio age, canem iſtam à foribus abducas face.
Etſi non metuenda eſt. *TR.* quin tu illam aſpice, ut placidè accubat!
Niſi moleſtum vis videri te, atque ignavum. *TH.* jam ut lubet,
Sequere hàc igitur! *TR.* equidem haud uſquam à pedibus abſcedam tuis.

INTERPRETATIO.

PUER. *Viſne* adjungam *qui circumducat?* TH. *Apage* à me *iſtum circumductorem; non placet. Apage à me iſtum circumductorem; non curo circumductores. Quidquid eſt, errabo potiùs, quàm quivis perductet.* PU. *Dico de adibus.* TH. *Introeo ego, ſine perductore.* PU. *I, licet.* TH. *Ingrediar ergo.* TR. *Mane, ſi vis, videam ne ſit canis.* TH. *Agedum vide.* TR. *Eſt.* TH. *Ubi eſt canis.* TR. *Abi nequam! ſt. Abiſne hinc in malam crucem; at etiamnum reſtas. ſt: abi iſtinc.* S I. *Nihil eſt periculi, age, eſt tam placida, quàm aqua. Viſe: licet introire audacter. Ego eo hinc ad forum.* TH. *Feciſti commodè, perge modò. Age, Tranio, fac ut abducas à foribus iſtam canem, tametſi non eſt tremenda.* TR. *Quin tu illam conſpicare, ut decumbit leniter; niſi vis videri moleſtus & timidus.* TH. *Sequere igitur jam hàc ut lubet.* TR. *Equidem non abſcedam ullam in partem à pedibus.*

ANNOTATIONES.

160. *Sine perductore.*] *Perductor* parùm aberat à lenonis infamiâ.

161. *Videam ne canis.*] Canis interdiu catenâ vinctus non longè à januâ erat, noctu ad præſidium domûs ſolvendus. A catenâ *catenarius*, à Senecâ vocatur. Porrò cautum eſt, ut in foribus tectorum, in quibus erat ejuſmodi canis, longis litteris, vel, ut Petronius appellat, quadratis, inſcriberentur hæc duo verba, *cave canem*, ne imprudens aliquis in eum curreret.

ACTUS TERTIUS. SCENA TERTIA.

ARGUMENTUM.

LUDIFICATUR Tranio Theuropidem viſis Simonis ædibus, & irridet hominem ſibi ſtultè gratulantem, quòd diligens ſit & attentus in augendâ re familiari filius.

TRANIO, THEVROPIDES.

TRANIO.

QUID tibi viſum eſt mercimonii? *TH.* totus gaudeo.
TR. Num nimio emptæ tibi videntur? *TH.* nunquam edepol ego me ſcio
Vidiſſe uſquam ablectas ædes, niſi modò haſce. *TR.* ecquid placent?
TH. Ecquid placeant, me rogas? imò hercle verò perplacent.
TH. Cujuſmodi gynæceum? quid porticum? *TH.* inſanùm bonam.
Non equidem ullam in publico eſſe majorem hâc exiſtimo.
TR. Quin ego ipſe & Philolaches in publico omnes porticûs
Sumus commenſi. *TH.* quid igitur? *TR.* longè omnium longiſſima eſt.
TH. Dii immortales mercimonii lepidi! ſi hercle, nunc ferat
Sex talenta magna argenti pro iſtis præſentaria,
Nunquam accipiam. *TR.* ſi, here, te accipere cupies, ego nunquam ſinam.
TH. Bene res noſtra collocata eſt iſtoc mercimonio.
TR. Me ſuaſore atque impulſore id factum audacter dicito:
Qui ſubegi, fœnore argentum ab Daniſtâ ut ſumeret,
Quod iſti dedimus arraboni. *TH.* ſervaviſti omnem ratem.
Nempe octoginta debentur huic minæ. *TR.* haud nummo amplius.
TH. Hodie accipiat. *TR.* ita enim verò: ne qua cauſſa ſubſiet,

INTERPRETATIO.

TR. *QVid tibi videtur de hac mercatura?* TH. *Totus lætor.* TRA. *Ædes hæ an tibi videntur pluris comparatæ?* TH. *Per ædem Pollucis credo me non vidiſſe uſquam ædes tam vilis pretii, quàm ſunt hæ.* TR. *Numqnid placent?* TH. *A me petis utrùm placeant. Imò per Herculem perplacent.* TR. *Quale Gynecæum eſſe? qualis porticus?* TH. *Magnopere bona. Profectò non puto eſſe ullam ampliorem illâ in publico.* TR. *Quin ego ipſe & Philolaches ſumus commenſi cunctas porticûs in publico.* TH. *Quid ergo?* TR. *Eſt longè longiſſima omnium.* TH. *Dii immortales! rem lepidæ emptionis per Herculem; ſi quis det jam ſex magna talenta argenti præſenti pecuniâ, pro iſtis, nullo modo accipiam.* TR. *Si velis accipere hæc, nunquam ego patiar.* TH. *Pecunia noſtra eſt probe collocata iſtâ emptione.* TR. *Dic audacter, id eſſe geſtum me hortatore, atque authore, & me coëgiſſe, ut ſumeret pecuniam fœnore ab fœneratore, quam tradidimus iſti in arrhabonem.* TH. *Servaſti omnem ratem, nimirum huic debentur octoginta minæ.* TR. *Ne nummus quidem ampliùs.* TH. *Accipiat hodie.* TR. *Ita enim verò* fiat; *ne ullæ*

ANNOTATIONES.

3. *Vidiſſe uſquam ablectas.*] Ablegmina ſunt partes quæ Diis porriciebantur, quæ propterea dicebantur proſiciæ & proſecta, tanquam ſeparata quædam à reliquâ viſceratione, id enim *ablegere*, imitatione Græcorum, qui dicunt ἀπολέγειν. Ergo ablegmina ἀπολεγμοὶ: *ablectæ* igitur *ædes* ſunt, quæ ſunt pro derelictis.

15. *Servaviſti omnem ratem.*] Rem familiarem, allegoricè.

Vel mihi denumerato : ego illi porrò denumeravero.
TH. At enim, ne quid captioni mihi ſit, ſi dederim tibi.
TR. Egóne te joculo modo auſim, dicto aut facto fallere ?
TH. Egon' abs te auſim non cavere, ne quid committam tibi ?
TR. Quia tibi unquam quicquam, poſtquam tuus ſum, verborum dedi ?
TH. Ego enim cavi rectè. eam mihi debeo gratiam atque animo meo.
Sat ſapio, ſi abs te modò uno caveo. *TR*. tecum ſentio.
TH. Nunc abi; i rus. dic me adveniſſe filio. *TR*. faciam ut voles.
TH: Curriculo abi, jube in urbem veniat jam ſimul tecum. *TR*. licet.
Nunc ego me illâ per poſticum ad congerrones conferam.
Dicam ut hîc res ſint quietæ, atque ut hunc hinc amoverim.

INTERPRETATIO.

ſuboriatur controverſia cum Daniſtâ, *dinumera has mihi, ego deinde dinumerabo* Daniſtæ. TH. *Sed* vide *ne ſubſit aliquid fraudis, ſi tibi numeraverim.* TR. *Egóne auſim te fraudare, aut joco, aut verbis, aut factis?* TH. *Egóne auſim non cavere abs te, ne tibi committam aliquid?* TR. *Quia nunquam tibi dedi quidquam verborum, ex quo ſum tuus,* TH. *Nam ego rectè cavi: mihi habeo eam gratiam, & meo animo. Sat ſapio modò ſi caveo abs te uno.* TR. *Tibi aſſentior.* TH. *Jam abi, i rus, nuncia filio me reverſum eſſe,* TR. *Faciam ſicut præcipis.* TH. *Proficiſcere velociter, manda venias jam in urbem unà tecum.* TR. *Licet. Jam ego me conferam illac ad ſodales per poſticum, nuntiabo quemadmodum cuncta ſunt quieta, atque ut hunc dimiſerim.*

ANNOTATIONES.

21. *Egóne abs te auſim non cavere.*] Suſpicioſos ſenes Plautus ſemper inducit & callidos, adeóque difficiles ad decipiendum; tamen deceptos tandem calliditate ſervorum ac juvenum.

27. *Per poſticum.*] *Pſeudo-thyrum* appellant Græci, Galli, *Fauſſe-porte*. Latini etiam, *oſtium poſterius: porte de derriere.*

28. *Congerrones.*] *Des jaſeurs*, à gerris ducta metaphora. Quemadmodum enim gerræ fiunt ex vimine, ita parum compacto, ut oculos facilè tranſmittant, atque adeò parum ſolidæ ſint, ſic futiles ſermones nihil habent ſolidi, & quod morari & occupare mentem debeat. Itaque gerris non eſt locus, niſi in iis quæ ſolutam mentem deſiderant, ut ſunt ludi, convivia, compotationes.

ACTUS QUARTUS.

ARGUMENTUM.

THEUROPIDES detegit fraudes Tranionis.

ACTUS

ACTUS QUARTUS. SCENA PRIMA.

ARGUMENTUM.

PHANISCUS ſervus Callidamatis ſtatuit ire obviam hero, & ſecum de diligentiâ ſervi boni diſſerit.

PHANISCUS.

SErvi, qui cum culpâ carint, tamen malum
Metuunt, hi ſolent eſſe heris utibiles.
Nam illi qui nihil metuunt, poſtquam ſunt malum
Meriti, ſtulta ſibi expetunt conſilia.
Exercent ſeſe ad curſuram, fugiunt. ſed
Hi, ſi reprehenſi ſunt, faciunt à malo
Peculium, quod nequeunt *facere de ſuo*:
Augent ex pauxillo, *theſaurum in ſe* parant.
Mihi, in pectore conſilii *quod eſt*,
Lubet cavere malam rem priùs,
Quàm ut meum *tergum exſinceratum fiat.*

INTERPRETATIO.

PH. *SErvi, qui, quamvis vacent culpâ, tamen verentur pœnam, ſolent eſſe utiles dominis. Nam illi qui nihil timent, poſtquam ſunt meriti pœnam, confugiunt ad conſilia ſtulta: ſeſe exercent ad curſum, fugiunt; ſed ſi retracti ſunt* à fugâ, *congerunt peculium pœnarum, quod non poſſunt facere de ſuâ re: faciunt magnum è parvo, ſtruunt ex iis theſaurum. Conſilium quod habeo in animo, eſt, ut me præſtem immunem à peccato, ne meum tergum fœdetur plagis.*

ANNOTATIONES.

1. *Servi.*] Phaniſcus loquitur Callidamatis *advorſitor*, id eſt, ſervus qui adverſum, ſeu obviam ire ſolet domino. Hic juſſus eſt initio Scenæ quartæ Actus primi, venire obviam domino. Hic philoſophatur de ſervo bono & malo.

Carint.] *Careant*; à *caro* antiquo. Alii ſcribunt, *carent*.

2. *Utibiles.*] Vetus, *utiles.*

5. *Exercent ſeſe ad curſuram.*] Jocus eſt in quo illudit ad morem illorum temporum, in quibus juventus ſeſe exercebat ad curſum privatim, ut poſtea in ludis publicis curſu de præmio proponi ſolito decertaret.

6. *Faciunt à malo peculium.*] Hic Plautus notat ſervos, qui quaſi quoddam ſibi peculium & theſaurum quærunt plagarum & moleſtiarum; quod non poſſunt facere ex divitiis ſuis. Id vocat *de ſuo* Plautus, ſeu de ſuâ re. B. Paulus ad Romanos, *Theſaurizas tibi iram in die iræ.* Id eſt ſuppliciis obnoxium te reddis æternis.

8. *Augent ex pauxillo.*] In parandis divitiis diligentia in primis deſideratur, ut ne quid ſit tam exigui lucelli quod non adjicias. Sugillat & hoc ſervos qui plagas plagis additas penes ſe recipiunt.

10. *Lubet cavere.*] Id eſt, conſilium eſt priùs, id eſt, ante omnia, me præſtare immunem à culpâ, ut meum tergum ſit ſemper quàm ſyncerum, ſeu quàm exſynceratum. Tranſpoſitiones enim hujus particulæ, quàm epitatticæ non infreqnentes ſunt hoc in Autore.

Ut adhuc fuit, mihi corium eſſe oportet
Sincerum, atque uti vetem verberari.
Si huic imperabo, probè tectum habebo:
Malum cùm impluit cæteros, non impluat mihi.
„Nam Ut servi volunt eſſe herum, ita ſolet *eſſe:*
„Bonis boni ſunt: improbi, qui malus fuit.
Nam nunc domi noſtræ tot peſſimi vivont,
Peculi ſui prodigi, plagigeruli: ubi advorſum ut
Eant vocantur hero: Non eo, moleſtus ne ſis.
Scio quò properas: geſtis aliquò jam hercle,
Ire vis, mula, foras paſtum. bene merens
Hoc pretium inde abſtuli. ita abii foras. ſolus
Nunc eo advorſum hero ex plurimis ſervis,
Hoc die craſtini cùm herus reſciverit,
Manè caſtigabit eos bubulis exuviis.
Poſtremò minoris pendo tergum illorum, quàm meum.

INTERPRETATIO.

Danda eſt opera, ut habeam cutem integram, ut hactenus fuit; & ut prohibeam verbera ab eâ. Si mihi obtemperet, habebo bene opertum; quando plagæ ingruent in cæteros, non ingruent in me. Nam herus ſolet eſſe talis, qualem optant ſervi; ſunt boni bonis, ſunt improbi ei qui fuit improbus; quotquot ſunt nobis ſervi domeſtici, ſunt nequam, prodigi ſui corii, nati ad plagas; quando ego eos voco, ut veniant mecum obviam noſtro hero, non imus, aiunt, ne ſis nobis incommodus. Scimus quò vadis; per Herculem cupisire quopiam; vis ire foras paſtum, ô mula. Retuli ab iis hoc præmium benè meritus de iis; ſed prodeo foras, ſic proficiſcor obviam hero, unus è compluribus ſervis; hodie quando herus accipiet, cras mane eos excipiet loris bubulis. Denique facio minoris illorum tergum, quàm meum.

ANNOTATIONES.

14. *Si huic imperabo.*] Junge hæc verba cum ſuperiore verſu, & voce *vetem.* Nihil enim id aliud ſibi vult; imperabo meo tergo, ut non patiatur ſe verberari; ſi obſequatur, erit ſemper ſartum tectum.

19. *Peculi ſui prodigi.*] Id eſt, *tergi.* quod dant cædendum. Mox tergum, mox plagas ſervili tergo impoſitas, ſervile peculium appellat Plautus, vernili joco.

Advorſum ut eant.] Hinc vocantur, *advorſitores ſervi*, quorum erat ire domino obviam, ſeu *advorſum.*

20. *Non eo.*] Eſt oratio immorigeri ſervi, & contumacis.

22. *Ire vis, mula, foras paſtum.*] Phaniſci obſequium & diligentiam in mandatis herilibus obeundis adhibitam ſervi cæteri malignè interpretantur; quaſi Phaniſcus non eat obviam domino; ſed aliquò in popinam concedat ad potandum: ut ſi mula dimittatur, ire ſolet quò paſtus ſeſe illi oſtendit.

23. *Bene merens.*] Id eſt, eam mercedem rependunt mihi bene de iis merito, quòd eos admonuerim officii. Videlicet me maledictis inceſſunt.

25. *Die craſtini.*] *Diecraſtini*, uno verbo, ut *dieſeptimi* in Perſa. Nimirum veteres dicebant *die noni*; *die quinti*; *die priſtini*; *die perendini*. Dixerunt etiam veteres, *die quinti*, & *die quinte*; *die craſtini*, & *die craſtine*,

26. *Caſtigabit eos bubulis exuviis.*] Id eſt, loris è corio bubulo exciſis. Alibi idem Poëta, *monumenta bubula*, appellat *bubulos cottabos*; *cenſiones bubulas*,

ACTUS QUARTUS. SCENA SECUNDA.

ARGUMENTUM.

SERVI Callidamatis eunt obviam hero. Incidunt in Theuropidem; eorum operâ, quanquam imprudens, detegit quid intus geratur, atque adeò fraudem Tranionis de larvis.

PHANISCUS, SERVUS alius, THEUROPIDES.

PHANISCUS.

ILLI erunt bucædæ multo potiùs, quàm ego ſim reſtio.
SER. mane tu, atque aſſiſte illico:
Phaniſce etiam reſpice. *PH.* mihi moleſtus ne ſis.
SER. Vide ut faſtidit ſimia.
PH. Mihi ſum. libet eſſe. quid id curas?
SER. Manéſne illico impure paraſite?
PH. Quî paraſitus ſum? *SER.* ego enim
Dicam: cibo perduci poteris quòvis.
Ferocem facis, quia te herus tam amat. *PH.* vah!
Oculi dolent? *SER.* cur? *PH.* quia fumus moleſtus
SER. Tace ſis faber, qui cudere ſoles plumbeos

INTERPRETATIO.

PHAN. *Malim hos cædi* loris *bubulis. quàm ego reſti me ſuſpendam.* SER. *Sta tu, atque conſiſte illico Phaniſce, & retrò aſpice.* PHA. *Noli mihi eſſe incommodus.* SER. *Vide quomodo ſimia me ſpernit.* PH. *Sum* ſimia *mihi; placet, quare curas id?* SER. *Conſiſtiſne è veſtigio, ſordide paraſite.* PH. *Quamobrem ſum paraſitus?* SER. *Ego affirmavero te poſſe perduci in quemvis locum cibo. Inſoleſcis, quia herus te diligit adeò.* PH. *Vah! oculis laboras?* SER. *Quare?* PH. *Quia fumus eſt incommodus.* SER. *Sile ſævis, faber, qui conſueviſti fabricare nummos*

ANNOTATIONES.

1. *Illi bucadæ erunt.*] Inceptum ſuperiore Scenâ ſermonem in hâc Phaniſcus proſequitur. Jocus eſt in *Bucæda* & *reſtio*, id eſt, malo eos habere nomen à loris bubulis, quibus cædentur, & vocari *Bucædas*, quàm me habere nomen à reſti, quâ me ſuſpendam, & vocari reſtionem.

2. *Mane tu.*] Servus ſocius Phaniſci ſeſe offert ſocium Phaniſco ad eundem obviam domino Callidamati.

9. *Facere ferocem.*] *Faire le brave.*

10. *Oculi dolent.*] *Invides*, id eſt, *ægrè vides* me hero carum.

Cur? quia fumus moleſtus.] Phaniſcus percontatus, ſocio cur oculos dolere diceret, reſpondet quia fumus moleſtus: nihil enim moleſtius oculis fumo: ſed cauſam pro cauſa offert Phaniſcus; neque enim præ fumo ſociorum oculi dolebant; ſed præ invidiâ, quàm herilis amor concitaverat in Phaniſcum.

11. *Cudere ſoles plumbeos nummos.*] Proverbialis formulâ; id eſt, qui ſpecie officii decipis dominum. Videlicet characterem quidem rectus, verſúſque nummus plumbeus habet impreſſum Principis,

Nummos. *PH.* non potes tu cogere me, ut tibi
Maledicam. novit herus me. *SER.* ſuam
Quidem pol culcitellam oportet. *PH.* ſi ſobrius ſis,
Malè non dicas. *SER.* tibi obtemperem, cùm tu mihi
Nequeas? *PH.* at tu mecum, peſſime, i adverſus.
SER. Quæſo hercle, Phaniſce, abſtine jam ſermonem
De iſtis rebus. *PH.* faciam, & pultabo fores.
Heus, ecquis hîc eſt, maximam qui his injuriam
Foribus defendat? ecquis, ecquis huc exit, atque aperit?
Nemo hinc quidem foràs exit: ut eſſe addecet
Nequam homines, ita ſunt: ſed eò magis cauto eſt
Opus, ne huc exeat, qui malè me mulcet.
Hîc quidem neque convivarum ſonitus, itidem ut antehac fuit,
Neque tibicinam cantantem, neque alium quenquam audio.
TH. Quæ illæc res eſt? quid illi homines quærunt apud ædes meas?
Quid volunt? quid intrò ſpectant? *PH.* pergam pultare oſtium.
Heus reclude, heus, Tranio, etiam aperis? *TH.* quæ hæc eſt fabula!
PH. Etiámne aperis? Callidamati noſtro advorſum venimus.
TH. Heus, vos pueri, quid iſtic agitis? quid iſtas ædis frangitis?
PH. Herus, hîc noſter potat. *TH.* herus hîc veſter potat? *PH.* ita loquor.

INTERPRETATIO.

plumbeos. PH. *Tu nequis me adigere, ut tibi malè dicam. Herus me novit.* SER. *Sanè oportet per Pollucem te cognoſcat, utpotè qui es ejus culcitra.* PH. *Si ſobrius es, ne convitieris.* SER. *Tibi parebo, quamvis tu non poſſis mihi parere.* PH. *Sed tu, peſſime, veni mecum obviam* hero. SER. *Obteſtor per Herculem, Phaniſce, omitte verba facere de his rebus.* PH. *Faciam, & pulſabo januam. Heus, ecquis eſt hic, qui ab hâc januâ arceat magnam injuriam? Ecquis exit, atque aperit? Nullus hinc quidem foras prodit. Sunt tales quales addecet eſſe homines nefarios; ſed eſt eò magis opus cauto, ne aliquis erumpat huc, qui me malè excipiat. Hic ſanè neque eſt ille ſtrepitus convivarum, idem qui antea, neque audio tibicinam cantantem, neque ullum alium.* TH. *Quæ eſt illa res? Quid illi homines quærunt in ædibus meis, quid volunt? quid introſpiciunt?* PH. *Proſequar impellere januam: heus, aperi: heus, Tranio, etiam pande?* TH. *Quæ eſt hæc fabula!* PH. *Etiámne patefacis? Venimus obviam noſtro hero Callidamanti.* TH. *Heus vos, adoleſcentes quare facitis ſic? Quare comminutiis iſtas fores?* PH. *Noſter herus hic bibit.* TH. *Veſter herus hic bibit?* PH. *Sic dico.*

ANNOTATIONES.

qualem ipſe aureus; ſed intus merum plumbum eſt, id eſt viliſſimum metallum; ſic ſubdolus & fraudulentus ſpeciem viri boni præfert, intus nequam eſt.

14. *Culcitulam oportet.*] Supple *noſcat*, *culcitra*, vel *culcitula*, eſt ſtratum mollius in quod decumberent, ſeu inter edendum, ſeu inter dormiendum. Subeſt huic verbo inſigne convitium.

20. *Qui his injuriam foribus defendat.*] Id eſt, qui defendat fores adverſus injuriam: id eſt, qui eas aperiat ne effringantur. Cicero: *Defendit Solis ardores.* Virgilius: *Solſtitium pecori defendite.*

26. *Quæ illæc res eſt?*] Verba ſunt Theuropidis, jam jam fraudem Tranionis detegere incipientis.

TH. Puer nimium es delicatus. *PH.* ei adverſum venimus.
TH. Cui homini ? *PH.* Hero noſtro. quæſo, quoties dicendum eſt tibi ?
TH. Puer, hìc nemo habitat. nam te eſſe arbitror puerum probum.
PH. Non hic Philolaches adoleſcens habitat hiſce ædibus ?
SER. Senex hic cerebroſus eſt certè. *PH.* erras pervorsè, pater.
Nam niſi hinc hodie emigravit, aut heri, certò ſcio
Hîc habitare. *TH.* quin ſex menſes jam hîc nemo habitat. *SER.* ſomnias.
TH. Egóne ? *SER.* tu. *TH.* tu ne moleſtus : ſine me cum puero loqui.
PH. Nemo habitat ? hem ! *TH.* ita profectò. *PH.* nam heri & nudius tertius,
Quartus, quintus, ſextus uſque, poſtquam hinc peregrè ejus pater
Abiit, nunquam hîc triduum in unum deſitum eſt eſſe & bibi.
TH. Quid ais ? *PH.* triduum in unum eſt haud intermiſſum hîc eſſe & bibi,
Scorta duci, pergræcari, fidicinas, tibicinas
Ducere. *TH.* quis iſtæc faciabat ? *PH.* Philolaches. *TH.* qui Philolaches ?
PH. Cui patrem Theuropidem eſſe opinor. *TH.* hei hei ! óccidi,
Si hæc hic vera memorat. pergam porrò percontarier.
Ain' tu iſtîc potare ſolitum Philolachem iſtum, quiſquis eſt,
Cum hero veſtro ? *PH.* hîc, inquam. *TH.* puere, præter ſpeciem ſtultus es.

INTERPRETATIO.

TH. *Adoleſcens es dicax plus æquo.* PH. *Venimus obviam ei.* TH. *Cui homini ?* PH. *Hero noſtro ; amabo, quoties tibi repetendum eſt ?* TH. *Adoleſcens nemo hic manet ; nam exiſtimo te eſſe adoleſcentem bonum.* PH. *Philolaches adoleſcens non manet hic in his tectis ?* SER. *Profectò hic ſenex amens eſt.* PH. *Falleris magnopere, ô ſenex. Nam certò ſcio Philolachetem eſſe hic, niſi exceſſit hinc hodie, aut heri.* TH. *Quin jam à ſex menſibus nullus manet in his ædibus.* SER. *Deliras.* TH. *Egóne ?* SER. *Tu ipſe.* TH. *Tu ne ſis gravis : patere me fabulari cum puero.* PH. *Nullus habitat ? hem !* TH. *Ita ſanè.* PH. *Nam heri & nudius tertius, nudius quartus, nudius quintus uſque ad diem ſextum, poſtquam ejus pater hinc peregrè profectus eſt, non ceſſavêre epulari & potare triduo toto.* TH. *Quid dicis ?* PH. *Non intermiſerunt triduo uno convivari, potare, ſcortari, pergræcari, ducere tibicinas.* TH. *Quis fecit iſta ?* PH. *Philolaches.* TH. *Qui Philolaches ?* PH. *Cujus arbitror eſſe genitorem Theuropidem.* TH. *Hei ! hei ! occidi, ſi hic vera narrat. Porrò proſequar interrogare. Dicis tu Philolachetem illum, quicumque eſt, ſuetum bibere hic cum veſtro hero ?* PH. *Hîc, inquam.* TH. *Puer deſipis, præter formam.*

ANNOTATIONES.

32. *Puer nimium delicatus.*] Id eſt, nimium riſui movendo indulgens. Ad eum ſenſum in Menæcmis, *delicias facis*, id eſt, *jocaris.*

36 *Cerebroſus es.*] Contumax es : *Entêté.* Horatius : *Cerebroſus proſilit unus*, id eſt, *ſtultus.* Virgilius : *Præceps animi, ira impatiens.*

49. *Præter ſpeciem ſtultus es.*] Nemo ex vultu judicaverit te eſſe perinde *ſtultum*, atque re verâ es.

Vide ſis ne fortè ad merendam quopiam devorteris,
Atque ibi meliuſculè, quàm ſatis fuerit, biberis. *PH.* quid eſt?
TH. Ita dico, ne ad alias ædis perperam deveneris.
PH. Scio quà me ire oportet: & quò venerim novi loqui.
Philolaches hîc habitat, cujus eſt pater Theuropides.
Qui, poſtquam pater ad mercatum abivit hinc, tibicinam
Liberavit. *TH.* Philolaches ergo? *PH.* ita, Philematium quidem.
TH. Quanti? *SER.* triginta talentis. *PH.* μὰ τὸν ἀπόλλω! ſed minis.
TH. Ain', minis triginta amicam deſtinatum Philolachem?
PH. Aio. *TH.* atque eam manu emiſiſſe? *PH.* aio. *TH.* &, poſt
quam ejus hinc pater
Sit profectus peregrè, perpotaſſe aſſiduò
Tuo cum domino? *PH.* aio. *TH.* quid, is ædes emit hîc proximas?
PH. Non aio. *TH.* quadraginta etiam dedit huic quæ eſſent pignori?
PH. Neque illud aio. *TH.* hei! perdis. *PH.* imò ſuum patrem illic perdidit.
TH. Vera cantas: vana vallem! *PH.* patris amicus videlicet.
TH. Heu, edepol patrem eum miſerum prædicas! *PH.* nihil hoc quidem eſt,
Triginta minæ, præ quàm alios dapſiles ſumptus facit.
Perdidit patrem. unus iſtic ſervus eſt ſacerrimus
Tranio: is vel Herculi conterere quæſtum poſſiet.

INTERPRETATIO.

Vide ſi visne forſitan conceſſeris in quemdam locum ad cœnam pomeridianam, & ibi potaveris largiùs, quàm ſatis fuerit. PH. *Quid eſt?* TH. *Sic moneo, ne oberres ad alios lares temerè.* PH. *Teneo quà oportet me ambulare, & novi locum in quem venerim. Philolaches hîc manet, cujus Theuropides eſt genitor: qui ex quo pater profectus eſt hinc ad mercatum, liberavit tibicinam.* TH. *Philolaches ergo?* PH. *Ita, Philematium quidem.* TH. *Quanti?* SER. *Triginta talentis.* PH. *Per Apollinem! Sed* triginta *minis.* TH. *Dicíſne emptam amicam Philolachi triginta minis?* PH. *Aio.* TH. *Atque eam manumiſiſſe?* PH. *Aio.* TH. *Et, ex quo ejus pater hinc diſceſſit peregrè, bibiſſe aſſiduò cum tuo hero?* PH. *Aio.* TH. *Quid? Philolaches mercatus eſt hic ædes proximas?* PH. *Non aio.* TH. *Etiam dedit huic quadraginta* minas *quæ eſſent arrhaboni?* PH. *Neque dico id.* TH. *Hei! perdis.* PH. *Imò ille perdit ſuum patrem.* TH. *Dicis vera: ſed vellem vana!* PH. *Videlicet es amicus patris.* TH. *Heu, per ædem Pollucis dicis eum patrem infortunatum.* PH. *Hoc ſanè nihil eſt triginta minæ, præ aliis ſumptibus immoderatis quos facit. Hic Tranio eſt unus nefarius ſervus, perdidit patrem: is poſſet conſumere bona Herculis ipſius.*

ANNOTATIONES.

53. *Novi loqui.*] Novi quò loci venerim, ſeu in quem locum venerim. Veteribus *loquus*, & *locus*; *coquus*, & *cocus*; *ſoquor*, & *ſecor*.

66. *Dapſiles.*] Mere Græcum *largus*, *profuſus*.

67. *Sacerrimus.*] Id eſt, *ſceleſtiſſimus*. Virgilius: *Auri ſacra fames*, id eſt, *ſcelerata*. Horatius: *Inteſtabilis, & ſacer eſto*.

68. *Is vel Herculi conterere quæſtum poſſiet.*] Hyberbole audaciſſima. Herculi

Edepol me ejus patris miſeret, qui cum iſtæc ſciet
Facta ita, amburet miſero ei corculum carbunculus.
TH. Siquidem iſtæc vera ſunt. *PH.* quid merear, quamobrem mentiar?
Heus vos, ecquis haſce aperit? *TH.* quid iſtâc pultas, ubi nemo intus?
PH. Aliò credo commiſſatum abiſſe. abeamus nunc jam.
TH. Puere, jámne abis? libertas pænula eſt tergo tuo.
PH. Mihi, niſi herum metuam & curem, nihil eſt qui tergum tegam.

INTERPRETATIO.

Per ædem Pollucis me miſeret ejus patris: quando ille ſciet id ſic factum. Carbo ei aduret cor hujus infortunati. TH. *Si hæc ſunt vera.* PH. *Quid conſequar, propterea quod mentiar? Heus vos, ecquis aperit haſce fores?* TH. *Quid pulſas hic, ubi nullus intus?* PH. *Puto abiviſſe aliò comeſtum; migremus jam.* TH. *Puer, abiſne jam? Tuum tergum eſt liberum pænulâ.* PH. *Nihil eſt mihi quo operiar tergum, niſi metus heri, & cura officii.*

ANNOTATIO.

enim pendebantur decimæ omnium eſculentorum. Atque adeò ejus eſſe oportet maximam prodigalitatem, qui illa omnia conſumpſerit. Perſius: *O ſi ſub raſtro crepet argenti mihi ſeria dextro Hercule.* Igitur putabatur & Hercules theſaurorum omnium cuſtos & arbiter, quo magis etiam audacia patet hyperbolæ. Facilè crediderim hoc loco Poëtam innuere audaciam Tranionis, qui & ipſum Herculem citra metum clavæ circumducat divitiis, ut circumduxit Theuropidem.

70. *Amburet.*] Mœror occupabit animum abſumétque.

ACTUS QUARTUS. SCENA TERTIA.

ARGUMENTUM.

DETEGIT Simo Theuropidi ædes ſuas non eſſe coëmptas à Philolachete; atque adeò & alteram Tranionis fraudem prodit.

THEUROPIDES, SIMO.

THEUROPIDES.

PERII hercle, quid opus eſt verbis? ut verba audio;
Non equidem in Ægyptum hinc modò vectus fui,

INTERPRETATIO.

THEUR. *Per Herculem interii, quid eſt opus verbis? Ut audio ſermones hominum. Equidem non ſolùm deportatus fui hinc in Ægyptum,*

Sed etiam in terras ſolas, oráſque ultimas
Sum circumvectus. ita ubi nunc ſim neſcio.
Verùm jam ſcibo: nam eccum, unde ædis filius
Meus emit. quid ais tu? *SI.* à foro incedo domum.
TH. Nunquid proceſſit ad forum hodie novi?
SI. Etiam. *TH.* quid tandem? *SI.* vidi efferri mortuum. *TH.* hem,
Novum! *SI.* unum vidi mortuum efferri foras,
Modò eum vixiſſe aiebant. *TH.* væ capiti tuo.
SI. Quid tu ut otioſus res novas requiritas?
TH. Quia hodie adveni peregrè. *SI.* promiſi foras
Ad cœnam ne me tu evocare cenſeas.
TH. Haud poſtulo edepol. *SI.* verùm cras, niſi quis priùs
Vocaverit me, vel apud te cœnavero.
TH. Ne iſtuc quidem edepol poſtulo. niſi quid magis
Es occupatus, operam mihi da. *SI.* maximè.
TH. Minas quadraginta accepiſti, quas ſciam,
A Philolachete. *SI.* nunquam nummum, quod ſciam,
TH. Quid, à Tranione ſervo? *SI.* multò id minùs.
TH. Quid arrtaboni tibi dedit? *SI.* quid ſomnias?

INTERPRETATIO.

verùm etiam in terras deſertas, & extrema littora circumlatus ſum; adeò ignoro ubi ſim jam: modò ſciam verum. Nam ecce eum à quo filius mercatus eſt domum: quid dicis tu? SI. *Eo domum à foro.* TH. *Nonne accidit hodie aliquid novi in foro?* SI. *Etiam.* TH. *Quid demum?* SI. *Vidi exportari vitâ defunctum.* TH. *O rem novam!* SI. *Vidi exportari unum mortuum foras. Dicebant eum vitâ functum nuper.* TH. *Væ tibi.* SI. *Quare tu captas res novas inſtar deſidis?* TH. *Quia reverſus hodie peregrè.* SI. *Pollicitus ſum me cœnaturum foras, ne ſperes te à me invitari ad cœnam.* TH. *Per ædem Pollucis non poſtulo.* SI. *Sed cras, niſi aliquis me invitaverit priùs, cœnavero etiam apud te.* TH. *Ne à te peto quidem id. Præbe mihi aurem, niſi es magis occupatus in aliquo.* SI. *Optimè.* TH. *Accepiſti quadraginta minas à Philolachete, ut ſciam.* SI. *Nunquam accepi nummum, quod ſciam.* TH. *Quid accepiſti à ſervo Tranione?* SI. *Longè minùs quàm id.* TH. *Quas tibi numeravit in arrhabonem.* SI. *Quid ſomnias?*

ANNOTATIONES.

8. *Vidi efferri mortuum.*] Simo irridet Theuropidis curioſitatem, & pro re novâ nunciat quotidianam, nempe quod viderit efferri mortuum.

12. *Promiſi foras.*] Moris erat apud antiquos, ut qui peregrè alicundè reverterentur, ab amicis invitarentur ad cœnam, quod ut à ſe deprecetur Simo, dicit ſe promiſiſſe *foras*, id eſt, ſe cœnaturum pro *foris*. Itaque id huic phraſi ſupplendum, *promiſi me iturum foras cœnatum.*

21. *Arrhaboni.*] Ab ἀῤῥαβὼν, *arrha*. Per ſyncopen jam inde à Plinio juniore uſurpata vox. Iſidorus: *Intereſt in loquendi uſu inter pignus & arrham. Nam pignus eſt quod datur propter rem creditam, quæ dum redditur, ſtatim pignus aufertur: arrha verò eſt primum quod pro re bonæ-fidei contractu emptâ ex parte datur, & poſtea completur. Eſt enim arrha complenda non auferenda; unde qui reddit arrham, non reddit ſicut pignus, ſed deſiderat plenitudinem.*

TH. Egóne?

TH. Egóne? at quidem tu, qui iſtoc te ſperas modò
Poteſſe diſſimulando infectum hoc reddere.
SI. Quid autem? *TH.* quod me abſente tecum hîc filius
Negotii geſſit. *SI.* mecum ut ille hîc geſſerit,
Dum tu hîc abes, negotii? quidnam? aut quo die?
TH. Minas tibi octoginta argenti debeo.
SI. Non mihi quidem hercle. verùm, ſi debes, cedò:
Fides ſervanda eſt, ne ire inficias poſtules.
TH. Profectò non negabo debere, & dabo;
Tu cave quadraginta accepiſſe hinc ne neges.
SI. Quæſo edepol huc me aſpecta, & reſponde mihi.
Te velle uxorem aiebat tuo nato dare,
Ideò ædificare hoc velle aiebat in tuis.
TH. Hîc ædificare volui? *SI.* ſic dixit mihi.
TH. Hei mihi, diſperii! vocis non habeo ſatis,
Vicini, interii, perii. *SI.* nunquid Tranio
Turbavit? *TH.* imò exturbavit omnia.
Te ludificatu'ſt & me hodie indignis modis.
SI. Quid tu ais? *TH.* hæc res ſic eſt, ut narro tibi,
Te ludificatus & me hodie in perpetuum modum.
Nunc te obſecro, ut me bene juves, operámque des.
SI. Quid vis? *TH.* i mecum, obſecro, unà ſimul.
SI: Fiat. *TH.* ſervorúmque operam & lora mihi cedò.
SI. Sume. *TH.* eâdémque operâ hæc tibi narravero,
Quîs me & te exemplis hodie eludificatus eſt.

Interpretatio.

TH. *Egône? ſed profectò tu ſomnias, ut qui ſperas te poſſe facere irritum hoc diſſimulando.* SI. *Quid ais?* TH. *Quid rei iniit tecum filius hîc, me abſente?* SI. *Ut Philolaches geſſerit aliquid rei mecum, dum tu hinc abes. Quid geſſit? aut quo die?* TH. *Tibi debeo octoginta minas argenti.* SI. *Per Herculem non mihi debes, verùm da ſi debes. Eſt ſervanda fides, ne ſuſcipias negare.* TH. *Certè non negabo me debere, & numerabo, tu vide ne neges accepiſſe quadraginta.* SI. *Per ædem Pollucis, amabo, aſpice me huc, & mihi reſponde.* Dicebat Tranio *te velle dare uxorem tuo filio, idcircò, dicebat te velle ædificare in tuis ædibus.* TH. *Volui ædificare hîc.* SI. *Mihi affirmavit ſic.* TH. *Hei mihi! perii! non habeo ſatis vocis, vicini occidi, perii.* SI. *Tranio concitavítne aliquas turbas?* TH. *Imò labefactavit omnia, ludificatus eſt te hodie & me, indignis modis.* SI. *Quid dicis tu?* TH. *Hoc eſt ita, te ludificatus eſt, & me hodie planè: jam te rogo, ut mihi probè auxilieris, & opituleris.* SI. *Quid vis?* TH. *Veni mecum, obteſtor.* SI. *Eſto.* TH. *Commoda mihi auxilium ſervorum & lora.* SI. *Accipe.* TH. *Tibi expoſuero hæc uno tempore, quibus modis ille me & te ludificatus eſt hodie.*

ACTUS QUINTUS.

ARGUMENTUM.

CALLIDAMATES deprecatur à Theutopide veniam pro Philolachete, deinde & pro ipſo Tranione, & impetrat.

ACTUS QUINTUS. SCENA PRIMA.

ARGUMENTUM.

THEUROPIDES expoſtular cum Tranione, quoniam eſt auſus illudere hero. Tranio etiamnum jocatur cum eo, quaſi veniæ ſecurus.

TRANIO, THEUROPIDES.

TRANIO.

QUI Homo timidus erit in rebus dubiis, nauci non erit.
Atque equidem quid id eſſe dicam verbum nauci, neſcio.
Nam herus me poſtquam rus miſit, ut filium ſuum arceſſerem,
Abii illâ per angiportum ad hortum noſtrum clanculùm:
Oſtium quod in angiportu eſt horti patefeci fores,
Eáque eduxi omnem legionem, & mareis & fœminas.
Poſtquam ex obſidione in tutum eduxi maniplares meos,
Capio conſilium, ut ſenatum congerronum convocem.

INTERPRETATIO.

TRA. *HOmo qui eſt meticuloſus in rebus incertis, erit nauci faciendus; atque equidem ignoro, quid ſignificet ea vox nauci: ſanè ſtatim atque herus me miſit rus, ut vocarem ſuum filium; tranſivi illac per anguſtiorem viam, ad noſtrum hortum occultè: aperui januam horti, quæ eſt in angiportu, & eduxi eâ omnem turbam, & mares, & fœminas; poſtquam eduxi in tutum meas copias ex obſidione, ineo conſilium cogendi ſenatus confabulatorum.*

ANNOTATIONES.

1. *Timidus.*] Salluſtius: *Audacia pro muro habetur.*

2. *Verbum nauci.*] Id eſt, *Nullius momenti.*

5. *Angiportus.*] Anguſta via minùs frequentata.

Quem cùm convocavi, atque illi me è ſenatu ſegregant.
Ubi ego video rem vorti in meo foro, quantum poteſt,
„Facio idem, quod plurimi alii, QUIBUS RES timida aut turbida eſt:
„Pergunt turbare uſque, ut ne quid poſſit conquieſcere.
Nam ſcio equidem nullo pacto jam eſſe poſſe clam ſenem.
Sed quid hoc eſt, quid foris concrepuit proxima vicinia?
Herus meus hic quidem eſt. guſtare ego ejus ſermonem volo.
TH. Illico intra limen aſtate illîc; ut, cùm extemplò vocem,
Continuò exſiliatis: manicas celeriter connectite.
Ego illum ante ædes præſtolabor ludificatorem meum:
Cujus ego hîc ludificabo corium, ſi vivo, probè.
TR. Res palàm eſt. nunc te videre melius eſt, quid agas, Tranio.
TH. Doctè atque aſtutè mihi captandum eſt cum illoc, ubi huc advenerit.
Non ego illi extemplò ira meum oſtendam ſenſum: mittam lineam.
Diſſimulabo me horum quicquam ſcire. *TR*. ô mortalem malum!
Alter hoc Athenis nemo doctior dici poteſt.
Verba dare illi non magis hodie quiſquam, quàm lapidi, poteſt.
Aggrediar hominem: appellabo. *TH*. nunc ego ille huc veniat velim.
TR. Siquidem pol me quæris, aſſum præſens præſenti tibi.

INTERPRETATIO.

Quando eos coëgi, ipſi me excludunt è conceſſu; cùm ego animadverto, rem agi in meo foro, quantum poteſt facio idem quod plurimi alii, quibus ſunt fortuna malè ſecura & confuſa, proſequuntur miſcere, uſque eodum nihil poſſit componi; etenim ſcio jam id nullo pacto poſſe eſſe incompertum ſeni, ad quid eſt id? quare janua crepuit in proximis vicinis; certè eſt meus herus, ego volo ſubauſcultare ejus orationem. TH. *Adſtate illico illic intra januam, ut ſtatim irrumpatis quando appellabo. Injicite velociter manicas, ego expectabo antè domum illum meum ludificatorem, cujus ego ludificabo hic egregiè cutem, ſi vivo.* TR. *Res eſt comperta ſeni; jam eſt optimum videre quid facias, Tranio.* TH. *Eſt ille mihi circumveniendus peritè & doloſè cum Simone, quando acceſſerit huc; ego non illi detegam tam celeriter meam mentem, mittam lineam piſcatorum more, fingam me neſcire quidquam horum.* TR. *O hominem nequam! nemo poteſt inveniri alius doctior hoc Athenis; nemo poteſt hodie illi dare verba magis, quàm lapidi. Accedam ad hominem, compellabo.* TH. *Ego velim, jam ille veniat huc.* TR. *Si per Pollucem me quæris, adſum præſens tibi præſenti.*

ANNOTATIONES.

9. *Atque illi me ſegregant.*] Atque pro, *ſtatim, continuò.*

10. *Rem vorti in meo foro.*] Video litem mihi motam ante meos judices, declinandi judicii nullus eſt locus, allegoria ducta à *foro*, & forenſibus, in quibus ante alienos judices nemo tenetur cauſam dicere. Hic congerro coram congerronibus litem diſceptat.

21. *Captandum.*] Id eſt, captionibus verborum mihi agendum eſt cum illo.

22. *Senſum.*] *Quid ſentiam.*

Lineam.] A *lino*, *linea*. Mittam lineam, ſupp. piſcatoriam, de quâ pendet hamus & eſca: itaque lineam nihil aliud ſignificat, quàm, capiam Tranionem verbis, ut hamo piſcem.

TH. Euge Tranio, quid agitur? *TR.* veniunt ruri ruſtici,
Philolaches jam hîc aderit. *TH.* edepol mihi opportunè advenit.
Noſtrum ego hunc vicinum opinor eſſe hominem audacem & malum.
TR. Quî dum? *TH.* qui negat noviſſe vos. *TR.* negat? *TH.* nec vos ſibi
Nummum unquam argenti dediſſe. *TR.* abi, ludis me, credo: haud negat.
TH. Quid jam? *TR.* ſcio, jocaris nunc tu: nam ille quidem haud negat.
TH. Imò edepol negat profectò: neque ſe has ædis Philolachi
Vendidiſſe. *TR.* ehò, an negavit ſibi datum argentum, obſecro?
TH. Quin jusjurandum pollicitus eſt dare, ſi vellem, mihi;
Neque ſe haſce ædis vendidiſſe, neque ſibi argentum datum.
Dixi ego iſtuc idem illi. *TR.* quid ait? *TH.* ſervos pollicitu'ſt dare
Suos mihi omnes quæſtioni. *TR.* nugas. nunquam edepol dabit.
TH. Dat profectò. *TR.* quin & illum in jus jube ire. *TH.* jam mane.
Experiar, ut opinor: certum eſt. *TR.* mihi hominem cedò.
TH. quid ſi igitur ego arceſſam homines? *TR.* factum jam eſſe oportuit:
Vel hominem jube ædis mancipio poſcere. *TH.* imò hoc primùm volo,
Quæſtioni accipere ſervos. *TR.* faciundum edepol cenſeo! ego
Interim hanc aram occupabo. *TH.* quid ita? *TR.* nullam rem ſapis.

INTERPRETATIO.

TH, *Euge Tranio, quid fit?* TR. *Ruſtici veniunt ruri. Philolaches veniet hic jam.* TH. *Per ædem Pollucis mihi advenit res ſatis opportunè; ego arbitror hunc noſtrum vicinum eſſe hominem ferocem & intractabilem.* TR. *Quare?* TH. *Negat vos noviſſe.* TR. *Negat?* TH. *Vos ſibi unquam tradidiſſe nummum argenti.* TR. *Apage, me irrides, puto: haud negat.* TH. *Quid jam?* TR. *Scio, ludis nunc tu: etenim ille haud negat.* TH. *Imò per ædem Pollucis negat ſine dubio. neque fatetur ſe vendidiſſe has ædes* Philolacheti. T'R. *Ehò! an negavit ſibi datum argentum, amabo?* TH. *Quin promiſit ſe mihi daturum jusjurandum, ſi vellem; neque ſe vendidiſſe haſce ædes, neque ſibi numeratam pecuniam; ego dixi illi iſtud idem.* TR. *Quid dicit?* TH. *Mihi promiſit ſe daturum omnes ſuos ſervos ad quæſtionem.* TR. *Nugatur: Per ædem Pollucis nunquam tradet.* TH. *Dat ſervos in quæſtionem.* TR. *Quin & voca illum in jus.* TH. *Jam quieſce, faciam periculum, ut arbitror; propoſitum eſt.* TR. *Oſtende mihi hominem.* TH. *Quid igitur ſi ego acceſſam homines?* TR. *Oportuit id eſſe jam factum, vel impera Philolachetem poſcere ædium poſſeſſionem.* TH. *Imò volo primum accipere ſervos ad quæſtionem.* TR. *Per ædem Pollucis, exiſtimo id eſſe faciendum: ego interea amplectar hanc aram.* TH. *Quare?* TR. *Sapis nihil.*

ANNOTATIONES.

42. *Experiar.*] Supp. jus. *J'auray recours à la Juſtice.*

43. *Ædis mancipio poſcere.*] Id eſt, poſcere ut filius tuus adeat poſſeſſionem ædium à ſe emptarum.

45. *Aram occupabo.*] Quia ſibi metuit Tranio à quæſtione ſervorum Simonis, aram occupat, quia neque in jus vo-

Ne enim illi huc confugere poſſint quæſtioni quos dabit.
Hic ego tibi præſidebo, ne interbitat quæſtio.
TH. Surge. *TR.* minimè. *TH.* ne occupaſſis, obſecro, aram.
TR. cur? *TH.* ſcies.
Quia id enim maximè volo, ut illi iſtoc confugiant: ſine.
Tanto apud judicem hunc argenti condemnabo faciliùs.
TR. Quod agis, id agas. quid tu porrò vis ſerere negotium?
„NESCIS TU QUAM meticuloſa res ſit ire ad judicem.
TH. Surge dum huc. eſt conſulere igitur quiddam quod tecum volo.
TR. Sic tamen hinc conſilium dedero. nimiò plus ſapio ſedens.
„Tum CONSILIA firmiora ſunt de divinis locis.
TH. Surge, ne nugare: aſpici dum contra me. *TR.* aſpexi.
TH. vides?

INTERPRETATIO.

Nam ne illi poſſint ſeſe recipere huc quos dabit ad quæſtionem; ego ero hic in præſidiis pro te, ne vana ſit quæſtio. TH. *Expergiſcere.* TR. *Nequaquam.* TH. *Ne teneas aram, amabo.* T R. *Cur?* T H. *Audies: quia volo id in primis, ut* Simonis ſervi *iſtuc concedant: ſine. Efficiam ut condemnetur tantò faciliùs Simo à judice majori pecunia vi.* T R. *Fac id quod facis: porrò quid vis tu inire litem? Tu ignoras quam ſit res timoris plena, adire judicem.* T H. *Surge, & veni huc, eſt quiddam quod volo conſulere tecum.* T R A. *Tamen conſilium dedero ſic hinc, nimio plus ſapio quando ſedeo. Tum conſilia ſunt ſtabiliora de locis divinis.* T H. *Surge, ne nugeris, aſpice in me.* T R A. *Aſpexi.* TH. *Cernis?*

ANNOTATIONES.

cari, neque ad pœnam rapi poterant, qui aut in templa confugiſſent, aut aras eſſent amplexi. Porrò aræ conſtituebantur in Scenâ tum Comicâ, tum Tragicâ. In hâc Apollini, in illâ Baccho, eæque in dextrâ parte Scenæ; in ſiniſtrâ ei, vel Deo, vel Divo, vel Heroï, vel Civi, cui fiebant ludi, aut juſta, aut parentalia. Verbenæ imponebantur Apollini, Baccho hederæ.

47. *Interbitat.*] Intereat, à *beto*, antiquo *eo*, fit *interbito*.

48. *Occupaſſis.*] *Occupaveris*, vetus.

51. *Quod agis, id agas.*] Idem quod, *age quod agis.* Attentioni in rebus ſacris parandæ adhortatio fieri ſolita.

54. *Nimiò plus ſapio ſedens*] Subeſt jocus, quòd & adoraturi ſederent, & qui de re aliquâ conſultarent. Sedere enim judicum & prætorum eſt inter decernendum. Propertius: *Minos ſedet arbiter Orci.* Idem: *Poſitâ judex ſedet Æacus urnâ.* Paſſim Cicero utitur hac voce. Sedentium judicum mentionem facit pro Rabirio, *modò vos iidem in A. Gabinio judices ſediſtis.* Pythagoras: *καθῆσθαι προσκυνήσοντας, Adoraturi ſedeant.* Secundo Regum: Ingreſſus Rex David, *ſtetit coram Domino*, Hebraicè *conſedit.*

55. *Conſilia firmiora ſunt de divinis locis.*] In locis videlicet divinis habebantur conſilia magni momenti, quaſi religio loci ſententiis hominum autoritatem & pondus addidiſſet. Apud Romanos Senatus habebatur ſæpiſſimè in templis, jura dabat, & audiebat legatos ad ſe miſſos.

56. *Aſpico dum contra me.*] Jubet Theuropides Tranionem in ſe convertere oculos, ut ſcilicet ficto benevolentiæ nutu hominem deciperet, hoc eſt, ad quod paulò antè ſeſe comparabat, & quod *mittere lineam* vocabat.

TR. Video. huc ſi quis intercedat tertius, pereat fame.
TH. Quî dum ? *TR*. quia nihil quæſti ſiet. mali herclè ambo ſumus. [*TH*. probè
TH. Perii. *TR*. quid tibi eſt ? *TH*. dediſti verba. *TR*. quî tandem?
Me emunxti. *TR*. vide ſis, ſatine rectè ? num mucci fluunt ?
TH. Imò etiam cerebrum quoque omnem è capite emunxti meum.
Nam omnia malefacta veſtra repperi radicitùs,
Non radicitùs quidem hercle, verùm etiam eradicitùs.
Nunquam edepol hodie inultus deſtinaverim tibi.
Jam jubebo ignem & ſarmenta, carnifex, circumdari.
TR. Ne faxis: nam elixus eſſe, quam aſſus, ſoleo ſuavior.
TH Exempla edepol faciam ego in te. *TR*. quia placeo, exemplum experis.
TH. Loquere, cujuſmodi reliqui, quum hinc abibam, filium ?

INTERPRETATIO.

TR. *Cerno. Si quis accedat huc tertius, intereas fame.* TH. *Quare ?* TR. *Quia nihil lucri illi affulgeat. Per Herculem ſumus ambo maligniores.* TH. *Interii.* TR. *Quid tibi eſt ?* TH. *Dediſti verba.* TRA. *Quomodo ?* TH. *Benè me emunxiſti.* TR. *Vide ſi vis, ſatiſne rectè, num muccus fluit ?* TH. *Imò expreſſiſti quoque etiam omne meum cerebrum è capite; nam erui funditus cuncta veſtra ſcelera, nec radicitùs modò per Herculem: ſed etiam eradicitùs. Per ædem Pollucis, nequaquam hodiè tibi decreverim pœnas incaſſum: jam jubebo circumdari ignem & ſarmentum, furcifer.* TR. *Ne feceris: nam ſoleo eſſe ſuavior elixus, quàm aſſus.* TH. *Per ædem Pollucis ego faciam exemplum in te.* TR. *Quia placeo, expetis exemplum.* TH. *Dic cujuſmodi reliqui filium quando hinc abii ?*

ANNOTATIONES.

57. *Huc ſi quis accedat tertius.*] Nos ambo adeò ſumus probi fallaciarum artifices, ut ſi quis tertius præter nos ex fallaciis lucrum facere, & nobiſcum eundem quæſtum facientibus certare velit, pereat fame.

64. *Nunquam edepol hodie.*] Verba ſunt ſenis irati, & præ irâ perturbatè loquentis, id eſt, *profectò pœnas, quas tibi hodie deſtinavi, non effugies.*

65. *Jubebo ignem & ſarmenta circundari.*] In Nepotis Pauſania: *In ædem Minervæ Pauſanias confugit, hinc ne exire poſſet ephori valvas ejus ædis obſtruxerunt, tectúmque ſunt demoliti, quò faciliùs ſub dio interiret. Sarmen, à ſarpo; ſarpo, ſarpimen, ſarmen; ſarpimentum, ſarmentum.*

66. *Elixus eſſe quàm aſſus.*] Elixum à liquore aquæ. Nonius: *Elixum quidquid ex aquâ mollitur, vel decoquitur; nam lixam aquam eſſe veteres dixerunt: unde & lixæ dicti, qui militibus aquam ad caſtra, vel ad tentoria ferre ſolent.* Antiquitus dicebatur & *lix*, pro aquâ. Unde lixivium, ſeu lexivium, quòd nos, *leſſive*. quæ nihil aliud eſt quam aqua per cinerem & linteum ſubjectum percolata.

Aſſus.] *Aſſum*. Ab ardeo, quaſi arſum & ad ignem torrefactum, *du rôti*. Alibi aliter accipitur *aſſus, a, um*, pro *ſolo*. Nonius: *Aſſâ voce, ſolâ voce linguæ tantummodò, aut vocis humanæ, non admiſtis aliis muſicis, eſſe voluerunt.* Servius: *Aſſa tibia dicuntur, quibus canitur, ſine chori voce.*

67. *Exempla edepol faciam.*] Exempla veteres pro graviſſimis pœnis uſurpabant: Id in Plauto, Terentióque paſſim. In eum fermè ſenſum illud Matthæi accipi poteſt. *Joſeph autem vir ejus, cùm eſſet juſtus, & nollet eam traducere.* Id eſt, cùm Joſephus eſſet juſtus, & juſtitiam comitari ſoleat lenitas, noluit Mariam *exemplum facere*, id eſt ſubjicere pœnis in adulteras conjuges adhiberi ſolitis legibus Judæorum, & infamiæ publicæ, pœnarum non minimæ.

TR. Cum pedibus, manibus, cum digitis, auribus, oculis, labris.
TH. Aliud te rogo. *TR.* aliud ergo nunc tibi reſpondeo.
Sed eccum tui gnati ſodalem video huc incedere
Callidamatem: illo præſente mecum agito, ſi quid voles.

INTERPRETATIO.

TR. *Cum pedibus, manibus, cum digitis, auribus, oculis, labris.* TH. *Te rogo aliud.* TR. *Aliud ergo tibi reſpondeo nunc; ſed ecce video ſodalem tui gnati Callidamatem venientem huc, diſcepta mecum illo cognitore, ſi cupis aliquid.*

ACTUS QUINTUS. SCENA SECUNDA.

ARGUMENTUM.

CALLIDAMATES omni Philolachetis corruptelarum invidiâ in ſeſe derivatâ, & quadraginta minis Theuropidi renumeratis, veniam pro Philolachete deprecatur; deinde & pro Tranione, & impetrat.

CALLIDAMATES, THEVROPIDES, TRANIO.

CALLIDAMATES.

UBI ſomnum ſepelivi omnem, atque obdormivi crapulam,
Philolaches veniſſe mihi ſuum peregrè huc ait patrem,
Quóque modo hominem advenientem ſervus ludificatus ſiet.
Ait ſeſe metuere in conſpectum illius occedere.
Nunc ego de ſodalitate ſolus ſum orator datus,
Qui à patre ejus conciliarem pacem. atque eccum optimè.
Jubeo te ſalvere: & ſalvus cùm advenis, Theuropides,

INTERPRETATIO.

CAL. *Statim atque depoſui omnem ſomnum, atque efflavi crapulam, Philolaches mihi dixit ſuum patrem reverſum eſſe à longinquâ peregrinatione, & quâ ratione ſervus circumvenerit hominem revertentem. Dixit etiam ſeſe vereri nè incurrat in illius conſpectum. Nunc ego ſum unus legatus miſſus ex omnibus ſociis, ut poſcam pacem ab ejus patre. ſed ecce patrem commodè. Opto te ſalvere, Theuropides,*

ANNOTATIO.

1. *Somnum ſepelivi.*] Sex his verſibus peritè admodum Poëta inducit Callidamatem demum excitatum; dicit hoc comicè & feſtivè. Somno ſepultus dicitur, quaſi ſepeliat homines dormientes ſomnus. Plautus verſâ vice vigilantem ſepeliviſſe ſomnum ait: quaſi dicat, ſomnus hominem dormientem ſepelit, & homo vigilans ſomnum viciſſim ſepelit.

Peregrè, gaudeo. hîc apud nos hodie cœnes. *TH.* ſic tale…
Callidamate, deì te ament. de cœnâ facio gratiam.
CA. Quin venis? *TR.* promitte: ego ibo pro te, ſi tibi non libet.
TH. Verbero, etiam irrides? *TR.* quián' me pro te ire ad cœnam
autumo?
TH. Non enim ibis. ego ferâre faxo, ut meruiſti, in crucem.
CA. Age mitte iſta, & ito ad me ad cœnam. *TR.* dic venturum.
quid taces?
CA. Sed tu iſtuc quid confugiſti in aram inſcitiſſimus?
TR. Adveniens perterruit me. loquere nunc, quid fecerim:
Nunc utriuſque diſceptator eccum adeſt: age diſputa.
TH. Filium corrupiſſe aio te meum. *TR.* auſculta modò.
Fateor peccaviſſe, amicam liberaſſe, abſente te
Fœnori argentum ſumſiſſe, id eſſe abſumptum, prædico.
Nunquid aliud fecit, niſi quod faciunt ſummis gnati generibus?
TH. Hercle mihi tecum cavendum eſt: nimis quàm es orator catus.
CA. Sine me dum iſtuc judicare: ſurge, ego iſti aſſedero.
TH. Maximè, accipito hanc ad te litem. *TR.* enim iſtîc captio eſt.
Fac, ego ne metuam igitur, & ut tu meam timeas vicem.

INTERPRETATIO.

& lætor. quando advenis incolumis è longinquâ peregrinatione; cœna hìc hodie apud nos. TH. *Dii te ament Callidamate; quoad cœnam, gratias tibi ago.* CA. *Rogo ut venias?* TR. *Pollicere: ego ibo pro te, ſi tibi non lubet.* TH. *Maſtigia; etiam jocaris?* TR. *An quia geſtio ire pro te ad cœnam?* TH. *Non enim ibis: ego efficiam ut agaris in crucem, ut meritus es.* CA. *Age prætermitte iſta, & veni cœnatum apud me.* TR. *Promitte te iturum; quare obmuteſcis?* CA. *Tu verò, ſtultiſſimè Tranio, quare confugiſti ad hanc aram.* TR. *Me perterruit, quando advenit; dic jam quid fecerim: ecce judex utrinſque adeſt nunc. Age diſputa.* TH. *Dico te corrupiſſe meum filium.* TR. *Audi Callidamate, confiteor erraviſſe, liberaviſſe amicam te abſente, accepiſſe pecuniam fœnori, prædico id eſſe conſumptum. Numquid Philolaches fecit aliud, niſi quod faciunt juvenes ſummo genere nati.* TH. *Per Herculem mihi deligẽdus patronus qui meam cauſam defendat: es orator imprimis callidus.* CA. *Concede mihi, ut judicem iſtud: ſurge, ego ſedebo hìc.* TH. *Benè eſt, eſto judex hujus litis.* TR. *At verò eſt hìc fraus; fac igitur ne ego pertimeſcam, & ut tu pertimeſcas meo loco.*

ANNOTATIONES.

9. *De cœnâ facio gratiam.*] Id multi ſic explicant, *quod ad cœnam attinet, ego iſtuc remitto, & condono tibi.* Quod vernaculo noſtro dicimus, *je vous diſpenſe de cette dépenſe*, quod mihi videtur inurbanum: itaque crediderim id nihil aliud ſignificare, quàm pro cœnâ mihi à te tam urbanè oblatâ, *gratias ago.*

20. *Mihi tecum cavendum eſt.*] Id eſt, non ſum par meæ cauſæ perorandæ adverſus te qui es orator adeò diſertus, ô Tranio. Oportet advocem patronum, qui caveat mihi,

22. *Surge, ego iſti aſſedero.*] Judicis eſt ſedere, quia ut eſt in Scenâ ſuperiore, *nimio plus ſapit ſedens.* Stat orator; quia hic ſtatus corporis majorem affert actioni & pronuntiationi amphaſim & dignitatem.

25 *TH.*

TH. Jam minoris omnia facio, præ quàm quibus modis
Me ludificatus eſt. *TR.* bene hercle factum, & factum gaudeo.
„SAPERE ISTAC ætate oportet, qui ſunt capite candido.
TH. Quid ego nunc faciam, ſi amicus Demipho, aut Philonides?
TR. Dicito iis, quo pacto tuus te ſervus ludificaverit:
Optimas fruſtrationes dederis in Comœdiis.
CA. Tace parumper: ſine viciſſim me loqui: auſculta. *TH.* licet.
CA. Omnium primum ſodalem me eſſe ſcis gnato tuo.
Is adiit me. nam illum prodire pudet in conſpectum tuum,
Propterea quæ fecit, quia te ſcire ſcit. nunc te obſecro,
Stultitiæ adoleſcentiæque ejus ignoſcas. tuus eſt.
Scis ſolere illanc ætatem tali ludo ludere.
Quicquid fecit, nobiſcum unà fecit. nos deliquimus.
Fœnus, ſortem, ſumtúmque omnem quî amica eſt, omnia
Nos dabimus, nos conferemus, noſtro ſumptu, non tuo.
TH. Non potuit venire orator magis ad me impetrabilis,
Quàm tu. neque illi ſum iratus, neque quicquam ſuccenſeo.
Imò me præſente amato, bibito, facito quod lubet.
Si hoc pudet, feciſſe ſumtum; ſupplicii habeo ſatis.

INTERPRETATIO.

TH. *Non æſtimo tanti cuncta, quanti rationem quâ ludificatus eſt me.* TR. *Bene feci per Herculem, & lætor me feciſſe, oportet illos qui ſunt capite cano, ſapere, iſtâ ætate.* TH. *Quid agam ego nunc, ſi amicus Demipho, aut Philonides* reſciant? TR. *Aperi illis quâ ratione tuus ſervus te ludificaverit: ſuppeditaveris exquiſitiſſimas fraudes ad adornandas Comœdias.* CAL. *Sile tantiſper. patere me verba facere meâ vice, audi.* TR. *Loquere.* CA. *Primum omnium, non ignoras me eſſe ſocium filii tui. Ille me convenit. Nam illum pudet venire in tuum conſpectum, quoniam ſcit te non latere quæ fecit. Nunc obteſtor, parce ejus amentiæ & adoleſcentiæ, eſt tuus: non te fugit illam ætatem conſuevisse indulgere talibus ludis: quidquid fecit, fecit unà nobiſcum: nos peccavimus, nos debemus fœnus, ſortem, & omnem impenſam quâ amicam emit, cuncta nos diſſolvemus noſtro ære, non tuo.* TH. *Non legatus potuit venire ad me magis ad impetrandum idoneus, quàm tu: nec ſum iratus illi, neque ullo modo ſuccenſebo. Imò ama me præſente, pota, fac quod lubet; ſi pudet feciſſe hos ſumptus, eſt ſatis magnum ſupplicium.*

ANNOTATIONES.

26. *Benè factum & factum gaudeo.*] Antiquæ gratulationes ſunt. Nos, *J'en ſuis bien aiſe.*

28. *Demipho & Philonides.*] Duæ perſonæ ſunt in Scenâ adhiberi ſolitæ, ex iis una Demipho in Ciſtellaria & Mercatore.

30. *Optimas fruſtrationes.*] Significat fraudes quibus innodatis, & enodatis, conſtat univerſa Comœdiarum feſtivitas.

40. *Impetrabilis.*] Hic ἐνεργητικῶς; quanquam omnia ferè in *bilis* deſinentia paſſivè ſignificent.

43. *Si hoc pudet.*] Si pudet Philolachetem eorum quæ fecit, aliud ſupplicium ei irrogandum eſſe minimè puto; ſatis pœnarum dat hoc ſuo pudore. Verba ſunt patris, non tam pudore filii, quàm Callidamatis pecuniâ tandem aliquando placati.

TR. Diſpudet, iſtam veniam. quid me fiet nunc jam?
TH. Verberibus cædēre, lutum, pendens. *TR.* tamen etſi pudet?
TH. Interimam hercle ego, ſi vivo. *CA.* fac iſtam cunctam gratiam:
Tranioni remitte quæſo hanc noxiam cauſsâ meâ.
TH. Aliud quidvis impetrari à me faciliùs perferam,
Quàm ut non ego iſtum pro ſuis factis peſſimis peſſum premam.
CA. Mitte quæſo iſtunc. *TH.* hem, viden' ut reſtat furcifer!
CA. Tranio quieſce, ſi ſapis. *TH.* tu quieſce hanc rem modò
Petere: ego illum verberibus, ut ſit quietus, ſubegero.
CA. Nihil opus eſt profectò: age jam. ſine te exorarier.
TH. Nolo ores. *CA.* quæſo hercle. *TH.* nolo, inquam, ores.
CA. nequicquam nevis.
Hanc modò unam noxiam; unam quæſo, fac cauſſâ meâ.
TR. Quid gravaris? quaſi non cras jam commeream aliam noxiam:
Ibi utrunque, & hoc & illud, poteris ulciſci probè.
CA. Sine te exorem, *TH.* age abi, abi impunè. hem huic habeto gratiam.
Spectatores, Fabula hæc eſt acta: vos plauſum date.

INTERPRETATIO.

TR. *Pudet, concede iſtam veniam: quid de me fiet jam?* TH. *Cæderis flagris ſuſpenſus, cœnum.* TR. *Quanquam pudet!* TH. *Ego ſi vivam, exterminabo, per Herculem,* CA. *Fac iſtam gratiam totam, condona, amabo, Tranioni hanc culpam meâ gratiâ.* TH. *Perpetiar lubentiùs exigi à me quidvis aliud, quàm ego non peſſundem iſtum pro ſuis facinoribus malis.* CA. *Dimitte hunc, amabo.* TH. *Hem, vidé'ne ut ſtat cruciarius!* CA. *Tranio quieſce, ſi ſapis.* TH. *Tu ceſſa modò petere id ab eo: ego illum cogam flagris eſſe quietum.* CA. *Profectò non eſt opus: age jam, patere te exorari.* TH. *Nolo, ut ores.* CA. *Oro per Herculem.* TH. *Nolo, inquam, ut preceris.* CA. *Incaſſum reluctaris, fac modò, amabo, hoc unum peccatum gratiâ meâ.* TR. *Quid eſt quod tam ægrè concedas? quaſi verò cras non commiſſam aliud peccatum, tum poteris in me animadvertere pro utroque* peccato, *&* hoc *&* illo, CA. *Patere te exorem.* TH. *Age, abi citra pœnam: habeto hanc gratiam huic: ſpectatores Comœdia eſt acta, vos edite plauſum.*

ANNOTATIONES.

44. *Diſpudet.*] Pudet me meæ culpæ. Da mihi veniam quam das Philolacheti, quoniam pariter utrumque pudet. Jocatur irridétque heri ſeu indulgentiam Verna, ſeu cupiditatem, ut-potè qui pro delictis graviſſimis ſolâ filii pœnitentiâ contentus eſt, & per quem licet filio inſanire, dummodò id fiat alieno ſumptu.

50. *Reſtat furcifer.*] Stat ſuperbè & ferociter, motûque certo corporis minas heri ſeſe parum curare ſignificat.

56. *Cras jam.*] Intra breve tempus, tempus certum pro incerto.

FINIS MOSTELLARIÆ.

M. ACCII PLAUTI
MENÆCHMI.

ARGUMENTUM.

SICULUS mercator Menæchmus filium habuit Moſchum. Is ex Theuſimarchâ uxore ſuſcepit filios duos, eóſque uno partu editos, adeò ſimiles fratres vultu & habitu toto corporis, ut neque pater, neque mater, neque nutrix internoſcere poſſent. Poſtquam nati ſunt gemini annis ſeptem, Moſchus pater onerat navem mercibus, & alterum filium Menæchmum imponit, ejus fratre Soſicle domi relicto, & Tarentum ſecum avehit ad mercatum. Illuc veniunt eo ipſo tempore quo ludi Dionyſiaci magnâ frequentiâ celebrantur. Menæchmus in turbâ confertâ aberrat à patre; incidit in mercatorem Macedonem Epidamnienſem ſeu Dirrachium. Pater Moſchus amiſſo filio incidit in morbum, & diem ſuum obiit perditi filii deſiderio. Hujus morte Syracuſis nunciatâ, & illius raptu delato, Menæchmus pater Moſchi, avus Menæchmi & Soſiclis, ipſi Soſicli nomen ſuum, & fratris ſurrepti tribuit, & à duobus Menæchmis avo & patre dicitur Soſicles Menæchmus. Menæchmus ſurreptus adoleſcit Epidamni. Virum factum adoptat qui ſurripuerat civis Epidamnienſis, cui nulli erant liberi; ſed magna divitiarum copia. Jungit matrimonio Menæchmum uxori dotis ampliſſimæ, ſcribit hæredem teſtamento. Moritur lapſus in flumen, cum ad villam proficiſceretur. Menæchmus Soſicles vir & ipſe factus, deſiderio fraterno viæ ſeſe committit ad quærandum fratrem. Aliis atque aliis urbibus annos ſex totos fruſtrà colluſtratis, tandem venit Epidamnum. Ibi Cives omnes Epidamnienſes ſalutant hominem, appellant ſuo nomine, conveniunt, rati eſſe Menæchmum ſurreptitium qui Civitate donatus quotidie eorum oculis obverſabatur. Menæchmus ſurreptus habebat Epidamni uxorem, habebat Socerum, amicam Erotium, ſervos, ancillas, Paraſitum. Hi omnes ſic agunt cum Menæchmo Soſicle, ut cum Menæchmo ſurrepto. Hoc verò feſtivum. Pallam ſurripuerat ſurreptus Menæchmus uxori, quam amicæ daret Erotio. Furtum deprehendit uxor. Convenit Menæchmum Soſiclem, rata eſſe ſuum virum,

increpat hominem, vexat conviciis, rapit obtorto collo ad patrem ſuum, accuſat apud eum hominem pallæ ſurreptæ. Seſe purgat apud uxorem fratris ſui, & ſocerum; & uxor, & ſocer putant hominem inſanire. Vocant medicum. Medicus & ipſe putat, mandátque dictâ horâ ad ſe deferatur. Elabitur Soſicles, & ad navem revertitur. Veniunt Lorarii, & ſurreptum ſurripiunt, ferúntque ſublimem ad medicum. Meſſenio ſervus Soſiclis accurrit, ratus eſſe ſuum herum. Eripit hominem è Lorariorum manibus. Petit ab eo libertatem hujus officii nomine. Dat Menæchmus ſurreptus Meſſenioni libertatem. Revertitur Menæchmus Soſicles. Meſſenio ſic cum eo agit quaſi libertus. Miratur Soſicles, negátque eſſe Meſſenionem à ſe manu miſſum. Conqueritur de fide heri ſui Meſſenio. Tandem Menæchmus ſurreptus ſupervenit, & gemini fratres ſeſe mutuo cognoſcunt. Hæc fabula nomen habet à duobus Menæchmis. A Menandro ſumptum eſt argumentum, & ab hac Fabulâ, cui nomen erat gemini. Conſtat Prologo, Fabulâ, & Epilogo. Fabulæ protaſis patet à Prologo ad Scenam ſecundam Actus ſecundi, hinc ad Scenam nonam Actus quinti Epitaſis. Cataſtrophe Scena nona Actus quinti, in quâ eſt ἀναγνωρισμὸς duorum Menæchmorum mutua. Epilogus continetur verſu ultimo. In eâ Fabulâ innuitur non obſcurè quantam cladem afferant rei familiari adulteria, diſſenſiones, & odia conjugum, fortunarum dilapidationem, conjugum ipſorum mutuam ſpoliationem, mutuúmque contemptum, tantùm ut maritus uxorem paratus ſit vendere, uxórque maritum.

SCENA EST EPIDAMNI IN MACEDONIA.

PERSONÆ.

PROLOGUS.

MENÆCHMUS ſurreptus, Moſchi & Theuſimarchæ filius, frater Soſiclis.

SOCER, Menæchmi ſurrepti, pater uxoris Menæchmi Epidamnienſis, anonymus.

UXOR MENÆCHMI ſurrepti anonyma.

ANCILLA uxoris Menæchmi ſurrepti, anonyma.

EROTIUM, meretrix Menæchmi ſurrepti.

MEDICUS Menæchmi ſurrepti, anonymus.

PENICULUS, paraſitus Menæchmi ſurrepti.

SERVUS Menæchmi ſurrepti, anonymus.

LORARII Menæchmi ſurrepti, anonymi.

CYLINDRUS COQUUS Menæchmi ſurrepti, & Erotii.

MENÆCHMUS Soſicles, frater Menæchmi ſurrepti.

MESSENIO, Servus Menæchmi Soſiclis.

EPILOGUS.

PERIOCHA ACROSTICHA.

MERCATOR Siculus, cui erant gemini filii,
Ei, ſurrepto altero, mors obtigit.
Nomen ſurreptitii illi indit qui domi eſt
Avus paternus, facit Menæchmum Soſiclem.
Et is germanum, poſtquam adolevit, quæritat
Circum omnes oras. pòſt Epidamnum devenit:
Hîc fuerat auctus ille ſurreptitius.
Menæchmum civem credunt omnes advenam:
Eúmque appellant, meretrix, uxor, & ſocer.
Ii ſe cognoſcunt fratres poſtremò invicem.

INTERPRETATIO.

MOſchus *mercator Siculus habebat* duos *filios geminos. Is moritur, quia alter furto ablatus eſt.* Menæchmus *avus paternus imponit alteri, qui domi eſt, nomen illius, qui furto ereptus fuit, & vocat Menæchmum Soſiclem. Menæchmus Soſicles factus adultior fratrem quærit per omnes regiones: tandem appulit Epidamnum. Menæchmus ille ſurreptitius hîc pollebat* opibus. *Omnes accipiunt Menæchmum Soſiclem advenam pro Menæchmo cive. Meretrix, uxor, & ſocer ſic vocant. Demum ii fratres ſeſe invicem agnoſcunt.*

ANNOTATIONES.

1. *Filii gemini.*] Alter vocabatur Menæchmus Soſicles, & alter Menæchmus ſurreptus.

2. *Mortem appetit.*] Moſchus.

3. *Nomen ſurreptitii.*] Menæchmi nomen tribuit Soſicli fratri qui deinceps vocabitur Menæchmus Soſicles in totâ hac fabulâ, & alter ſurreptus Menæchmus ad tollendam confuſionem, quæ naſci poſſet è nominum ſimilitudine.

6. *Epidamnum.*] Epidamnus & Epidamnum dicitur: eſt urbs Macedoniæ ad littus Adriatici maris, quâ eſt breviſſimus è Græciâ in Italiam tranſitus: Epidamnus ab Epidamno Rege dicta; ſed Poëta noſter ludit in verbo, dicítque Actu 2. Sc. 1. nomen inditum fuiſſe à *damno.*

Propterea huic urbi nomen Epidamno inditum eſt,
Quia nemo fermè huc ſine damno divortitur.

Certè Plinius lib. 3. cap. 23. idem innuere videtur, *in ora*... (ſupple Macedoniæ,) *Epidamnum Colonia, propter inauſpicatum nomen à Romanis Dyrrachium appellata.* Hodiéque eſt *Durazzo*, vernaculum illius gentis factum à *Dyrrachio* nomen.

7. *Auctus.*] Auctus ætate, opibus, dignitate cumulatus.

8. *Civem.*] *Concitoyen.*

PROLOGUS.

ARGUMENTUM.

PROLOGUS conſtat partibus tribus, ſalutatione ſpectatorum, petitione attentionis, & argumenti propoſitione, quod adventu Menæchmi Epidamnum concludit.

SALUTEM primùm jam à principio propitiam
Mihi, atque vobis, ſpectatores, nuncio.
Apporto vobis Plautum linguâ, non manu:
Quæſo ut benignis accipiatis auribus.
Nunc argumentum accipite, atque animum advortite.
Quàm potero in verba conferam pauciſſima.
Atque hoc Poëtæ faciunt in Comœdiis.
Omneis res geſtas eſſe Athenis autumant,
Quò illud vobis Græcum videatur magis.
Ego nuſquam dicam, niſi ubi factum dicitur.
Atque adeò hoc argumentum Græciſſat, tamen
Non Atticiſſat, verùm Siciliciſſitat.
Huic argumento antelogium hoc fuit.
Nunc argumentum vobis demenſum dabo,
Non modio, neque trimodio, verùm ipſo horreo.
Tantum ad narrandum argumentum adeſt benignitas.

INTERPRETATIO.

IN primis mihi affero atque vobis, Spectatores, ſalutem fauſtam. Vobis affero Comœdiam Plautinam linguâ, non manu: Rogo ut accipiatis auribus faventibus. Jam audite argumentum atque adhibete mentem: id contraham in orationem breviſſimam quàm potero. Et poëtæ hoc agunt in Comœdiis. Arbitrantur omnia eſſe geſta Athenis, quò argumentum vobis appareat magis Græcum. Ego non dicam eſſe geſta, niſi ubi dicuntur geſta. Itaque hoc argumentum eſt Græcum, tamen, non eſt Atticum, ſed Siculum. Quod dixi hactenus eſt Prologus hujus argumenti. Jam vobis proponam argumentum, conſtans ſuis menſuris, non modio, neque trimodio, ſed ipſo horreo. Tanta eſt in eâ liberalitas ad exponendum argumentum.

ANNOTATIONES.

3. *Plautum.*] Plautus pro Comœdiâ Plautinâ, uſitatiſſima metonymia effecti pro efficiente: ſic dicimus legere Ciceronem, & in manibus habere Virgilium, pro Ciceronis Virgiliique operibus.

8. *Omnes res geſtas Athenis autumant.*] Meritò fingunt res quæ argumento ſunt Comœdiis, eſſe geſtas in urbibus principibus, quia in iis ſæpiùs accidunt res Theatro Scenâque dignæ, propter frequentiam Civium, diverſitatémque hominum, qui inibi aut manent, aut illuc conveniunt.

11. *Hoc argumentum Græciſſat.*] Feſtus: *Atticiſſat*, id eſt, *atticè loquitur*, *ſiciliſſat*, id eſt, *ſiculè loquitur*, alii *ſiciliciſſitat*. Temporibus Plauti videtur non alius fuiſſe ſermo Siculorum, quàm Græcus; non tamen ejuſmodi qualis erat in Atticâ Atheniſque Atticis; ſed minùs purus, ut nunc noſtra vernacula Pariſiis & præſertim in aulâ, puriſſima eſt; à quibus quò longiùs recedit, minùs elegans eſt. Siculorum ſermo temporibus Ciceronis erat partim Romanus, partim Græcus. Apuleius Siculos trilingues vocitat, quod ſermone Græco, Latino, & Siculo uterentur.

13. *Antelogium.*] Anteloquium, proloquium, & prologus eadem. Abhorret ſermo Latinus à monſtris verborum voce Latinâ Græcâque compoſitis, ſed inde captat riſum Plautus, quia dixit argumentum hoc non atticiſſare, ſed ſicilliciſſitare, id eſt minus eleganti ſermone conſtare.

15. *Verùm pro horreo.*] Ludit in verbo demenſum, dicitque in argumento exponendo non contractâ oratione eſſe ſibi utendum, ſed plenâ, ſed quaſi de horreo pleno hauſtâ, ut qui non modio admetiatur frumentum alicui; ſed de pleno horreo hauriendum permittat.

16. *Tantum.*] Id eſt, tanta erit in me verborum copia in exponendo argumento.

Mercator quidam fuit Syracuſis ſenex,
Ei ſunt nati filii gemini duo,
Ita formâ ſimili pueri, ut mater ſua
Non internoſſe poſſet, quæ mammam dabat:
Neque adeò mater ipſa, quæ illos pepererat,
Ut quidem ille dixit mihi, qui pueros viderat.
Ego illos non vidi, ne quis veſtrûm cenſeat.
Poſtquàm jam pueri ſeptuennes ſunt, pater
Oneravit navem magnam multis mercibus.
Imponit alterum geminum in navem pater,
Tarentum avexit ſecum ad mercatum ſimul:
Illum reliquit alterum apud matrem domi.
Tarenti ludi fortè erant, quom illuc venit:
Mortales multi, ut ad ludos, convenerant.
Puer aberravit inter homines à patre.
Epidamnienſis quidam ibi mercator fuit:
Is puerum tollit, avehitque Epidamnium.
Pater ejus autem, poſtquam puerum perdidit,
Animum deſpondit: eâque is ægritudine
Paucis diebus pòſt Tarenti emortuu'ſt.
Poſtquàm Syracuſas de re eâ nuncius redit
Ad avom puerorum, puerum ſubreptum alterum,
Patrémque pueri Tarenti eſſe emortuum,
Immutat nomen avos huic gemino alteri:
Ita illum dilexit, qui ſubreptus eſt, alterum.
Illius nomen indit illi, qui domi eſt:
Menæchmo idem quod alteri nomen fuit,

INTERPRETATIO.

Quidam ſenex fuit mercator Syracuſis. Ei nati ſunt duo filii gemini, pueri ſpecie adeò ſimili, ut ſua nutrix, quæ præbebat mammam, non poſſet dignoſcere; neque etiam mater ipſa, quæ illos ediderat, ut quidem mihi retulit ille qui viderat pueros. Ego non illos vidi, ne aliquis veſtrûm exiſtimet me vidiſſe. *Poſtquam pueri fuerunt annis ſeptem nati, pater impoſuit magnæ navi multas merces, & alterum filiorum geminorum, ſecum eum aſportat Tarentum ad mercatum; relinquit illum alterum domi apud matrem; erant fortè ludi Tarenti, quando appulit illuc: multi homines concurrerant*, ut fit, *ad ludos ſpectandos. Puer aberravit à patre intra turbam. Ibi quidam fuit mercator Epidamnienſis. Is aufert puerum, avehitque Epidamnum. Poſtquam ejus pater amiſit puerum, animum deſpondit: fato functus eſt Tarenti paucis diebus. Nuntio hujus rei delato Syracuſas ad avum puerorum, alterum puerorum eſſe furto ablatum, & patrem pueri eſſe defunctum Tarenti; idem avus commutat nomen hujus alterius gemini, adeò amabat illum alterum qui furto ablatus fuerat, tribuit illi qui domi eſt nomen ſubrepti; habuit idem nomen quod alter Menæchmus.*

ANNOTATIO.

19. *Mater quæ mammam præbet.*] Τιτθὴ mater quæ mammam dat, ἀπὸ τῦ τιτθῦ, *mamma.*

Et

Et ipſus eodem avus eſt vocatus nomine:
Propterea illius nomen memini faciliùs,
Quia illum clamore vidi flagitarier.
Ne mox erretis, jam nunc prædico priùs,
Idem eſt ambobus nomen geminis fratribus.
Nunc in Epidamnum pedibus redeundum eſt mihi,
Ut hanc rem vobis examuſſim diſputem.
Si quis quid veſtrum Epidamnum curari ſibi
Velit, is audacter imperato & dicito:
Sed ita, ut det, unde curari id poſſit ſibi.
Nam niſi qui argentum dederit, nugas egerit:
Quid dederit; magis majores nugas egerit.
Verùm illuc redeo unde abii, atque uno aſto in loco.
Epidamnienſis ille, quem dudum dixeram,
Geminum illum puerum qui ſurripuit alterum;
Ei liberorum, niſi divitiæ, nihil erat:
Adoptat illum puerum ſurreptitium
Sibi filium, eique uxorem dotatam dedit;
Eumque hæredem fecit, quàm ipſe obiit diem.
Nam rus ut ibat fortè, ut multum pluverat,

INTERPRETATIO.

& avus ipſe appellatus eſt eodem nomine. Idcirco recordor faciliùs illius nominis, quia vidi illum vocari voce præconis. *Ne fallamini modò, nunc moneo antea; ambos fratres geminos idem habuiſſe nomen. Nunc mihi repetendum eſt pedibus Epidamnum, ut vobis exponam id accuratè. Si quis veſtrum velit fieri aliquid in ſuum uſum apud Epidamnum; is jubeat & mandet audacter; ſed ita ut numeret pecuniam qua id fiat pro ſe. Nam operam luſerit; niſi qui dederit pecuniam; qui verò dederit pecuniam, fecerit magis ſtultè. Sed revertor illuc unde diſceſſi, atque conſiſto in uno loco. Ille Epidamnenſis quem dixi dudum fuiſſe ſuffuratum illum alterum puerum geminum, nullos habebat liberos, ſed habebat divitias; adoptat illum puerum ſurreptitium in ſuum filium, & ei dat uxorem cum ampliſſimâ dote, & eum ſcripſit hæredem antequam ipſe mortuus eſt. Nam cum iret fortè rus, & pluiſſet multùm,*

ANNOTATIONES.

46. *Clamore flagitarier.*] Per publicos præcones proclamabatur qui fuerat amiſſus.

49. *Pedibus redeundum.*] Id eſt, pedibus verſuum; ludit in ambiguo.

55. *Magis majores.*] Helleniſmus eſt. *Magis autem majores nugas egerit*, ut qui pecuniam det nihil ſuæ rei curaturo.

57. *Epidamnienſis ille.*] Luxata oratio, & pendens, niſi fortè parentheſi includatur verſus hic totus; *Ei liberorum, niſi divitiæ, nihil erat.*

59. *Ei liberorum, niſi divitiæ, nihil erat.*] Inacurata etiam oratio, id eſt, ei liberorum nihil erat, ei nihil erat niſi divitiæ.

62. *Quàm ipſe obiit diem.*] *Quàm*, id eſt, *priuſquàm*, & habent nonnulla manuſcripta.

63. *Pluverat.*] Pro *pluerat*, à veteri, *pluveo*, à quo *pluvia*. *Annuvo*, in Ennio, & *fuvit.*

Ingreſſus fluvium rapidum ab urbe haud longulè,
Rapidus raptori pueri ſubduxit pedes,
Abſtraxítque hominem in maximam malam crucem.
Illi divitiæ evenêrunt maximæ.
Is illîc habitat geminus ſurreptitius.
Nunc ille geminus, qui Syracuſis habet,
Hodie in Epidamnum venit cum ſervo ſuo
Hunc quæritatum geminum germanum ſuum.
Hæc urbs Epidamnus eſt, dum hæc agitur Fabula:
Quando alia agetur, aliud fiet oppidum:
Sicut familiæ quoque ſolent mutarier:
Modò enim fit leno, modò adoleſcens, modò ſenex,
Pauper, mendicus, rex, paraſitus, ariolus.

INTERPRETATIO.

& ingreſſus fuiſſet fluvium rapidum non longè ab urbe. fluvius rapidus rapuit pedes raptoris Menæchmi, & rapuit hominem in mortem in primis funeſtam. Ampliſſimæ opes contigerunt Menæchmo ſurrepto; *ille geminus ſubreptitius manet hìc. Qui verò habet domicilium Syracuſis, venit hodie Epidamnum cum ſuo ſervo quæſitum hunc ſuum germanum geminum. Hæc urbs eſt Epidamnus, interea dum luditur hæc Fabula. quando repræſentabitur aliud, evadet aliud oppidum; ſicut quoque familiæ ſolent mutari, nam idem evadit, modò leno, modò adoleſcens, modò ſenex, pauper, mendicus, rex, paraſitus, ariolus.*

ANNOTATIONES.

66. *Malam crucem.*] Hic furcam non intelligit, ut quando de ſervis eſt ſermo, ſed mortem. Ponitur aliquando *peſtis*, pro cruce. Meretrices Terentius appellat *cruces*. Plautus creditores, *aliqua mala crux ſemper eſt, quæ aliquid petat.*

74. *Familia.*] *Hiſtrionum.*

ACTUS PRIMUS.

ARGUMENTUM.

MENÆCHMUS ſurreptus ſurreptam uxori pallam Erotio meretrici dat, mandat inſtrui cœnam apud eam, dum revertatur à foro.

ACTUS PRIMUS. SCENA PRIMA.

ARGVMENTVM.

PENICULUS Paraſitus artis paraſiticæ damnum maximum notat, libertatis videlicet in verbis & factis, qualis eſſe debet hominis generoſi & bene nati, pergit ad Menæchmum, quem in ſe prædicat liberaliſſimum.

PENICVLVS Paraſitus.

JUVENTUS nomen fecit Peniculo mihi,
Ideò quia menſam, quando edo, detergeo.
Homines captivos qui catenis vinciunt,
Et qui fugitivis ſervis indunt compedes,
Nimis ſtultè faciunt, meâ quidem ſententiâ.
„Namque HOMINI MISERO ſi ad malum accidit malum,
„Major lubido eſt fugere, & facere nequiter.
Nam ſe ex catenis eximunt aliquo modo.
Tum compediti januam limâ proterunt,
Aut lapide excutiunt clavum. nugæ ſunt eæ.
Quem tu aſſervare rectè, ne aufugiat, voles,
Eſcâ atque potione vinciri decet.
Apud menſam plenam homini roſtrum deliges.
Dum tu illi, quod edit & quod potet, præbeas,
Suo arbitratu *&* affatim cotidie,
Nunquam edepol fugiet, tametſi capital fecerit.

INTERPRETATIO.

PEN. *JUvenes me notarunt nomine Peniculi, quoniam abſtergo menſam, quando edo. Qui conſtringunt catenis captivos, & qui alligant compedibus ſervos fugitivos, faciunt nimis inſanè, meo quidem judicio; nam ſi adjiciatur malum malo, homo miſer tenetur majore deſiderio fugiendi, & faciendi mali. Nam ſeſe expediunt quoquomodo ex vinculis. Tum compedibus vincti deterunt januam limâ, aut eruunt clavum lapide: ea ſunt nugæ. Si tu optaveris retinere quempiam arctè, ne evadat, oportet conſtringi cibo & potu. Alliga os hominis ad menſam refertam cibis, dummodò illi exhibeas quotidiè quod edat, & quod bibat ad arbitrium, & affluenter; per ædem Pollucis nunquam evadet, tametſi commiſerit* crimen *capitale.*

ANNOTATIONES.

1. *Peniculo.*] Feſtus: *Peniculus eſt ſpongia oblonga, caudæ ſimilis, ad excutiendum pulverem, quales ſunt caudæ vulpinæ & bubulæ.* Arnobius vocat, *peniculamentum. Penicillus* eſt ejuſdem originis.

9. *Januam limâ.*] Alii *anum*, id eſt, *annulum. Annulis* enim conſtant cathenæ.

16. *Capital fecerit.*] Feſtus: *Capital facinus eſt quod capitis pœnâ luitur.* Capitale admittere; ſcilicet *crimen.*

OOoo ij

Facilè aſſervabis, dum eo vinclo vincies.
„Ita iſtæc NIMIS LENTA vincla ſunt eſcaria.
„Quàm magis extendas, tantò aſtringunt arctiùs.
Nam ego ad Menæchmum nunc eo, quo jam diu
Sum judicatus, ultrò eo ut me vinciat.
Nam illic homo homines non alit, verùm educat
Recreátque: nullus meliùs medicinam facit.
Ita eſt adoleſcens ipſus eſcæ maxumæ,
Cerealeis cœnas dat, ita menſas extruit:
Tantas ſtruices concinnat patinarias;
Standum eſt in lecto, ſi quid de ſummo petas
Sed mihi intervallum jam hos dies multos fuit;
Domi domitus fui uſque cum caris meis.

INTERPRETATIO.

Tueberis facilè, intereadum tenebis eo vinculo, ita iſta vincula eſcaria ſunt flexilia ad vinciendum, quantò magis producas, tantò arctiùs vinciunt. Idcirco ego eo jam ad Menæchmum à quo ſum jamdiu condemnatus. Eo ultrò ut me conſtringat: nam ille non nutrit homines, ſed ſaturat, ac oblectat convivas: nullus meliùs exhibet medicinam fami, *adeò adoleſcens ipſe multò edaciſſimus apponit cœnas Cereris feſtis dignas, adeò onerat menſas, adeò componit magnas ſtruices patinarias, ſi aliquid petas à ſummâ menſâ, ſtandum in lecto; ſed abfui longè ab his jam à multis diebus, fui ſemper tectus meo tecto, cum meis.*

ANNOTATIONES.

19. *Quàm magis extendas.*] Lucretius:
——*Vicina cacumina cœlo*
Quàm ſint quæque magis, tanto magis edita fumant.

21. *Vinciat.*] Quoniam dixit ſuperioribus verſibus duobus, eſſe vincula eſcaria, cibos; profitetur paraſitus ſe pergere ad Menæchmum ut vinciatur.

22. *Non alit, verùm educat.*] Nonius: *Alere eſt victu cultúque temporali vitam ſuſtentare; educare, ad ſatietatem perpetuam educere.*

23. *Recreátque.*] Quaſi dicat fame perditos creari denuo a Menæchmo.

24. *Adoleſcens eſca maxima.*] Id eſt, qui multum edit. Varro: *Cibi majoris.* Horatius: *Multi meri Damalis.* Columella: *Boves multi cibi*, id eſt, *edaciſſimi.*

25. *Cereales cœna.*] Id eſt, opimæ cœnæ. Feſtis Cerealibus agreſtes lautioribus epulis, & copioſioribus indulgebant. Varro: *Cerealem pompam* vocat fercula, quæ in cerealibus epulis ferebant.

Menſas extruxit.] *Structores* ſervi qui miniſtrant cibos, & qui ſecant. Qui ſecant Juvenali ſunt *carptores.* Apuleio: *Diribitores*; aliis, *ſciſſores.* Juvenalis: *Et Cheironomanta volanti cultello*, id eſt, *ſciſſor.*

26. *Struices patinarias.*] Quod nos jam vocamus, *ſtructis in Pyramidem* cibis, *cu pyramide.* Idem ac *ſtrues*, & *ſtructor* coquum ſignificat. Feſtus: *Struices antiqui dicebant omnium rerum extructiones. Struices ſaxea, ſtruix* malorum. Strue re penum, convivia, epulas, fercula. Athenæus, τραπεζόνομος. τραπεζοποιὸς, *ſtruere eſt adjicere, augere. Induſtrius*, à *ſtruo.*

28. *Sed mihi intervallum.*] Id eſt, intervallum longum fuit jam à multis diebus inter me & illas ſtruices.

29. *Domi domitus.*] Domitus, quaſi domo incluſus, quaſi *domo domas*, ſignificat, *includere domo*, quaſi dicas, *tecto tectus*, pro *domo domitus.*

Cum caris meis.] Caros vocat, & liberos & cibos, & liberi quidem parentibus ſunt cari; ſed ſui ſuis. Cari etiam cibi paraſito, etſi per ſeſe viles: ut potè cui erat, *res anguſta domi*, atque adeò quod vile erat Menæchmo, erat charum Peniculo: itaque *cum caris meis*, id eſt, *cum cibis quos emi cariſſimè, ſi ratio ha-*

Nam neque edo, neque emo, niſi quod eſt cariſſimum.
Id quoque jam çari, qui inſtruuntur, deſerunt.
Nunc ad eum inviſo. ſed aperitur oſtium.
Menæchmum eccum ipſum video, progreditur foràs.

INTERPRETATIO.

Nam neque manduco, neque emo, niſi quod eſt maximi pretii: jam cari cibi, *qui inſtruuntur, deſerunt quoque id. Jam vado ad eum; ſed reſeratur janua. Ecce conſpicor Menechmum ipſum: venit foras.*

ANNOTATIO.

beatur mearum fortunarum. Quod deinde ſubjicit, ex hac explicatione planum eſt, quaſi dicat; nam neque edo apud me, neque emo, niſi quod eſt cariſſimum: videlicet tam carum eſt quod edo & emo de meo, quàm carum eſt Menæchmo quod edit & emit ex ſuo, ratione utriúſque fortunarum habitâ. Qui ſequitur verſus habet nonnihil obſcuritatis quod tollitur; ſi, quod frequentiſſimum eſt in Plauto, *Id*, in, *id quoque jam cari*, ſignificet *idcirco*; quaſi dicas, *per id*, ſic enim erit id reddendum: *Quia neque edo, neque emo, niſi quod eſt cariſſimum, idcircò cibi qui mihi parantur, me deficiunt, deficiente pecuniâ, quâ parentur.*

ACTUS PRIMUS. SCENA SECUNDA.

ARGUMENTUM.

INDIGNATUR Menæchmus quòd uxor curioſiùs inquirat in ſua facta, ſurreptam uxori pallam Peniculo comite ad Erotium defert.

MENÆCHMUS Surreptus, PENICULUS Paraſitus.

MENÆCHMUS.

NI mala, ni ſtulta ſis, ni indomita impóſque animi,
Quod viro eſſe odio videas, tute tibi odio habeas.
Præterhac ſi mihi tale poſt hunc diem
Faxis, faxo foris vidua viſas patrem.
Nam quoties foràs ire volo, me retines, revocas,
Rogitas quò ego eam, quàm rem agam, quid negotii geram,
Quid petam, quid feram, quid foris egerim.

INTERPRETATIO.

MEN. *Niſi es nequam, niſi amens, niſi contumax & impotens, tu debes odio habere, quod intelligis eſſe odio viro. Praterea ſi mihi feceris aliquid hujuſmodi impoſterum, efficiam ut orba viro revertaris ad patrem; nam quoties cupio egredi domo, me retentas, retrahis, percontaris quò ego pergam, quid moliar, quid efficiam, quid proponam, quid fecerim foris.*

ANNOTATIO.

4. *Vidua viſas patrem.*] Id eſt, efficiam ut repudiata, & ſic à me ſejuncta, quaſi eſſem mortuus, & tu vidua, revertaris ad patrem tuum.

Portitorem domum duxi. ita omnem mihi
Rem neceſſe loqui eſt quicquid egi atque ago.
Nimiùm ego te habui delicatam.
Nunc adeò, ut facturus, dicam. quando ego tibi ancillas, penum,
Lanam, aurum, veſtem, purpuram bene præbeo: nec quicquam eges:
Malo cavebis, ſi ſapis: virum obſervare deſines.
Atque adeò, ne me nequicquam ſerves, ob eam induſtriam
Hodie ducam ſcortum ad cœnam, atque aliquò condicam foras.
PE. Illic homo ſe uxori ſimulat maleloqui, loquitur mihi.
Nam ſi foris cœnat; profectò me, haud uxorem, ulciſcitur.

INTERPRETATIO.

Duxi pro uxore portitorem, ita oportet me aperire omnia quæ feci atque facio. Ego tecum egi indulgentiùs; nunc aperiam quemadmodum ſum acturus. Quia ego tibi do liberaliter ancillas, pannum, lanam, aurum, veſtem, purpuram, nec cujuſquam rei indiges; cavebis ne *malum* ingruat, *ſi es ſana: ceſſabis maritum obſervare, atque ut non me obſerves incaſſum, propter illam tuam diligentiam ductabo hodie ſcortum, & condicam horam ad cœnandum foris alicubi.* PE. *Ille homo putat ſe dicere ingrata uxori; ſed mihi. nam ſi epuletur foris, certe ultionem ſumit de me, non de uxore.*

ANNOTATIONES.

8. *Portitorem.*] Portitores erant quibus erat demandatum explorare merces quæ exportabantur importabantúrque, & eas habere in numerato; & pro iis nomine Principis aut Reipublicæ tributum certum exigere. Sunt qui exiſtimant dici portitorem tantum à portu. Portò hoc loco deplorat vicem ſuam Menæchmus ſurreptus, qui pro uxore duxiſſe videtur portitorem, quia portitores curioſiùs obſervare ſolebant,. & excutere euntes redeuntéſque, ne quid lateret intra veſtes, aut alicubi, pro quo *portorium*, quod vocabant, eſſet ſolvendum. Sic Menæchmi uxor, quidquid vir ſuus egit, quidquid agat curioſiſſimè obſervat.

10. *Nimiùm ego te habui delicatam.*] Nimis molliter & indulgenter tecum egi.

11. *Ut facturus.*] Dicam quemadmodum in poſterum ſim tecum acturus.

12. *Nec quidquam eges.*] Id eſt, nec quoquam eges. Veteres paſſim his verbis fungor, fruor, utor, egeo, jungunt cum accuſativo. Cato apud Aulum Gellium lib. 13. cap. 22. *Siquid eſt quod utar. utor: ſi non eſt. egeo. Suum cuique per me uti atque frui liceto vitio vertunt, quia multa egeo: at ego illis, quia nequeunt egere.*

13. *Male cavebis.*] Idem eſt ac *malum cavere, & cavere malam rem.* Voces minantis ſunt, quas noſtro vernaculo reddimus, *prenez garde à vous.*

14. *Ne me nequicquam obſerves.*] Voces ſunt viri obſervetúrne ab uxore, nec ne parum curantis, quaſi dicat: Ne luſiſſe operam in me obſervando tibi videaris, quia in me nihil deprehenderis, quod tibi culpâ dignum videatur. Non tam explendæ libidinis deſiderio, quàm caſtigandæ curioſitatis tuæ *ob induſtriam*, id eſt, *de induſtriâ, datâ operâ faciam quod nequaquam fecerim, niſi exaſperatus tuâ curioſitate; ducam videlicet ſcortum, & condicam cœnam alicubi.*

15. *Condicam.*] Feſtus: *Condicere eſt dicendo denunciare*, id eſt, aliquò condicam foras extra ædes noſtras cœnam procul à tuis conviciis. Crediderim *condicere cœnam*, locum ſignificare, indicare cœnam, ſeu cœnæ; ita-ut ii quibus judices conveniant, & de cœnâ & de loco, idque ſignificari præpoſitione in, *condicere*, quaſi *ſimul dicere.*

16. *Maleloqui.*] Hoc loco *male loqui.* non ſignificat *male dicere.* Sed dicere ingrata & injucunda.

ME. Evax, jurgio hercle tandem uxorem abegi ab januâ.
Ubi amatores ſunt mariti? dona quid ceſſant mihi
Conferre omnes, congratulantes, quia pugnavi fortiter?
Hanc modò uxori intus pallam ſurripui. ad ſcortum fero.
Sic hoc decet dari facetè verba cuſtodi catæ.
Hoc facinus pulchrum eſt, probum hoc eſt, hoc lepidum, hoc factu'ſt fabrè.
Meo malo à malâ abſtuli: hoc ad damnum deferetur *hinc*
Averti prædam ab hoſtibus, noſtrûm ſalute ſociûm.
PE. Heus adoleſcens, ecqua in iſtâc pars ineſt præmii mihi?
ME. Perii! in inſidias deveni. *PE.* imò in præſidium. ne time.
ME. Quis homo eſt? *PE.* ego ſum. *ME.* ô mea commoditas, ô mea opportunitas,
Salve. *PE.* ſalve. *ME.* quid ais? *PE.* teneo dexterâ Genium meum.

INTERPRETATIO.

ME. *Evax! per Herculem ſummovi tandem ab oſtio uxorem objurgatione; ubi ſunt qui amant? quin mihi conferunt omnes præmia & congratulantur, quod decertavi ſtrenuè? Suffuratus ſum modò in adibus hanc pallam uxori; fero ad ſcortum. Sic oportet ludificari feſtivè obſervatricem curioſiorem. Hoc factum eſt egregium, eſt probum, eſt feſtivum, hoc eſt factum affabrè. At abſtuli à malâ, mala fero. Hoc deferetur ad damnoſam* Erotium; *averti prædam ab hoſtibus, noſtris ſociis ſalvis.* PE. *Heus Menæchme, quænam pars mihi eſt in iſtâ prædâ?* ME. *Perii, incidi in inſidias.* PE. *Imò in præſidium, ne metuas.* ME. *Quis eſt homo?* PE. *Ego ſum.* ME. *Mea commoditas, ô mea opportunitas, ſalve.* PE. *Salve.* MEN. *Quid ais?* PE. *Teneo dextrâ meum genium.*

ANNOTATIONES.

18. *Jurgio.*] Nonnius: *Jurgium levius eſt quàm lis.* Hoc nomine appellari ſolent rixæ, & motæ repente, repentéque compoſitæ ac placatæ inter familiares, vicinos, amicóſque contentiones. Tamen & jurgium pro litigio, & vice versâ litigium pro jurgio nonnunquam ſumitur. Vide verſu hujus ſcenæ 42.

21. *Pallam ſurripui.*] Feſtus: *Palla eſt honeſtæ mulieris veſtimentum.* Suppl. exterius.

23. *Factum' ſt fabrè.*] Factum eſt fabre; id eſt, affabre factum, quaſi fabri docti arte expolitum; metaphoricè.

24. *Meo malo à malâ abſtuli.*] Suffuratus ſum pallam ab uxore dandam ſcorto.

24. *Ad damnum deferetur.*] Metonymia adjuncti pro ſubjecto, exaggerandæ orationi idonea. Sic crebro apud hunc autorem, & perpetuum ejus imitatorem Tullium, *ſcelus* pro ſceleſto, peſtis pro homine exitioſo, invenire licet.

25. *Averti prædam ab hoſtibus.*] Supra uſus eſt verbis, quæ ad artem militarem pertinent, qualia ſunt, *pugnavi fortiter. Dona quid ceſſant mihi conferre*, hic de prædâ & de ſociis, ut ſit allegoria. Prædam vocat pallam, hoſtes uxorem, ſocios paraſitum & ſcortum.

26. *Ecqua in iſtâc pars ineſt præmii.*] Peniculus paraſitus, qui audiit verba Menæchmi, è latebris tandem in conſpectum erumpit, & allegoriâ continuatâ, ait; quæ pars erit mihi in iſtâ prædâ, quam dicis eſſe à te actam.

27. *In inſidias deveni.*] Continuat etiamnum Menæchmus allegoriam à re militari.

Imò in præſidium.] Eſt & allegoriæ continuatio.

28. *O mea commoditas.*] Metonymia adjuncti pro ſubjecto, *opportunitas* pro opportuno, *commoditas* pro commodo.

29. *Genium meum.*] Adulatoria vox paraſiti adverſus eum à quo cœnam expe-

ME. Non potuiſti magis per tempus mihi advenire, quàm advenis.
PE. Ita ego ſoleo: commoditatis omneis atticulos ſcio.
ME. Vin tu facinus luculentum inſpicere? *PE.* Quis id coxit coquus?
Jam ſciam, ſi quid titubatum eſt, ubi reliquias videro.
ME. Dic mihi, nunquam tu vidiſti tabulam pictam in pariete,
Ubi aquila Catamitum raperet, aut ubi Venus Adoneum?
PE. Sæpe. ſed quid iſtæ picturæ ad me attinent? *ME.* age, me aſpice.
Ecquid aſſimulo ſimiliter? *PE.* quid iſtic eſt ornatus tuus?
ME. Dic hominem lepidiſſimum eſſe me. *PE.* ubi eſuri ſumus?

INTERPRETATIO.

ME. *Non potuiſti advenire ad me magis tempeſtivè, quàm advenis.* PE. *Ego ita conſuevi; novi omnia intervalla commoditatis.* ME. *Viſne eſſe teſtis facinoris luculenti?* PE. *Quis coquus coxit id? Sciam modò, ſi aliquid eſt peccatum, quando videro reliquias.* MEN. *Dic mihi, nunquámne tu vidiſti tabulam pictam in pariete, in quâ aquila tollit Ganimedem, aut in quâ Venus Adonidem?* PE. *Sæpe; ſed quid iſta picturæ ad me ſpectant?* ME. *Age, intuere me, & quid repræſento graphicè?* PE. *Quis eſt iſte ornatus tuus?* MEN. *Fatere me eſſe hominem ſcitiſſimum.* PE. *Ubi cœnaturi ſumus?*

ANNOTATIONES.

ctat unctiorē. Idem in Curculione, in Bacchidibus, in Moſtellariâ. Ergaſilus in Captivis vocat Hegionis filium Philopolemum *ſuum genium.* Et ut intelligatur quò pertineat Paraſitica adulatio, Cenſorinus ſcribit genios dictos, quia ut gignamur curent, ſive quòd unà gignantur nobiſcum; vel etiam, quia nos genitos ſuſcipiant ac tueantur. Multi de genio Socratis multa; ſed eo univerſa recidunt, ut ſuadeant additos eſſe cuivis mortalium cuſtodes Spiritus, quales nos, Evangelio ſic præcipiente, credimus habere Angelos Cuſtodes. Geniorum nomine comprehendebant veteres Deos domeſticos, lares & penates.

31. *Commoditatis omnes articulos ſcio.*] Dictum admodum eleganter; ſed ſubeſt jocus in ambiguo: commoditatis enim, vel ſuæ, vel Menæchmi articulos intelligit; ſed imprimis ſuæ paraſitus.

32. *Quis id coxit coquus.*] Geſtit Menæchmus narrare furtum pallæ; ſed paraſitus de liguriendo tantum cogitat. Itaque nullum luculentum facinus eſſe putat, niſi geſtum ad luculentum focum, idque in culinâ.

33. *Si quid titubatum eſt.*] Si quid peccatum à coquo. Sic dicimus, *il ne faut pas broncher devant luy.*

35. *Catamitum.*] Id eſt, Ganymedem puerum mollem, & diſſolutum. A Jove in Aquilam verſo raptus in Cœlum, & pocillator factus Deorum dicitur Ganymedes Troïs filius.

Adoneum.] Adonis, is, & idis. Nota eſt Adonidis fabula: hic Cyniræ Regis Cypriorum & Myrrhæ filius, adamatus eſſe à Venere dicitur.

36. *Quid iſta pictura ad me attinent.*] Nimirum eſt paraſiti ventrem lubentiùs cibo quam oculos picturâ paſcere.

37. *Quid iſtic ornatus tuus?*] Admirationis Peniculi cauſa eſt, quia induerat pallam uxoriam Menæchmus, quod hoc minùs mirum videatur, quod muliebris à virili parum diſtaret forma; ſed & coloribus erat exquiſitioribus illa & pretio. Porrò palla erat veſtis manicata, quæ fermè ad genua deſcendebat, quale eſt illud indumentum, quod nos vocamus, *un juſte-au-corps.*

38. *Ubinam eſuri ſumus.*] Aucupatur laudem à Peniculo Menæchmus: ſed interim uni rei intentus eſt Paraſitus, ut ſciat, ubi eum maneant epulæ.

ME. Dic

ME. Dic modò hoc quod ego te jubeo. *PE.* dico : homo lepidiſſime.
ME. Ecquid audes de tuo iſtuc addere ? *PE.* atque hilariſſime.
ME. Perge. *PE.* non pergo hercle ego, niſi ſcio quâ gratiâ.
Litigium eſt tibi cum uxore. oh, mihi abs te caveo cautiùs.
ME. Clam uxorem ubi ſepulchrum habeamus, & hunc comburamus diem.
PE. Age ſanè igitur, quando æquum oras, quàm mox incendo rogum!
Dies quidem jam ad umbilicum eſt dimidiatus mortuus.
ME. Te moráre, mihi quom obloquere. *PE.* oculum effodito perſolum
Mihi, Menæchme, ſi ullum verbum faxo, niſi quod juſſeris.
ME. Concede huc à foribus. *PE.* fiat. *ME.* etiam concede huc. *PE.* licet.
ME. Etiam nunc concede audaƈter ab leonino cavo.

INTERPRETATIO.

ME. *Loquere modò idquod ego tibi impero ut dicas.* PE. *Dico, ô homo feſtiviſſime.* ME. *Quin audes tu adjicere de tuo?* PE. *Et jucundiſſime.* ME. *Proſequere.* PE. *Per Herculem ego non pergam, niſi intelligo quamobrem. Tibi eſt contentio cum uxore. Oh, ego volo per te fieri certior.* ME. *Ubi inveniemus ſepulchrum ignotum uxori, in quo incendamus hunc diem.* PE. *Age profeƈtò, quoniam dicis rem juſtam, quàm citiſſime incēdo rogum! Jam ſanè dies eſt mortuus medius uſque ad umbilicum.* ME. *Te retardas interea dum mecum loqueris.* PE. *Erue mihi oculum quem ſolum habeo. Menechme, ſi miſero ullū verbū, niſi quod imperaveris.* ME. *Accede ad me & recede à januá.* PE. *Recedo.* ME. *Recede adhuc.* PE. *Recedo.* ME. *Recede etiamnum audaƈter ab cubili leonis.*

ANNOTATIONES.

42. *Litigium eſt tibi cum uxore.*] Hic litigium idem ſignificat, ac jurgium. Sed melioris notæ autores, in quibus principem ferè locum tenet hic noſter, elegantiæ ergo promiſcuè uſurpant ea verba, quum eſt, aut exaggeranda, aut minuenda oratio.

43. *Comburamus diem.*] De mortuo die dicitur, id eſt, finito. Cœna enim finito die fiebat. Itaque comburere diem, eſt cœnare. Alibi mori dies dicitur. Statius: *Jam moriente die rapuit me cœna benigni Vindicis.* Dies *componi* dicitur etiam, *componere* autem eſt funerum. Virgilius:

Ante diem clauſo componet veſper Olympo.

Id eſt, *ſepeliet* diem *noƈte.* Horatius: *Condere die.* Condere autem eſt etiam *funerum*, ut *mori* dicitur dies, *ſepeliri*, *comburi*, ſic *naſci*, ſic *adoleſcere*. *Adultus ſol*, eſt *ſol meridianus*.

45. *Ad umbilicum.*] Id eſt, ad mediam partem. Cicero: *Umbilicus Siciliæ.* Livius: *Ætoli umbilicus Græciæ.* Plinius: *Rheatini umbilicus Italiæ.* Horatius: *Promiſſus carmen iambos ad umbilicum ducere.* Hic umbilicus finem ſignificat, non medium librum. Umbilicus enim erat nodus, quo, tanquam fibulâ, involutus manebat liber, libri enim illo tempore totis pellibus inſcribebantur; deinde involvebantur, unde volumen dicebatur liber: & ut involuti manerent, erat nodus aliquis extremus, qui anſulâ inſertus retinebat librum involutum, & nodus hic umbilicus dicebatur.

46. *Oculum effodito per ſolum.*] Penulus erat cocles, quaſi dicat: cœcus fiam effoſſo meo oculo, ſi verbum addam.

49. *Leonino cavo.*] *Leonino ſpecu, leonis caverna*, id eſt, ab ædibus uxoris quæ inſtar *leænæ* rugit.

PE. Heu edepol, næ tu, ut ego opinor, eſſes ſagittator probus.
ME. Quî dum? *PE.* ne te uxor ſequatur, reſpectas identidem.
ME. Sed quid ais? *PE.* egóne? id enim quod tu vis, id aio, atque id nego.
ME. Ecquid tû de odore poſſis: ſi quid fortè olfeceris,
Facere conjecturam? *PE.* captum ſit collegium *augurum.*
ME. Agedum odorare hanc quam ego habeo pallam. quid olet? abſtines?
PE. Summum olfactare oportet veſtimentum muliebre,
Nam ex iſtoc loco ſpurcatur naſum odore illutibili.
ME. Olfacta igitur hinc, Penicule lepide. ut faſtidis! *PE.* decet.
ME. Quid igitur? quid olet? reſponde. *PE.* furtum, ſcortum, prandium.
ME. Nunc ad amicam deferetur hanc meretricem Erotium.
Mihi, tibi, atque illi jubebo jam apparari prandium.
Inde uſque ad diurnam ſtellam craſtinam potabimus.
PE. Expeditè fabulatu's: jam fores ferio? *ME.* feri:
Vel mane etiam. *PE.* mille paſsûm commoratu's cantharum.

INTERPRETATIO.

PE. *Per ædem Pollucis, tu eſſes peritus agitator equorum, ut ego arbitror.* ME. *Quare?* PE. *Retro aſpicis identidem ne uxor te conſequatur.* ME. *Quid dicis verò?* PE. *Egóne? Aio & nego, id quod tibi libet.* ME. *Ecquam conjecturam poſſes tu facere de odore, ſi fortaſſe aliquid ſubodoratus fueris?* PE. *Vincam conjecturâ collegium ipſum augurum.* ME. *Agedum odorare hanc pallam quam ego habeo. Quid olet? repugnas.* PE. *Oportet olfacere ſummam veſtem muliebrem: nam naſus opple-tur ex loco hoc odore qui elui nullo modo poteſt.* ME. *Odorare ergo hac parte, Penicule delicatulo, ut faſtidis?* PE. *Decet.* ME. *Quid igitur? Quid olet? Repone.* PE. *Furtum, meretricem, epulum.* ME. *Jam deferetur ad amicam Erotium. Mandabo jam mihi inſtrui cœnam, tibi, & illi: ex hac horâ bibemus uſque ad luciferum craſtinum.* PE. *Commodè dixiſti: jam pulſo fores.* ME. *Pulſa: vel ceſſa etiam.* PE. *Cantharum retardatum eſt mille paſſibus.*

ANNOTATIONES.

50. *Agitator.*] *Agitatores* hoc loco ſunt aurigæ qui in ludis Circenſibus decertant, & reſpectant identidem, ut videant qui proximè conſequantur ad præcipiendam palmam victoriæ.

52. *Id enim quod tu vis.*] Paraſiticæ adulationis eſt ad voluntatem eorum apud quos cœnant loqui; liberi hominis eſt & conſtantis, nullam facere veritati vim, & ubi nullus eſt verbo locus; ſaltem ſilentio eam defendere.

54. *Captum ſit collegium augurum.*] Vincam totum collegium augurum divinando.

59. *Furtum, ſcortum, prandium.*] Id eſt, furtum quo eſt ablata ab uxore palla, ſcortum ad quod defers pallam furto ablatam, & prandium ad quod noſmet accingimus.

62. *Stellam diurnam craſtinam.*] Id eſt, ad *luciferum.*

64. *Cantharum.*] Increpat mores Menæchmi Peniculus fame conſumptus, exprobrátque quod in illâ tergiverſatione moræ afferuntur circumferendo Cantharo ad fundendum vinum.

ME. Placidè pulta. *PE*. metuis credo, ne fores Samiæ ſient.
ME. Mane, mane obſecro hercle: ab ſe ecca exit. *PE*. oh! Solem vides.
Satin' ut occæcatus præ hujus corporis candoribus!

INTERPRETATIO.

M E. *Feri leniter.* P E. *Times puto, ne fores ſint fictiles.* M E. *Ceſſa, ceſſa obteſtor per Herculem. Ecce prodit ſuopte nutu* Erotium. PE. *Oh! vides Solem. Cerniſne ut eſt obſcurus, ſi conferatur cum candore hujus corporis.*

ANNOTATIONES.

65. *Placide pulta.*] Inurbanum eſt & arrogans alienas fores impellere gravius, pro ſpecie, & pro fictilibus ex quacumque tandem gente fuerint allata.

65. *Samia.*] Quia fiebant fictilia vaſa apud Samum, eſt metonymia generis

66. *Abs ſe ecca exit.*] Id eſt, ſponte, antequam pulſaveris, antequã evocaveris.

ACTUS PRIMUS. SCENA TERTIA.

ARGUMENTUM.

DAT Erotio pallam uxori ſurreptam Menæchmus ſurreptus, eique mandat, ut tribus apparari curet cœnam, Menechmo ſurrepto, Peniculo, Erotio.

EROTIUM mulier, PENICULUS Paraſitus, MENÆCHMUS ſurreptus.

EROTIUM.

ANIME mi, Menæchme, ſalve. *PE*. Quid ego? *ER*. extra numerum es mihi.
PE. Idem iſtuc aliis aſcriptivis ad legionem fieri ſolet.

INTERPRETATIO.

ERO. *Salvus ſis, chariſſime Menæchme.* P E. *Quid ego?* E R. *Non es è numero meorum.* PE. *Ita mos eſt agere cum aliis militibus, qui adſcribuntur ad copias.*

ANNOTATIONES.

1. *Quid ego?*] Id eſt, quid ego ſalutis accipiam? vel nonne me quoque ſalutabis.

Extra numerum es mihi.] Non te numero inter meos amatores.

2. *Aſcriptivis.*] Id eſt, *adſcriptitiis. Adſcriptitii* autem milites eodem jure gaudebant, atque alii quibus erant *adſcripti. Adſcriptivi* dicti, quòd olim adſcriberentur inermes qui ſuccederent armatis militibus, ſi quis eorum deperiſſet. Itaque Paraſitus jocum captat à verbo Erotii *extra numerum*, quaſi dicat: Tu dicis me eſſe extra numerum, idem igitur mihi ſit jus, atque iis militibus, qui ſunt extra numerum; ut videlicet ſuccedam in locum armatorum, ut ſuccedam in locum Menæchmi, & poſtquam tribueris ſalutem Menæchmo, tribuas & mihi.

ME. Ego iſtic mihi hodie apparari juſſi apud te prœlium.
ER. Hodie id fiet. *ME.* in eo uterque pro Ilio potabimus,
Uter ubi melior bellator erit inventus cantharo.
Tua eſt legio: adjudicato, cùm utro hanc noctem ſies.
Ut ego uxorem, mea voluptas, ubi te aſpicio, odi malè!
ER. Interim nequis, quin ejus aliquid indutus ſies.
Quid hoc eſt? *ME.* induviæ tuæ, atque uxoris exuviæ, roſa.
ER. Superas facilè ut ſuperior ſis mihi, quàm quiſquam qui imperitant.
„*PE.* Meretrix tantiſper blanditur, dum illud quod rapiat videt.
Nam ſi amabas, jam oportebat naſum abreptum mordicus.
ME. Suſtine hoc, Peniculè! exuvias facere, quas vovi, volo.
PE. Cedò! ſed obſecro hercle ſalta ſic cum pallâ póſteâ.
ME. Ego ſaltabo? ſanus hercle non es. *PE.* egóne, an tu magis?
Si non ſaltas, exue igitur. *ME.* nimio ego hanc periculo
Surripui hodie, meo quidem animo, ab Hippolytâ ſuccingulum

INTERPRETATIO.

ME. *Ego mandavi mihi inſtrui hodie hic certamen apud te.* ER. *Id curabitur hodie.* ME. *Bibemus uterque in illo certamine;* judicabis *uter erit hic magis ſtrenuus miles.* poculis ſiccandis; *tuum eſt ducere exer*citum. *Vide cum utro* futurus *ſis hac nocte. Quàm mea uxor eſt mihi invisa, mea jucunditas, quando te contemplor.* ER. *Tamen non potes* à te impetrare, *quominus ſis indutus aliquibus ejus* veſtibus. *Quid eſt hoc?* ME. *Tua veſtimenta & ſpolia conjugis, ô roſa.* ER. *Conſequeris facilè, ut mihi ſis carior, quam quiſquam eorum, qui me* *fruuntur.* PE. *Meretrix adulatur pauliſper, interea dum aſpicit id quod auferat. Nam ſi amares re vera, oporteret te jam abſtuliſſe naſum dentibus.* ME. *Accipe hoc pallium, Penicule. Cupio exuvias conſecrare* Erotio, *ſicut voto me obſtrinxi.* PE. *Da! ſed obteſtor per Herculem ſalta ſic cum pallâ deinceps.* ME. *Ego ſaltabo? per Herculem inſanis.* PE. *Egóne in*ſanio, *an tu magis? Depone ergo. ſi non ſaltas.* ME. *Ego furatus ſum hodie hanc pallam cum maximo diſcrimine. Mea quidem ſententiâ Hercules non eripuit*

ANNOTATIONES.

3. *Prœlium.*] Alii *proilium*, quod vetus eſt pro *prælium*; ut *coitus* pro *cætus*; *coilum* pro *cælum*. Prœlium metaphoricè hic pro cœnâ.

5. *Uter ibi melior bellator.*] Id eſt, videbimus uter, &c.

6. *Tua eſt legio.*] Tu ducis exercitum.

7. *Ut ego uxorem.*] Id eſt, quantùm ego odi uxorem!

9. *Quid hoc eſt?*] Quia videlicet Menæchmus detegit Erotio pallam uxoris, quam induerat, quæ ſuperjecto humeris pallio tegebatur, rogat Erotium, quid ſit hæc palla?

12. *Naſum abreptum mordicus.*] Id eſt, niſi amor tuus eſſet ſimulatus, tam crebro & tam avide oſculari videris, ut naſus à te eripiendus videatur.

13. *Suſtine hoc.*] Ut aperiat Menæchmus pallam quæ pallio latebat, deponit pallium, & dat Peniculo ſeruandum, dum ipſam pallam deponat.

Exuvias facere.] Alii exuvias facere, quaſi Jovi volo. Olim Feretrio Jovi opima ſpolia conſecrabant. Huic alludit mori oratio Menæchmi, quaſi dicat detractam uxori pallam, quaſi ſpolia opima, tibi Erotium mea, tanquam Jovi, aut Junoni meæ, conſecrabo. Nonnulli pro *facere* ponunt antiquum *pacere*; *pacere* autem idem ſignificat, ac *pagere*, ſeu *pangere*, quod eſt *figere*.

17. *Hyppolita.*] Amazonum Regina: nota eſt Fabula, id autem ſignificat: Hercules

Hercules haud æquè magno unquam abſtulit periculo.
Cape tibi hanc: quando una vivis meis morigera moribus.
Hoc animo decet animatos eſſe amatores probos.
PE. Qui quidem ad mendicitatem ſe properent detrudere.
ME. Quatuor minis ego emi iſtanc annò uxori meæ.
PE. Quatuor minæ periêre planè, ut ratio redditur.
ME. Scin quid volo te accurare? *ER.* ſcio. curabo quæ voles.
ME. Jube igitur nobis tribus apud te prandium accurarier,
Atque aliquid ſcitamentorum de foro obſonarier,
Glandionidam ſuillam, laridum pernonidem, aut
Sinciput, aut polimenta porcina, aut aliquid ad eum modum:
Madida quæ mihi appoſita in menſam, milvinam ſuggerant.
Atque actutum. *ER.* licet ecaſtor. *ME.* nos prodimus ad forum.
Jam nos hîc erimus: dum coquitur, interim potabimus.
ER. Quando vis veni, parata res erit. *ME.* propera modò.
Sequere tu. *PE.* ego hercle verò te & ſervabo, & te ſequar:
Neque hodie ut te perdam, meream Deorum divitias mihi.
ER. Evocate intùs Cylindrum mihi coquum actutum foras.

INTERPRETATIO.

balteum ad Hyppolitâ, tanto cum diſcrimine. Tibi do hanc pallam, *quandoquidem es ſola quæ temet accommodas meis moribus: oportet bonos amatores eſſe ſic affectos.* PE. *Qui quidem accelerant ſeſe præcipites dare in ſummam inopiam.* ME. *Annus eſt ex quo ego iſtam pallam mercatus ſum pro meâ uxore quatuor minis.* PE. *Quatuor minæ ſunt omnino perditæ, ut audio de te.* ME. *Tenéſne quid ego optem te facere?* ER. *Teneo: faciam quod exoptabis.* ME. *Manda ergo ut inſtruatur cœnâ pro nobis tribus apud te, & parari edulia quædam exquiſita in foro, glandulas ſuillas, pernam, aut ſinciput, aut polimenta porcina, aut aliquid hujuſmodi. quæ miniſtrata in menſam & condita, mihi ſuadeant eſuriem milvinam, idque è veſtigio fiat.* ER. *Fiat per ædem Caſtoris.* ME. *Nos pergimus ad forum. Statim revertemur: dum coquitur, interim bibemus.* ER. *Veni quando libebit, res erit comparata.* ME. *Accelera modò. ſequere tu.* PE. *Ego per Herculem, & te non deſeram, & te comitabor. neque te dimittam hodie, ut merear opes Deorum.* ER. *Jubete prodire è veſtigio ab ædibus ad me Cylindrum coquum.*

ANNOTATIONES.

non tanto cum periculo detraxit balteum Hyppolitæ, quanto detraxi hanc ab uxore pallam.

22. *Quatuor minis.*] Septuaginta libris Turonenſibus noſtris.

26. *Scitamentorum.*] Id eſt, ſcita edulia.

27. *Glandionidem ſuillam.*] Glandulas ſuillas intelligit, a figurâ glandis ſic dictas, quæ gutturi ſubſunt.

Laridum pernonidem.] Perna: *Jambon.*

28. *Sinciput.*] Pars capitis anterior.

Polimenta porcina.] *Polimenta porcina*, ſunt teſticuli porcorum.

29 *Milvinam ſuggerant.*] Id eſt, *excitent* famem, qualis ſolet eſſe milvorum. Adeò erunt benè cocta, madida, & delicata.

ACTUS PRIMUS. SCENA QUARTA.

ARGUMENTUM.

EROTIUM mandat coquo Cylindro, ut paret edulia & cœnam.

EROTIUM mulier, CYLINDRUS coquus.

EROTIUM.

SPORTULAM cape atque argentum. eccos tris nummos habes.
CY. Habeo. *ER.* atque obſonium affer, tribus vide quod ſit ſatis,
Neque deſiat, neque ſuperſit. *CY.* cujuſmodi hi homines erunt?
ER. Ego, & Menæchmus, & Paraſitus ejus. *CY.* jam iſti ſunt decem:
Nam Paraſitus octo hominum munus facilè fungitur.
ER. Elocuta ſum convivas, cæterum cura. *CY.* licet.
Cocta ſunt, jube ire accubitum. *ER.* redi citò. *CY.* jam ego hîc ero.

INTERPRETATIO.

ERO. *Sume ſportam atque pecuniam, habes tres nummos.* CY. *Habeo.* ER. *Proficiſcere, atque compara prandium; cura ut ſit ſatis tribus; neque deficiat, neque abundet.* CY. *Qui homines erunt* illi tres. ER. *Ego & Menæchmus, & ejus Paraſitus.* CY. *Adſunt jam decem; nam Paraſitus adæquat octo homines munere* edendi. ER. *Numeravi convivas; cura cætera.* CY. *Eſto. Sunt cocta. Manda ire accubitum.* ER. *Revertere celeriter.* CY. *Jamjam hic adero.*

ANNOTATIONES.

1. *Ecquos tris nummos habes.*] Nummus erat aut aureus, aut ſeſtertius. Hic valebat decem denarios Turonenſes; ille duos ſcutatos aureos noſtros: de his intellige Poëtam, alioquin cœnatum fuiſſet triſtius.

4. *Jam iſti ſunt decem.*] Menæchmus & Paraſitus cum ſint tantum duo, decem eſſe dicuntur à Cylindro, propter edacitatem Paraſiti Peniculi, quæ hominum octo juſtæ famis par erat. Athenæus ex Eubulo Comico: Εἰσὶν γὰρ ἡμῖν κεκλημένοι δύο ἐπὶ δεῖπνον ἄμαχοι, Φιλοκράτης καὶ Φιλοκράτης. Ἕνα γὰρ ἐκεῖνον ὄντα, δύο λογίζομαι, Μεγάλους, μᾶλλον δὲ τρεῖς. *Convivarum quos invitavi duo ſunt inexplebili fame Philocrates & Philocrates.*

ACTUS SECUNDUS.

ARGUMENTUM.

MENÆCHMUS Soſicles Epidamnum venit, Meſſenione ſervo comite. Erotium & Cylindrus coquus pro ſurrepto capiunt. Inde errores & fruſtrationes.

ACTUS SECUNDUS. SCENA PRIMA.

ARGUMENTUM.

MESSENIO ſervus Menæchmo Soſicli innuit, quales ſint mores Epidamnienſes. Monet ut etiam atque etiam ſibi caveat.

MENÆCHMUS Soſicles, MESSENIO ſervus.

MENÆCHMUS.

NULLA eſt voluptas navitis, Meſſenio,
Major, meo animo, quàm quom ex alto procul
Terram conſpiciunt. *MES.* major, non dicam dolo,
Si adveniens terram videas quæ fuerit tua.
Sed quæſo quamobrem nunc Epidamnum venimus?
An, quaſi mare, omnis circumimus inſulas?
ME. Fratrem quæſitum geminum germanum meum.

INTERPRETATIO.

MEN. *Nautæ non ſentiunt majorem lætitiam, meo judicio, mi Meſſenio, quàm quando vident terram à longè ab alto.* MES. *Eſt major* jucunditas, *dicam ingenuè, quando propiùs ſpectes terram quæ fuerit tua. At amabo cur navigavimus Epidamnum? An, ſicut mare, ferimur circum omnes inſulas.* ME. *Venimus quæſitum meum fratrem germanum geminum.*

ANNOTATIONES.

3. *Conſpiciunt terram.*] Hinc *terram videre*, proverbialis formula, id eſt, fine laborum jam jam adventante recreari.

4. *Terram videas quæ fuerit tua.*] Quod Menæchmus de quâvis terrâ dixerat, Meſſenio de patriâ dicit, idque eo conſilio ut Menæchmum ab inſtituto itinere, quærendóque fratre deterreat.

5. *Epidamnum.*] Mela: *Urbium ſecunda eſt Dyrrachium, Epidamnos ante erat. Romani nomen mutavere, quia velut in damnum ituris omen id viſum eſt.* Plinius: *Civium Romanorum coloniæ, Epidamnum, propter inauſpicatum nomen à Romanis Dyrrachium appellata.* Vide in Prologo.

MES. Nam quid modi futurum eſt illum quærere?
Hic annus ſextus, poſtquam ei rei operam damus.
Iſtros, Hiſpanos, Maſſilienſes, Illurios,
Mare ſuperum omne, Græciamque exoticam,
Oraſque Italicas omnis, quà adgreditur mare,
Sumus circumvecti. ſi acum credo quæreres,
Acum inveniſſes, ſi appareret, jam diu.
Hominem inter vivos quæritamus mortuum:
Nam inveniſſemus jam diu, ſi viveret.
ME. Ergo iſtuc quæro certum qui faciat mihi,
Qui ſeſe dicat ſcire, eum eſſe mortuum.
Operam prætereà nunquam ſumam quærere.
Verùm aliter vivus nunquam deſiſtam exequi.
Ego illum ſcio, quàm cordi ſit carus meo.
MES. In Scirpo nodum quæris. quin nos hinc domum
Redimus, niſi ſi hiſtoriam ſcripturi ſumus?
ME. Dictum faceſſas doctum, & diſcaveas malo.
Moleſtus ne ſis. non tuo hoc fiet modo. *MES.* hem,
Illoc enim verbo eſſe me ſervom ſcio.

INTERPRETATIO.

MES. *Sed quis finis eſt futurus illius quærendi? Jam ſunt ſex anni ex quibus incumbimus ei quærendo. Navigavimus circum Iſtros, Hiſpanos, Maſſilienſes, Illyrios, totum mare Adriaticum & Græciam externam, & univerſa littora Italiæ, quæ alluit mare. Arbitror te, ſi perſcrutareris acum, jampridem inventurum fuiſſe, modò exiſteret; inveſtigamus hominem mortuum inter vivos. Nam reperiſſemus jampridem ſi eſſet in vivis.* ME. *Idcirco quæro quempiam qui me faciat certiorem, ſeſe noſſe eum eſſe fato functum. Non adhibebo ampliùs operam in eo quærendo; ſed aliàs dum vivam, nullo modo deſinam perſequi. Ego ſentio, quàm ille mihi eſt charus.* MES. *Quæris nodum in junco; quin repetimus patriam, niſi nobis ſit componenda hiſtoria?* ME. *Apage verba acuta, atque devita malum. Ne ſis gravis: non metiemur id tuis modulis.* MES. *Hem: animadverto hoc verbo me eſſe mancipium.*

ANNOTATIONES.

8. *Nam quid.*] ἀναστροφὴ, quidnam?

10. *Iſtros.*] Populi Oſtiorum Danubii accolæ, qui aliter dicitur, *Iſter.*

11. *Mare ſuperum.*] Quod & Adriaticum dicitur, ab Adria oppido. Superum autem eſt, quia ratio habetur Poli Arctici, quæ pars eſt ſuperior Mundi, ſi inaccuratè loquamur, & ut ſeſe offerunt res in Cartâ Geographicâ deſcriptæ.

Græcia exotica.] ἐξωτικὴ, id eſt, externa; id eſt, quæ non pertineret ad continentem Græciæ. Vocabatur olim magna Græcia extrema Italiæ ora, quà excurrit in mare. Crediderim dictam magnam Græciam, quia nonnullæ regiones à ſe devictas nominibus Græciæ quum inſignirent, hæc magnitudine alias ſuperabat. Porrò magnam Græciam intellige de *exotica*, ſive barbara; nam Græci nomine exoticorum intelligebant barbaros, ſeu extra limites Græciæ poſitos: ſic Siculi & Calabri dicebantur ἕλληνες ἐξωτικοί.

22. *In ſcirpo nodum quæris.*] Juncus eſt enodis, & quaquà verſum levigatus: itaque ea paræmia ſignificat operam in re inutili poſitam.

23. *Niſi ſi hiſtoriam ſcripturi ſumus.*] Eſt videlicet ejus qui hiſtoriam ſcribit, ut fidem mereatur, nihil niſi quod ipſe viderit, monumentis temporum conſignare.

26. *Eſſe me ſervum ſcio.*] Liberi enim

Non

Non potuit paucis plura planè proloqui.
Verumtamen nequeo continere, quin loquar.
Audin' Menæchme! quum inſpicio marſupium,
Viaticati hercle ad modum æſtivè ſumus.
Næ tu hercle, opinor, niſi domum revorteris,
Ubi nihil habebis, geminum dum quæris, gemes.
Nam ita eſt hæc hominum natio Epidamnia,
Voluptarii atque potatores maxumi:
Tum Sycophantæ & palpatores plurimi
In urbe hâc habitant: tum meretrices mulieres
Nuſquam perhibentur blandiores gentium.
Propterea huic urbi nomen Epidamno inditum eſt,
Quia nemo fermè huc ſine damno divortitur.
ME. Ego iſthuc cavebo: cedò dum mihi huc marſupium,
MES. Quid eo vis? *ME.* jam abs te metuo de verbis tuis.
MES. Quid metuis? *ME.* ne mihi damnum in Epidamno duis.
Tu magnus amator mulierum es, Meſſenio:
Ego autem homo iracundus, animi perditi.
Id utrumque, argentum quandò habebo, cavero,
Ne tu delinquas, néve ego iraſcar tibi.
MES. Cape atque ſerva. me lubente feceris.

INTERPRETATIO.

Nequivit paucis verbis edicere apertè plura; nihilominus non poſſum à me impetrare, quin verba faciam. Auſculta, Menæchme, quando intueor crumenam, per Herculem habemus viaticum magnopere leve. Certè ut arbitror, niſi repetas patriam, quando habebis nihil, intereadum quæris geminum invenies genitum; etenim hæc gens Epidamnia eſt ejuſmodi, in primis ſunt voluptati vinóque dediti: complures etiam calumniatores & adulatores manent in hâc urbe; tum aiunt eſſe in nullis terris meretrices inſidioſiores, idcircò hæc civitas vocata eſt Epidamnus, quoniam nullus propemodum in eam ingreditur citra damnum. ME. *Ego cavebo illud. Cedo mihi crumenam,* MES. *Quid vis ex eo facere.* ME. *Jam timeo abs te propter tua verba.* MES. *Quid times?* ME. *Ne me afficias damno in Epidamno. Tu es magnus amator mulierum, Meſſenio, ego verò ſum homo iracundus, animi impotentis, providebo utrique incommodo; cum habebo pecuniam, & ne tu pecces, & ne iraſcar tibi.* MES. *Accipe atque ſerva; facies, me non invito.*

ANNOTATIONES.

hominis eſt ſuo arbitratu modò, ſine cujuſquam contumeliâ loqui. Servi autem eſt, aut tacere, aut ad arbitrium domini ſermonem conformare, idem *recidit* ac ſuprà Act. 1. Sc. 1.

30. *Viaticati æſtivè.*] Id eſt, levi viatico, & crumenâ, ne oneri ſit in viâ. Levi etiam veſtè. Porrò viaticum dicebatur, quilibet commeatus ad propoſitum iter, & ſuſcipiendum, & proſequendum, & perficiendum inſtructus, præſertim ſi longinquum eſſet, quale eſt id Menæchmi.

31. *Geminum dum quæris.*] Dum quæris fratrem *geminum*, deficiente viatico, ad ſummam inopiam redactus longè à tuis *gemes*: ludit in gemino, & gemes, propter ſimilitudinem elementorum quibus incipit vox utraque.

44. *Animi perditi.*] Id eſt, vagari ſoliti extra limites à rectâ ratione poſitos. vulgò dementem dicimus *hominem perdita mentis: Il a l'eſprit perdu.*

ACTUS SECUNDUS. SCENA SECUNDA.

ARGUMENTUM.

CYLINDRUS Coquus accipit Menæchmum Soſiclem pro ſurrepto; inde error & fruſtratio.

CYLINDRUS, MENÆCHMUS Soſicles, MESSENIO.

CYLINDRUS.

BENE obſonavi, atque ex meâ ſententiâ
Bonum anteponam prandium pranſoribus.
Sed eccum Menæchmum video. væ tergo meo!
Priùs jam convivæ ambulant ante oſtium,
Quàm ego obſonatu redeo. adibo atque alloquar.
Menæchme ſalve. *ME.* dî te amabunt! ſcis quis ego ſum?
CY. Non hercle verò! ubi convivæ cæteri?
ME. Quos tu convivas quæris? *CY.* paraſitum tuum.
ME. Meum paraſitum? certè hic inſanus eſt homo.
MES. Dixin' tibi eſſe hîc ſycophantas plurimos?
ME. Quem tu paraſitum quæris, adoleſcens, meum?
CY. Peniculum. *MES.* eccum! in vidulo ſalvum fero.

INTERPRETATIO.

CYL. *Bona obſonia paravi & ex meo animo apponam ante convivas delicatum epulum. Verum ecce conſpicor Menæchmum, væ meo tergo. Convivæ expatiantur jam ante januam antequam ego revertor à parandis* paraudis *obſoniis: eos adibo atque affabor. Salvus ſis Menæchme.* ME. *Dii te ament, noviſti quis ego ſum?* CY. *Non noſſem per Herculem! ubi ſunt alii convivæ?* ME. *Quos convivas dicis tu?* CY. *Tuum Paraſitum.* ME. *Meum Paraſitum? Profectò hic homo eſt amens.* MES. *Nonnine te eſſe in hac urbe complures ſycophantas?* ME. *Quis eſt ille meus Paraſitus, quem tu quæris, adoleſcens?* CY. *Peniculus.* MES. *Ecce gero incolumem in vidulo.*

ANNOTATIONES.

1. *Ex mea ſententiâ.*] Ut equidem exiſtimo.

3. *Eccum Menæchmum video.*] Adeo ſimiles erant duo fratres Menæchmi, ſurreptitius Civis Epidamnienſis, & advena, ut Cylindrus Coquus Epidamnienſis advenam, cujus paraſitus Meſſenio, ſumat pro Epidamnienſi, cujus paraſitus Peniculus.

12. *Peniculum.*] Miratur Cylindrus, quòd cum advenâ, quem putat Epidamnienſem, non videat Peniculum paraſitum, ſed Meſſenionem. Meſſenio autem roganti Cylindro, ubi ſit Peniculus, Vernili joco reſpondet eſſe in *vidulo*, id eſt, in hippopera, vernaculè *valiſe*. Cùm enim Cylindrus de homine roget, de Peniculis ad detergendas veſtes fingit ſe accipere Meſſenio. *Peniculi* autem ſic dicuntur, quòd ex *pene* ſeu cauda animalium fierent utplurimùm, ad excutiendum pulverum è veſtibus, bacceis, calceis, ut nunc ex ſetis rigidioribus compinguntur.

CY Menæchme, numerò huc advenis ad prandium.
Nunc obſonatu redeo. *ME.* reſponde mihi,
Adoleſcens, quibus hîc preciis porci veneunt
Sacres ſinceri? *CY.* nummo. *ME.* eum à me accipe.
Jube te piari de meâ pecuniâ.
Nam ego quidem inſanum eſſe te certò ſcio,
Qui mihi moleſtus homini ignoto, quiſquis es.
CY. Cylindrus ego ſum: non noſti nomen meum?
ME. Seu tu Cylindrus, ſeu Coriendrus, perieris.
Ego te non novi, neque noviſſe adeò volo.
CY. Eſt tibi Menæchmo nomen tantùm, quod ſciam.
ME. Pro ſano loqueris, cùm me appellas nomine.
Sed ubi noviſti me? *CY.* ubi ego te noverim?

INTERPRETATIO.

CY. *Menæchme, adventas huc tempeſtivè ad prandium, jam revertor à parandis obſoniis.* ME. *Reſponde mihi, adoleſcens, quo pretio venduntur hîc porci ſacri candidi?* CY. *Nummo.* ME. *Accipe hunc nummum à me: cura te purgari è meo ære: nam quicunque tandem es, ego novi pro certo te eſſe dementem, ut pote qui mihi es gravis homini incognito.* CY. *Ego ſum Cylindrus: non noſti meum nomen?* ME. *Seu ſis Cylindrus, ſeu Coriendrus, præteri, ego non te cognoſco, neque etiam opto te cognoſcere.* CY. *Vocaris autem Menæchmus, quod ſcio.* ME. *Loqueris, quaſi ſanus eſſes, quando me vocas meo nomine, ſed ubi me noviſti?* CY. *Quæris*

ANNOTATIONES.

15. *Porci ſacres ſinceri.*] *Sacres* vetus pro *ſacri*: *ſacri* autem dicebantur, non ſolum quòd idonei eſſent ad ſacrificium, verùm etiam quia devoti erant ad mortem, ad quodpiam ſcelus expiandum; unde *ſacri* idem eſt ac *ſceleſti*, quaſi jam in eorum caput *ſceleratus* aliquis tranſtuliſſet *ſcelus*, in cujus deteſtationem ipſi eſſent exterminandi, ut rei ſceleris. Porrò immolabantur hi porci ſacres Laribus ab iis qui aut piaculum aliquod grande commiſiſſent ad expiandum; aut inſanirent, ad levandam inſaniam; aut prole recenti familiam auxiſſent, ad agendas gratias.

16. *Synceri.*] Id eſt puri, candidi, quales ſunt ſuculæ, quæ nondum lutum attigerunt, neque à lacte depulſæ ſunt. Puri autem porci dicebantur, & ſacrificio idonei, &, ut cum Poëtâ loquar, ſacres à duodecimo die à partu ad ſecundum menſem. Rogat autem Menæchmus à Cylindro quibus pretiis veneant Epidamni, quia innuere vult Cylindro, Cylindrum ipſum inſanire, ut pote qui eum alloquatur, quaſi noverit, cùm minimè cognoſcat. Idcirco autem ab inſanis immolabantur victimæ Laribus, quia Larium mater *mana*, ſeu *mania*, appellabatur.

20. *Seu tu Cylindrus, ſeu Coriendrus.*] Vernilis jocus, qui magis conveniebat Meſſenioni quàm Menæchmo, id eſt, ſive tu Cylindre à culinâ, ſive Coriendrus, alii Coliendrus, nihilominus deſipis. Caules autem ſignificat truncum qui profertur ab radice, & ex quo propagantur rami & folia: paronomaſia magis paret ex veteri pronuntiatione y in Cylindro: nam Romani pronuntiabant, ut u noſtrum: imo, ut *ou*, erat itaque Culindrus pro Cylindrus. Joci autem captantur in hoc autore nonnumquam ab elementis à quibus vox incipit, ut ſupra in *gemino* & *gemes*; modò ab elementis quibus vox deſinit.

20. *Perieris.*] Non ſignificat interieris, ſed prætericris.

Qui amicam habeas heram meam hanc Erotium.
ME. Neque hercle habeo, neque te quis ſis homo ſcio.
CY. Non ſcis quis ego ſim? qui tibi ſæpiſſimè
Cyathiſſo apud nos, quando potas. *MES.* hei mihi,
Cùm nihil eſt, illi quî homini diminuam caput.
ME. Tun' cyathiſſare mihi ſoles, qui ante hunc diem,
Epidamnum nunquam vidi, neque veni? *CY.* negas?
ME. Nego hercle verò. *CY.* non tu in illiſce ædibus
Habitas: *ME.* dii illos homines, qui illîc habitant, perduint,
CY. Inſanit hic equidem, qui ipſe maledicit ſibi.
Audin Menæchme? *ME.* quid vis? *CY.* ſi me conſulas,
Nummum illum, quem mihi dudum pollicitus dare,
Jubeas, ſi ſapias, porculum afferri tibi.
Nam tu quidem herclè certò non ſanus ſatis,
Menæchme, qui nunc ipſus maledicas tibi.
MES. Heu hercle hominem multum & odioſum mihi?
CY. Solet jocari ſæpe mecum illo modo.
Quamvis ridiculus eſt, ubi uxor non adeſt,
ME. Quid agis tu? *CY.* quid vis, inquam? ſatin'hoc, quod vides,
Tribus vobis obſonatum eſt? an obſono ampliùs
Tibi & paraſito & mulieri? *ME.* quas tu mulieres,

Interpretatio.

ubi te noverim, qui ames hanc Erotium, quæ eſt mea hera. ME. *Profectò neque habeo* Erotium amicam, *neque ſcio quis tu ſis.* CY. *Neſcis, quis ego ſim, qui tibi miniſtro pocula frequentiſſimè, quando bibis apud nos?* MES. *Hei mihi, quia nihil habeo in manu, quo comminuam caput illi homini.* ME. *Tune conſueviſti mihi miniſtrare Cyathos, qui nunquam vidi Epidamnum, neque veni Epidamnum ante hunc diem?* CY. *Inficiaris.* ME. *Inficior per Herculem.* CY. *Tu non manes in illis ædibus?* ME. *Dii perdant illos homines qui manent illic.* CY. *Sane hic deſipit qui ſibi ipſe maledicit, intelligis ne Menæchme?* ME. *Quid vis?* CY. *Si me audis, manda ad te apportari ſuculam, ſi ſapis, pro illo nummo quem pollicitus es dudum mihi dare. Nam deſipis, Menæchme, qui malè preceris tibi ipſe.* MES. *Heu hominem negotioſum, & mihi invíſum* CY. *Sæpe conſuevit ludere mecum hoc modo: nam admodum lætus eſt, quando conjux non adeſt.* ME. *Quid dicis tu?* CY. *Quid vis, inquam, hoc obſonium quod cernis, ſufficitne pro vobis tribus, emámne ampliùs obſoniorum tibi & paraſito & mulieri?* MEN. *Quas mulieres dicis?*

Annotationes.

26. *Erotium.*] Erat amica Epidamnienſis, non advenæ, Menæchmi: ſed hunc pro illo perpetuò accipit.

29. *Cyatiſſo.*] A Cyatho, vetus & exoletum verbum: Pocillatores ſervi ad Cyathos.

41. *Multum.*] Ideſt, prolixum. Catullus *multus homo is naſo*, id eſt naſi longioris. Cicero: *Multus eſt in laudandâ magnificentiâ.* Idem: *Multus videri nolo in ſtellarum ratione.* Horatius: *Plurimus in Junonis honorem.*

43. *Quamvis ridiculus eſt.*] Adeò feſtivus eſt, ubi uxor non adeſt, quâ cum lubentiùs hilaritatem non adhibeat,

Quos tu pariſitos loquere? *MES.* quod te urget ſcelus,
Qui huic ſis moleſtus? *CY.* quid tibi mecum eſt rei?
Ego te non novi: cum hoc quem novi fabulor.
ME. Non edepol tu homo ſanus es, certò ſcio.
CY. Jam ergo hæc madebunt faxo, nihil morabitur.
Proin tu ne quò abeas longiùs ab ædibus.
Nunquid vis? *ME.* ut eas maximam in malam crucem.
CY. Ire hercle melius eſt te interim, atque accumbere,
Dum ego hæc appono ad Vulcani violentiam.
Ibo intrò, & dicam te hîc aſtare Erotio.
Ut te hinc abducat, potiùs quàm hîc aſtes foris.
ME. Jámne abiit? edepol haud mendacia
Tua verba experior eſſe. *MES.* obſervato modò.
Nam iſtic meretricem credo habitare mulierem,
Ut quidem ille inſanus dixit qui hinc abiit modò.
ME. ſed miror, quî ille noverit nomen meum.
MES. Minimè herclè mirum. morem hunc meretrices habent:
Ad portum mittunt ſervulos, ancillulas,
Si qua peregrina navis in portum advenit,
Rogant cujatis ſit, quid ei nomen ſiet.
Pòſt illæ extemplò ſe applicant, agglutinant.
Si pellexerunt, perditum amittunt domum.
Nunc in iſtoc portu ſtat navis prædatoria,
Abs quâ cavendum nobis ſanè cenſeo.

INTERPRETATIO.

Quos paraſitos fabulare? MES. *Quod crimen te incitat, ut ſis gravis huic?* CY. *Quid negotii eſt mecum? ego non te cognoſco, loquor cum eo quem cognoſco.* ME. *Per ædem Pollucis tu non ſapis. ſcio pro certo.* CY. *Ergo efficiam, jam ut hæc condita ſint, erit nihil mora; itaque ne tu diſcedas quovis, remotius ab ædibus, viſne aliquid?* ME. *Ut pergas in crucem inſigniter malam.* CY. *Per Herculem eſt ſatius te pergere, & accumbere* menſæ, *intereadum admoveo ad hæc ardentiſſimum ignem; ingrediar & nuntiabo Erotio te adeſſe hic, ut te abducat hinc potiùs, quàm conſiſtas hic foris.* ME. *Jámne abceſſit? per ædem Pollucis animadverto tua verba non eſſe falſa.* MES. *Vide modò: nam puto manere hic meretricem, ut dicit ille fatuus, qui exceſſit modò hinc.* ME. *Sed miror quomodo ille cognoſcit meum nomen.* MES. *Per Herculem non eſt mirum; meretrices habent hanc conſuetudinem, mittunt ad portum ſervos, ancillas, ut obſervent, ſi qua navis venit in portum. Petunt è quâ gente ſit, quod nomen habeat, poſtea extemplo illæ ſe adjungunt, implicant; ſi irretiverunt, à ſe non antè dimittunt domum, quàm perdiderint; nunc navis prædatoria eſt in anchoris. in iſto portu, à quâ profectò exiſtimo nobis metuendum.*

ANNOTATIONES.

47. *Urget ſcelus.*] Aberrationem illam mentis tribuit conſcientiis ſcelerum.

51. *Madebunt faxo.*] Condimentis macerentur.

69. *Navis prædatoria.*] Allegoria eſt Erotii meretricis, & Epidamnienſis Menæchmi.

„*ME*. Mones quidem hercle rectè. *MES*. TUM DEMUM ſciam
„Rectè monuiſſe, ſi tu rectè caveris.
ME. Tace dum parumper: nam concrepuit oſtium.
Videamus qui hinc egreditur. *MES*. hoc ponam interim.
Aſſervatote hæc ſultis, navales pedes.

INTERPRETATIO.

ME. *Per Herculem admones bene*, MES. *Tunc denique intelligam me bene commonuiſſe, ſi tu bene tibi conſulueris*. ME. *Sile dum tantiſper; nam janua obſtrepuit: obſervemus quis prodit hinc*. MES. *Interea deponam hoc onus, aſſervate illa, ſi vultis, ô remiges, qui eſtis pedes, navium.*

ANNOTATIO.

75. *Navales pedes.*] Remiges: ſunt enim remi in navibus inſtar pedum ad procedendum in mari. Niſi *pedes* ſit pædes *mis puer*; *navales pedes, navales pueri*, ſeu ſervi.

ACTUS SECUNDUS. SCENA TERTIA.

ARGUMENTUM.

EROTIUM accipit Menæchmum Soſiclem pro ſurrepto. pergit ad eam Menæchmus Soſicles, & cœnat cum eâ.

EROTIUM, CYLINDRUS, MENÆCHMUS Soſicles, MESSENIO.

EROTIUM.

SINE fores ſic: abi. nolo operiri.
Intus para, cura. vide quod opus eſt ut
Fiat. ſternite lectos, incendite odores.
MUNDITIA illecebra animo eſt amantum.

INTERPRETATIO.

ERO. *Linque oſtium ſic* apertum, Cylindre: *perge. Nolo expectari: inſtrue cuncta in ædibus, adorna, obſerva quod oportet* fieri: vos ancillæ, *componite lectos, adurite odores, lautitiâ ineſcantur mentes amantum.*

ANNOTATIO.

3. *Incendite odores.*] Notat quare incenderentur Seneca: *Et ne nares interim ceſſent odoribus variis, inficitur locus ipſe in quo luxuria parentatur.* Videlicet accendi ſolebant odores in cubiculis voluptariis, ne qua voluptas ſenſuum abeſſet. Parentatur, ſapienter dictum, & digna Philoſopho vox, quia ut idem alibi, non convivantur, ſed juſta ſibi faciunt. Nimirum eò deſinunt convivia illa voluptaria, ut ſomno vinóque *ſepeliantur* convivæ. In eundem ſenſum idem morum magiſter ait Ep. 12. *Cum ſe funereis illis epulis ſepeliſſet, quaſi ſibi parentaret.* Ep. 122. *Non convivantur, ſed juſta ſibi faciunt. Parentantur, funereis, ſepeliſſet, parentaret juſta ſibi faciunt*, ſunt verba *funerum.*

Amanti amœnitas malo eſt, nobis lucro eſt.
Sed ubi ille eſt, quem coquus ante ædeis eſſe ait?
Atque eccum video, qui mihi eſt uſui &
Plurimum prodeſt: item huic ultro fit, ut
Meret, potiſſimus noſtræ domi ut ſit:
Nunc eum adibo, alloquar ultrò.
Animule mi, mihi mira videntur,
Hîc te ſtare foris, fores cui pateant.
Magis, quàm domus tua, domus cùm hæc tua ſit.
Omne paratum eſt,
Ut juſſiſti atque ut voluiſti: neque tibi eſt
Ulla mora intus. prandium, ut juſſiſti, hîc
Curatum eſt: ubi lubet, ire licet accubitum.
ME. Quîcum hæc mulier loquitur? *ER.* equidem tecum. *ME.* quid mecum tibi
Fuit unquam, aut nunc eſt negocii? *ER.* quia pol te unum ex omnibus
Venus voluit me magnificare: neque id haud immerito tuo.
Nam ecaſtor ſolus benefactis tuis me florentem facis.
ME. Certò hæc mulier aut inſana, aut ebria eſt, Meſſenio,
Quæ hominem ignotum compellet me tam familiariter.

INTERPRETATIO.

Concinnitas eſt exitio amatoribus, eſt nobis quæſtus. Verùm ubi eſt ille quem coquus dicit eſſe ante januam? ecce conſpicor eum, qui mihi affert tantam utilitatem, atque emolumentum: huic tribuitur etiam ultrò, ut meretur, ut anteponatur omnibus apud nos. Nunc eum conveniam, Affabor ultrò. Mi animule, miror te ſtare foris hìc, quanquam janua noſtra aperta ſit, magis quàm tuæ ædes; quandoquidem hæc domus ſit tua, cuncta inſtructa ſunt, ut imperaſti, atque ut optaſti. Neque eſt quidquam in ædibus quod te moretur. Prandium eſt paratum hìc ut imperaſti. Licet accumbere quando lubet. ME. *Cum quo hæc mulier differit?* ER. Diſſero *tecum.* ME. *Quid rei habuiſti unquam mecum, aut eſt nunc?* ER. *Quia per Pollucem Venus voluit me te magnificere unum præ cunctis, atque id tuo merito. Etenim per ædem Caſtoris me reddis unus felicem tuis beneficiis.* ME. *Profectò hæc mulier aut amens eſt, aut tumulenta, quæ me alloquitur tam blandè, tametſi hominem ſibi incognitum.*

ANNOTATIONES.

5. *Amœnitas.*] Feſtus, *amœna loca dicta ſunt; quæ ad ſe amanda alliciunt.*

9. *Potiſſimus.*] Amator potiſſimus, qui primas obtinet, *primus, potior, eximius, intimus.* Priores partes habet, ſummam habet, potens eſt, ſuperior eſt, imperat ſolus, regnum tenet, regnum gerit, regnat, eminet, regnum loquendi: ſic Seneca, Statius, Propertius, Catullus, Martialis, Tibullus, Ovidius, Manilius; Plautus, Virgilius, Varro.

11. *Animule mi.*] Verba ſunt blandientis Erotii, & deceptæ ſimilitudine fratrum Menæchmorum, perinde atque Cylindrus deceptus eſt priore Scenâ.

17. *Ubi lubet.*] *Ubi lubet ire licet accubitum*, verba ſolennia, ad invitationem ad epulas conſecrata.

MES. Dixin' ego iſtæc hîc ſolere fieri ? folia nunc cadunt,
Præ ut ſi tridum hoc hîc erimus, tum arbores in te cadent.
,,Nam ita ſunt hîc MERETRICES omnes elecebræ argentariæ.
Sed ſine me dum hanc compellare. heus mulier ! tibi dico. *ER.* quid eſt ?
MES. Ubi tu hunc hominem noviſti ? *ER.* ibidem, ubi hic me jam diu,
In Epidamno. *MES.* in Epidamno ? qui huc in hanc urbem pedem,
Niſi hodie, nunquam intrò tetulit. *ER.* eia, delicias facis,
Mi Menæchme, quin, amabo, is intrò : hîc tibi erit rectiùs.
ME. Hæc quidem edepol rectè appellat meo me mulier nomine.
Nimis miror quid hoc ſit negocii. *MES.* oboluit marſupium
Huic iſtuc quod habes. *ME.* atque edepol tu me monuiſti probè.
Accipe-dum hoc. jam ſcibo utrum hæc me mage amet, an marſupium.
ER. Eamus intrò, ut prandeamus. *ME.* bene vocas : tam gratia eſt.
ER. Cur igitur tibi me juſſiſti coquere dudum prandium ?
ME. Egóne te juſſi coquere? *ER.* certò tibi & paraſito tuo.
ME. Cui, malum, paraſito ? certò hæc mulier non ſana eſt ſatis.
ER. Peniculo. *ME.* quis iſte eſt Peniculus? quî extergentur baxeæ?
ER. Scilicet qui dudum tecum venit, quom pallam mihi

INTERPRETATIO.

MES. *Nonne ego monui conſueviſſe hæc fieri hic. Folia defluunt nunc tantùm in te, ſed ſi hæſerimus hic per hoc triduum, arbores ipſa in te corruent : nam cuncta meretrices hic eliciunt pecuniam : ſed patere me hanc alloqui. Heus mulier! te alloquor.* ER. *Quid eſt ?* MES. *Ubi tu cognoviſti hunc hominem ?* ER. *Epidamni, in eodem loco in quo me novit jampridem.* MES. *Epidamni ? qui nunquam intulit pedem in hanc urbem, niſi hodie.* ER. *Eia, rides, mi Menæchme, quare non intras, quaſo eris ibi commodiùs.* ME. *Per ædem Pollucis, hæc mulier me vocat probè meo nomine : miror valde quid rei ſit hoc.* MES. Hæc *ſubodorata eſt* hanc *Crumenam quam habes.* ME *Atque per ædem Pollucis tu me rectè monuiſti, accipe dum hanc* crumenam *, jam videro utrum hæc me amet magis quam crumenam.* ER. *Introeamus, ut epulemur.* ME. *Urbanè invitas, ſed tibi gratias ago.* ER. *Quare ergo mandaſti me tibi coquere pridem cœnam?* ME. *Tene ego mandavi coquere?* ER. *Mandaſti certè tibi coquere & tuo Paraſito.* ME. *Cui, nefas, Paraſito? Profectò hæc mulier non eſt ſatis compos mentis.* ER. *Peniculo.* ME. *Quis eſt iſte Peniculus? Quo calcei detergantur?* ER. *Ille ſcilicet, qui venit tecum modò, quando ad me detuliſti pallam, quam ſuffuratus*

ANNOTATIONES.

24. *Folia.*] Per folia intelligit verba quæ per ſeſe levia ſunt & fluxa, quæ non niſi leviter attingunt ; per arbores, res & facta, ad quæ à verbis pronus eſt & expeditus tranſitus, potiſſimum in rebus amatoriis, cùm adeſt occaſio, ut hic in Erotio.

6. *Gratia eſt.*] Id eſt, gratias ago, *je vous remercie*, formula eſt urbanior deprecandi officii oblati ; poſt acceptum beneficium, eſt ſignificatio animi grati.

40. *Baxea.*] Calceamenti genus, tum ſacerdotalis, tum maximè Philoſophici. Apulejus, *Bacceis & Hircino Barbitio Philoſophum fingeret.*

Certè

Detuliſti, quam ab uxore tuâ ſurripuiſti. *ME.* quid eſt?
Tibi pallam dedi, quam uxori meæ ſurripui? ſanan' es?
Certè hæc mulier cantherino ritu aſtans ſomniat.
ER. Quî lubet lubridio habere me, atque ire inficias mihi,
Facta quæ ſunt? *ME.* dic quid eſt id, quod negem, quod fecerim?
ER. Pallam te hodie mihi dediſſe uxoris. *ME.* etiam nunc nego.
Ego quidem neque unquam uxorem habui, neque habeo: neque huc
Unquam, poſtquam natus ſum, intra portam penetravi pedem.
Prandi in navi. inde huc egreſſus ſum. te conveni. *ER.* eccere,
Perii miſera! quam tu nunc mihi navem narras? *ME.* ligneam;
Sæpe tritam, ſæpe fixam, ſæpe excuſſam malleo,
Quaſi ſupellex pellionis, palus palo proximus eſt.
ER. Jam me, amabo, deſine ludos facere, atque i hàc mecum ſimul.
ME. Neſcio quem, mulier, alium hominem, non me, quæritas.
ER. Non ego te novi Menæchmum, Moſcho prognatum patre?
Qui Syracuſis perhibêre natus eſſe in Siciliâ,
Ubi rex Agathocles regnator fuit, & iterum Pinthia:
Tertiùm Liparo, qui in morte regnum Hieroni tradidit.

INTERPRETATIO.

fueras uxori tuæ. ME. *Quid ais? tibi donavi pallam, quam ſuffuratus ſum meæ conjugi? ſapiſne? Profectò hæc mulier ſomniat adſtans ſicut Cantherius.* ER. *Quomodo gaudes ludificare me, atque mihi negare, quæ ſunt geſta.* ME. *Loquere quid eſt id quod diffitear me feciſſe.* ER. *Te mihi donaviſſe hodie pallam conjugis.* ME. *Diffiteor etiamnum: nunquam habui uxorem, neque habeo: neque unquam intuli pedem huc intra januam, ex quo ſum editus in lucem. Cœnavi in navi, inde egreſſus ſum, te conveni huc.* ER. *Per Cererem interii infælix. quam navem mihi loqueris?* ME. *Ligneam, ſæpe contritam, ſæpe defixam, ſæpe exagitatam malleo. Quaſi ſupellex pellionis, palus eſt vicinus palo.* ER. *Deſine jam obſecro me ludificare, atque perge hàc unà mecum.* ME. *Mulier quæris neſcio quem alium hominem, non me.* ER. *Ego non te novi Menechmum propagatum patre Moſcho, qui diceris eſſe ortus Syracuſis in Sicilia. Ubi Rex Agathocles regnavit, & Pythia bis vicit; tribus vicibus Olympia, qui tradidit Hieroni regnum in morte.*

INTERPRETATIO.

44. *Cantherino ritu.*] Cantherii ſomnolentiores ſunt cæteris equis; ſapit id adagium: ſomniare autem & dormire non eſt idem, ſed quoniam non ſomniant niſi dormientes, vicinorum verborum facilis eſt permutatio.

50. *Eccere.*] Per ædem Cereris. Nec te moveat, quòd Eccere ſcribatur per *e* ſimplex; veteribus enim non *a* in ædes; ſed *ee* geminum ſcribebatur, ſic *edepol, ecaſtor*; *eedepol, eecaſtor.*

53. *Pellionis.*] Pali deſiguntur ordine apud pellionem, quibus diſtenduntur pelles radendæ, poliendæ, pingendæ: ita coſtis navium diſtenduntur tabulæ navis. Nota concurſum litterarum & ſyllabarum; *Suppellex pellionis palus palo proximus*, à veteribus affectatum.

58. *Et iterum Pinthia.*] Id eſt, Pithia, vox à Plauto ultro corrupta, ut repræſentet meretriculæ ignorantiam in rebus hiſtoricis: videmus & mulierculas, quæ in perſonarum nominibus errent, quando quid narrandum venit.

59. *Tertiùm Liparo.*] Id eſt, *Olympia.* Idem error atque in *Pinthia*, eſt enim Lipara una ex Æoliis inſulis, non longè à Peloro Siciliæ Promontorio, in quâ tradit nemo celebrata fuiſſe certamina, & victoribus diſtributa præmia.

Nunc Hiero eſt. *ME.* Haud falsò, mulier, prædicas. *MES.* prô Juppiter!
Num iſtæc mulier illinc venit, quæ te novit tam catè?
ME. Hercle opinor pernegari non poteſt. *MES.* ne feceris,
Periſti, ſi intraſſis intra limen. *ME.* quin tace modò:
Benè res geritur: aſſentabor, quicquid dicet, mulieri:
Si poſſum hoſpitium nanciſci. Jamdudum, mulier, tibi
Non imprudens advorſabar: hunc metuebam, ne meæ
Uxori renunciaret de pallâ & de prandio.
Nunc, quando vis, eamus intrò. *ER.* etiam Paraſitum manes?
ME. Neque ego illum maneo, neque floccifacio: neque, ſi venerit,
Eum volo intromitti. *ER.* ecaſtor haud invita fecero.
Sed ſcin' quid te amabo ut facias? *ME.* impera quidvis modò.
ER. Pallam illam, quam dudum dederas, ad Phrygionem ut deferas,
Ut reconcinnetur, atque ut opera addantur quæ volo.
ME. Hercle quin tu rectè dicis. eâdem ignorabitur:
Ne uxor cognoſcat te habere, ſi in viâ conſpexerit.
ER. Ergo mox auferto tecum, quando abibis. *ME.* maximè.
ER. Eamus intrò. *ME.* jam ſequar te. hunc volo etiam colloqui.
Ehò, Meſſenio, accede huc. *MES.* quid negotii eſt? *ME.* ſt! ſcire vis?
MES. Quid ergo? *ME.* opu'ſt. *MES.* quid opu'ſt? *ME.* ſcio, ut me dices. *MES.* tanto nequior.

INTERPRETATIO.

Hiero nunc regnat. ME. *Non dicis falſa, mulier.* MES. *Proh Jupiter! An hæc mulier venit illinc, quæ te novit tam bene?* ME. *Per Herculem, ut opinor, non poteſt ad extremum iri inficias.* MES. *Ne committas hoc, Occidiſti ſi intraveris intra januam.* ME. *Quin ſile modò, res bene ſeſe habet. aſſentiar mulieri quidquid loquetur, modò poſſim invenire hoſpitium. Jampridem mulier tibi repugnabam prudens ſciens, verebar ne hic aperiret conjugi, quod ſciret de pallâ & cœnâ: nunc quoniam jubes, ingrediamur.* ER. *Expectáſne adhuc Paraſitum?* ME. *Nec enim expecto, nec enim magnoperè curo, nec volo eum intrare, ſi venerit.* ER. *Per ædem Caſtoris fecero ultrò: ſed ſciſne quid te rogo ut facias?* ME. *Manda quidvis modo.* ER. *Ut deferas ad Phrygionem illam pallam, quam tu donaviſti, ut reſarciat, atque adjiciantur opera quæ opto.* ME. *Per Herculem tu loqueris rectè: eadem minimè cognoſcetur: ne conjux quidem animadvertat te habere, ſi viderit in viâ.* ER. *Igitur aufer tecum, quando proficiſceris.* ME. *Auferam.* ER. *Ingrediamur.* ME. *Jam te ſequor; opto etiam illum convenire. Eho, Meſſenio, ades dum.* MES. *Quid eſt rei? ſt, libet ſcire.* MES. *Quid igitur?* ME. *Rem exerſus ſum.* MES. *Quam rem.* ME. *Video quid mihi dicturus ſis.* MES. *Es tantò pejor.*

ANNOTATIO.

72. *Phrygionem.*] Phrygio quivis appellatur, qui elegantiſſimè acu pingit, quia Phryges operibus his acu compunctis nobiles fuerunt. Unde & veſtes ipſæ, ſi plumario opere eſſent diſtinctæ, Phrygiæ appellabantur, ut hodiéque pallas illas, quas nobis ſuperjicimus à lecto recentibus, & nondum diurnis veſtibus indutis, vocamus Indicas *des Indiennes*, non ſolum à formâ veſtis, ſed etiam à pigmentis, quanquam in aliis orbis regionibus pictas & concinnatas, ſed ad formam Indicarum,

ME. Habeo prædam : tantùm incepi operis. i , quantùm potes,
Abduc iſtos in tabernam actutum diverſoriam.
Tum facito ante Solis occaſum ut venias advorſum mihi.
MES. Non tu iſtas meretrices noviſti, here ? *ME*. tace, inquam,
Mihi dolebit, non tibi, ſi quid ego ſtultè fecero.
Mulier hæc ſtulta atque inſcita eſt, quantum perſpexi modò.
Eſt hîc præda nobis. *MES*. peri. *ME*. jámne abis ? *MES*. periit probè.
Ducit lembum dierectum navis prædatoria.
Sed EGO INSCITUS, qui hero me poſtulem moderarier :
Dicto me emit audientem , haud imperatorem ſibi.
Sequimini , ut quod imperatum eſt, veniam advorſum temperi.

INTERPRETATIO.

ME. *Teneo prædam, tantùm adhibui opera, perge quantùm vales, deduc iſtos in popinam diverſoriam ſtatim, tum fac ut revertaris obviam mihi ante occaſum Solis.* MES. *Tu non cognoſcis iſtas meretrices, here.* ME. *Sile, inquam, mihi erit grave, non tibi, ſi ego perpetraro aliquid amenter. Hæc mulier eſt fatua atque ſtolida, quantùm modò animadverti. Habemus hic prædam.* MES. *Perii.* ME. *Proficiſcerísne jam?* MES. *Interii, planè navis prædatoria trahit lembum ad arbitrium; ſed ego inſipiens, qui optem regere meum herum! me mercatus eſt ad obſequendum, non ad imperandum : ſequimini ut veniam tempeſtivè obviam, ut eſt mihi imperatum.*

ANNOTATIONES.

81. *Tabernam diverſoriam.*] *Taberna-diverſorium*, uno verbo *rete-jaculum*; *ſilici-catêna*, *ſerro-bipenni*, *laniena-taberna*.

83. *Lembum dierectum.*] Id eſt, laqueis Erotii irretitum Menæchmum : quemadmodum enim ii qui dierecti ſunt, id eſt, penduli reſte collo injectâ pendent, ita laqueis amoris quaſi collo injectis Menæchmus pendet & ducitur.

ACTUS TERTIUS.

ARGUMENTUM.

PENICULUS Paraſitus & ancilla Erotii, pro ſurrepto Soſiclem Menæchmum capiunt.

ACTUS TERTIUS. SCENA PRIMA.

ARGUMENTUM.

PENICLUS perdito in turbâ Menæchmo, apud forum revertitur ad Erotium ; ſed jam repperit Menæchmum euntem poſt cœnam.

PENICULUS Paraſitus.

PLus triginta natus annis ſum, quom interea loci
Nunquam quicquam facinus feci pejus, neque ſceleſtius ;
Quàm hodie, quom in concionem mediam me immerſi miſer,
Ubi ego dum hieto, Menæchmus ſe ſubrerduxit mihi,
Atque abiit ad amicam, credo, neque me voluit ducere,
Qui illum dii omnes perduint, qui primus commentus eſt
Concionem, hâc réque homines occupatos occupat.
Non ad eam rem otioſos homines decuit deligi ?
Qui niſi affint, cùm citentur, cenſus capiant illico.
Affatim eſt hominum, in dies qui ſingulas eſcas edunt :
Quibus negotii nihil eſt : qui eſum neque vocantur, neque vocant.

INTERPRETATIO.

Sunt pluſquam triginta anni, ex quibus non commiſi ullum factum nequius, atque infœlicius, quàm hodie, quando me immiſi infortunatus in medium cœtum, in quo dum ego oſcito, Menæchmus ſe proripuit à me, atque profectus eſt ad amicam, ut puto, neque voluit me ducere. Utinam omnes Dii perdant illum qui excogitavit primus ritum celebrandarum *concionum, & qui detinet homines impeditos hac re. Nonne oportebat deligere ad eam rem homines deſidioſos ? Qui mulctas capiant ſtatim, niſi adſint, qui appellantur. Sunt nimis multi qui comedunt privatim quotidie, qui nullum agitant negotium, qui neq; invitantur ad cœnam, neq; invitant,*

ANNOTATIONES.

4. *Dum hieto.*] *Inhio*, quod eſt animi admiratione ſuſpenſi, quaſi non ſit ſatis quod oculis hauriat, niſi & os patulum adhibeat: porro *hieto* & *hiſto*, eſt tenuis latratus canum in feræ veſtigia currentium, & jamjam capiendæ prædæ, quaſi quadam ſpe, lætantium.

9. *Cenſus capiant.*] Senatores qui in Senatum non venerant, pignoribus mulctabantur, quæ partiebantur interſe qui intereſſent, Peniculus ad has ſolas celebrandas conciones aptos eſſe prædicat. Pignora autem ſeu cenſus erant ea quæ viritim & annuatim pendebantur, *gages ou diſtributions manuelles.* Hic *cenſus capiant*, pro, *pignora*, ſeu *mulctas* capiant, iis irrogatas, qui cenſebantur, ſeu in numerum referebantur, quos adeſſe oporteret ad conciones.

10. *Singulas eſcas.*] Qui ſinguli ſeu ſoli edunt,

Eos oportet concioni dare operam atque comitiis.
Si id ita eſſet, non ego hodie perdidiſſem prandium.
Cui tam credo datum voluiſſe, quàm me video vivere.
Ibo, etiamnum reliquiarum ſpes animum oblectat meum.
Sed quid ego video Menæchmum? cum coronâ exit foràs.
Sublatum eſt convivium. edepol venio advorſum temperi.

INTERPRETATIO.

Oportet illos vacare concionibus, atque cœtibus. Si id ita ſeſe haberet, non amiſiſſem hodie prandium. Quod puto tam certò *eum mihi voluiſſe dari, quàm me ſentio vivere; ibo, ſpes reliquiarum oblectat adhuc meum animum; ſed unde ego conſpicio Menæchmum? Exit foras cum coronâ. Amotum eſt convivium, per ædem Pollucis venio obviam tempeſtivè.*

ACTUS TERTIUS. SCENA SECUNDA.

ARGUMENTUM.

EROTIUM, datâ pallâ quàm ferat ad Phrygionem, Menæchmum Soſiclem dimittit, rata eſſe ſurreptum. Incidit in Peniculum Menæchmus Soſicles, Peniculus pro ſurrepto accipit, error & fruſtra...

MENÆCHMUS Soſicles, PENICULUS.

MENÆCHMUS.

POTINE ut quieſcas, ſi ego tibi hanc hodie probè
Lepidéque concinnatam referam temperi?
Non faxo eam eſſe dices: ita ignorabitur.
PE. Pallam ad Phrygionem fert, confecto prandio,
Vinóque expoto, paraſito excluſo foràs.
Non hercle is ſum, qui ſum, niſi hanc injuriam.

INTERPRETATIO.

MEN. *ERiſne contenta, ſi ego tibi hanc reddam hodie rectè, tempeſtivè, elegantèrque reſarcitam; efficiam ut dicas non eſſe eamdem, adeò non agnoſcetur.* PE. *Defert pallam ad Phrygionem poſt prandium, hauſto vino, Paraſito minimè admiſſo. Per Herculem non ſim Peni*culus, *ut ſum, niſi vindicavero egregiè.*

ANNOTATIONES.

1. *Potine, ut quieſcas.*] Id eſt, potéſne à te impetrare, ut non amplius ſis inquies & ſollicita, ſi reconcinnatam ad te retulero pallam, quo tempore erit tibi induenda?

4. *Confecto prandio.*] Id eſt, *conſumpto.* Crediderim hoc loco paraſitum de prandio ita loqui, quaſi de homine mortuo: hanc conjecturam adjuvat, tum allegoria, quâ eſt uſus ſuprà de ſepeliendo die, tum vel maximè verſus 27. & 28. hujus Scenæ.

6. *Non hercle is ſum qui ſum.*] Jurandi formula, id eſt, non ſim Peniculus, id eſt, non ſim Paraſitus, in quem peccari non poteſt graviùs, quàm cùm cœna ſubducitur jejuno & impranſo.

Méque ultus pulcrè fuero. obſervabo, quid agat,
Hominem. poſt adibo atque alloquar.
ME. Prô dii immortales, cui homini unquam uno die
Boni dediſtis plus, qui minus ſperaverit.
Prandi, potavi, ſcortum accubui, abſtuli
Hanc, cujus hæres nunquam erit poſt hunc diem.
PE. Nequeo, quæ loquitur, exaudire, clanculum:
Satur nunc loquitur de me & de parti meâ.
ME. Ait hanc dediſſe me ſibi, atque eam meæ
Uxori ſurripuiſſe. quoniam ſentio
Errare; extemplò, quaſi res cum eâ eſſet mihi,
Cœpi aſſentari. mulier quicquid dixerat.
Idem ego dicebam. quid multis verbis *opu'ſt*?
Minore nuſquam bene fui diſpendio.
PE. Adibo ad hominem: nam turbare geſtio.
ME. Quis hic eſt, qui adverſum fit mihi? *PE.* quid ais, homo
Levior quàm pluma, peſſime & nequiſſime,
Flagitium hominis, ſubdole, ac minimi pretii?
Quid de te merui. quâ me cauſsâ perderes?
Ut ſurripuiſti te mihi dudum de foro?
Feciſti funus me abſenti prandio.
Cur auſu's facere, cui ego æquè ac hæres eram?

INTERPRETATIO.

hanc contumeliam & me: obſervabo quid moliatur ille, poſtea conveniam, atque alloquar. ME. *Proh Dii immortales, cui homini conceſſiſtis plura bona uno die, & qui pauciora expectaret? prandi, potavi, accubui meretrici, abſtuli hanc pallam, quæ nunquam in poteſtatem Erotii revertetur.* PE. *Non poſſum audire ex occulto loco, quæ fabulatur: jam loquitur de me, & de mea portione* prandii, *poſtquàm eſt ſatur.* ME. *Dicit me ſibi eam pallam dediſſe, & me eam ſuffuratum eſſe meæ uxori: quoniam animadverto eam errare, ſtatim cœpi oblandiri, quaſi eſſet conſuetudo cum ea, quidquid mulier dicit, ego dico idem. Quid opus eſt pluribus verbis, nunquam fui invitatus lautius minore ſumptu.* PE. *Accedam ad hominem; nam temperare non poſſum* ab eo *turbando.* ME. *Quis eſt hic qui mihi ſit obviam?* PE. *Quid dicis, homo levior plumâ, ſceleſtiſſime & nefarie, flagitioſiſſime, fraudulentiſſime, ac nullius momenti? Quid in te peccavi; ut me interimeres? Ut te ſubduxiſti mihi modò de foro? Sepeliviſti prandium me abſente. Quare auſus es id agere,* quando quidem *eram ejus quaſi hæres.*

ANNOTATIONES.

11. *Pranſus-potus.*] Cicero: *Adde inſcitiam, pranſi-poti, oſcitantis ducis.* Hæ compoſitiones, quæ ferme ſapiunt idiotiſmum Græcum, ſunt frequentiores in comicis, & feſtivæ.

12. *Hæres,*] Feſtus. *Hæres apud antiquos pro domino ponebatur; exhæres qui non ſit ampliùs dominus.*

14. *De parti.*] De parte, colli, civi, Jovi, ſorti, alipedi, mani, peregri, i pro e.

27. *Feciſti funus prandio.*] Id eſt, deduxiſti funus prandii, ſepeliviſti: ego verò qui ſum hæres, non ſum vocatus ad id funus, ut moris eſt vocare affines, & in affinibus hæredes maximè, qui mortuo juſta perſolvant.

ME. Adoleſcens, quæſo, quid tibi mecum eſt rei,
Qui mihi malè dicas homini ignoto inſciens?
An tibi malam rem vis pro maledictis dari
Poſtea? *PE.* eam quidem edepol te dediſſe intellego.
ME. Reſponde, adoleſcens, quæſo, quid tibi nomen eſt?
PE. Etiam derides, quaſi nomen non noveris?
ME. Non edepol ego te, quod ſciam, unquam ante hanc diem
Vidi, neque novi. verùm certò quiſquis es,
Æquum ſi facias, mihi odioſus ne ſies.
PE. Non me noviſti? *ME.* non negem, ſi noverim.
PE. Menæchme, vigila. *ME.* vigilo hercle equidem, quod ſciam.
PE. Tuum paraſitum non noviſti? *ME.* non tibi
Sanum eſt, adoleſcens, ſinciput, ut intelligo.
PE. Reſponde, ſurripuiſtin' uxori tuæ
Pallam iſtanc hodie, atque dediſti Erotio?
ME. Neque hercle ego uxorem habeo, neque ego Erotio
Dedi, nec pallam ſurripui. *PE.* ſatin' ſanus es?
Occiſa eſt hæc res. non ego te indutum foras
Exire vidi pallâ? *ME.* væ capiti tuo:
Omnes cinædos eſſe cenſes, tu quia es.
Tún' me indutum fuiſſe pallam prædicas?
PE. Ego hercle verò. *ME.* non tu abis quò dignus es?
Aut te piari jubes, homo inſaniſſime?
PE. Nunquam edepol quiſquam me exorabit, quin tuæ,
Uxori rem omnem jam, uti ſit geſta, eloquar.
Omnes in te iſthæc recident contumeliæ.

INTERPRETATIO.

ME. *Adoleſcens, amabo, quid negotii eſt tibi mecum, ut me vituperes hominem tibi incognitum imprudens? Caterùm víſne tibi infligi pœnam pro convitiis?* PE. *Per ædem Pollucis intelligo te eam inflixiſſe.* ME. *Reſponde, adoleſcens, obſecro, quo nomine vocaris?* PE. *Etiam ludificaris, quaſi neſcias meum nomen.* ME. *Per ædem Pollucis, ego non te conſpexi unquam, quod ſciam, ante hunc diem, neque novi; verùm quiſquis es, ſi agas rectè, ne mihi ſis importunus.* PE. *Non me noviſti?* ME. *Si cognoſcerem, minimè diffiterer.* PE. *Menæchme excitare.* ME. *Per Herculem vigilo, quod ſcio.* PE. *Non cognoviſti tuum paraſitum.* ME. *Tibi non eſt caput ſanum, adoleſcens, ut intelligo.* PE. *Reſponde, ſuffuratúſne es hodie hanc pallam tuæ uxori, & didiſti Erotio?* ME. *Per Herculem, neque eſt mihi uxor, neque ego dedi Erotio, nec ſum ſuffuratus pallam.* PE. *Eſne ſatis ſanus? Hæc res eſt comperta; ego non te conſpicatus ſum prodeuntem foras veſtitum pallâ?* ME. *Væ tuo capiti. Exiſtimas omnes eſſe cinædos, quia tu es. Dicíſne tu me fuiſſe veſtitum pallâ?* PE. *Per Herculem ego dico.* ME. *Non tu abis quò mereris ire, aut curas te expiari, homo amentiſſime?* PE. *Per ædem Pollucis, nullus unquam à me impetrabit, ut non aperiam tuæ uxori omnem rem, quemadmodum ſit geſta. Omnia hæc convitia redundabunt in te.*

ANNOTATIO.

46. *Occiſa eſt hæc res.*] *C'eſt une affaire faite.*

Faxo haud inultum prandium comederis.
ME. Quid hoc negotii eſt ? ſatine ut quenquem conſpicor,
Ita me ludificant. ſed concrepuit oſtium.

INTERPRETATIO.

dabo operam, ut non ligurieris prandium impunè. ME. *Quid eſt hoc ? Satiſne aliquando deluſus ſum ? Ut quemque obvium habeo, ita me irridet. ſed janua obſtrepit.*

ACTUS TERTIUS. SCENA TERTIA.

ARGUMENTUM.

ANCILLA Erotii ſumit pro ſurrepto Soſiclem; commendat etiam atque etiam pallam, & fibulam pallæ.

ANCILLA, MENÆCHMUS Soſicles.

ANCILLA.

MENÆCHME, amare ait te multùm Erotium,
Ut hoc unâ operâ ad aurificem deferas,
Atque huic ut addas auri pondo unciam,
Jubeáſque ſpinther novum reconcinnarier.
ME. Et iſtud, & aliud, ſi quid curari volet,
Me curaturum dicito, quicquid volet.
AN. Scin' quod hoc ſit ſpinther ? *ME.* neſcio, niſi aureum.
AN. Hoc eſt, quod olim clanculum ex armario
Te ſurripuiſſe aiebas uxori tuæ.
ME. Nunquam hercle factum eſt. *AN.* non meminiſti ? obſecro
Redde igitur ſpinther, ſi non meminiſti. *ME.* mane,
Imò equidem memini. nempe hoc eſt quod illi dedi.
AN. Iſtuc. *ME.* ubi illæ armillæ ſunt, quas unà dedi ?

INTERPRETATIO.

ANC. *MEnæchme, Erotium dicit te precari etiam atque etiam, ut portes hoc uno tempore ad aurificem, & adjungas huic* pallæ *unciam auri, & mandes refici novum ſpinther.* ME. *Nuntia ei mihi curæ futurum, & iſtud & aliud, ſi quid optabit curari.* AN. *Tenéſne quid ſit hoc ſpinther?* ME. *Ignoro, niſi quod eſt ex auro.* AN. *Illud eſt quod dicebas te abſtuliſſe olim furtim ex armario tuæ conjugis.* ME. *Per Herculem nunquam eſt actum.* AN. *Non recordaris, amabo ? Reſtitue ergo ſpinther, ſi non recordaris.* ME. *Expecta, imò equidem recordor; nimirum eſt id, quod illi dedi.* AN. *Ipſum.* ME. *Ubi ſunt illæ armillæ quas dedi unà.*

ANNOTATIONES.

1. *Ait amare.*] Amo hoc loco ſignificat, precari, obſecrare, quemadmodum idem ſint quæſo & amabo.

4. *Spinther.*] Feſtus: *Armilla genus quo mulieres utebantur brachio ſummo ſiniſtro.*

AN.

AN. Nunquam dediſti. *ME.* nam pol hoc unà dedi?
AN. Dicam curare? *ME*. dicito; curabitur:
Et palla & ſpinther faxo referantur ſimul.
AN. Amabo, mi Menæchme, inaureis da mihi
Faciundas pondo duûm nummûm ſtalagmia,
Ut te libenter videam, cùm ad nos veneris.
ME. Fiat, cedò aurum, ego manu-pretium dabo.
AN. Da ſodes abs te, poſt ego reddidero tibi.
ME. Imò cedò abs te. *AN*. ego pòſt tibi reddam duplex.
ME. Non habeo. *AN*. at tu, quando habebis, tum dato.
Nunquid me vis? *ME*. hæc me curaturum dicito,
Ut, quantum poſſint, quamque liceant, veneant.
Jámne abiit intrò? abiit; operuit fores.
Dî me equidem omnes adjuvant, augent, amant.
Sed quid ego ceſſo, dum datur mihi occaſio
Tempúſque, abire ab his locis lenoniis?
Propera, Menæchme, fer pedem, confer gradum.
Demam coronam, atque abjiciam ad lævam manum,
Ut ſi qui ſequatur, hac me abiiſſe cenſeant.
Ibo & conveniam ſervum, ſi potero, meum,
Ut hæc, quæ bona dant dii mihi, ex me ſciat.

INTERPRETATIO.

AN. *Nunquam dediſti.* ME. *Nam per Pollucem dedi hoc unà.* AN. *Dicam* Erotio te *curaturum?* ME. *Dicito, curabitur. Efficiam ut palla & ſpinther referantur unà.* AN. *Quaſo, mi Menachme, da mihi inaures ſtalagmicas factas, pondo duorum nummorum, ut te conſpiciam ultrò, quando veneris ad nos.* ME. *Eſto, da mihi aurum, ego ſuppeditabo manu-pretium*; pro operâ Artificis. AN. *Da ſanè de tuo, ego tibi reſtituam poſteà.* ME. *Imò da de tuo.* AN. *Ego tibi reddam poſtea duplex.* ME. *Non eſt mihi,* AN. *At tu da, tum cùm habebis; numquid me vis?* ME. *Dic me curaturum hac, ut quanti poſſint, & quàm citiſſimè vendantur. Jámne ingreſſus eſt? abiit, junxit fores. Profectò omnes Dii mihi opitulantur, me cumulant, amant; ſed quid ego moror, dum mihi datur occaſio, & tempus abeundi ab iis locis lenoniis? Accelera, Menachme, accede, confer pedem, adimam coronam, & abjiciam ad manum lævam; ut ſi quis ſequatur; exiſtiment me hàc iter feciſſe: pergam, & conveniam meum ſervum, ſi potero, ut diſcat ex me hac bona, qua Dii mihi prabent.*

ANNOTATIONES.

17. *Stalagmia inaures.*] Appoſitio, pro inaures ſtalagmicas, quia Guttæ ſeu Lachrymæ, quæ Græcè σαλαſμὸς, ſpeciem referunt.

20. *Manu-pretium.*] Duo ſunt in inauribus, materia, quæ aurum eſt, & manu-pretium, ſeu merces pro artificis opera. Varro *quod manu-factum erat, & datum pro eo manu-pretium, à manibus & pretio.*

25. *Liceant.*] Et quo pretio liceantur, ſeu æſtimentur.

3. *Demam coronam.*] Olim qui epulabantur, floream coronam capiti impoſitam ferebant ne ſuâ voluptate nares carerent. Hic Menæchmus Soſicles ne agnoſcatur ex floreâ coronâ quam geſſerat in convivio quod cum Erotio celebraverat, & ne reſtituere cogatur pallam ab Erotio datam, in viam quæ à læva eſt projicit coronam, & ipſe init eam quæ eſt à dextrâ, ut ſi qui proſequantur videantque coronam, elapſam putent Soſicli, & hâc viâ hominem evaſiſſe.

ACTUS QUARTUS.

ARGUMENTUM.

PENICULUS Paraſitus ratus ſurreptum Menæchmum cœnaſſe ſine ſe, hanc injuriam ulturus detegit uxori ſurrepti, ſurreptam pallam. Uxor repetit pallam, pollicetur reddere. Surreptus petit ab Erotio. Erotium contendit reddidiſſe, quia reddiderat Soſicli, rata eſſe ſurreptum. Error & fruſtratio.

ACTUS QUARTUS. SCENA PRIMA.

ARGUMENTUM.

PENICULUS, quaſi læſus injuriâ à Menæchmo ſurrepto, quia non invitaſſet ad cœnam, & negaſſet ſibi eſſe notum, pallam à Menæchmo ſurreptam nunciat uxori.

MULIER Uxor, PENICULUS Paraſitus.

MULIER.

EGÓNE hîc me patiar in matrimonio,
Ubi vir compilet clanculum quicquid domi eſt,
Atque ad amicam deferat? *PE.* quin tu taces?
Manifeſto faxo jam opprimes! ſequere hàc modò.
Pallam ad phrygionem cum coronâ ebrius

INTERPRETATIO.

MUL. *Poſſúmne vivere cum viro, qui me ſpoliet furtim omnibus quæ ſunt domi, atque deferat ad meretricem?*

PE. *Quin tu ſiles? Efficiam ut jam teneas manifeſto. Sequere hàc modò. Ferebat temulentus pallam quàm tibi ſuffuratus*

ANNOTATIONES.

2. *Compilare.*] Verbum caſtrenſe quod idem eſt ac *cogere*, nam *pilatum agmen* dicebatur preſſum & denſum, igitur *compilare* eſt colligere & colligare aliquid in faſciculum ad auferendum furto, ut tumultuariè colligunt vaſa milites ad adornandam fugam.

4. *Manifeſto.*] Manifeſtum opprimere, id eſt, tenere mendacii, erroris, maleficii manifeſti. Alibi vocat furem manifeſtarium. Alii à φιλητὴς deductum volunt, quòd furem ſignificat, mutatâ in tenuem aſpiratâ.

Ferebat, hodie tibi quam ſuripuit domo.
Sed eccam coronam quam habuit. num mentior?
Hem! hâc abiit; ſi vis perſequi veſtigiis.
Atque edepol eccum optimè revortitur:
Sed pallam non fert. *MV.* Quid ego nunc cum illoc agam?
PE. Idem quod ſemper. malè habeas. *MV.* ſic cenſeo.
PE. Huc concedamus: ex inſidiis aucupa.

INTERPRETATIO.

eſt hodie ad Phrygionem coronatus. Sed ecce coronam quam habuit: num mentior? Hem! hac tranſiit. ſi vis perſequi veſtigiis. atque ecce per aedem Pollucis, redie opportunè: ſed non habet pallam. MU. *Quid faciam ego jam cum illo.* PE. *Idem facias quod ſemper* feciſti; *male* cum *excipias.* MU. *Sic exiſtimo.* PE. *Concedamus huc, invade* in hunc *è latebris.*

ANNOTATIO.

11. *Malo habeas.*] *Male habere*, id eſt, male excipere: nos dicimus, *maltraiter.*

ACTUS QUARTUS. SCENA SECUNDA.

ARGVMENTVM.

UXOR Menæchmi ſurrepti teſtimonio Peniculi convincit maritum raptam eſſe ſibi ab eo pallam, & delatam ad Erotium. Pollicetur relaturum pallam ſurreptus, excluditur ab uxore uſque eò dum faciat.

MENÆCHMVS Surreptus, MVLIER Vxor, PENICVLVS Paraſitus.

MVLIER.

UT HOC UTIMUR maximè more moro
Moleſtóque multum! atque uti quique ſunt
Optumi maxumi, morem habent hunc:

INTERPRETATIO.

MUL. *Tenemus conſuetudinem, quam inſanam ac importunam! tamen ut quique ſunt optimi maximi, ſervant illam conſuetudinem, cuncti gaudent*

ANNOTATIONES.

1. *More moro.*] Interdum ludit illis paronomaſiis Plautus, hæc duriuſcula eſt, ut pote à Græco ducta in oratione Latina *μῶρος* ſtultus. Conſulto etiam repetitio eſt ſyllabarum in *more moro moleſto.*

3. *Optimi maximi.*] Supp. *Patroni.* duæ voces ſunt in unam junctæ: optimus maximus patronus eſt, qui & eloquentiâ pollet præter cæteros, & fide; hoc titulo optimus eſt, illo maximus.

Clientis ſibi omnes volunt eſſe multos.
,,Boníne an mali ſint, id haud quæritant.
,,Res magis quæritur quàm clientium.
,,Fides cujuſmodi clueat.
,,Si eſt pauper atque haud malus, nequam habetur:
,,Si dives malus eſt, is cliens frugi habetur,
,,Qui neque Leges, neque æquum Bonum uſquam
,,Colunt, ſollicitos patronos habent.
,,Datum denegant, quod datum eſt. litium
,,Pleni, rapaces, viri fraudulenti:
,,Qui aut fœnore, aut perjuriis habent rem
,,Paratam. mens eſt in querelis.
Juris ubi dicitur dies, ſimul
Patronis dicitur: quippe qui pro illis
Loquantur, malè quæ fecerint: aut ad
Populum, aut in Jure, aut ad judicem res eſt.
Sicut me hodie nimis ſollicitum cliens
Quidam habuit: neque quod volui agere quicquam
Licitum eſt: ita me attinuit, ita me detinuit.
Apud ædiles præliis factis plurimíſque
Peſſimíſque dixi cauſſam. conditiones
Tetulit tortas, confragoſas: aut plus
Aut minus, quàm opus erat multò, dixeram
Controverſiam, uti ſponſio fieret.

INTERPRETATIO.

habere complures clientes: síntne probi an improbi non curant. Petitur potius quales ſint fortunæ clientum, quàm qualis habeatur eorum *fides. Si eſt inops, & non improbus, ſumitur pro malo: ſi cliens dives eſt malus, is accipitur pro viro bono. Qui neque colunt leges, neque æquitatem, ubique vexant patronos; denegant datum quod eſt datum. Litigioſi. furaces, perfidi: qui habent fortunas quæſitas, aut fœnore, aut perjuriis: quorum animus nihil cogitat niſi contentiones; quando aſſignatur dies dicendæ cauſæ, aſſignatur unà patronis: nam defendunt illos in iis, quæ commiſerint; quando cauſa eſt, aut apud populum, aut apud Prætorem, aut apud Judicem. Unus cliens hujuſmodi mihi fuit hodie valde moleſtus, non mihi licuit facere quidquam eorum quæ cupiebam; adeò me tenuit, adeò me detinuit. Dixit cauſam apud ædiles, commiſſis certaminibus, & plurimis & peſſimis. Obtuli conditiones adverſario iniquas & aſperas, non dixi in cauſâ, aut plus, aut minus, quàm erat opus ut fieret ſponſio.*

ANNOTATIONES.

10. *Qui neque leges.*] Leguleios & rabulas notat.

19. *Aut ad populum.*] Varia judiciorum genera notat: apud populum cauſa dicebatur comitiis centuriatis; *in jure* apud Prætorem pro Tribunali; ad judicem à Prætore datum, ut ſunt recuperatores, *Les Commiſſaires, commis par le Juge ordinaire*, à litigatoribus delectos, quos arbitros appellant. Cicero hanc diſtinctionem notat. *Nam ſi quis ſtatuet hunc eſſe oratorem, qui tantummodo in jure, aut in judiciis poſſit, aut ad populum, aut in Senatu copioſè loqui, &c.*

Quid ille? quid? prædem dedit. nec magis
Manifeſtum ego hominem unquam ullum teneri vidi.
Omnibus malefactis teſtes tres aderant acerrumi.
Dî illum omnes perdant, (ita mihi hunc hodie corrupit diem)
Méque adeò, qui hodie forum unquam oculis inſpexi meis.
Diem corrupi. optimum juſſi apparari prandium.
Amica expectat me, ſcio. ubi primum eſt licitum, illico
Properavi abire de foro: irata eſt, credo, nunc mihi.
Placabit palla, quam dedi, quam hodie uxori abſtuli, atque huic
Detuli Erotio. *PE.* quid ais? *MV.* viro me malo malè
Nuptam. *PE.* ſatin' audis, quæ illic loquitur? *MV.* ſatis. *ME.* ſi ſapiam,
Hinc intrò abeam, ubi mihi benè ſit. *MV.* mane; malè potiùs erit.
Næ illam mecaſtor fœneratò abſtuliſti. ſic datur.
Clanculum re iſtæc flagitia facere cenſebas poteſſe?
ME. Quid illuc eſt uxor negotî? *MV.* men' rogas? *ME.* vin' hunc rogem?
PE. Aufer hinc palpationes. perge tu. *ME.* quid tu mihi
Triſtis es? *MV.* te ſcire oportet. *PE.* ſcit, ſed diſſimulat malus.
ME. Quid negotii eſt? *MV.* pallam. *ME.* pallam? *MV.* quidum pallam? *PE.* quid paves?
ME. Nihil equidem paveo, niſi unum. palla pallorem incutit.
PE. At tu ne clam me comeſſes prandium! perge in virum.
ME. Non taces? *PE.* non hercle verò taceo. nutat, ne loquar.

INTERPRETATIO.

Quid ille? quid? ſponſorem dedit; nunquam ego vidi convinci ullum hominem magis apertè; aderant tres teſtes infeſtiſſimi. qui eum convicerunt, *omnibus ſceleribus: omnes Dii illum perdant: adeò perdidi hodiè hunc diem,* perdant *& me qui conſpexi hodie meis oculis forum, perdidi diem, mandavi mihi inſtrui bonum prandium, amica me operitur, ut non ignoro. Statim atque licuit, acceleravi reverti à foro. nunc irata eſt mihi, credo: palla, quam ſurripui hodie uxori, atque detuli Erotio, eam placabit.* PE. *Quid dicis?* MU. *Me malè collocatam malo viro!* PE. *Audiſne bene quæ ille dicit?* MU. *Audio.* ME. *Si ſapiam ingrediar in eum locum, ubi mihi bene ſit.* MU. *Expecta; erit potiùs malè. Per Caſtorem illam accepiſti à fœnerato. Sic datur. Exiſtimabas te facere occultè hæc flagitia.* ME. *Quid rei eſt illud, uxor?* MU. *Petiſne à me?* ME. *Viſne rogem hunc?* PE. *Aufer hinc blanditias. Perge modò.* ME. *Quare mihi es iniquus?* MU. *Debes ſcire.* PE. *Scit, ſed nequam diſſimulat.* ME. *Quid rei eſt?* MU. *Pallam* abſtuliſti. ME. *Pallam* abſtuli? MU. *Aliquis* abſtulit *pallam?* PE. *Quid times?* ME. *Equidem nihil metuo, niſi unum, ne palla incutiat pallorem.* PE. At ego metuebam *ne comediſſes prandium me inſcio! proſequere in virum* maledicta ingerere. ME. *Non taces!* PE. *Per Herculem non taceo; rogat nutu, ne loquar.*

ANNOTATIO.

27. *Spenſio.*] Qui lite decertabant, hinc inde pecuniam deponebant, quaſi pignus victoriæ; & mulcta vocabatur, quia erat veluti pœna moræ temerè litis.

ME. Non hercle ego quidem uſquam quicquam nuto, neque nicto tibi.
MV. Næ ego mecaſtor mulier miſera! *ME.* quî tu miſera es? mihi expedi.
PE. Nihil hoc confidentius, qui, quæ vides, ea pernegat.
ME. Per Jovem deóſque omnes adjuro, uxor (ſatin' hoc eſt tibi?)
Me iſti non nutaſſe. *PE.* credit jam tibi de iſtis: illuc redi.
ME. Quò ego redeam? *PE.* equidem ad phrygionem, cenſeo. i pallam refer.
ME. Quæ iſtæc palla eſt? *MV.* taceo jam, quando hic rem non meminit ſuam.
ME. Nunquis ſervorum deliquit? num ancillæ, aut ſervi tibi
Reſponſant? eloquere. impunè non erit. *PE.* nugas agis.
ME. Triſtis admodum es: non mihi iſtuc ſatis placet. *PE.* nugas agis.
ME. Cæterùm familiarium alicui irata es? *PE.* nugas agis.
ME. Num mihi es irata ſaltem? *PE.* nunc tu non nugas agis.
ME. Non edepol deliqui quicquam. *PE.* hem rurſum nunc nugas agis.
ME. Dic, mea uxor, quid tibi ægrè eſt? *PE.* bellus blanditur tibi.
ME. Potin' ut mihi moleſtus ne ſis? num te appello? *MV.* aufer manum.
PE. Sic datur. properato abſente me comeſſe prandium:
Pòſt ante ædis cum coronâ me derideto ebrius.
ME. Neque edepol ego prandi, neque hodie huc intrò tetuli pedem.
PE. Tun' negas? *ME.* nego herclè verò. *PE.* nihil hoc homine audacius.

INTERPRETATIO.

ME. *Equidem per Herculem non tibi nuto, neque nicto.* MV. *Certè ego per Caſtorem infortunata mulier.* ME. *Quomodò tu es miſera? dic mihi.* PE. *Nihil confidentius hoc* homine, *qui pernegat ea quæ ſunt palam.* ME. *Adjuro per Jovem, & omnes Deos, uxor, eſt ne ſatis tibi? Me non iſti nutaſſe.* PE. *Tibi credit jam de iſtis, revertere illuc.* ME. *Quò revertar ego?* PE. *Equidem cenſeo ad Phrygionem, i, refer pallam.* ME. *Quæ eſt iſta palla?* MV. *Nihil dico jam quandoquidem hic non recordatur ſui facti.* ME. *Num aliquis ſervus peccavit? Num ancillæ aut ſervi tibi reponunt ferociter? dic, dabunt pœnas.* PE. *Nugaris.* ME. *Es valdè mæſta, id mihi non placet ſatis.* PE. *Nugaris.* ME. *irata es cuidam familiarium?* PE. *Nugaris.* ME. *Num es irata mihi ſaltem?* PE. *Nunc tu non nugaris.* ME. *Per ædem Pollucis non peccavi quidquam.* PE. *Hem! rurſus jam nugaris.* ME. *Loquere, mea uxor, quid eſt tibi ægrè?* PE. *Bellus te palpat.* ME. *Potéſne mihi non eſſe moleſtus? num te alloquor?* MV. *Abſtine manum.* PE. *Hoc habe. accelera jam ligurire cœnam me abſente, poſtea deride me temulentus cum coronâ ante ædes.* ME. *Per ædem Pollucis ego neque cœnavi hodie, neque huc intuli pedem.* PE. *Tune inficiaris.* ME. *Per Herculem inficior.* PE. *Nihil audacius hoc homine.*

Non ego te modò hîc ante ædeis cum coronâ floreâ
Vidi aſtare ? cùm negabas mihi eſſe ſanum ſinciput :
Et negabas me noviſſe : peregrinum aiebas eſſe te.
ME. Quin ut dudum divorti abs te, redeo nunc demum domum.
PE. Novi ego te. non mihi cenſebas eſſe, quî te ulciſcerer.
Omnia hercle uxori dixi. *ME*. quid dixiſti ? *PE*. neſcio :
Eam ipſus roga. *ME*. quid hoc eſt, uxor ? quid nàm hic narravit tibi ?
Quid id eſt? quid taces ? quin dicis, quid ſit. *MV*. quaſi tu neſcias.
Palla mihi eſt domo ſurrepta. *ME*. palla ſurrepta eſt tibi ?
MV. Me rogas ? *ME*. pol haud rogem te, ſi ſciam. *PE*. ô hominem malum !
Ut diſſimulat ! non potes celare : rem novi probè :
Omnia hercle ego edictavi. *ME*. quid id eſt ? *MV*. quando nihil pudet,
Neque vis tuâ voluntate ipſe profiteri, audi, atque ades:
Et quid triſtis, & quid hic mihi dixerit, faxo ſcias.
Palla eſt mihi domo ſurrepta. *ME*. palla ſurrepta eſt tibi ?
PE. Viden tu ut ſceleſtus capiat ! huic ſurrepta eſt, non tibi.
Nam profecto tibi ſurrepta ſi eſſet, ſalva nunc foret.
ME. Nihil mihi tecum eſt. ſed quid tu ais ? *MV*. palla inquam periit domo.
ME. Quis eam ſurripuit? *MV*. pol iſtuc ille ſcit, qui illam abſtulit.
ME. Quis hic homo eſt ? *MV*. Menæchmus quidam. *ME*. edepol factum nequiter.
Quis is Menæchmus eſt ? *MV*. tu iſtic, inquam. *ME*. egóne ?
MV. tu ! *ME*. quis arguit ?

INTERPRETATIO.

Ego non te conſpexi modò aſtantem hìc ante has ædes coronatum floribus, quando negabas eſſe mihi caput ſanum, & negabas te me noviſſe, dicebas te eſſe peregrinum. ME. *Quin, ex quo dudum declinavi à te, redeo jam in ædes.* PE. *Ego te novi, non exiſtimabas mihi eſſe futurum in quo te ulciſcerer : per Herculem dixi cuncta uxori.* ME. *Quid dixiſti.* PE. *Neſcio : interroga eam ipſo.* ME. *Quid hoc eſt uxor ? quidnam hic tibi narravit ? quid eſt id ? quid ſiles ? quin ais quid ſit ?* MV. *Quaſi tu ignores ! mihi ſurrepta eſt domo palla.* ME. *Tibi ſurrepta eſt palla?* MV. *Me rogas ?* ME. *Per Pollucem non te interrogem, ſi norim.* PE. *O malum hominem, ut diſſimulat. Non poteſt cœlare ; novi rectè rem, per Herculem ego aperui omnia uxori.* ME. *Quid eſt id?* MV. *Quoniam nihil pudet, neque vis ultro fateri, accipe atque ades* animo, *efficiam ſcias, & quare ſim mæſta, & quid hic mihi dixerit. Mihi ſurrepta eſt domo palla.* ME. *Tibi ſurrepta eſt palla ?* PE. *Videſne, ut ſceleſtus captet* argutiis? *Pro hac Erotio ſurrepta eſt, non pro te : nam profectò, ſi pro te ſurrepta eſſet, nunc eſſet ſalva.* ME. *Mihi nihil negotii eſt tecum, ſed quid dicis tu?* MV. *Palla, inquam, perdita eſt domi.* ME. *Quis eam ſuffuratus eſt ?* MV. *Per Pollucem ille ſcit illud, qui illam abſtulit.* ME. *Quis eſt hic homo?* MV. *Quidam Menachmus.* ME. *Per ædem Pollucis factum malignè. Quis eſt iſtic Menachmus ?* MV. *Tu ille es, inquam.* ME. *Egóne ?* MV. *Tu.* ME. *Quis accuſat?*

MV. Egomet. *PE.* & ego. atque huic amicæ detuliſti Erotio.
MV. Egon' dedi? *PE.* tu, tu iſtic, inquam. vin' afferri noctuam,
Quæ, Tu, Tu, uſque dicat tibi? nam nos jam nos defeſſi ſumus.
ME. Per Jovem deóſque omnes adjuro, uxor; ſatin' hoc eſt tibi?
Non dediſſe. *PE.* imò hercle verò, nos non falſum dicere.
ME. Sed ego illam non condonavi, ſed ſic utendam dedi.
MV. Equidem ecaſtor tuam nec chlamydem do foras, nec pallium
Cuiquam utendum. MULIEREM æquum eſt veſtimentum muliebre
Dare foras, virum virile. quin refers pallam domum?
ME. Ego faxo referetur. *MV.* ex re tuâ, ut opinor, feceris.
Nam domum nunquam introibis, niſi feres pallam ſimul.
ME. Ego domum? *PE.* quid mihi futurum eſt, qui tibi hanc operam dedi?
MV. Opera reddetur, quando quid tibi erit ſurreptum domo.
PE. Id quidem edepol nunquam erit. nam nihil eſt, quod perdam, domi.
Cùm virum, cùm uxorem, dii vos perdant. properabo ad forum.
Nam ex hâc familiâ me planè excidiſſe intellego.
ME. Malè mihi uxor ſeſe feciſſe cenſet, quom excludit foràs.
Quaſi non habeam, quò intromittar, alium meliorem locum.
Si tibi diſpliceo, patiundum: at placuero huic Erotio,
Quæ me non excludet ab ſe, ſed apud ſe occludet domi.
Nunc ibo. orabo, ut mihi pallam reddat, quam dudum dedi.

INTERPRETATIO.

MV. *Ego ipſa.* PE. *Et ego. Et detuliſti tua amica Erotio.* ME. *Egòne dedi?* PE. *Tu, tu es iſte, inquam. Viſne afferri noctuam, qua occinat ſemper, tu, tu. Nam nos jam defatigati ſumus.* ME. *Adjuro, uxor, per Jovem & omnes Deos, éſtne ſatis id tibi? non dediſſe.* PE. *Imò per Herculem adjuramus verò, nos non dicere falſum.* ME. *Sed ego non illam donavi, ſed dedi eam ad uſum* brevem. MV. *Per ædem Caſtoris non do cuiquam foris, aut chlamydem, aut pallium quo quis utatur: eſt juſtum mulierem commodare foris veſtimentum muliebre, virum virile. quin refers pallam domum?* ME. *Ego efficiam, ut referatur.* MV. *Feceris è re tuâ, ut opinor: nam nunquam ingredieris in ædes, niſi refers tecum pallam.* ME. *Ego domum* non introibo? PE. *Quid mihi dabitur, qui tibi exhibui hanc operam*, detecto furto. MV. *Reddetur opera quando aliquid erit ſurreptum domo.* PE. *Per ædem Pollucis id accidet nunquam. nam eſt nihil domi quod perdam. Dii vos perdant, cùm virum, tum uxorem: accelerabo ad forum. nam intelligo me excidiſſe omnino ab hac familiâ.* ME. *Uxor cenſet ſeſe mihi malè feciſſe, quando excludit foras, quaſi non habeam alium locum commodiorem, quò admittar. Patiar, ſi tibi non placeam. At placebo huic Erotio, quæ non excludet me abs ſe, ſed includet domi apud ſe: nunc pergam; orabo, ut mihi reſtituat pallam, quam dedi dudum.*

ANNOTATIO.

91. *Vin afferri noctuam.*] Veteres tu, quaſi *tou* efferebant. Unde ad exprimendum lugubrem noctuæ cantum, finxerunt verbum *tutubo*, quod efferebant, quaſi toutoubo. Hic Paraſitus indignabundus quod repetere ſæpiùs cogeretur *tu*, aut *tou*, rogat à Menæchmo utrum velit noctuam afferri, quæ loco ſuo canat tu, tu, tou, tou.

Aliam

Aliam illi redimam meliorem. heus, ecquis hîc eſt janitor?
Aperite, atque Erotium aliquis evocate ante oſtium.

INTERPRETATIO.

Ei comparabo aliam meliorem. Heus ecquis oſtiarius eſt hic? pandite aliquis, atque evocate ante januam Erotium.

ACTUS QUARTUS. SCENA TERTIA.

ARGUMENTUM.

REPETIT pallam ab Erotio ſurreptus, affirmat reddidiſſe ſe Erotium ipſi Menæchmo, negat Menæchmus, hinc rixa, & excluſus ab Erotio ſurreptus, error & fruſtratio.

EROTIUM, MENÆCHMUS ſurreptus.

EROTIUM.

QVIS hîc me quærit? *ME.* ſibi inimicus magis quàm ætati tuæ.
ER. Mi Menæchme, cur ante ædeis aſtas? ſequere intrò. *ME.* mane.
Scin' quid eſt, quòd ego ad te venio? *ER.* ſcio, ut tibi ex me ſit volup.
ME. Imò edepol pallam illam, amabo te, quam tibi dudum dedi,
Mihi eam redde. uxor reſcivit rem omnem, ut factum eſt ordine.
Ego tibi redimam bis tantò pluris pallam, quam voles.
ER. Tibi dedi equidem illam, ad phrygionem ut ferres, paulò priùs:
Et illud ſpinther, ut ad aurificem ferres, ut fieret novum.

INTERPRETATIO.

EROT. *Quis me petit hic?* ME. *Eſt Menæchmus, qui ſe ipſe odit magis quàm te.* ER. *Mi Menæchme, quare conſiſtis ante oſtium? ingredere mecum.* ME. *Sine me. Sciſne quare ego ad te venio?* ER. *Scio, ut voluptatem capias mecum.* ME. *Imò per ædem Pollucis reſtitue quæſo mihi illam pallam, quam tibi tradidi. Uxor cognovit ordine univerſa ſicut geſta ſunt. Ego tibi redimam pallam altero tanto cariorem, qualem voles.* ER. *Tibi eam tradidi modo, ut deferres ad phrygionem, & ut ferres illud ſpinther ad aurificem, ut conflaretur novum.*

ANNOTATIONES.

3. *Volup.*] Voluptas.

7. *Tibi dedi equidem illam.*] Hic error eſt utrimque; & Erotii quòd exiſtimet dediſſe Menæchmo ſurreptitio, cùm dediſſet adventitio; & Menæchmi quòd exiſtimet pallam eſſe apud Erotium, quæ erat apud phrygionem.

ME. Mihi ut tu dederis pallam, & ſpinther? nunquam factum. relege res!
Nam ego quidem poſtquam illam dudum tibi dedi, atque abii ad forum,
Nunc redeo, nunc te poſtillâ video. *ER.* video quam rem agis.
Quia commiſi, ut me defrudes: ad eam rem affectas viam.
ME. Neque edepol te defraudandi cauſsâ poſco: quin tibi
Dico, uxorem reſciviſſe. *ER.* nec te ultrò oravi ut dares.
Tute ultrò ad me detuliſti, dediſti eam dono mihi:
Eandem nunc repoſcis. patiar, tibi habe, aufer, utere,
Vel tu, vel tua uxor, vel etiam in oculos compingite.
Tu huc, poſt hunc diem, pedem intrò non feres, ne fruſtrà ſis,
Quando tu me benè merentem tibi habes deſpicatui,
Niſi feres argentum, fruſtrà me ductare non potes.
Aliam poſthac invenito, quam tu habeas fruſtratui.
ME. Nimis iracundè hercle tandem. heus tu, tibi dico, mane:
Redi. *ER.* Etiámne aſtas? etiam audes meâ revorti gratiâ?
ME. Abiit intrò, occluſit ædeis. nunc ego ſum excluſiſſimus:
Neque domi, neque apud amicam mihi jam quicquam creditur.
Ibo, & conſulam hanc rem amicos, quid faciundum cenſeant.

INTERPRETATIO.

ME. *Tu mihi dediſti pallam & ſpinther? nunquam actum; nam ex quo tibi illam dedi, atque profectus ſum ad forum, nunc primùm revertor, nunc primùm te conſpicor poſt illud tempus.* ER. *Animadverto quid moliaris. quia feci, ut me poſſis defraudare, te comparas ad id.* ME. *Per ædem Pollucis non à te peto, ut te defraudem, quin tibi dico uxorem noviſſe.* ER. *Non te rogavi ut redderes: tu ad me detuliſti ultrò, ultrò mihi eam dono dediſti. Eam repetis jam. Patiar, habe penes te, aufer, utere eâ, vel tu, vel tua uxor, vel etiam condite in oculis; ne fruſtreris, tu non inferes huc intrò pedem, poſt hunc diem, quando quidem tu me habes ludibrio benè de te meritam; niſi afferas in poſterum argentum, non me ductabis gratis; quare in poſterum aliam, cui imponas.* ME. *Denique tu* loqueris *nimiá cum irâ. Heus tu, tibi dico, mane; revertere.* ER. *Etiámne aſtas? etiam audes redire mea cauſa.* ME. *Abiit intrò, occluſit fores. Nunc ego ſum excluſiſſimus; jam nihil mihi creditur, neque domi, neque apud amicam: pergam & conſulam de hac re amicos, quid exiſtiment mihi agendum.*

ANNOTATIONES.

9. *Mihi tu ut dederis.*] *Vous me l'avez donnée?*

12. *Quia commiſi.*] Sup. pallam: putat enim Erotium ſurrepto ſe dediſſe, quod Soſicli dedit.

17. *In oculos compingite.*] Id eſt, in oculis condite; quod rerum eſt, quæ ſunt admodum caræ.

24. *Excluſiſſimus.*] *Ipſiſſimus, oculiſſimus, armatiſſimus*, adjectiva ſunt ſuperlativa & audacia.

ACTUS QUINTUS.

ARGUMENTUM.

MENÆCHMUS Soſicles acceptus pro ſurrepto ab uxore ſurrepti, ſocero, medico. Viciſſim ſurreptus acceptus à Meſſenione pro Soſicle, demum Soſicles ſurreptum, & ſurreptus Soſiclem agnoſcunt.

ACTUS QUINTUS. SCENA PRIMA.

ARGUMENTUM.

MENÆCHMUS Soſicles putatur eſſe ſurreptus ab uxore ſurrepti. Error.

MENÆCHMUS Soſicles, MULIER ſurrepti.

MENÆCHMUS.

NIMIS ſtultè dudum feci, cùm marſupium
Meſſenioni cum argento concredidi.
Immerſit aliquò ſeſe credo in ganeum.
MU. Proviſam, quàm mox vir meus redeat domum.
Sed eccum video: ſalva ſum, pallam refert.
ME. Demiror, ubi nunc ambulet Meſſenio.
MU. Adibo, atque hominem accipiam, quibus dictis meret.
Non te pudet prodire in conſpectum meum,
Flagitium hominis; cum iſtoc ornatu? *ME.* quid eſt?
Quæ res agitat te, mulier? *MU.* etiámne impudens
Mutire unum verbum audes, aut mecum loqui?

INTERPRETATIO.

MEN. *Feci modò valdè amenter, quando tradidi pecuniam cum crumenâ Meſſenioni; puto quòd ſeſe abdidit in aliquam popinam.* MU. *Proviſam ſtatim, utrum meus maritus revertatur domum. Sed ecce aſpicio, ſalva ſum, refert pallam.* ME. *Miror ubi jam verſetur Meſſenio.* MU. *Conveniam, & objurgabo hominem verbis, quæ meretur. Non te pudet, flagitioſiſſime homo, venire in meum conſpectum, cum hoc habitu?* ME. *Quid eſt? Quæ intemperiæ te præcipitem agunt, mulier?* MU. *Etiámne impudens audes mutire unum verbum, aut loqui mecum?*

ME. Quid tandem admiſi in me, ut loqui non audeam?
MU. Rogas me? ô hominis impudentem audaciam!
MF. Non tu ſcis, mulier, Hecubam quapropter canem
Graii eſſe prædicabant? *MU*. non equidem ſcio.
ME. Quia idem faciebat Hecuba, quod tu nunc facis:
Omnia mala ingerebat, quemquem aſpexerat.
Itáque adeò jure cœpta appellari eſt Canis.
MU. Non iſtæc ego flagitia poſſum perpeti.
Nam med ætatem viduam eſſe mavelim,
Quàm iſtæc flagitia tua pati, quæ tu facis.
ME. Quid id ad me, tu te nuptam poſſis perpeti,
An ſis abitura à tuo viro? an mos eſt ita hîc,
Peregrino ut advenienti narrent fabulas?
MU. Quas fabulas? non, inquam, patiar præterhac,
Quin vidua vivam, quàm tuos mores perferam.
ME. Meâ quidem hercle cauſâ vidua vi&ita,
Vel uſque dum regnum obtinebit Juppiter.
MU. At mihi negabas dudum ſurripuiſſe te,
Nunc eandem ante oculos attines. num te pudet?
ME. Heu hercle, mulier, multum & audax & mala es.
Tun' tibi hanc ſurreptam dicere audes, quam mihi
Dedit alia mulier, ut concinnandam darem!
MU. Næ iſtuc mecaſtor jam patrem arceſſam meum,
Atque ei narrabo tua flagitia, quæ facis.

INTERPRETATIO.

ME. *Quid tandem commiſi, ut non audeam verba facere?* MU. *A me petu? ô audaciam impudentem hominis!* ME. *Tu non ſcis, mulier, quamobrem Græci dicebant Hecubam eſſe canem?* MU. *Profectò neſcio.* ME. *Quia Hecuba agebat idem, quod tu jam agis, laceſſebat omni 'maledictorum genere, quemcumque conſpicaretur: itaque meritò cœperunt eam appellare canem.* MU. *Ego nequeo ferre iſta crimina; nam malim eſſe vidua, quamdiu vivam, quàm ferre iſta ſcelera, quæ tu perpetras.* ME. *Quid id ad me attinet, ſi tu poſſis vivere vidua, vel ſis diſceſſura à tuo viro? Eſtne mos Epidamni, ut occinant fabulas peregrino, qui huc venit?* MU. *Quas fabulas? Non feram ampliùs, inquam, quin ætatem exigam vidua, potiùs quàm feram tuos mores.* ME. *Per Herculem vive vidua, per me licet, vel tandiu quandiu Jupiter obtinebit regnum.* MU. *At mihi negabas antea te ſuffuratum eſſe pallam, nunc tenes eamdem ante oculos; non te pudet?* ME. *Heu! per Herculem mulier es plurimum & audax & nequam; túne audes dicere hanc pallam tibi ſubreptam fuiſſe, quam alia mulier mihi tradidit, ut eam darem reſarciendam?* MU. *Per Caſtorem profectò accerſam jam iſtuc meum patrem, atque edicam ei tua ſcelera, quæ committis.*

ANNOTATIONES.

14. *Hecubam.*] Hecuba Priami uxor in inſaniam lapſa propter cladem liberorum, & Priami, ruinámque urbis, & regni, in quemcumque Græcorum incurreret, maledictis inceſſabat. Idcircò Poëtæ finxerunt eam in canem eſſe verſam: re vera in ejus tumulo eſt impoſita canis effigies; unde cynoſſema ejus tumulus eſt appellatus. ; id eſt, *ſignum canis.*

27. *Meâ quidem cauſâ,*] Per me licet.

I, Decio, quære meum patrem, tecum ſimul
Ut veniat ad me: ita rem eſſe dicito.
Jam ego aperiam iſtæc tua flagitia. *ME.* ſanan' es?
Quæ mea flagitia? *MV.* Cùm pallam atque aurum meum
Domo ſuppilas uxori tuæ, & tuæ
Degeris amicæ. ſatin' hæc rectè fabulor?
ME. Quæſo hercle, mulier, ſi ſcis, monſtra quod bibam,
Tuam quî poſſim perpeti petulantiam.
Quem tu hominem me arbitrâre, neſcio.
Ego te ſimitu novi cum Parthaone.
MV. Si me derides, at pol illum non potes,
Patrem meum, qui huc advenit. quin reſpicis?
Noviſtin' tu illum? *ME.* novi cum Calchâ ſimul:
Eodem die vidi illum, quo te ante hunc diem.
MV. Negas noviſſe me? negas patrem meum?
ME. Idem hercle dicam, ſi avum vis adducere.
MV. Ecaſtor pariter hoc, atque alias res ſoles.

INTERPRETATIO.

Perge, Decio, roga meum patrem, ut veniat ad me tecum: dicito illi mihi eſſe negotium. Ego detegam jam iſta tua ſcelera. ME. *Eſne ſana? quæ mea ſcelera?* MU. *Quando ſurripias pallam, atque meum aurum domo tua uxori, & perfers tuæ amicæ; dicóne hæc ſatis bene?* M E. *Rogo per Herculem, mulier, oſtende, quid mihi ſit bibendum, ſi ſcis, ut valeam ferre tuam vecordiam. Neſcio quem hominem tu me exiſtimas eſſe. Ego te novi ſicut noſco Parthaonem.* MU. *Si me irrides, at per Pollucem non potes irridere illum meum patrem, qui venit huc: quin retro aſpicis? noviſtíne tu illum?* ME. *Novi ut novi Calchanta, eum vidi eodem die, quo te vidi ante hunc diem.* MU. *Negas me noviſſe, negas noviſſe meum patrem?* M E. *Per Herculem dicam idem, ſi vis producere avum.* MU. *Per ædem Caſtoris hoc affirmas perinde, atque ſoles affirmare alias res.*

ANNOTATIONES.

36. *Decio.*] Servi nomen.

36. *Quare.*] Feſtus. *Quaſo ut ſignificat idem quod rogo: ita & quaſere ponitur pro quarere, & quare pro quaſe.*

42. *Monſtra quod bibam.*] Id eſt, quod edam & bibam. Græci συμπόσια convivia dicebant, quaſi compotationes, tametſi cibo potúque conſtarent. Jus autem videtur quivis habere in eum quem alit; unde Theocritus, παρδμῶος ἐπίτασσε, *ubi nos alueris, impera.* Meritò igitur Menæchmus à muliere exigit, ut ſi jus in ſe quodvis uſurpare placeat, eadem & miniſtret quæ neceſſaria ſunt ad vitam, ut faciunt domini ſervis ac familiaribus.

45. *Cum Parthaone.*] Parthaon pater OEnei Ætoliæ regis, Dejaniræ, quæ erat Herculis uxor, patris, quem huc uſurpat, pro ſibi ignotiſſimo, & à ſuis temporibus remotiſſimo homine.

48. *Novi cum Calchâ.*] Calchas Textoris filius, qui divinandi arte plurimùm pollebat in obſidione Trojanâ; in eumdem ſenſum & hunc uſurpat, in quem paucis antè verſibus, Parthaonem.

ACTUS QUINTUS. SCENA SECUNDA.

ARGUMENTUM.

VOcatus ſocer Menæchmi ſurrepti ad audiendas filiæ querelas, accipit Soſiclem pro ſurrepto, negat Soſicles eſſe ſe ejus generum, ſocer ſurrepti putat eſſe generum ſuum ſtultum.

SENEX, MULIER, MENÆCHMUS Soſicles.

SENEX.

UT ætas mea eſt, atque ut hoc uſus facto eſt,
Gradum proferam, progredi properabo.
Sed id quàm facile ſit mihi, haud ſum falſus.
Nam pernicitas deſerit: conſitus ſum
Senectute: onuſtum gero corpus; vires
Reliquêre. ut ætas mala, merx mala eſt tergo!
Nam res plurimas peſſumas, cùm advenit, affert:
Quas ſi autumem omneis, nimis longus ſermo ſit.
Sed hæc res mihi in pectore & corde dura eſt,
Quidnam hoc ſit negotii, quòd filia ſic
Repente expetit me, ut ad ſeſe irem.
Nec, quid id ſit, mihi certius facit,
Quid velit, quid me arceſſat.
Verùm propemodum jam ſcio quid ſiet rei.
Credo cum viro litigium natum eſſe aliquod.

INTERPRETATIO.

SEN. *INgrediar viam, & accelerabo, pro ratione meæ ætatis, & ut eſt illi opus, verùm haud ignoro, quantùm id mihi erit facile, etenim celeritas deſtituit, obſitus ſum annis, fero corpus grave, robur deſeruit, mala ætas impoſita eſt dorſo, ut mala merx; nam apportat ſuo adventu multas res peſſimas, quas ſi velim* enumerare *omnes, oratio ſit nimis prolixa; ſed id ægrè fero, quòd filia me accerſit tam repentè, ut ad ſeſe vadam; nec me facit certiorem quid velit, aut quare me accerſat; ſed ſcio jam ferè quid ſit. Auguror eſſe quandam contentionem natam*

ANNOTATIONES.

4. *Conſitus ſum ſenectute.*] Dictum pro *conſitus canis capillis*, aut *canis capillis conſitum caput*. Metonymica efficientis, pro effecto, è ſenectute enim ſoboleſcunt, quaſi *conſiti* in capite cani. Terentius: *Annis obſitum*. Virgilius: *Ibat rex obſitus ævo*.

5. *Onuſtum gero corpus.*] Supp. *annis*. In mercatore anus Dorippa ſe gerere, ait onus annorum octoginta quatuor. In Cicerone ſenes nonnulli ſenectutem, *Onus Æthnâ gravius* appellant.

6. *Ætas mala merx.*] Id eſt, ætas eſt mala merx. Mala merx enim eſt, quæ penes mercatorem manet invitum.

,, Ita iſtæc ſolent, quæ VIROS ſubſervire
,, Sibi poſtulant, dote fretæ, feroces.
,, Et illi quoque haud abſtinent ſæpè culpâ.
,, Verùm eſt modus tamen, quoad pati uxorem oportet.
Nec pol filia unquam patrem arceſſit ad ſe,
Niſi aut quid commiſſi, aut jurgii eſt cauſſa.
Sed quidquid id eſt, jam ſciam. atque eccam eámpſe
Ante ædeis, & ejus triſtem virum video.
Id eſt, quod ſuſpicabar.
Appellabo hanc. *MV.* ibo advorſum. ſalve multùm, mi pater.
SE. Salva ſis. ſalven' advenio? ſalven' arceſſi jubes?
Quid tu triſtis es? quid ille autem abs te iratus deſtitit?
Neſcio quid vos velitati eſtis inter vos duos.
Loquere uter meruiſtis culpam, paucis? non longos logos.
MV. Nuſquam equidem quicquam deliqui: hoc primùm abſolvo, pater.
Verùm vivere hîc non poſſum, neque durare ullo modo.
Proin tu me hinc abducas. *SE.* quid iſtuc autem eſt? *MV.* ludibrio, pater,
Habeor. *SE.* unde? *MV.* ab illo, cui me mandaviſti, meo viro.
SE. Ecce autem litigium. quoties edixi tandem tibi,
Ut caveres, neuter ad me iretis cum querimoniâ?
MV. Quî ego iſtuc, mi pater, cavere poſſum? *SE.* men' interrogas?
MV. Niſi non vis. *SE.* quoties monſtravi tibi, viro ut morem geras?

INTERPRETATIO.

inter eam, & virum eſt conſuetudo illarum, quæ volunt viros ſibi ſubjicere, confiſa ſua dote ſuperba. Et mariti *etiam frequenter non carent crimine; attamen eſt ratio, quâ decet uxorem ferre, nec per Pollucem filia unquam vocaret ad ſe patrem, niſi aut propter aliquod delictum, aut aliquam contentionem; ſed quidquid id eſt, jam noſcam, atque ecce eam ante domum conſpicor, & ejus virum mæſtum: id eſt quod augurabar; hanc advocabo.* MU. *Pergam obviam: ſalvus ſis plurimùm, mi pater.* SE. *Salva; ſalvane res ſunt? Advenio: ſed cur venire mandas? quare es mæſta? quare autem ille receſſit à te iratus? Neſcio quid vos diſceptaſtis inter vos duos: dic paucis verbis uter meritus eſt reprehenſionem? Ne* facite *longam orationem.* MU. *Equidem nullomodo peccavi: id primùm ne te teneat ſollicitum, pater: ſed non poſſum vivere hic ullatenus, neque durare; itaque tu abducas me hinc.* SE. *Quid eſt autem iſtud?* MU. *Illudor, pater.* SE. *A quo?* MU. *A meo viro, cui me collocaſti.* SE. *Quoties te commonui, ut vitares contentiones, ut neuter veniretis ad me ad conquerendum de invicem?* MU. *Quomodo ego poſſum vitare id, mi pater?* SE. *Méne interrogas?* MU. *Si placet.* SE. *Quoties tibi mandavi, ut*

ANNOTATIO.

29. *Non longos logos.*] Nonius: *Logi ſunt ſermones, vel dicta ridicula & contemnenda,* Propertius: *Tritalogis,* appellat hybrida voce, qui tritas nugas, & arreptas è trivio lubenter uſurpat ad movendum riſum, quod eſt illiberale & inurbanum.

ACTUS QUINTUS. SCENA SECUNDA.

ARGUMENTUM.

VOCATUS ſocer Menæchmi ſurrepti ad audiendas filiæ querelas, accipit Soſielem pro ſurrepto, negat Soſicles eſſe ſe ejus generum, ſocer ſurrepti putat eſſe generum ſuum ſtultum.

SENEX, MULIER, MENÆCHMUS Soſicles.

SENEX.

UT ætas mea eſt, atque ut hoc uſus facto eſt,
Gradum proferam, progredi properabo.
Sed id quàm facile ſit mihi, haud ſum falſus.
Nam pernicitas deſerit: conſitus ſum
Senectute: onuſtum gero corpus; vires
Reliquêre. ut ætas mala, merx mala eſt tergo!
Nam res plurimas peſſumas, cùm advenit, affert:
Quas ſi autumem omneis, nimis longus ſermo ſit.
Sed hæc res mihi in pectore & corde dura eſt,
Quidnam hoc ſit negotii, quòd filia ſic
Repente expetit me, ut ad ſeſe irem.
Nec, quid id ſit, mihi certius facit,
Quid velit, quid me arceſſat.
Verùm propemodum jam ſcio quid ſiet rei.
Credo cum viro litigium natum eſſe aliquod.

INTERPRETATIO.

SEN. *INgrediar viam, & accelerabo, pro ratione meæ ætatis, & ut eſt illi opus, verùm haud ignoro, quantùm id mihi erit facile, etenim celeritas deſtituit, obſitus ſum annis, fero corpus grave, robur deſeruit, mala ætas impoſita eſt dorſo, ut mala merx; nam apportat ſuo adventu multas res peſſimas, quas ſi velim* enumerare *omnes, oratio ſit nimis prolixa; ſed id ægrè fero, quòd filia me accerſit tam repentè, ut ad ſeſe vadam; nec me facit certiorem quid velit, aut quare me accerſat; ſed ſcio jam ferè quid ſit. Augurer eſſe quandam contentionem natam*

ANNOTATIONES.

4. *Conſitus ſum ſenectute.*] Dictum pro *conſitus canis capillis*, aut *canis capillis conſitum caput.* Metonymica efficientis, pro effecto, è ſenectute enim ſoboleſcunt, quaſi *conſiti* in capite cani. Terentius: *Annis obſitum.* Virgilius: *Ibat rex obſitus ævo.*

5. *Onuſtum gero corpus.*] Supp. *annis.* In mercatore anus Dorippa ſe gerere, ait onus annorum octoginta quatuor. In Cicerone ſenes nonnulli ſenectutem, *Onus Æthnâ gravius* appellant.

6. *Ætas mala merx.*] Id eſt, ætas eſt mala merx. Mala merx enim eſt, quæ penes mercatorem manet invitum.

„ Ita iſtæc ſolent, quæ VIROS ſubſervire
„ Sibi poſtulant, dote fretæ, feroces.
„ Et illi quoque haud abſtinent ſæpè culpâ.
„ Verùm eſt modus tamen, quoad pati uxorem oportet.
Nec pol filia unquam patrem arceſſit ad ſe,
Niſi aut quid commiſſi, aut jurgii eſt cauſſa.
Sed quidquid id eſt, jam ſciam. atque eccam eámpſe
Ante ædeis, & ejus triſtem virum video.
Id eſt, quod ſuſpicabar.
Appellabo hanc. *MV*. ibo advorſum. ſalve multùm, mi pater.
SE. Salva ſis. ſalven' advenio? ſalven' arceſſi jubes?
Quid tu triſtis es? quid ille autem abs te iratus deſtitit?
Neſcio quid vos velitati eſtis inter vos duos.
Loquere uter meruiſtis culpam, paucis? non longos logos.
MV. Nuſquam equidem quicquam deliqui: hoc primùm abſolvo, pater.
Verùm vivere hîc non poſſum, neque durare ullo modo.
Proin tu me hinc abducas. *SE*. quid iſtuc autem eſt? *MV*. ludibrio, pater,
Habeor. *SE*. unde? *MV*. ab illo, cui me mandaviſti, meo viro.
SE. Ecce autem litigium. quoties edixi tandem tibi,
Ut caveres, neuter ad me iretis cum querimoniâ?
MV. Quî ego iſtuc, mi pater, cavere poſſum? *SE*. men' interrogas?
MV. Niſi non vis. *SE*. quoties monſtravi tibi, viro ut morem geras?

INTERPRETATIO.

inter eam, & virum eſt conſuetudo illarum, quæ volunt viros ſibi ſubjicere, confiſa ſua dote ſuperba. Et mariti *etiam frequenter non carent crimine; attamen eſt ratio, quâ decet uxorem ferre, nec per Pollucem filia unquam vocaret ad ſe patrem, niſi aut propter aliquod delictum, aut aliquam contentionem; ſed quidquid id eſt, jam noſcam, atque ecce eam ante domum conſpicor, & ejus virum mœſtum: id eſt quod augurabar; hanc advocabo.* MU. *Pergam obviam: ſalvus ſis plurimùm, mi pater.* SE. *Salva: ſalvane res ſunt? Advenio: ſed cur venire mandas? quare es mœſta? quare autem ille receſſit à te iratus? Neſcio quid vos diſceptaſtis inter vos duos: dic paucis verbis uter meritus eſt reprehenſionem?* Ne facite *longam orationem.* MU. *Equidem nullomodo peccavi: id primùm ne te teneat ſollicitum, pater: ſed non poſſum vivere hic ullatenus, neque durare; itaque tu abducas me hinc.* SE. *Quid eſt autem iſtud?* MU. *Illudor, pater.* SE. *A quo?* MU. *A meo viro, cui me collocaſti.* SE. *Quoties te commonui, ut vitares contentiones, ut neuter veniretis ad me ad conquerendum de invicem?* MU. *Quomodo ego poſſum vitare id, mi pater?* SE. *Méne interrogas?* MU. *Si placet.* SE. *Quoties tibi mandavi, ut*

ANNOTATIO.

29. *Non longos logos.*] Nonius: *Logi ſunt ſermones, vel dicta ridicula & contemnenda.* Propertius: *Tritalogis*, appellat hybrida voce, qui tritas nugas, & arreptas è trivio lubenter uſurpat ad movendum riſum, quod eſt illiberale & inurbanum.

Quid ille faciat, ne id obſerves: quò eat: quid rerum gerat.
MV. At enim ille hinc amat meretricem ex proximo. *SE*. ſanè ſapit.
Atque ob iſtanc induſtriam, etiam faxo amabit ampliùs.
MV. Atque ibi potat. *SE*. tuâ quidem ille cauſſâ potabit minùs,
Sive illîc, ſive alibi libebit? quæ hæc, malùm, impudentia eſt?
Unâ operâ prohibere, ad cœnam ne promittat, poſtules:
Néve quenquam accipiat alienum apud te. ſerviren' tibi
Poſtulas viros? dare unâ operâ penſum poſtules;
Inter ancillas ſedere jubeas; lanam cárere.
MV. Non equidem mihi te advocatum pater adduxi, ſed viro.
Hinc ſtas, illinc cauſſam dicis *SE*. ſi ille quid deliquerit,
Multò tantò illum accuſabo, quàm te accuſavi, ampliùs
Quando te auratam & veſtitam bene habet: ancillas, penum,
Rectè præhibet; melius ſanam eſt, mulier, mentem ſumere.
MV. At ille ſuppilat mihi aurum & pallam ex arcis modò:
Me deſpoliat, mea ornamenta clam me ad meretrices degerit.
SE. Malè facit, ſi iſtuc facit: ſi non facit; tu malè facis,
Quæ inſontem inſimules. *MV*. quin etiam nunc habet pallam, pater,
Et ſpinther, quod ad hanc detulerat: nunc, quia reſcivi, refert.

INTERPRETATIO.

eſſes morigera viro? ut non explorares id quod ille agat, quò vadat, quid negotii faciat? MU. *Ille amat meretricem hic in vicinis,* S E. *Profectò ſapit: & efficiam etiam, ut ob eam curam,* quam ponis in eo obſervando, *eam amet ampliùs.* MU. *Et ibi potat.* SE. *Puto ille potabit minus tuâ causâ, ſive illic, ſive alibi, ubi voluerit. Quæ impudentia eſt hæc, malum? Petas perinde impedire, quominùs polliceatur ire cœnatum aliquò, & ne excipiat menſâ quemquam alienum apud te. Viſne maritum tibi parere? postulabis ſimiliter dividere penſum; imperabit eum ſedere inter ancillas, carminare lanam.* MU. *Sane pater non te invocavi, ut meus patronus eſſes, ſed viri:* pro me *ſtas*, pro illo *dicis cauſam.* S E. *Si ille peccaverit illum condemnabo multò ampliùs quàm te; & tantò ampliùs eum condemnabo, quantò ampliùs te accuſavi, quoniam curat ut ſis ornata auro, & eleganter induta; & præbet ancillas, penum: præſtat, mulier, ſumere mentem* æquam. M U. *Sed ille mihi ſuffuratur aurum & pallas ex arcis: me ſpoliat, defert mea ornamenta ad meretrices, me inſciâ.* S E. *Malè agit, ſi id agit: ſi non agit, tu agis malè, quæ accuſas innocentem.* MU. *Quin habet etiamnum pallam, pater, & ſpinther, quod detulerat ad hanc: nunc quia deprehendi, refert.*

ANNOTATIONES.

46. *Cárere lanam,*] A caro, is, it, *carder.* Carmen, *une carde;* inſtrumentum ad carminandum. Caritores, *cardeurs.*

48. *Hinc ſtas.*] Moris erat ut patronus ſtans juxta clientem, ejus cauſam peroraret, itaque & ſtabat & cauſam dicebat patronus juxta clientem, hîc uxor Menæchmi conqueritur de patre, quod ſtet quidem ad ſe, ſed pro Menæchmo adverſario perorare videatur.

SE. Jam

SE. Jam ego ex hoc ut factum eſt ſcibo. ibo ad hominem, atque alloquar.
Dic mihi iſtuc, Menæchme, quod vos diſſertatis, ut ſciam.
Quid tu triſtis es? quid illam autem iratam abs te deſtituis?
ME. Quiſquis es, quicquid tibi nomen eſt, ſenex, ſummum Jovem
Deóſque deteſtor. *SE.* quâ de re, aut cujus rei rerum omnium?
ME. neque iſti malè feciſſe mulieri, quæ me arguit
Hanc domo ab ſe ſurripuiſſe, atque abſtuliſſe dejerat.
Si ego intra ædis hujus unquam, ubi habitat, penetravi *pedem*,
Omnium hominum exopto ut fiam miſerorum miſerrimus.
SE. Sanún' es, qui iſtuc exoptes, aut neges te unquam pedem
In eas ædes intuliſſe, ubi habitas, inſaniſſime?
ME. Tun' ſenex ais habitare med in illiſce ædibus?
SE. Tu negas? *ME.* nego hercle verò. *MV. nimio hæc impudenter* negas,
Niſi quò nocte hâc emigraſti. *SE.* concede hâc, filia.
Quid tu ais? num hinc emigraſti? *ME.* quem in locum, aut ob rem, obſecro?
SE. Non edepol ſcio. *MV.* profectò ludit te hic. *SE.* non tu te tenes?
Jam verò, Menæchme, ſatis jocatus es. nunc hanc rem age.
ME. Quæſo quid mihi tecum eſt? unde, aut quis tu homo es? *quid feci ego*
Tibi aut adeò iſti, quæ mihi moleſta eſt quoquo modo?
MV. Viden' tu illi oculos virere? ut viridis exoritur colos

INTERPRETATIO.

SE. *Ego cognoſcam jam ex hoc, quomodo id actum eſt. Conveniam hominem, atque affabor. Dic mihi id, Menachme, de quibus contenditis vos? Velim audire. Quare es tu mæſtus? Quare autem eam dimittis à te iratam?* ME. *Quiſquis es, quodcumque nomen habes, ſenex, teſtem appello ſummum Jovem & Deos.* SE. *De quâ re teſtaris, aut cujus rei teſtem invocas?* ME. *Teſtor Jovem me neque feciſſe malè huic mulieri, quæ me accuſat, me ab ſe ſubduxiſſe furto domo hanc pallam, atque abſtuliſſe. Si ego unquam intuli pedem in hujus ædes, precor ut evadam miſerrimus omnium hominum, qui ſunt miſeri.* SE. *Sapíſne qui preceris iſtud, aut neges te unquam intuliſſe pedem in hæc ædes, in quibus manes, ſtultiſſime?* ME. *Dicíſne, ſenex, me manere in illis ædibus?* SE. *Tu inficiaris?* ME. *Eo inficias equidem.* MU. *Inficiaris hæc nimis impudenter, niſi demigraſti hac nocte aliquò.* SE. *Accede huc filia. Quid dicis tu*, Menæchme, *num emigraſti hinc?* ME. *In quem locum, amabo, aut* quamobrem? SE. *Neſcio ſanè.* MU. *Certè hic te irridet.* SE. *Tu non tenes linguam,* filia? *Es ſatis jocatus, Menachme*, age *nunc ſeriò.* ME. *Rogo quid mihi eſt tecum, unde es tu, aut quis es tu? quid tibi ego feci, aut iſti, quæ mihi eſt incômoda quovis modo?* MU. *Vidéſne tu oculos illius vireſcere? ut color viridis*

ANNOTATIONES.

61. *Deteſtari.*] Teſtari, *de*, auget.
76. *Oculos virere,*] Alii, oculos *urier*, pro *uri*, ſcintillare, ardere.

Ex temporibus atque fronte! ut oculi ſcintillant! vide.
ME. Quid mihi melius eſt, quàm quando illi me inſanire prædicant,
Ego me aſſimulem inſanire, ut illos à me abſterream?
MU. Ut pandiculans oſcitatur! quid nunc faciam, mi pater?
SE. Concede huc, mea nata, ab iſtoc quàm potes longiſſimè.
ME. Evoe, Evie, Bromie, quò me in ſilvam venatum vocas?
Audio: ſed non abire poſſum ab his regionibus:
Ita illa me ab lævâ rabioſa fæmina adſervat canis.
Poſt autem illic hircus alius, qui ſæpè ætate in ſuâ
Perdidit civem innocentem falſo teſtimonio.
SE. Væ capiti tuo. *ME.* ecce Apollo mihi ex oraculo imperat,
Ut ego illi oculos exuram lampadibus ardentibus.
MU. Perii, mi pater: minatur mihi oculos exurere.
ME. Hei mihi, inſanire me aiunt, ultrò cùm ipſi inſaniunt.
SE. Filia, heus. *MU.* quid eſt? quid agimus? *SE.* quid ſi ego huc ſervos cito?

INTERPRETATIO.

erumpit ex temporibus & fronte! ut oculi emicant! cerne. ME. *Quid eſt quod mihi optabilius eſſe poſſit: quàm quando illi prædicant me inſanire. ego ſimulem inſaniam, ut illos ſummoveam à me.* MU. *Ut oſcitatur pandiculans! quid agam jam, mi pater?* SE. *Accede huc, mea filia; & recede quàm longiſſimè ab iſto.* ME. *Evoë, Evie, Bromie, quò me appellas in ſylvam ad venandum? Audio: ſed nequeo emigrare ab his oris; adeò iſta rabioſa fœmina me obſidet, ut canis* rabioſa, *ab lævâ. Ille alius ſenex olidus, qui exitio fuit ſæpè, falſo teſtimonio, civibus innocentibus.* SE. *Væ tibi.* ME. *Ecce Apollo mihi mandat ex Oraculo, ut ego illi incendam oculos facibus accenſis.* MU. *Interii, mi pater, minitatur mihi incendere oculos.* ME. *Hei mihi, dicunt me inſanire, tametſi magis inſaniunt quàm ego.* SE. *Heus, filia!* MU. *Quid eſt? quid facimus?* SE. *Quid ſi ego* voco *huc ſervos celeriter?*

ANNOTATIONES.

80. *Pandiculans oſcitatur.*] Feſtus: *Pandiculari dicuntur, qui toto corpore oſcitantes extenduntur, eò quòd pandi fiant: jam oſcitatio, eſt oris citatio, & diductio,* quæ aut tædio, aut ſomno adveniente accidit, aut etiam febri accedente.

82. *Evoë.*] Græcè Εὐοῖ: clamores erant fœminarum ſacra Bacchi celebrantium, & bacchantium, id eſt, per agros, perque ſylvas vagantium.

Evie, Bromie.] Εὔιος, *bonus filius*: Jovis videlicet: à Βρέμω, fremo, Bromius, aut à fremitu tonitru, quo conflagravit Semele in partu Bacchi, aut quòd fremitus, & rixarum vinum ſit origo.

84. *Canis.*] Fœminam incitatam in ſe iracundiâ exprimit.

85. *Hircus.*] Id eſt homo gravis, & intolerandi odoris; Metonymia concreti quod aiunt, pro abſtracto: fœtor enim inſignis eſt *hircorum*, aliis *hircus ſalius* id eſt, *admiſſarius.*

87. *Apollo ex Oraculo imperat.*] Oraculum ſignificat, & templum in quo edebantur oracula, & tripodem, & oracula ipſa.

88. *Oculos exuram lampadibus.*] Veneficis exurebantur oculi facibus ardentibus; & quoniam id ſupplicii erat longè maximum, idcircò finxerunt veteres inſignes reos, ut Oreſtem, interfectâ matre, & alios, Furiarum tædis ardentibus urgeri, quo conſcientias ſcelerum, quibus ſontes diu noctûque vexantur, exprimere voluerunt.

Ibo, adducam, qui hunc hinc tollant, & domi devinciant,
Priuſquam turbatum quid faciat ampliùs. *ME.* enim vero, niſi
Occupo aliquid mihi conſilium, hi domum me ad ſe auferent.
Pugnis me vetas in hujus ore quicquam parcere?
Ni jam ex meis oculis abſcedat in malam magnam crucem,
Faciam quod jubes, Apollo. *SE.* fuge domum quantum pote'ſt,
Ne hic te obtundat. *MU.* fugio. amabo, adſerva iſtunc, mi pater,
Ne quò hinc abeat · ſumne ego mulier miſera, quæ illæc audio?
ME. Haud malè illanc amovi. nunc hunc impuriſſimum,
Barbatum, tremulum, Tithonum, Cygno prognatum patre:
Ita mihi imperas, ut ego hujus membra, atque oſſa, atque artua
Comminuam illo ſcipione, quem ipſe habet. *SE.* dabitur malum,
Me quidem ſi attigeris, aut ſi propiùs ad me acceſſeris.
ME. Faciam quod jubes: ſecurim capiam ancipitem, atque hunc ſenem
Exoſſabo, dein dedolabo aſſulatim viſcera.
SE. Enim verò illud præcavendum eſt, atque accurandum mihi:
Sanè ego illum metuo, ut minatur, ne quid malè faxit mihi.
ME. Multa mihi imperas, Apollo. nunc equos junctos jubes
Capere me indomitos, feroces: atque in currum inſcendere,
Ut ego hunc proteram leonem Getulum, olentem, edentulum.

INTERPRETATIO.

Ibo, adducam eos, ut hunc amoveant hinc, & domi conſtringant, antequam edat ullas turbas ampliùs. ME. *Enim vero, niſi mihi aſſumam quiddam conſilii, hi me abducent ad ſe domum: me prohibes, Bacche, quidquam parcere pugnis in feriendo hujus ore? Niſi abſcedat ſtatim ex meis oculis, in magnam malam crucem, faciam id quod imperas, Apollo.* SE. *Fuge domum quàm celeriter poteris, ne hic te obtundat.* MU. *Fugio: rogo, ſerva iſtum, mi pater, ne hinc fugiat aliquò: nonne ego infelix uxor, quæ audio hæc?* ME. *Haud malè illam ſummovi: nunc fugabo hunc impuriſſimum, barbatum, tremebundum, Tithonum, natum patre Cygno: ita mihi mandas, ut ego hujus confringam membra, oſſa, artus hoc baculo, quem ipſe tenet.* SE. *Dabis pœnas, ſi me attigeris, vel ſi acceſſeris propiùs ad me.* ME. *Agam quod jubes: arripiam ſecurim ancipitem, & comminuam oſſa huic ſeni, deinde concidam fruſtatim viſcera.* SE. *Enimvero eſt mihi cavendum ab eo, & providendum mihi profectò: Ego metuo ne ille mihi faciat aliquid mali, ſicut minitatur.* ME. *Mihi mandas plura, Apollo: nunc mandas me capere equos conjunctos indomitos, feroces & aſcendere in currum, ut ego elidam hunc leonem Getulum, malè olentem, edentulum.*

ANNOTATIONES.

101. *Tithonum.*] Tithonus Laomedontius filius, pater Memnonis, ad extremam ſenectutem vixit.

Cygno prognatum patre.] Adeò canus eſt, adeò cani capilli.

106. *Dedolabo.*] Concidam. Dolabra, non ad poliendum, ſed ad concidendum in fruſta lignum.

Aſſulatim.] *Aſſis*, tabula ſectilis; *aſſula*, un copeau.

111. *Getulum leonem.*] In Getulia Africæ regione naſcuntur leones aliis immaniores.

Jam adſtiti in currum : jam lora reneo : jam ſtimulum in manu eſt,
Agite equi, facitote ſonitus ungularum appareant
Curſu celeri : facite inflexa ſit pedum pernicitas.
SE. Mihin' equis junctis minâre? *ME.* ecce Apollo denuò
Me jubes facere impetum in eum qui ſtat, atque occidere.
Sed quis hic eſt, qui me capillo hinc de curru deripit?
Imperium tuum demutat, atque dictum Apollinis.
SE. Heu hercle morbum acrem ac durum! dii voſtram fidem,
Vel hic qui inſanit, quàm valuit paulò priùs!
Ei derepentè tantus morbus incidit.
Ibo, atque arceſſam medicum jam quantum poteſt.

INTERPRETATIO.

Jam invaſi in currum : jam accipio habenas : jam ſtimulus eſt in manu : animoſe equi. date operam, ut ſonitus ungularum appareant curſu celeri : date operam ut flexus pedum ſit velox. SE. *Mihine minaris me preterere equis junctis?* ME. *Ecce Apollo mihi mandas rurſus irruere in eum qui adſtat, atque interficere. Sed quis eſt hic, qui me eripit hinc de curru capillis. Permutat suum mandatum, atque edictum Apollinis.* SE. *Heu morbum gravem ac vehementem! Dii*, teſtor *veſtram fidem : etiam hic, qui jam demens eſt, quàm ſanus erat paulò priùs! Ei accidit tantus morbus ſubitò : ibo & vocabo medicum quàm citiſſimè potero.*

ACTUS QUINTUS. SCENA TERTIA.

ARGUMENTUM.

SOSICLES ſeſe recipit ad navem, ſocer ſurrepti vocat medicum ad curandum generum.

MENÆCHMUS Soſicles, SENEX.

MENÆCHMUS.

JAMNE iſti abierunt, quæſo, ex conſpectu meo,
Qui me vi cogunt, ut validus inſaniam?
Quid ceſſo abire ad navem, dum ſalvo licet?

INTERPRETATIO.

MEN. *Qui me vi adigunt, ut ex ſano fiam inſanus, exceſſeruntne jam, amabo, è meo conſpectu? Quid cunctor proficiſci ad navem, dum conceditur incolumi.*

ANNOTATIO.

2. *Validus inſaniam.*] Inſanus à ſano. Sanus ſignificat qui non ægrotat; ſed quoniam morborum omnium eſt maximè metuendus morbus animi; idcirco dicitur, *inſanus*, qui *amens* eſt. Item valere accipitur de ſanitate & corporis & animi; hic de animi tantùm,

Vóſque omnes quæſo, ſi ſenex revenerit,
Ne me indicetis, quâ plateâ hinc aufugerim.
SE. Lumbi ſedendo, oculi expectando dolent,
Manendo medicum, dum ſe ex opere recipiat.
Odioſus tandem vix ab ægrotis venit.
Ait ſe obligaſſe crus fractum Æſculapio,
Apollini autem brachium. nunc cogito,
Utrum me dicam ducere medicum, an fabrum.
Atque eccum incedit. movet formicinum gradum.

INTERPRETATIO.

Tum vos oro univerſos, ut ſi ſenex redeat. ne doceatis quâ viâ me proripuerim hinc. S E. *Lumbi defeſſi ſunt ſedendo, oculi aſpiciendo, expectando medicum uſque eo dum revertatur ex operatione medicâ. Denique vix homo odioſus repetit domum ab ægrotis: narrat ſe colligaſſe crus fractum Æſculapio, Apollini autem brachium; porrò meditor quem me affirmavero eum eſſe, medicúmne, an fabrum. Sed ecce ingreditur, promovet greſſum inſtar formicarum.*

ANNOTATIONES.

7. *Ex opere.*] *Opus medicum : la pratique d'un medecin.* Seneca : *Graviſſima eſt infamia medici opus quærere. Opus quærere : chercher de la pratique.*

9. *Obligaſſe crus.*] Irridet medicorum illorum arrogantiam, qui quò fidem inveniant apud cæteros, fabulantur ſe notiſſimas perſonas tantùm non mortuas ſuſcitaſſe. Hic crus Æſculapio, brachium Apollini reſtituit, ipſis medicorum numinibus.

11. *Médicum an fabrum.*] Satyrico magis quàm Comico ſale medicos defricat Plautus, quando fingit dubitare ſe in perſona ſenis, utrùm de ſtatuis Apollinis & Æſculapii verba faciat, an de ipſis numinibus; ſi de numinibus, eſt inſignis medicus; ſi de ſtatuis, eſt Faber.

12. *Formicinum gradum.*] Quia formicæ celeriter ſeſe movent, ſed parùm ſeſe promovent.

ACTUS QUINTUS. SCENA QUARTA.

ARGUMENTUM.

MEDICUS pollicetur ſocero operam ſuam ad ſanandum generum.

MEDICVS, SENEX.

MEDICVS.

QUID eſſet illi morbi dixeras? narra ſenex.
Num larvatus, aut cerritus? fac ſciam.
Num eum veternus, aut aqua intercus tenet?
SE. Quin eâ te cauſâ duco, ut id dicas mihi,
Atque illum ut ſanum facias. ME. perfacile id quidem eſt.
Sanum futurum, meâ ego id promitto fide.
SE. Magnâ cum curâ ego illum curari volo.
ME. Quin ſuſpirabo plus ſexcenties in die:
Ita ego illum cum curâ magnâ curabo tibi.
SE. Atque eccum ipſum hominem. *ME.* obſervemus, quam rem agat.

INTERPRETATIO.

MED. *Loquutus fueras quo morbo teneretur? Eloquere jam ſenex. Num larvis, aut iratâ Cerere vexatus? Aperi, utrùm lethargia, an hydropiſi laboret.* SE. *Quin voco te idcircò, ut me doceas id, atque ut illum ſanes.* ME. *Id profectò eſt facillimum. Ego tibi polliceor meâ fide eum ſanum futurum.* SE. *Volo ei remedia adhiberi cum magnâ curâ.* ME. *Quin ſuſpiria ducam plus ſexcenties in die: ita illum curabo cum magnâ curâ.* SE. *Atque adeſt ipſe ægrotus.* ME. *Videamus quid faciat.*

ANNOTATIONES.

2. *Larvatus.*] *Barva à laribus.* Feſtus: *Larvati ſunt furioſi, & mente moti, quaſi larvis & ſpectris exterriti.* S. Auguſtinus: *Larvæ dicuntur animæ hominum depravatæ, & in malis vitæ meritis maculoſæ, quæ à corpore ſeparatæ, terriculamento ſunt mortalibus.*

Cerritus.] *Cerritus* immiſſo à *Cerere* iratâ furore teneri credebatur; ut à Baccho bacchantes, à Nymphis lymphati.

3. *Veternus.*] A vetuſtate morbus dictus. Quia eos qui eo tenentur, ferè pigros ſomnolentóſque cernimus, ut ſolent eſſe, qui ſunt exactâ ætate; morbus ille naſcitur ex humoribus frigidis, qui cerebrum occupant, à quibus ineluctabilis dormiendi neceſſitas. Idem fermè morbus, qui lethargia dicitur, qui morbus inde nomen habet, quòd rerum omnium oblivionem inducat.

Aqua intercus.] *Hydropiſis* dicitur, quòd qui eo laborant morbo, inexplebili ſiti teneantur.

8. *Suſpirabo plus ſexcenties.*] Hic Poëta ſatis ingenium notat medicorum, qui in noſtris malis jocantur, & in periculis alienis rident: de *curatione* ad recuperandam ſanitatem dicit ſenex; medicus detorquet *cura* verbum aliò, ad curam quæ nos alicujus rei remordet, cùm identidem aliquid memoriâ repetimus, ſexcenties exprimimus, vernaculè, *mille fois*, numero finito utrinque pro infinito.

ACTUS QUINTUS. SCENA QUINTA.

ARGVMENTVM.

MENÆCHMUS ſurreptus quid ſibi velint Medicus & Socer, qui eum pro Soſicle accipiunt, ſatis mirari non poteſt. Errores.

MENÆCHMUS Surreptus, SENEX, MEDICUS.

MEDICUS.

EDEPOL næ hic dies pervorſus atque advorſus mihi obtigit:
Quæ me clam ratus ſum facere, ea omnia fecit palàm
Paraſitus, qui me complevit flagitii & formidinis:
Meus Ulyſſes, ſuo qui regi tantùm concivit mali.
Quem ego hominem, ſi quidem vivo, vitâ devolvam ſuâ,
Sed ego ſtultus ſum, qui illius eſſe dico, quæ mea ſit.
Meo cibo & ſumtu educatus eſt: anima privabo virum.
Condignè autem hæc meretrix fecit, ut mos eſt meretricius,
Quia rogo pallam, ut referatur rurſum ad uxorem meam,
Mihi ſe ait dediſſe. heu edepol, næ ego homo vivo miſer.
SE. Audin' quæ loquitur? *MED.* ſe miſerum prædicat. *SE.* adeas velim.
MED. Salvus ſis, Menæchme. quæſo cur apertas brachium?
Non tu ſcis, quantùm iſti morbo nunc tuo facias mali.
MEN. Quin tu te ſuſpendis? *MED.* ecquid ſentis? *MEN.* quid ni ſentiam?
MED. Non poteſt hæc res ellebori jugere obtinerier.
Sed quid ais, Menæchme? *MEN.* quid vis? *MED.* dic mihi hoc quod te rogo:

INTERPRETATIO.

MED. *Per ædem Pollucis hic dies mihi illuxit infauſtus & contrarius. Nam paraſitus patefecit ea omnia quæ arbitrabar me feciſſe occultè, hic in me conflavit infamiam & metum. Meus Ulyſſes fuit, qui inflixit tantùm detrimenti ſuo Agamemnoni. Eum ſpoliabo ſuâ vitâ, ſi vivam. Sed ego ſum amens, qui dico eſſe illius vitam, quæ eſt mea. Paſtus eſt meis eſcis, & re meâ: eripiam vitam homini. Hæc verò meretrix fecit rem dignam ſe, ut eſt conſuetudo meretricum; quoniam obſecro ut reddatur palla mea uxori, dicit ſe mihi reddidiſſe. Heu per ædem Pollucis, ego ſum infœlix!* SE. *Audiſne quæ dicit?* MED. *Dicit ſe eſſe infelicem.* SE. *Rogo ut accedas ad eum.* MED. *Sis ſalvus, Menæchme: amabo, quare explicas lacertos? Tu non intelligis quantùm inde tuus morbus ingraveſcat.* ME. *Quin tu abis in malam crucem?* MED. *Sentiſne aliquid?* MEN. *Quare non ſentirem?* MED. *Hæc res non poteſt ſanari jugere ellebori: ſed quid dicis, Menæchme?* MEN. *Quid vis?* MED. *Eloquere mihi id quod à te peto. Potáſne vinum album,*

ANNOTATIONES.

4. *Meus Ulyſſes.*] Ille qui mihi erat dux ad omnia obeunda, ut Ulyſſes Agamemnoni, prodidit me, & mea conſilia apud uxorem.

12. *Cur apertas brachium.*] Cur pandicularis. Apertis enim, ſolutis, & patentibus brachiis pandiculamur.

15. *Elleborus.*] Eſt herba ſalutaris amentibus. Quando jugere ellebori toto amentiam Menæchmi curari non poſſe dicit medicus, eſt hyperbole. Horatius: *Danda eſt ellebori multo pars maxima avaris; neſcio an Anticyram ratio illis deſtinet omnem.* Anticyra enim inſula finitima Œtæ monti, helleboro ferax.

Album, an atrum vinum potas? *MEN.* quin tu is in malam crucem?
SE. Jam hercle occeptat inſanire primulum. *MEN.* quin tu me interrogas,
Purpureum panem, an puniceum ſoleam ego eſſe, an luteum?
Soleámne eſſe avis ſquamoſas, piſcis pennatos? *SE.* Papæ!
Audin' tu, ut deliramenta loquitur? quid ceſſas dare
Potionis aliquid, priuſquam percipit inſania?
MED. Mane modò: etiam percontabor. *SE.* aliâ occidis fabulâ.
MED. Dic mihi hoc: ſolent tibi unquam oculi duri fieri?
MEN. Quid? tu me locuſtam cenſes eſſe, homo ignaviſſime?
MED. Dic mihi: en unquam tibi inteſtina crepant, quod ſentias?
MEN. Ubi ſatur ſum, nulla crepitant: quandò eſurio, tum crepant.
MED. Hoc quidem edepol haud pro inſano verbum reſpondit mihi.
Perdormiſcin' uſque ad lucem? facilen' tu dormis cubans?
MEN. Perdormiſco, ſi reſolvi argentum, cui debeo.
Qui te Juppiter díque omnes, percontator, perduint.
MED. Nunc homo inſanire occeptat. de illis verbis cave tibi.
SE. Imò modeſtior nunc quidem eſt de verbis, præut dudum fuit.
Nam dudum uxorem ſuam eſſe aiebat rabioſam canem.

INTERPRETATIO.

vel atrum? ME. *Quin tu is in malam crucem?* SE. *Per Herculem incipit jam nunc primùm deſipere.* MEN. *Quin me interrogas tu, egóne ſueverim edere panem purpureum, an puniceum, an luteum? Aſſueſcámne manducare aves ſquammoſas, & piſces pennatos?* SE. *Papa! audíſne tu, ut profert deliria? Quare moraris propinare aliquod medicamentum, antequam vecordia occupet.* MED. *Sile modò, interrogabo adhuc.* SE. *Interimis hominem alio ſermone.* MED. *Dic mihi, oculi ſolitíne ſunt indureſcere?* ME. *Quid tu exiſtimas me eſſe locuſtam, homo inaniſſime?* MED. *Dic mihi, aliquando viſcera tibi crepitant, quod oleas?* MEN. *Quando ſum ſatur, crepant nullomodo; quando eſurio, tum crepitant.* MED. *Certè non mihi reponit hoc verbum ut inſanus. Téne tenet ſomnus uſque ad lucem? Somnum capis facilè ſtatim atque cubuiſti?* MEN. *Capio* facilè, *ſi pependi pecuniam ei cui debeo. Quin te Juppiter omnéſque dii perdant, percontator.* MED. *Homo incipit nunc furere. Cave tibi propter illa verba.* SE. *Imò ſanè eſt moderatior nunc in verbis, quàm fuit hactenus; nam dicebat modò ſuam conjugem eſſe canem rabie percitam.*

ANNOTATIONES.

17. *Atrum vinum.*] Opponitur albo; *du vin clairet.*

23. *Aliâ occidis fabulâ.*] Exprobratur hic medicis garrulitas, qui verba, imò fabulas dant pro medicamentis.

24. *Oculi duri.*] Iis qui bile abundant, aſpera eſſe ſolet & prædura cutis. Itaque medicus ut imponat ſeni, dicit Menæchmum oculos habere duros, quia pars hæc non attingitur, atque adeò ejus mendacium deprehendi non poteſt.

25. *Locuſtam eſſe cenſes.*] Locuſtarum, & animalium cæterorum, quæ carent palpebris, duri ſunt oculi.

27. *Ubi ſatur ſum, nulla crepant.*] Id eſt, non crepant inteſtina: videlicet quando vacua ſunt, admittunt auram & flatum.

5 MED.

MEN. Quid ego dixi? *SE*. inſanis, inquam. *MEN*. egône? *SE*. tu iſtîc, qui mihi
Etiam me junctis quadrigis minitatu's proſternere.
Egomet hæc te vidi facere, egomet hæc te arguo.
MEN. At ego te ſacram coronam ſurripuiſſe ſcio Jovis.
Et ob eam rem in carcerem ted eſſe compactum ſcio.
Et poſtquam es emiſſus, cæſum virgis ſub furcâ ſcio.
Tum patrem occidiſſe, & matrem vendidiſſe, etiam ſcio.
Satin' hæc pro ſano maledicta maledictis reſpondeo?
SE. Obſecro hercle, medice, properè, quidquid facturus, face.
Non vides hominem inſanire? *MED*. ſcin' quid facias optimum?
Ad me face uti deferatur. *SE*. itáne cenſes? *MED*. quippini?
Ibi meo arbitratu potero curare hominem. *SE*. age ut lubet.
MED. Elleborum potabis faxo aliquos viginti dies.
MEN. At ego te pendentem fodiam ſtimulis triginta dies.
MED. I, arceſſe homines, qui illunc ad me deferant. *SE*. quot ſunt ſatis?
MED. Proinde, ut inſanire video, quattuor: nihilo minus.
SE. Jam hîc erunt. aſſerva tu iſthunc, medice. *MED*. imò ego ibo domum,
Ut parentur, quibus paratis opus eſt. tu ſervos jube
Hunc ad me ferant. *SE*. jam ego illîc faxo erit. *MED*. abeo. *SE*. vale.
MEN. Abiit ſocerus: abiit medicus. nunc ſolus ſum. pro Jupiter!

INTERPRETATIO.

MEN. *Quid ego dixi?* SE. *Deſipis, inquam.* ME. *Egône.* SE. *Tu qui mihi minatus es me peſſundare quadrigis junctis. Egomet te vidi facere hæc, egomet hæc reprehendo in te.* MEN. *At ego ſcio te ſuffuratum eſſe coronam ſacram Jovis, & propterea ſcio te eſſe conjectum in vincula; & poſtquam es dimiſſus, ſcio te exceptum virgis ſub furcâ. Tum confodiſſe patrem, ſcio etiam & vendidiſſe matrem: remetiórne ſatis, ut ſanus, convitia convitiis?* SE. *Oro te, medice, fac celeriter quidquid facturus es. Non animadvertis hominem furere?* MED. *Sciſne quid facere neceſſe ſit? Fac ut ad me deferatur.* SE. *Itáne exiſtimas?* MED. *Quidni? Potero curare hominem ibi meo arbitrio.* SE. *Age ſit ut places.* MED. *Efficiam ut bibas elleborum per viginti dies.* MEN. *At ego te confodiam ſtimulis pendentem triginta dies.* MED. *Jube venire homines, qui illum comportent apud me.* SE. *Quot erunt ſatis?* MED. *Quantùm animadverto eum inſanire, quatuor: nihilò pauciores.* SE. *Erunt modò hic. Per ædem Pollucis cuſtodi tu iſtum, medice.* ME. *Imò, ego ibo domum, ut comparentur ea quibus opus eſt. Tu manda ſervis, ut ad me hunc exportent.* SE. *Ego faciam modò ut ſit illic.* MED. *Abeo.* SE. *Vale.* MEN. *Socer abiit medicus abiit, ſum ſolus nunc. proh Jupiter!*

ANNOTATIONES.

40. *Cæſum virgis ſub furca.*] *Foüeter au pied de la potence.*

47. *Aliquos viginti dies.*] Id eſt, circiter viginti dies.

Quid illuc eſt, quòd me hîc homines inſanire prædicant!
Nam equidem poſtquam gnatus ſum, nunquam ægrotavi unum diem.
Neque ego inſanio, neque pugnas, neque ego lites cœpio.
Salvus ſalvos alios video: novi homines, alloquor.
An qui perperàm inſanire me aiunt, ipſi inſaniunt?
Quid ego nunc faciam? domum ire cupio: at uxor non ſinit.
Huc autem nemo intromittit. nimis proventum eſt nequiter.
Hîc ergò uſque ad noctem: ſaltem, credo, intromittar domum.

Interpretatio.

quid eſt illud, quòd homines aiunt hîc me deſipere? Nam equidem ex quo ſum editus in lucem, nunquam ægrotavi uno die. Neque ego deſipio, neque ego moveo contentiones, neque lites; video ſanus alios ſanos; novi homines, alloquor. An ipſi deſipiunt, qui arbitrantur falsò me deſipere? Quid faciam ego nunc? proficiſcer domum, at uxor non patietur ingredi. Huc autem apud Erotium *nemo admittit; res ceſſerunt malè; igitur ero hîc uſque ad noctem: exiſtimo ſaltem me admittendum domum.*

ACTUS QUINTUS. SCENA SEXTA.

ARGUMENTUM.

MESENIO revertitur ad herum ſuum Menæchmum Soſiclem, quem reliquerat apud Erotium. Diſſerit de fide bonorum ſervorum.

MESSENIO Servus.

SPECTAMEN bono ſervo id eſt, qui rem herilem
Procurat, videt, collocat, cogitátque,
Ut abſente hero rem heri diligenter
Tutetur, quàm ſi ipſe adſit, aut rectius.
Tergum quàm gulam, crura quàm ventrem oportet
Potiora eſſe, cui cor modeſtè ſitum eſt.
Recordetur id, qui nihili ſunt, quid iis pretii
Detur ab ſuis heris, ignavis, improbis

Interpretatio.

MES. *Hoc agnoſcitur bonus ſervus, ſi curam gerat fortunarum ſui heri, ſpectet, diſponat, & ſibi proponat, ut tueatur diligentiùs rem heri, abſente hero, quàm ſi ille adſit, aut etiam diligentiùs. Decet, cui eſt cor bene collocatum, crura eſſe potiora quàm ventrem, tergum quàm gulam. Reputet id, quid mercedis accipiant ab ſuis heris ſervi, qui ſunt nihili, ſocordes, nequam, verbera,*

Annotatio.

6. *Cui cor modeſtè ſitum.*] *Un homme qui a le cœur bien placé.*

Viris; verbera, compedes, molæ, magna
Laſſitudo, fames, frigus durum.
Hæc pretia ſunt ignaviæ.
Id ego malè malum metuo. propterea bonum
Eſſe certum eſt, potius quàm malum. nam magis multò
Patior faciliùs verba. verbera ego odi.
Nimióque edo libentiùs mólitum, quàm
Mólitum præhibeo. propterea heri imperium
Exſequor bene, & ſedatè ſervio.
Atque id mihi prodeſt. alii ſeſe ita ut in rem
Eſſe ducunt, ſint: ego ita ero, ut me eſſe oportet:
Metum ut mihi adhibeam; culpam abſtineam:
Hero ut omnibus in locis ſim præſtò.
„Servi, qui culpâ carent, & metuunt; ii
„Solent eſſe heris utibiles. nam illi qui nihil
„Metuunt, poſtquam malum promeritum eſt, metuunt.
Metuam haud multum. propè eſt, quando
Herus, quod ſtrenuè faciam: pretium exſolvet.
Eo exemplo ſervio, tergi ut in rem eſſe arbitror.
Poſtquam in tabernam vaſa & ſervos collocavi, ut juſſerat,
Ita venio adverſum. nunc fores pultabo, adeſſe ut me ſciat.
Neque utrùm ex hoc ſaltu damni ſalvum ſcio eliciam foras.
Sed metuo, ne ſerò veniam, depugnato prælio.

INTERPRETATIO.

compedes, molæ, magna laſſitudo, fames, frigus acre. Hæc ſunt præmia deſidiæ. Ego timeo valde has pœnas: propterea volo eſſe bonus potiùs, quàm nequam; nam perfero facilè verba, odi verbera. Et manduco magis ultro, quæ molita ſunt ab aliis, quàm præbeo edenda, quæ molita ſunt à me: idcirco impleo bene mandata heri, & ſervio modeſtè; & id mihi prodeſt: alii, ſint ſicut ducunt ſibi eſſe commodum: ego ero ſicut decet me eſſe, ut maneam in metu, declinem à culpâ; ut adſim hero in cunctis locis. Servi, qui vacant crimine, & verentur; ii ſolent eſſe conducibiles heris; nam illi qui nihil timent, timent poſtquam meruerunt pœnam: tempus adeſt quo herus pendet præmium eorum, quæ geſſerim rectè: ſervio eo modo, quo arbitror eſſe conſultum meo tergo; poſtquam repoſui vaſa, & ſervos in taberna, ut juſſerat, ecce venio obviam; nunc pulſabo fores, ut intelligat me adeſſe; neſcio utrùm educam foras herum incolumem ex hoc periculoſo loco; ſed vereor ne ſerò veniam, re geſtâ.

ANNOTATIONES.

13. *Magis faciliùs.*] Magis facilè, Helleniſmus.

30. *Ex hoc ſaltu damni.*] *De ce mauvais pas.* Quanquam hoc loco, *de hoc ſaltu*, intelligendum videatur de ſylvâ denſâ confertis arboribus, à quibus ſeſe extricare difficile ſit. Deinde & ſaltus infeſti ſunt prædonibus.

31. *Depugnato prælio.*] Proverbium: *poſt bellum ſuppetiæ*, de iis qui ſero auxilium ferunt: *aprés la mort le medecin.*

ACTUS QUINTUS. SCENA SEPTIMA.

ARGUMENTUM.

INTEREA dum Menæchmus ſurreptus ſublimis rapitur ad medicum imperio ſoceri, adeſt Meſſenio, qui putat eſſe herum ſuum Soſiclem; irrumpit in Lorarios; eripit ex eorum manibus ſurreptum. Meſſenio in præmium ſuppetiarum hero latarum libertatem petit à ſurrepto Menæchmo, & conſequitur.

SENEX, MENÆCHMUS ſurreptus, LORARII, MESSENIO ſervus.

SENEX.

PER ego vobis deos atque homines dico, ut imperium meum
Sapienter habeatis curæ, quæ imperavi atque impero,
Facite illic homo jam in medicinam ablatus ſublimem ſiet,
Niſi quidem vos veſtra crura aut latera nihili penditis.
Cave quiſquam, quod illic minitetur, voſtrum floccifecerit.
Quid ſtatis? quid dubitatis? jam ſublimem raptum oportuit.
Ego ibo ad medicum: præſtò ero illic, cum venietis. *MEN.* occidi,
Quid hoc eſt negotii? quid illic homines ad me currunt, obſecro?
Quid vultis vos? quid quæritatis? quid me circumſiſtitis?
Quò rapitis me? quò fertis me? perii. obſecro veſtram fidem;
Epidamnienſes ſubvenite cives. quin me mittitis?

INTERPRETATIO.

SEN. *Vobis mando per deos & homines, ut curetis diligenter, quæ imperavi: efficite ut auferatur ſtatim ille homo ſublimis in officinam medici, ut vobis mandavi & mando, niſi vos parvi penditis veſtra crura, & latera. Videte ne quis veſtrum moveatur illius minis. Quid ſtatis? quid hæretis? jam oporteat fuiſſe raptum ſublimem. Ego proficiſcor ad medicum: adero illic, quando veneritis.* ME. *Perii! Quid eſt hoc rei? Quare illi homines convolant ad me, amabo? Quid vultis vos? Quid quæritis? Quare me circumſiſtitis? Quo me rapitis? Quo me aſportatis? Interii. Obſecro veſtram fidem, cives Epidamnenſes, ferte auxilium, quin me dimittitis?*

ANNOTATIONES.

3. *In medicinam.*] Id eſt, in ſcholas, aut in officinas medicinæ. Porrò moris erat apud veteres, ut ægroti vulgares deferrentur ad medicos, apud quos erant cubicula in quibus decumbebant, ut commodiùs curarentur; ut nunc ſunt noſtra noſodochia.

Sublimis.] Terram pedibus minimè tangens.

MES. Prô dii immortales, obſecro, quid ego oculis aſpicio meis?
Herum meum indigniſſimè neſcio qui ſublimem ferunt.
MEN. Ecquis ſuppetias mihi audet ferre? *MES*. ego, here, audaciſſimè.
O facinus malum & indignum, Epidamni cives, herum
Meum hîc in pacato oppido
Luci deripier in viâ, qui liber ad vos venerit!
Mittite iſtunc. *MEN*. obſecro te, quiſquis es, operam ut des mihi,
Neu ſinas in me inſignitè fieri tantam injuriam.
MES. Imò & operam dabo, & defendam, & ſubvenibo ſedulò:
Nunquam te patiar perire: me perire eſt æquius.
Eripe oculum iſti, ab humero qui te tenet, here, te obſecro.
Hiſce ego jam ſementem in ore faciam, pugnóſque obſeram.
Maxumo hodie malo hercle voſtro iſtunc fertis. mittite.
MEN. Teneo ego huic oculum. *MES*. face ut oculi locus in capite appareat.
Vos ſceleſti, vos rapaces, vos prædones. *LO*. periimus.
Obſecro hercle! *MES*. mittite ergo. *ME*. quid me vobis tactio eſt?
Pecte pugnis. *MES*. agite, abite, fugite hinc in malam crucem.
Hem tibi etiam, quia poſtremus cedis, hoc præmii feres.
Nimis autem bene ora commentavi, atque ex meâ ſententiâ.
Edepol, here, næ tibi ſuppetias tempore adveni modò!
MEN. At tibi dî ſemper, adoleſcens, quiſquis es, faciant bene.

INTERPRETATIO.

MES. *Proh dii immortales, amabo, quid ego video meis oculis? Neſcio qui auferunt indigniſſimè meum herum ſublimem.* ME. *Ecquis mihi opituletur?* MES. *Ego, here, conſtantiſſimè. O facinus improbum & ſceleſtum! Cives Epidamni meum herum, qui venerit ad vos liber, ſic rapi hic, coram, in viâ publicâ, in pacatâ urbe! ſinite iſtum abire.* MEN. *Te obſecro, quiſquis es, fer mihi opem, neu patere in me committi publicè tantam contumeliam.* MES. *Imò & opem feram & propugnabo, & ſuccurram ſtrenuè: non ſinam te vexari: eſt juſtius me interire: evelle illi oculum, here, te precor, qui te tenet ab humero. Ego efficiam jam ſementem in ore horum, pugnóſque inſeram. Per Herculem fertis iſtum hodie in veſtrum exitium: dimittite.* ME. *Ego habeo in manu hujus oculum.* MES. *Fac ut locus oculi pateat in vultu. Vos ſceleſti, vos latrones.* LO. *Occidimus; obſecro per Herculem!* MES. *Laxate ergo.* MEN. *Quare mihi injeciſtis manus? Depecte pugnis.* MES. *Agite, abite, fugite hinc in malam peſtem. Hem tibi erit etiam* hic ictus *in præmium, quia recedis poſtremus: accuravi autem egregiè os, & ad meam libidinem, per ædem Pollucis, here, adveni tempeſtivè ad opitulandum.* MEN. *At Dii tibi faciant ſemper bene, adoleſcens, quiſquis es.*

ANNOTATIONES.

22. *Ab humero qui te tenet.*] *Qui vous tient au collet.*

30. *Ora commentavi.*] Metaphora à ſtatuariis & pictoribus, qui ſedulam operam ponunt in accuranda aliqua imaginis parte, puta oris. Alii legunt *carminavi*, quod reſpondet & huic verſui 28. *Depecte os pugnis.*

Nam abſque ted eſſet, hodie nunquam ad Solem occaſum viverem.
MES. Ergo edepol, ſi rectè facias, here, me mittas manu.
MEN. Liberem ego te? *MES.* verum, quandoquidem, here, te ſervavi. *MEN.* quid eſt?
Adoleſcens, erras. *MES.* quid, erro? *MEN.* per Jovem adjuro patrem,
Me herum tuum non eſſe. *MES.* non taces? *MEN.* non mentior.
Nec meus ſervus unquam tale fecit, quale tu mihi.
MES. Sic ſine igitur, ſi tuum negas me eſſe, abire liberum.
MEN. Meâ quidem hercle cauſſâ liber eſto, atque ito quò voles.
MES. Nempe jubes? *MEN.* jubeo hercle, ſi quid imperii eſt in te mihi.
MES. Salve mi patrone. *SERVUS ALIUS.* cùm tu liber es, Meſſenio,
Gaudeo. *MES.* credo hercle vobis. ſed patrone, te obſecro,
Ne minùs imperes mihi, quàm cùm tuus ſervus fui.
Apud te habitabo, & quando ibis, unà tecum ibo domum.
MEN. Minimè. *MES.* nunc ibo in tabernam: vaſa & argentum tibi
Referam. rectè eſt obſignatum in vidulo marſupium
Cum viatico; id tibi jam huc afferam. *MEN.* affer ſtrenuè.
MES. Salvum tibi item ut mihi dediſti, redhibebo. hìc me mane.
MEN. Nimia mira mihi quidem hodie exorta ſunt multis modis.
Alii me negant eum eſſe qui ſum, atque excludunt foras.
Etiam hic ſervum eſſe ſe meum aiebat, quem ego emiſi manu.

INTERPRETATIO.

Nam ſine te non produxiſſem hodie vitam ad occaſum Solis. MES. *Ergo per ædem Pollucis, ſi facias ſtrenuè, here, me donabis libertate.* MEN. *Ego te donarem libertate?* MES. *Donabis: quandoquidem te defendi, here.* MEN. *Quid eſt, adoleſcens? falleris.* MES. *Quid fallor?* ME. *Adjuro per Jovem patrem, quod non ſum tuus herus.* MES. *Non ſiles?* ME. *Non mentior. Nec unquam meus ſervus exhibuit mihi* officium, *quale tu mihi exhibuiſti.* MES. *Sine igitur me abire liberum, ſi diffitêris me eſſe tuum ſervum.* MEN. *Per Herculem eſto liber, quantum ad me attinet, & i quò libet.* MES. *Nempe mandas?* MEN. *Mando per Herculem, ſi quid eſt mihi autoritatis in te.* MES. *Salve mi patrone.* SERV. ALIUS. *Lætor, Meſſenio, quod tu es liber.* MES. *Per Herculem vobis credo: ſed te obteſtor, patrone, ne mihi præcipias minùs, quàm quando fui tuus ſervus: manebo apud te, & quando perges in ædes, pergam tecum.* MEN. *Minimè.* MES. *Nunc proficiſcar in tabernam, ad te referam vaſa & pecuniam: marſupium eſt rectè communitum ſignis in vidulo cum viatico, tibi id afferam modò huc.* MEN. *Affer ſtrenuè.* MES. *Tibi repræſentabo ſalvum, ſicut mihi dediſti: expecta me hîc.* MEN. *Profectò mihi evenerunt hodie admodum mira, miris modis: alii negant me eſſe eum qui ſum, & excludunt foras. Hic etiam dicebat ſe eſſe meum ſervum, quem ego aſſerui in libertatem.*

ANNOTATIO.

36. *Adoleſcens erras.*] Nimirum Meſſenio Menæchmi Soſiclis ſervus, ſurreptum pro eo ſumit.

Is ait ſe mihi allaturum cum argento marſupium .
Id ſi attulerit, dicam ut à me abeat : liber quò volet :
Ne tum, quando ſanus factus ſit, à me argentum petat.
Socer & medicus me inſanire aiebant. quid ſit, mira ſunt.
Hæc nihilo mihi eſſe videntur ſecius, quàm ſomnia.
Nunc ibo intrò ad hanc meretricem : quanquam ſuccenſet mihi.
Si poſſum exorare ut pallam reddat, quam referam domum,

INTERPRETATIO.

Is ait ſe mihi allaturum marſupium cum pecuniâ. Si id attulerit, dicam ut abeat à me liber, quò volet : ne tum, cum ſit factus ſanus, à me poſtulet pecuniam. Socer & medicus affirmabant me deſipere : quidquid ſit, mira ſunt. Hæc mihi videntur non eſſe abſimilia ſomniis ; nunc ingrediar ad hanc meretricem : quamvis mihi irata eſt : ut exorem ſi poſſum, ut reſtituat pallam, quam referam domum.

ACTUS QUINTUS. SCENA OCTAVA.

ARGUMENTUM.

MESSENIO occurrit Soſicli hero : agit cum eo, quaſi manumiſſus : miratur Soſicles. Manumiſſionis cauſam affert. Soſicles eum delirare putat.

MENÆCHMUS Soſicles, MESSENIO.

MENÆCHMUS.

MEN' hodie uſquam convenisse te audax audes dicere,
Poſtquam advorſum mihi imperavi, ut huc venires? *MES.* quin modò
Eripui, homines qui te ferebant ſublimem quattuor,
Apud haſce ædeis. tu clamabas deûm fidem atque hominum omnium.
Quom ego accurro, téque eripio, vi pugnando, ingratiis.
Ob eam rem, quia te ſervavi, me amiſiſti liberum.

INTERPRETATIO.

MEN. *Audéſne affirmare, te ad me veniſſe hodie uſquam, tametſi mandaviſſem ut venires huc obviam mihi?* MES. *Quin modò te vindicavi à quatuor hominibus, qui te efferebant ſublimem apud haſce ædes. Tu appellabas fidem Deûm, atque omnium hominum ; quando ego advolo, atque eripio vi decertando, invitis raptoribus. Idcircò me donaviſti libertate quia conſervavi ;*

ANNOTATIONES.

3. *Eripui homines.*] Eſt oratio luxata, ad exprimendam admirationem Meſſenionis ſervi ; quæ oratio niſi punctis ſuis diſtinguatur, confuſa erit. Quaſi dicat, adeò verum eſt me veniſſe, ut te eripuerim. Nimirum homines quatuor te ferebant. Ego accurro, &c.

5. *Ingratiis.*] Invitis iis qui tenebant, ferebántque te ſublimem,

Quom argentum dixi me petere, & vaſa; tu, quantùm pote'ſt,
Præcucurriſti obviam. ut quæ feciſti, inficias eas.
MEN. Liberum ego te juſſi abire? *MES.* certò. *MEN.* cui certiſſimum'ſt,
Mépte potius fieri ſervum, quàm te unquam emittam manu.

INTERPRETATIO.

quando dixi me ire quæſitum pecuniam, & vaſa. Tu properaſti antè, quantum in te fuit, ut reſcindas ea quæ feciſti. ME. *Ego te donavi libertate?* MES. *Donaviſti.* MEN. *Cui certius eſt fieri potius ſervum, quam unquam te libertate donem.*

ANNOTATIO.

10. *Mepte.*] Meipſum.

ACTUS QUINTUS. SCENA NONA.

ARGUMENTUM.

MENÆCHMUS Soſicles ſurreptum, & ſurreptus Soſiclem agnoſcit.

MENÆCHMUS Surreptus, MENÆCHMUS Soſicles, MESSENIO.

MENÆCHMUS Soſicles.

SI voltis per oculos jurare, nihilo hercle eâ cauſsâ magis
Facietis, ut ego hodie abſtulerim pallam & ſpinther, peſſimæ.
MES. Pro dii immortales! quid ego video? *M. SO.* quid vides?
MES. ſpeculum tuum.
M. SO. Quid negotii eſt? *MES.* tua eſt imago: tam conſimilis eſt, quàm poteſt.

INTERPRETATIO.

MEN. SO. *PEr Herculem ſi juraveritis per oculos, nihilo magis me convincetis idcircò me abſtuliſſe hodie pallā & ſpinther, ô peſſimæ* mulieres. MES. *Proh Dii immortales! quid ego conſpicor?* ME. SO. *Quid conſpicaris?* MES. *Tuum ſpeculum.* ME. SO. *Quid eſt hoc?* MES. *Eſt tua imago; tam ſimilis eſt, quàm poteſt.*

ANNOTATIO.

1. *Per oculos jurare.*] Jurare ſolebant veteres per res cariſſimas. Oculi autem quàm cari ſint, vel ex eo ſtatuere licet, quod quando aliquid eſt nobis cariſſimum, in oculis habere dicamus. Sic Tobias vocat filium, *lumen oculorum ſuorum.* Solebant autem amantes jurare per oculos. Ovid.

Pérque ſuos illam nuper jurare recordor;
Pérque meos oculos.

M. SO. Pol profectò haud eſt diſſimilis, meam cùm formam noſcito.
M. SV. O adoleſcens, ſalve, qui me ſervaviſti, quiſquis es.
ME. Adoleſcens, quæſo hercle loquere tuum mihi nomen, ni piget.
M. SV. Non edepol ita promeruiſti de me, ut pigeat quæ velis.
Mihi eſt Menæchmus nomen. *M. SO.* imò edepol mihi.
M. SV. Siculus ſum Syracuſanus. *M. SO.* ea domus & patria eſt mihi.
M. SV. Quid ego ex te audio? *M. SO.* hoc quod res eſt. *MES.* novi equidem hunc, herus eſt meus.
Ego quidem hujus ſervus ſum, ſed me eſſe hujus credidi.
Ego hunc cenſebam eſſe te, huic etiam exhibui negotium.
Quæſo ignoſcas, ſi quid ſtultè dixi; atque imprudens, tibi.
M. SO. Delirare mihi videre. non commeminiſti ſimul
Te hodie mecum exire è navi? *MES.* enim verò æquum poſtulas.
Tu herus es: tu ſervum quære: ſalveto tu: tu vale.
Hunc ego eſſe aio Menæchmum. *M. SV.* at ego me. *M. SO.* quæ hæc fabula eſt!
Tu es Menæchmus? *M. SV.* me eſſe dico, Moſcho prognatum patre.
M. SO. Tun' meo patre es prognatus? *M. SV.* imò equidem, adoleſcens, meo.
Tuum tibi neque occupare, neque præripere poſtulo.
MES. Dii immortales, ſpem inſperatam date mihi, quam ſuſpicor.
Nam niſi me animus fallit, hi ſunt gemini germani duo.
Nam & patrem & matrem commemorant pariter, qui fuerint ſibi.

INTERPRETATIO.

ME.SO. *Per Pollucem non eſt abſimilis, ſi bene cognoſco meam formam.* ME. SU. *O adoleſcens, ſalve, quiſquis es, qui me conſervaviſti.* MES. *Obſecro, adoleſcens, dic mihi tuum nomen, ſi places.* ME.SU. *Per ædem Pollucis non ita de me meritus es, ut non placeant quæ roges: vocor Menæchmus.* ME. SO. *Imò per ædem Pollucis, ego ſic vocor.* ME. SU. *Sum Siculus Syracuſanus.* ME.SO. *Hæc eſt mea familia & patria.* ME. SV. *Quid ego audio ex te?* ME. SO. *Id quod res eſt.* MES. *Equidem novi hunc, eſt meus herus; ego quidem ſum hujus ſervus, ſed exiſtimavi me eſſe hujus* ſervum: *ego putabam te eſſe hunc, huic eo nomine moleſtus fui; condona, ſi excidit aliquod verbum ſtultum atque imprudens.* ME. SO. *Arbitror te delirare, non recordaris, te egreſſum eſſe hodiè mecum è navi.* MES. *Sanè quod petis eſt juſtum: tu es herus; tu quære ſervum: tu* Soſicles *ſalveto, tu vale* ſurrepte: *ego dico hunc eſſe Menæchmum.* ME.SU. *At ego dico me eſſe.* ME. SO. *Quæ eſt hæc fabula? Tu es Menæchmus?* ME. SU. *Dico me eſſe procreatum patre Moſcho.* ME. SO. *Es-ne tu procreatus meo patre?* ME. SU. *Imò, adoleſcens, equidem ſum procreatus meo patre; non contendo tibi adimere patrem, neque eripere.* MES. *Dii immortales, oſtendite mihi id quod ſpero contra expectationem, ſicut ſuſpicor. Nam niſi mea opinio me fallit, hi ſunt duo gemini germani; nam commemorant ex æquo, qui fuerit & pater & mater.*

Sevocabo herum. Menæchme. *MEN. AMBO.* quid vis? *MES.* non ambos volo.
Sed uter veſtrûm eſt advectus mecum navi? *M. SV.* non ego.
M. SO. At ego. *MES.* te volo igitur: huc concede. *M. SO.* conceſſi. quid eſt?
MES. Illic homo aut ſycophanta, aut geminus eſt frater tuus.
Nam ego hominem homini ſimiliorem nunquam vidi alterum.
Neque aqua aquæ, neque lacte eſt lacti, crede mihi, uſquam ſimilius,
Quàm hic tui eſt, túque hujus. poſtea autem eandem patriam ac patrem
Memorat. meliùs eſt nos adire, atque hunc percontarier.
M. SO. Hercle quin tu me admonuiſti rectè, & habeo gratiam.
Perge operam dare obſecro, hercle liber eſto, ſi invenis
Hunc meum fratrem eſſe. *MES.* ſpero. *ME. SO.* & ego idem ſpero fore.
MES. Quid ais tu? Menæchmum, opinor, te vocari dixeras.
MEN. SV. Ita verò. *MES.* huic item Menæchmo nomen eſt. in Siciliâ.
Te Syracuſis natum eſſe dixiſti. hic natus eſt ibi.
Moſchum tibi patrem fuiſſe dixti, huic itidem fuit.
Nunc operam poteſtis ambo mihi dare, & vobis ſimul.
M. SV. Promeruiſti, ut ne quid ores, quod velis, quin impetres.
Tanquam ſi emeris me argento, liber ſervibo tibi.
MES. Spes mihi eſt, vos inventuros fratres germanos duos
Geminos, unâ matre natos, & patre uno, uno die.
M. SV. Mira memoras. utinam efficere, quod pollicitus, poſſies!
MES. Poſſum: ſed nunc coite. uterque id, quo rogabo, dicite.

INTERPRETATIO.

Seorſim vocabo herum! Menæchme: ME. SO. & SU. *Quid vis?* MES. *Nolo* alloqui *ambos; ſed eum qui eſt advectus mecum navi?* ME. SU. *Non ego ſum.* ME. SO. *At ego ſum.* MES. Tu igitur es, *quem volo* alloqui, *huc accede.* ME. SO. *Adſum. quid vis?* MES. *Ille homo, aut eſt impoſtor, aut eſt tuus frater geminus; nunquam enim vidi hominem ſimiliorem alteri; neque aqua ſimilior eſt aquæ, neque lac lacti, crede mihi. quàm hic eſt ſimilis tibi, & tu huic. Præterea dicit ſe habere eandem patriam ac patrem. Oportet eum convenire, atque interrogare.* ME. SO. *Per Herculem, tu rectè mones, & bene de me mereris; perge huic rei incumbere, te rogo: eſto liber, ſi reperis hunc eſſe meum fratrem.* MES. *Spes eſt* inveniendi. ME. SO. *Eſt mihi eadem ſpes.* MES. *Quid dicis? Credo te dixiſſe te appellari Menæchmum.* ME. SU. *Ita* dixi. MES. *Nuncupatur etiam hic Menæchmus: dixiſti te natum Syracuſis in Siciliâ, hic natus eſt illic. Dixiſti Moſchum fuiſſe tuum patrem, huic itidem fuit. Nunc poteſtis ambo me adjuvare, & vos ſimul.* ME. SU. *Mereris, ut obtineas quidquid à me petas, tanquam ſi me mercatus fueris pecuniâ, tibi ſerviam liber.* MES. *Spero fore ut vos intelligatis, vos eſſe fratres germanos duos geminos; unâ matre editos & uno patre, uno die.* ME. SU. *Mira dicis, utinam poſſis præſtare* id *quod promittis.* MES. *Poſſum, ſed nunc convenite, reſpondete uterque ad ea quæ poſtulabo.*

M. SV. Ubi lubet, roga : reſpondebo. nihil reticebo, quod ſciam.
MES. Eſt tibi nomen Menæchmo? *M. SV.* fateor. *MES.* eſt itidem tibi?
M. SO. Eſt. *MES.* patrem fuiſſe Moſchum tibi ais? *M. SV.* ita verò. *M. SO.* & mihi.
MES. Esne tu Syracuſanus? *M. SV.* certò. *MES.* quid tu? *M. SO.* quippini.
MES. Optimè uſque adhuc conveniunt ſigna. porrò operam date.
Quid longiſſimè meminiſti, dic mihi, in patriâ tuâ?
M. SV. Cum patre ut abii Tarentum ad mercatum. tum poſtea
Inter homines me deerrare à patre, atque inde avehi.
M. SO. Juppiter ſupreme, ſerva me. *MES.* quid clamas? quin taces?
Quot eras annos gnatus, cùm te pater à patriâ avehit?
M. SV. Septuennis : nam tum dentes mihi cadebant primulùm.
Neque patrem unquam poſtilla vidi. *MES.* quid? voſtrum patri
Filii quot eratis? *M. SV.* ut nunc maximè memini, duo.
MES. Uter eratis, tun' an ille major? *M. SV.* æquè ambo pares.
MES. Quî id poteſt? *M. SV.* gemini ambo eramus. *M. SO.* dii me ſervatum volunt.
MES. Si interpellas, ego tacebo. *M. SO.* potiùs taceo. *MES.* dic mihi,
Uno nomine ambo eratis? *M. SV.* minimè. nam mihi hoc erat,
Quod nunc eſt, Menæchmus : illum tum vocabant Soſiclem.
M. SO. Signa agnovi : contineri, quin complectar, non queo.
Mi germane, gemine frater, ſalve : ego ſum Soſicles.
M. SV. Quomodo igitur pòſt Menæchmo nomen eſt factum tibi?

INTERPRETATIO.

ME. SU. *Quidlibet ſiſcitare: reponam; nihil diſſimulabo, quod ſciam?* MES. *Vocaris Menæchmus.* ME. SU. *Vocor.* MES. *Sic & tu vocaris.* ME. SO. *Vocor.* MES. *Dicis te habuiſſe Moſchum patrem.* ME. SU. *Habui.* ME. SO. *Et habui* etiam. MES. *Eſne tu Syracuſanus?* ME. SU. *Sum.* MES. *Eſne tu etiam?* ME. SO. *Sum.* MES. *Optimè hactenus conſentiunt indicia: pergite attendere: dic mihi* tu? *quid longiſſimè meminiſti vidiſſe in tuâ patriâ?* ME. SU. *Quando abii Tarentum cum patre ad mercatum, recordor me aberraſſe ab eo, inter homines, atque inde avectum fuiſſe.* ME. SO. *Jupiter ſupreme, ſerva me.* MES. *Quid vociferaris, quin taces? Quot eras annos natus, quando pater te avexit è patriâ?* ME. SU. *Septem; nam tum primùm dentes mihi cadebant: neque ex eo tempore vidi unquam patrem.* ME S. *Quid? quot? pater veſter habebat filios?* ME. SU. *Duo, ut nunc maximè recordor?* ME S. *Uter eratis, tu ne, an ille major?* ME. SU. *Eramus ambo pares ætate.* MES. *Quomodo id poteſt?* ME. SU. *Eramus ambo gemini.* ME. SO. *Dii me volunt ſervatum.* MES. *Si interrumpis, ego ſilebo.* ME. SO. *Taceo potiùs.* MES. *Dic mihi: eratis ambo uno nomine?* ME. SU. *Nequaquam. nam mihi erat hoc, quod eſt nunc, Menæchmus. Tum nuncupabant illum Soſiclem.* ME. SO. *Agnovi ſigna, nequeo continere, quin complectar. Mi frater germane gemine, ſalve; ego ſum Soſicles.* ME. SU. *Quomodo igitur tibi impoſitum eſt nomen pòſt Menæchmo.*

M. SO. Poſtquam ad nos renunciatum eſt, te & patrem eſſe mortuum,
Avus noſter mutavit: quod tibi nomen eſt, fecit mihi.
M. SV. Credo ita eſſe factum, ut dicis. ſed mihi hoc reſponde. *M. SO.* roga.
M. SV. Quid erat nomen noſtræ matri? *M. SO.* Theuſimarche. *M. SV.* convenit.
O ſalve, inſperate, multis annis pòſt quem conſpicor,
Frater. *M. SO.* & tu, quem ego multis miſeris laboribus,
Uſque adhuc quæſivi, quemque ego eſſe inventum gaudeo.
MES. Hoc erat, quòd hæc te meretrix hujus vocabat nomine.
Hunc cenſebat te eſſe, credo, cùm vocat te ad prandium.
M. SV. Nanque edepol hîc mihi hodie juſſi prandium apparier,
Clam meam uxorem, cui pallam ſurripui dudum domo.
Eam dedi huic. *M. SO.* hanc dicis, frater, pallam, quam ego habeo?
M. SV. Quomodo hæc ad te pervenit? *M. SO.* meretrix huc ad prandium
Me abduxit. me ſibi dediſſe aiebat. prandi perbenè:
Potavi, atque accubui ſcortum: pallam, & aurum hoc..
M. SV. Gaudeo edepol, ſi quid propter me tibi evenit boni,
Nam illa cùm te ad ſe vocabat, me eſſe credidit.

INTERPRETATIO.

ME. SO. *Poſtquam ad nos renunciatum eſt te & patrem eſſe mortuos, noſter avus mutavit nomen; & mihi dedit id quod habes.* ME. SU. *Exiſtimo ſic eſſe factum ut dicis; ſed reſponde mihi hoc.* ME. SO. *Roga;* ME. SU. *Quod erat nomen noſtra matri?* ME. SO. *Theuſimarche.* ME. SU. *Convenit; ô ſalve inſperate multis annis, poſtquam* te poſtremò *conſpexi, frater.* ME. SO. *Et tu quem ego quæſivi, huc uſque per multas ærumnas, & labores, & quem ego lator eſſe repertum.* MES. *Hoc erat quod hæc meretrix te appellabat nomine hujus. Credo, quando te vocabat ad cœnam, exiſtimabat te eſſe hunc.* ME. SU. *Namque per ædem Pollucis, mandavi hodie mihi apparari prandium, inſcia meâ uxore, cui ſuffuratus ſum pallam jamdudum domo, & eam dedi huic.* ME. SO. *Dicíſne frater, hanc pallam, quam ego habeo?* ME. SU. *Quomodo hæc venit in tuas manus?* ME. SO. *Meretrix me adduxit huc ad cœnam; dicebat me ſibi dediſſe pallam, cœnavi lautè, bibi, atque accubui ad ſcortum, mihi* dedit *pallam, & hoc aurum.* ME. SU. *Lætor per ædem Pollucis, ſi tibi contigit aliquid boni propter me. Nam quando illa te vocabat ad ſe, arbitrabatur me eſſe.*

ANNOTATIO.

68 *Te & patrem.*] Alii *de te*, & melius; quid enim fuiſſet, quod ſexennio toto quæreret eum, quem mortuum ſciret.

MES. Nunquid me morare, quin ego liber, ut juſſiſti, eam?
ME. SV. Optimum atque æquiſſimum orat, frater: fac cauſſâ meâ.
ME. SO. Liber eſto. *ME. SV.* cùm tu es liber, gaudeo Meſſenio.
MES. Sed melior eſt opus auſpicio, ut liber perpetuò ſiem.
ME. SO. Quoniam hæc evenerunt, frater, noſtrâ ex ſententiâ,
In patriam redeamus ambo. *ME. SV.* frater faciam, ut tu voles.
Auctionem hîc faciam, & vendam quicquid eſt. nunc interim
Eamus intrò, frater. *M. SO.* fiat. *MES.* ſcitin' quid ego vos rogo?
M. SV. Quid? *MES.* mihi ut præconium detis. *M. SV.* dabitur *MES.* ergo nunc jam
Vis conclamari auctionem fore? quo die? *M. SV.* die ſeptimi.
MES. Auctio fiet Menæchmi mane ſanè ſeptimi.
Venibunt ſervi, ſupellex, fundi, ædeis, omnia
Venibunt, quiqui licebunt, præſenti pecuniâ.
Venibit uxor quoque etiam, ſi quis emptor venerit.

INTERPRETATIO.

MES. *Quid vetat, quominus ego ſim liber, ut imperaſti?* ME. SU. *A te orat rem juſtam atque æquiſſimam, frater, fac meâ gratiâ.* ME. SO. *Eſto liber.* ME. SU. *Gaudeo, Meſſenio, quòd tu es liber.* MES. *Sed eſt opus fauſtiore auſpicio, ut ſim ſemper liber.* MES. SO. *Quandoquidem hæc acciderunt, frater, ex noſtrâ mente, repetamus ambo patriam.* MES. SU. *Efficiam quemadmodum tu jubes, faciam hîc auctionem, & vendam quidquid eſt; nunc interim ingrediamur, frater.* ME. SO. *Eſto.* MES. *Scitiſne quid ego à vobis petiverim?* ME. SU. *Quid?* MES. *Ut mihi demandetis præconis munus.* ME. SU. *Demandabitur.* MES. *Ergo vis nunc jam conclamari auctionem fore? quo die?* ME. SU. *Die ſeptimo.* MES. *Fiet auctio bonorum Menæchmi mane ſeptimi* diei. *Servi, ſupellex, fundi, ædes, cuncta vendentur, quæque licebunt, numeratâ pecuniâ; uxor venibit quoque, ſi quis emptor ſeſe obtulerit.*

ANNOTATIONES.

88. *Meliore auſpicio.*] Videlicet Meſſenio fuerat manumiſſus à Menæchmo ſurrepto, quem putabat eſſe ſuum herum, non à Soſicle, qui re verâ herus erat: itaque quando agnoſcit Soſiclem dominum ſuum, & ab eo manumittitur, auſpicio meliore utitur: à ſuo enim domino, non alieno manumittitur; in perpetuum manumittitur, non ad horam, aut ad diem, ut antea fuerat manumiſſus.

94. *Die ſeptimi.*] Die ſeptimo; die craſtini, die craſtino; die noni, die nono.

95. *Mane ſeptimi.*] Septimâ die matutinâ.

97. *Quique licebunt.*] Quæque licebunt.

Vix credo totâ auctione capiet quinquageſies.
Nunc ſpectatores valete, & nobis clarè applaudite.

INTERPRETATIO.

Credo Menæchmum vix accepturum ex totâ auctione quinquagies ſeſtertiûm. *Nunc ſpectatores valete, & nobis applaudite clarè.*

ANNOTATIONES.

99. *Quinquageſies.*] Quinquagies centum millia ſeſtertiûm. Id conficit circiter centum quinquaginta aureorum noſtrorum millia.

100. *Nunc ſpectatores.*] Fabulas ſuas Plautus claudere ſolet, nunc uno verſu, nunc pluribus. Quando uno verſu claudit, verſus hic tribuitur perſonæ ultimæ quæ de Theatro loquitur, & pars quædam ſcenæ ultimæ eſt; ſic clauditur Amphitryo, Curculio, Moſtellaria, Miles glorioſus, Mercator, Pſeudolus, Perſa, Rudens, Stichus, Trinummus, Truculentus, & hæc Menæchmi; quando verò verſibus pluribus conſtat concluſio, Gregi tribuitur; quod fit in reliquis fabulis Plautinis.

MENÆCHMORVM FINIS.

M. ACCII PLAUTI
MILES GLORIOSUS.

ARGUMENTUM.

IUVENIS Athenienſis Pleuſides amat Philocomaſium puellam ingenuam, Athenienſis civis filiam; mittitur Naupactum Legatus in Ætoliam. Illo abſente Pyrgopolynices venit Athenas. Deperit Philocomaſium. Puella rejicit novum amatorem amatoris amore prioris. Mater Philocomaſii victa muneribus Pyrgopolynicis, prodit ipſam ſuam filiam, & mater & lena. Pyrgopolynices quò in perpetuum ſibi aſſereret puellam, eam rapit in Epheſum, dat ei conclave, quòd ejus unius eſſet, & Sceledrum ſervum addit perpetuum comitem. Servus Palæſtrio, quem Athenis reliquerat Pleuſides, vix ſeſe committit ad nuntianda ea quæ Athenis geſta eſſent in raptu Philocomaſii. In itinere incidit in manus plagiariorum. Abducunt Palæſtrionem in Epheſum; vendunt Pyrgopolynici. Palæſtrio collatis cum Philocomaſio conſiliis, ſcribit Pleuſidi, ut quamprimùm Epheſum veniat. Adeſt Pleuſides: eligit hoſpitium apud Periplectomenem vicinum Pyrgopolynici. In pariete intermedio inter Periplectomenem & Pyrgopolynicem, in ipſo Philocomaſii conclavi, confodit parietem Palæſtrio, quo ultro citroque amantibus commeandi copia eſt. Ut cæcus eſt amantium impetus, non ſatis cavent à Sceledro, à quo videntur unà. Tumultuatur Sceledrus, ſed fraudibus & Palæſtrionis & Periplectomenis luditur: ſuadent enim homini Philocomaſii eſſe ſororem geminam, ſorori adeò ſimilem, ut ſecerni ab invicem minimè poſſint. Collatis unà conſiliis Periplectomenes, Philocomaſium, Pleuſides, & Palæſtrio de circonveniendo Pyrgopolynice, & vindicandâ ab ejus manibus Philocomaſio, hanc fallaciam architectantur. Senex Periplectomenes, & celebs, amabat inſignem formâ meretricem Acroteleutium. Periplectomenes dicit eſſe ſuam uxorem. Palæſtrio nuntiat Pyrgopolynici eam teneri ejus amore perditiſſimè, propter inſignem pulchritudinem, & famam præclarè factorum. Homo vanus & levis credit: transfert amores ſuos à Philocomaſio in Acroteleutium. Confert conſilia cum Palæſtrione Pyrgopolynices, quid agendum ſit de Philocomaſio: videtúrque utrique dimittendam eſſe

cum muneribus, antequam recipiatur Acroteleutium nova amica. Palæſtrio recipit in ſe provinciam rei ad Philocomaſium deferendæ: inter cæteras conditiones, hæc reponitur, ut ipſe Palæſtrio addatur Philocomaſio proficiſcenti comes. Dolorem ſummum, & Paleſtrio, & maximè Philocomaſium ſimulant, quòd relinquendus ſit tam pulcher amator, tam benignus, & bonus herus. Statim atque diſceſſerunt, & Philocomaſium, & Paleſtrio, ingreditur ædes Periplectomenis ad novos ſuos amores Acroteleutium. Sed vix primas ſignificationes amoris oſtendit Miles, cùm occupant hominem ex occultis inſidiis, terrent metu legum, quòd inſidias ſtruat alienis nuptiis adulter; & innumeris oneratum probris, foras excutiunt. Hæc fabula vocatur Miles glorioſus, qui quidem & glorioſo nomine inſignitur. Nam Pyrgopolynices idem ſignificat atque turrium urbiúmque everſorem, quamquam non tam glorioſus eſt miles, quàm inani tumore diſtentus gloriator, in quo nullum ſit gloriæ veræ veſtigium, quo poſſit merito dici glorioſus, ſed gloriæ una opinio, quo eſt ridiculus gloriator. Ἀλαζὼν Græcè dicta, ſed à quo Poëtâ primùm ſcripta ſit, & ex quo in Romanum ſermonem à Plauto converſa, non hic notatur. Dicitur Diphili fuiſſe fabula, cui nomen Αἰχμαπτχεὺς, ut ſi dicas *Pyrgopolynices*, aut Polyorcetes, quæ deinceps vocata eſt, Εὐνοῦχος ἢ Στρατιώτης, ut *Miles Glorioſus*. Porrò Servius laudat Plautum in *Pyrgopolynice*: unde apparet non uno nomine Plauti fabulas fuiſſe inſignitas, quemadmodum *Moſtellaria* appellata eſt & *Phaſma*. Conſtat Prologo, fabulâ, & Epilogo. Prologus eſt in Actus II. Scena I. Protaſis fabulæ eſt ab initio fabulæ. ad Scenam II. Actus III. Ab Scena II. Actus III. ad Actum V. Epitaſis. Ab initio Actus V. ad verſum 42. ejus Actus, Cataſtrophe. Epilogus duobus verſibus ultimis continetur. In hac fabulâ eſt elegans & perpolita imago hominis inanis gloriæ tumore diſtenti, ſub perſonâ militis; quoniam ferme hoc genus impotens eſt & ſuperbum: ſed ad eruditionem generis humani eò deprimitur elatum illud & arrogans ſupercilium, ut infra calonem depreſſus dejectúſque, in extremâ Scenâ jaceat. Valeat apud Chriſtianos, id: *Qui ſe humiliat exaltabitur, qui ſe exaltat humiliabitur.*

SCENA EST EPHESI.

PERSONÆ.

PERSONÆ.

PROLOGUS.

PYRGOPOLINICES, Miles glorioſus, rivalis Pleuſidippi.

ARTOTROGUS, paraſitus Pyrgopolinicis.

SCELEDRUS, Servus Pyrgopolinicis, Eunuchus Philocomaſii.

PLEUSIDES Athenienſis, amator Philocomaſii.

PALÆSTRIO, Servus Pleuſidis Pyrgopolinicis furtivus.

PHILOCOMASIUM, amica Pleuſidis, furtiva Pyrgopolinicis.

LUCRIO, puer ſubcuſtos Philocomaſii.

PERIPLECTOMENES, vicinus Pyrgopolinicis, hoſpes Pleuſidis.

ACROTELEUTIUM, meretrix, ſuppoſititia conjux Periplectomenis.

MILPHIDIPPA, ancilla Acroteleutii.

CARIO, Coquus Periplectomenis.

PUER Periplectomenis Anonymus.

EPILOGUS.

PERIOCHA ACROSTICHA.

M ERETRICEM Athenis Epheſum miles avehit.
I d hero dum amanti ſervus nunciare vult
L egato peregrè, captu'ſt ipſus in mari,
E t illi eidem militi dono datu'ſt.
S uum arceſſit herum Athenis, & forat
G eminis communem clam parietem in ædibus;
L icere ut quiret convenire amantibus.
O bhærentes cuſtos hos vidit de tegulis.
R idiculus autem, quaſi ſit alia, luditur.
I témque impellit militem Palæſtrio,
O miſſam faciat concubinam, quando ei
S enis vicini cupiat uxor nubere.
U ltrò âbeat, orat. donat multa. ipſe in domo
S enis prehenſus pœnas pro mœcho luit.

INTERPRETATIO.

Miles aſportat meretricem Athenis Epheſum. Quando ſervus ſtatuit monere hujus rei dominum abſentem, ipſe ſervus *venit in manus hoſtium. & datus eſt ipſi militi. Vocat ſuum dominum Athenis, & perfodit occultè parietem communem utriuſque domus, ut poſſent amantes convenire. Cuſtos* Philocomaſii *illos conſpicatus eſt de tegulis. quum eſſent unà:* Sceledrus *irridetur, tanquam ſi* Philocomaſium *ſit altera. Sic Palæſtrio hortatur militem, ut dimittat meretricem. quia uxor ſenis finitimi optat eum habere maritum.* Miles *precatur meretricem, ut diſcedat ultro: dat plura.* Miles *captus in ædibus ſenis dat pœnas tanquam adulter.*

ANNOTATIONES.

1. *Meretricem.*] Philocomaſium.
Miles.] Pyrgopolinices.
3. *Hero.*] Pleuſidi.
Servus.] Palæſtrio.
9. *Ridiculus.*] Sceledrus.
Quaſi ſit alia.] Videlicet ita imponitur Sceledro à Palæſtrione, ut credat non vidiſſe ſe quæ viderit.
11. *Concubinam.*] Acroteleutium.
12. *Senis vicini.*] Periplectomenis.

ALTERA PERIOCHA.

MERETRICEM ingenuam deperibat mutuò
Athenienſis juvenis. Naupactum is domo

INTERPRETATIO.

Adoleſcens Athenienſis amabat perditè meretricem liberam. Ille profectus eſt

ANNOTATIONES.

1. *Meretricem.*] Philocomaſium.
Mutuo.] Mutuo amore, videlicet amabat & amabatur.
2. *Athenienſis juvenis.*] Pleuſides.
Naupactum.] Urbs in Ætoliâ.

Legatus abiit : miles in eandem incidit.
Deportat Epheſum invitam. ſervus Attici
Ut nunciatet domino factum, navigat,
Capitur, donatur illi captus militi.
Ad herum ut veniret Epheſum, ſcribit. advolat
Adoleſcens, atque in proximo divortitur
Apud hoſpitem paternum. medium parietem
Perfodit ſervus, commeatus clanculum
Quà foret amantum. geminam fingit : mulieris
Sororem ait eſſe. mox ei dominus ædium
Suam clientam ſolicitandum ad militem
Subornat. capitur ille, ſperat nuptias,
Dimittit concubinam, & mœchus vapulat.

INTERPRETATIO.

patriâ Naupactum ad legationem : ea eſt facta obvia militi. Avehit Epheſum invitam. Servus Athenienſis juvenis, *navem conſcendit ut moneat herum quid agatur. Deprehenditur, datur ille militi captivus. Mittit litteras domino ut veniat Epheſum. Juvenis accelerat, & hoſpitio excipitur apud vicinum, qui erat hoſpes patris. Servus perforat parietem, qui erat communis utrarumque ædium, ut eſſet liber tranſitus ultro citroque utrique amanti.* Palæſtrio *ſimulat meretricem eſſe ſororem geminam : dominus ædium ſuadet ſua clienta, ut commodet ſuam operam ad concitandum* amorem *in milite.* Miles *irretitur, ſibi pollicetur conjugium, jubet abire meretricem, dat pœnas* ut *adulter,*

ANNOTATIONES.

3. *Miles.*] Pyrgopolinices, profecto ad legationem Pleuſide, venit Athenas: matrem Philocomaſii donis ſic corrupit, ut filiam licuerit Athenis Epheſum avehere.

4. *Servus Attici.*] Id eſt, Athenienſis Pleuſidis ſervus Palæſtrio navem conſcendit, ut raptum Philocomaſii hero nuntiaret.

11. *Geminam.*] Philocomaſium ipſam fingit Palæſtrio eſſe ſororem germanam geminam Philocomaſii.

12. *Dominus ædium.*] Periplectomenes hoſpes Pleuſidis.

13. *Suam clientam.*] Acroteleutium adducit, ut meretriciis artibus ſic ſtolidum militem devinciret, ut deduceret ab amoribus Philocomaſii.

14. *Sperat nuptias.*] Acroteleutii.

15. *Dimittit concubinam.*] Philocomaſium.

ACTUS PRIMUS.

ARGUMENTUM.

PYRGOPOLINICES inflatiſſimus miles, idémque ſtolidiſſimus, & ſui & ſuorum factorum laudes ſibi à paraſito,

pluſquàm paraſitica aſſentatione occantatas, utrâque aure avidiſſimè haurit, eóque ſic fumo diſtenditur, ut tantùm non rumpatur.

ACTUS PRIMUS. SCENA PRIMA.

PYRGOPOLINICES, ARTOTROGUS.

PYRGOPOLINICES.

CURATE, ut ſplendor meo ſit clypeo clarior,
Quàm Solis radii eſſe olim, cùm ſudum'ſt, ſolent:
Ut, ubi uſus veniat, contrà conſertâ manu
Oculorum præſtringat aciem in acie hoſtibus.
Nam ego hanc machæram mihi conſolari volo,
Ne lamentetur; néve animum deſpondeat,
Quia ſe jampridem feriatam geſtitem,
Quæ miſera geſtit & fratrem facere ex hoſtibus.

INTERPRETATIO.

PYR. *Date operam, ut fulgor mei ſcuti ſit luculentior, quàm radii Solis eſſe conſueverunt, quando* cœlum *eſt ſerenum: ut quando opus erit, ex adverſo* poſitus *perſtringat aciem* oculorum *hoſtibus in exercitu collatis copiis. Nam ego cupio placare hunc enſem, ne plangat, & ne dejiciat mentem, quoniam ſe portem jamdudum otiantem, nam infœlix ardet concidere fruſtatim hoſtes.*

ANNOTATIONES.

1. *Curate.*] Pyrgopolinices alloquitur ſatellites quos habet in comitatu.

2. *Olim.*] Plàutus eâ utitur voce promiſcuè pro quovis tempore & horâ, præteritis, præſentibus, futuris, proximis, remotis.

Sudum.] Nonius: *Sudum dicitur, quaſi ſemiudum, ut eſt aër poſt pluvias ſerenus & liquidus.* Crediderim dici potiùs *ſudum*, quaſi *ſubudum*, qualis eſſe ſolet verno tempore aër.

3. *Contrà conſertâ manu.*] Crediderim uno tenore, & legenda eſſe duo hæc vocabula, & ſcribenda: hæ enim compoſitiones ab hoc Poëtâ lubenter uſurpantur ad exemplum Græcorum, quorum linguæ & orationi gratia & amphaſis non mediocris inde accedit. Sed ſequiores Romani parciùs ſic loquuti ſunt.

4. *Præſtringat.*] Idem quod perſtringat, & utrumque à *ſtringo*, quod eſt *prætereundo tangere*, ut navis dicitur, *ſtringere littus*, quando aquis, remis, aut ventis, prætervecta defricat, ſi ita loqui fas eſt, littus.

Aciem in acie.] Ludit in verbo, & in ancipiti ejus ſignificatione; porrò hoc ſtratagemate ſæpiùs ſunt uſi imperatores, ut adverſo Sole, adverſóque vento pugnare cogerent hoſtes, ut aut luce Solis hebeſcerent oculi, aut pulvere opplerentur.

7. *Geſtitem.*] *Geſtitem*, ſeptimi verſus & *geſtit*, octavi, eſt annominatio.

8. *Fratrem facere.*] Quanquam prima fronte hæc oratio videtur dura & inſolens, tamen ſi attendas militis glorioſi jactationem, non carebit ſuâ laude. Hac enim innuit machæram ſuam geſtire ſe tingere hoſtili ſanguine, atque adeò eſſe conſanguineam, conſanguineorum autem gradus eſt inſignis fratrum; hinc pro, conſanguineos facere hoſtes geſtit, fratres facere hoſtes. Alii legunt, *fartum facere*, id eſt, ideò minutatim concidere, ut farto eduliorum ſimiles ſint: *fartum*, vulgò *farce*.

Sed ubi Artotrogus? *AR.* hîc eſt, ſtat propter virum
Fortem, atque fortunatum, & formâ regiâ;
Tum bellatorem. Mars haud auſit dicere,
Neque æquiparare ſuas virtutes ad tuas.
PY. Quémne ego ſervavi in campis Gurguſtidoniis,
Ubi Bombomachides Cluninſtaridyſarchides
Erat imperator ſummus, Neptuni nepos?
AR. Memini. nempe illum dicis cum armis aureis;
Cujus tu legiones difflaviſti ſpiritu,
Quaſi ventus folia, aut panniculam tectoriam.
PY. Iſtuc quidem edepol nihil eſt. *AR.* nihil hercle quidem hoc,
Præ ut alia dicam, tu quæ nunquam feceris.
Perjuriorem hòc hominem ſi quis viderit,
Aut gloriarum pleniorem, quàm illic eſt;
Me ſibi habeto; ei ego me mancupio dabo,
Si unum epityrum edam apud illum, eſuriens inſanè, bene.

INTERPRETATIO.

Sed ubi eſt Artotrogus? ART. *Adeſt. ſtat juxta virum fortem & felicem, &* præditum *pulchritudine regiâ; tum etiam ſtrenuum pugnatorem. Mars non audeat commemorare ſuas virtutes, neque conferre cum tuis.* PYR. *Diciſne eum, quem ego nolui profligare in agro Gurguſtidonio Bombomachides Cluninſtaridyſarchides, nepos Neptuni, erat ſupremus dux?* ART. *Recordor, nimirum loqueris illum, cujus tu diſſipaſti oris flatu copias armis deauratis* inſignes, *quaſi ventus frondes, aut lanam arundineam.* PYR. *Per ædem Pollucis iſtud quidem eſt nihil.* ART. *Per Herculem quidem hoc eſt nihil præ aliis, quæ commemorabo, quæ tu nunquam geſſiſti, ſi quis conſpexerit hominem magis infidum hoc homine, vel inflatiorem inaniori gloriâ, quàm eſt ille; me vindicet in ſuam poteſtatem, & ego memet mancipem pro ſero lactis, ut eſuriam uſque ad rabiem, apud eum.*

ANNOTATIONES.

13. *Gurguſtidoniis.*] A gurguſtio, quod eſt ædificium anguſtum depreſſúmque. Fictum à Plauto vocabulum ad movendum riſum, & ſugillandum militem glorioſum. Quaſi dicas gurguſtiorum expugnatorem, ut opponat nomini illi glorioſo, quod ſibi arrogat, turrium expugnatoris Pyrgopolinicis.

14. *Bombomachides Cluninſtaridyſarchides.*] Grandia verba in quibus nihil eſt, niſi ingens ſtrepitus ſyllabarum. Prius à bombo, quod Græcæ βομβὸς, & μάχομαι pugno; quaſi dicat, qui ingenti tumultu pugnat. Alterum verbum conflatum è quatuor partibus videtur. Prima pars compoſitionis ſubolet nonnihil illiberalis; ſecunda eſt præpoſitio *inſtar*. Duæ ultimæ ſunt Græcæ, prior eſt δὺς, poſterior ἄρχομαι.

18. *Panniculam tectoriam.*] Illud accipe de goſſipio volante longè à capite arundinum, vento afflante vel minimo. Tectoria panniculа, quòd cum luto aut calce vice arenæ ſubacta ad ædificandum utilis eſſet.

20. *Tu quæ nonnunquam feceris.*] Hæc verba ſunt averſi à milite Artotrogi, & ad ſpectatores converſi. In quo animadvertet Princeps, quantùm diſtet adulatio à vera ſolidáque laude.

24. *Epityrum.*] Eſt ſerúm lactis defluens ex caſeo qui ſiccatur, qui cibus parum ſolidus eſt, ad explendam paraſiticam edendi rabiem.

PY. Ubi tu es? *AR.* eccum. edepol vel elephanto in Indiâ
Quo pacto pugno perfregiſti brachium!
PY. Quid, brachium? *AR.* illud dicere volui, femur.
PY. At indiligenter hîc eram. *AR.* pol ſi quidem
Conniſus eſſes, per corium; per viſcera,
Pérque os elephanto brachium transmitteres.
PY. Nolo iſtæc hîc nunc. *AR.* ne hercle operæ pretium quidem
Mihi te enarrare, tuas qui virtutes ſciam.
Venter creat omnes has ærumnas. auribus
Peraudienda ſunt, ne dentes dentiant,
Et aſſentandum eſt, quicquid hic mentibitur.
PY. Quid illud quod dico? *AR.* hem, ſcio jam quid vis dicere.
Factum eſt hercle: memini fieri. *PY.* quid id eſt? *AR.* quicquid eſt.
PY. Habes tabellas? *AR.* vis rogare? habeo & ſtilum.
PY. Facetè advertis animum tuum ad animum meum.
AR. Noviſſe mores me tuos meditatè decet,
Curámque adhibere, ut prævolet mihi quò tu velis.
PY. Ecquid meminiſti? *AR.* memini, centum in Ciliciâ,
Et quinquaginta centum Sycolattonidæ,

INTERPRETATIO.

PYR. *Ubi es tu?* ART. *Ecce; per ædem Pollucis, quomodo comminuiſti etiam brachium elephanti pugno in Indiâ.* PYRG. *Quid* dicis *brachium?* ART. *Volebam dicere hoc, femur.* PYR. *Sed ferii hunc brachio minimè contente.* ART. *Sine dubio, ſi contendiſſes, tranſverberaſſes brachium, per cutem elephanti, per viſcera, pérque os.* PYR. *Nolo te* commemorare *hæc nunc.* ART. *Per herculem, neque ego te mihi recenſere tuas virtutes, ut peto qui illas novi: abdomen affert cunctas has moleſtias. Sunt accipienda hæc auribus, ne dentes feriati creſcant, & eſt annuendum, quodcumque mendacium effutierit.* PYR. *Quid eſt id quod dico?* ART. *Hem, teneo jam quid vis dicere. Sanè eſt geſtum: memini te geſſiſſe.* PYR. *Quid eſt id?* ART. *Quidquid à te geſtum.* PYR. *Habes tabellas in quibus id ſcriptum eſt?* ART. *Vis tibi eas* commodem? *habeo etiam ſtilum.* PYR. *Lepidè accommodas tuam mentem ad meam mentem.* ART. *decet me noviſſe accuratè tuos mores, & curare, ut præcurrat mens quò tu velis.* PYR. *Quid recordaris?* ART. *Recordor eſſe centum & quinquaginta homines in Ciliciâ, centum Sycolatronidas,*

ANNOTATIONES.

30. *Tranſmitteres.*] Alii *tranſmitteras*; nimirum veteres præterita formabant à præſentibus. Sic *atterui* pro *attrivi*, Propertius dixit & Tacitus. *Occanui* pro *occinui*, Salluſtius. *Premi* pro *preſſi*, Cato. *Conſiſti* pro *conſtiti*, Ennius.

33. *Venter creat.*] Tres hi verſus ſunt paraſiti ſecum loquentis.

34. *Dentes dentiant.*] *Dentes dentire* dicuntur pueris cùm primùm trudunt, & ſeſe in gingivis aperiunt, proferúntque: id vulgò intelligimus, quando de eo quem *collecta fatigat edendi à longo rabies*; dicimus, *il a les dents bien longues.*

38. *Habes tabellas.*] Tabellæ nos vocamus, *des tablettes*; quæ fermè fiunt ex cartâ utrinque cerâ illitâ, ut tunc ex ligno tenuiſſimo; unde fuit nomen à *tabula*, *tabella*.

Stilum.] Hoc nomine vocari poteſt acus illa, quâ inſcribitur in tabellis.

40. *Noviſſe mores.*] Ingenium paraſiticum paraſitus paucis indicat.

43. *Sycolatronida.*] Ridiculæ compoſitionis verbum à σῦκον Græco, & *latro* Latino, cum terminatione Græcâ *idas*.

Triginta Sardi, ſexaginta Macedones,
Sunt homines, tu quos occidiſti uno die.
PY. Quanta iſtæc hominum ſumma eſt? *AR.* ſeptem millia.
PY. Tantum eſſe oportet: rectè rationem tenes.
AR. At nullos habeo ſcriptos, ſic memini tamen.
PY. Edepol memoria eſt optuma. *AR.* offa me monet.
PY. Dum talem facies, qualem adhuc, aſſiduò edis:
Communicabo te ſemper menſâ meâ.
AR. Quid in Cappadociâ, ubi tu quingentos ſimul,
Ni hebes machæra foret, uno ictu occideres.
At peditatûs reliquiæ erant, ſi viverent.
Quid tibi ego dicam, quod omnes mortales ſciunt,
Pyrgopolinicem te unum in terrâ vivere
Virtute & formâ, & factis invictiſſumis.
Amant te omnes mulieres, neque hercle injuriâ,
Qui ſis tam pulcer. ut vel illæ, quæ herè pallio
Me reprehenderunt. *PY.* quid herè dixerunt tibi?
AR. Rogitabant: Hiccine Achilles eſt, inquit, tibi?
Imò ejus frater, inquam. innuit illarum altera:
Ergo mecaſtor pulcer eſt, inquit, mihi
Et liberalis viſus. cæſaries quàm decet!
Næ illæ ſunt fortunatæ, quæ cum iſto cubant!

INTERPRETATIO.

triginta Sardos, ſexaginta Macedones, quos tu occidiſti uno die. PYR. *Quantus eſt iſte numerus hominum collectus?* ART. *Septem millia.* PYR. *Debent eſſe tot: ſcis benè numerum.* ART. *Sed nullos habeo ſcriptos; tamen ſic memini.* PYR. *Per ædem Pollucis memoriâ eſt feliciſſimâ.* ART. *Offa me ſummonet.* PYR. *Dum colliges tales numeros, quales adhuc collegiſti, cœnabis aſſiduò, mea menſa tibi erit ſemper communis.* ART. *Quid dicam in Cappadociâ, ubi tu obtruncaſti quingentos uno ictu, ni enſis factus fuiſſet hebes. Sed erant reliquiæ peditatus, ſi vixiſſent. Quid tibi loquar ego, quod cuncti mortales tenent, unum Pyrgopolinicem eſſe in terris* inſignem *egregiâ virtute, & pulchritudine, & factis inclytis. Univerſæ mulieres te depereunt, neque profectò injuriâ, nam es adeò formoſus, ut patet ex illis quæ me retinuerunt etiam pallio heſternâ die.* PYR. *Quid tibi dixerunt heri?* ART. *Siſcitabantur: hiccine eſt Achilles, inquit una? Imò ejus frater, inquã: ait altera illarum: mihi viſus eſt formoſus, inquit, & liberalis; quàm coma decet! Sanè quæ dormiunt cum eo, ſunt fortunatæ.*

ANNOTATIONES.

46. *Septem millia.*] Et hic paraſitus irridet glorioſi jactantiam. Nam ſi centum quinquaginta interfecit in Ciliciâ, centum Sycolatronidas, triginta Sardos, ſexaginta Macedones, ſunt tantùm trecenti & quadraginta.

49. *Offa monet.*] Offa ſumitur pro quolibet genere eduliorum liquido, ſolidóve condito, inconditóque: obviæ fuerint vocis hujus in autoribus laudatioribus acceptiones.

50. *Dum talem facies.*] Id eſt, dum me ſic ornabis laudibus.

54. *At peditatus.*] Id eſt, at illi quingenti erant reliquiæ peditum à te interfectorum.

Reliquia.] Alii *reliquia*, in ſingulari, ut *delicia*, in Pœnulo & Truculento.

Si viverent.] Hæc ſecum Artotrogus, quaſi dicat, *ſi modò ulli fuerunt pedites.*

PY. Itáne aiebat tandem ? *AR.* quæ me ambæ obſecraverint ;
Ut te hodie quaſi pompam illà præterducerem.
„ *PY.* Nimia est miſeria pulchrum eſſe hominem nimis.
AR. Moleſtæ ſunt mihi , orant , ambiunt, obſecrant ,
Videre ut liceat : ad ſeſe arceſſi jubent.
Ut tuo non liceat operam dare negotio.
PY. Videtur tempus eſſe , ut eamus ad forum,
Ut in tabellis quos conſignavi hic heri
Latrones, ibus dinumerem ſtipendium.
Nam rex Seleucus me opere oravit maxumo,
Ut ſibi latrones cogerem & conſcriberem.
Regi hunc diem mihi operam decretum eſt dare.
AR. Age eamus ergo. *PY.* ſequimini ſatellites.

INTERPRETATIO.

PYR. *Sícne loquebantur ?* ART. *Duæ me obteſtata ſunt , ut te præterducerem hodie illàc quaſi ad pompam.* PYR. *Eſt nimia moleſtia eſſe virum nimis formoſum.* ART. *Mihi ſunt importunæ , precantur , circumeunt , obteſtantur , ut liceat contemplari : mandant me vocari ad ſeſe* tam crebrò , *ut non liceat incumbere tuis rebus.* PYR. *Videtur eſſe tempus , ut proficiſcamur ad forum , ut pendam ſtipendium iis militibus quot inſcripſi hic heri in tabellis ; nam rex Seleucus enixè rogavit, ut ſibi convocarem & ſcriberem milites. Statui impendere hunc diem Regi.* ART. *Age eamus ergo.* PYR. *Sequamini ſatellites.*

ANNOTATIO.

74. *Latrones.*] Varro dici vult *latrones*. quaſi *laterones* . quòd ſtipent latus principum , vel quòd enſem ad latus ferant , vel quòd ſtipendium , quod Græcè λάτρον dicitur, accipiant ; alii à λατρεύειν , id eſt , obſequi, parere ad nutum ducis.

Ibus.] Vetus pro *iis*.

ACTUS SECUNDUS.

ARGUMENTUM.

SCELEDRUS Pyrgopolinicis ſervus , Philocomaſii cuſtos , videt Pleuſidem cum ipsâ Philocomaſio per impluvium Periplectomenis. Palæſtrio ſic faſcinat fraudibus & dolis Sceledrum , ut denique ſe non vidiſſe putet, quòd viderit.

ACTUS SECUNDUS. SCENA PRIMA.

ARGUMENTUM.

ARGUMENTUM eſt & Prologus Militis glorioſi univerſæ.

PALÆSTRIO.

PALÆSTRIO.

MIHI ad enarrandum hoc argumentum eſt comitas,
Si ad auſcultandum voſtra erit benignitas.
Qui aurem auſcultare nolit, exſurgat foras,
Ut ſit ubi ſedeat ille, qui auſcultare volt.
Nunc, quâ aſſediſtis cauſsâ in feſtivo loco,
Comœdiai, quam modò acturi ſumus,
Et Argumentum, & Nomen vobis eloquar.
ALAZON Græcè huic nomen eſt Comœdiæ,
Id nos Latinè GLORIOSUM dicimus.
Hoc oppidum Epheſum eſt: idem eſt Miles meus herus;
Qui hinc ad forum abiit, glorioſus, impudens,
Stercoreus, plenus perjurii atque adulterii.
Ait ſeſe ultrò omnes mulieres ſectarier.
Is deridiculu'ſt, quaquà incedit omnibus.
Itáque hîc meretrices labiis dum ductant eum,
Majorem partem videas valgis ſaviis.
Nam ego haud diu apud hunc ſervitutem ſervio.
Id volo vos ſcire, quomodo ad hunc devenerim
In ſervitutem, ab eo cui ſervivi priùs.
Date operam. nam nunc Argumentum exordiar.
Erat herus Athenis mihi adoleſcens optumus.
Is amabat meretricem matre Athenis Atticis,

INTERPRETATIO.

PAL. *Mihi erit urbanitas ad explicandum hoc argumentum, ſi vobis fuerit benevolentia ad audiendum. Qui verò noluerit audire, ſurgat*, & abeat *foras, ut ſit* locus, *in quo ille ſedeat. qui vult audire. Nunc vobis dicam, & Argumentum, & nomen Comœdia, quàm mox exhibituri ſumus, cujus gratiâ ſedem habetis in loco jucundo. Hæc Comœdia vocatur Græcè ἀλαζών, quàm* vocem *reddimus Latinè* Glorioſum. *Hæc urbs eſt Epheſus: Miles meus herus, qui hinc profectus eſt ad forum, eſt inde* oriundus, *ſuperbus, inverecundus, repletus perfidiâ atque luxuriâ. Dicit ſeſe deamari ab omnibus mulieribus. Riſum concitat cunctis, quacumque iter habet. Itaque dum meretrices eum ludificant, animadvertas majori ex parte eſſe obtortis labris. Nam ego ſum ſervus apud hunc non ita pridem; oportet vos ſcire id. quâ ratione inciderim in ejus ſervitutem, à Pleuſide, cujus fui ſervus antea. Attendite; nam incipiam jam Argumentum. Habebam Athenis herum Pleuſidem optimum adoleſcentem. Is deperibat meretricem* Philocomaſium, *cujus*

ANNOTATIONES.

15. *Labiis dum ductant.*] Id eſt, dum labiis ad oſculum compoſitis, quaſi ad ſignificationem amoris, decipiunt, & reverâ hominem aſpernantur.

16. *Valgis ſaviis.*] Id eſt, valgis labris. Metonymia adjuncti prò ſubjecto: *valgus, obtortus.* Quaſi dicat meretrices adeò eſſe aſſuetas hominem irridere, & ſubſannare ore obtorto, ut fermè hæc oris forma perpetua ſit omnibus.

Et illa illum contrà, qui eſt amor cultu optumus.
Is publicè legatus Naupactum hinc fuit,
Magnai reiipublicai gratiâ.
Interibi ut hic miles fortè Athenas advenit,
Inſinuat ſeſe ad illam amicam mei heri,
Occœpit ejus matri ſuppalparier
Vino, ornamentis, opipariſque obſoniis.
Itáque intimum ibi ſe Miles apud lenam facit.
Ubi primùm evenit Militi huic occaſio,
Sublinit os illi lenæ matri mulieris,
Quam herus meus amabat. nam is illius filiam
Conjicit in navem Miles, clam matrem ſuam.
Eámque invitam huc mulierem in Epheſum advehit.
Ego quantùm vivus poſſum, mihi navem paro,
Ubi amicam herilem Athenis avectam ſcio.
Inſcendo, ut eam rem Naupactum ad herum nunciem.
Ubi ſumus provecti in altum, id quod volunt,
Capiunt prædones navem illam, ubi vectus fui.
Priùs perii, quàm ad herum veni, quò ire occœperam.
Ille me cepit. dat me huic dono Militi.
Hic poſtquam in ædis me ad ſe duxit domum,
Video illam amicam herilem, Athenis quæ fuit.
Ubi contrà aſpexit me, oculis mihi ſignum dedit,
Ne ſe appellarem: deinde, poſtquam occaſio eſt,
Conqueritur mecum mulier fortunas ſuas:

Interpretatio.

mater erat ex Athenis Atticis, & Philocomaſium *amat ex adverſo herum meum, qus amor colitur jucundiſſimè. Is fuit miſſus publicâ autoritate Naupactum principis reipublica causâ. Interea hic Miles, quum fortè veniſſet Athenas, ſeſe inſinuat apud illam amicam mei heri, cœpit ſubblandiri ejus matri vino, ornamensis, cœnis delicatis. Itaque Miles evadit amiciſſimus lenæ. Ubi primùm occaſio ſeſe offert huic Militi, decepit illam lenam matrem mulieris, quam meus herus deperibat. Nam is miles conjicit in navem ejus filiam, inſciâ matre: & eam mulierem aſportat reluctantem huc in Epheſum: ego quàm citiſſimè poſſum, mihi adorno navem, ſtatim atque accipio amicam heri fuiſſe ablatam Athenis. Inſcendo navem, ut nuncium hujus rei deferam Naupactum ad herum: quando venimus in altum, prædones capiunt illam navem, in quâ fui vectus, quod optabant prædones, interii: antequàm veni ad herum, quò cœperam ire, ille qui me cœpit, me dedit huic Militi. Poſtquam hic me duxit in ædes ad ſe domum, conſpicor illam amicam heri, quæ fuit Athenis: quando me conſpexit, mihi innuit oculis, ne ſe appellarem. Deinde poſtquam ſeſe occaſio obtulit, mulier deplorat mecum ſuam vicem,*

Annotationes.

24. *Naupactum.*] Oppidum Ætoliæ, hodie Lepanthum, unde ſinus Naupactius, & Naupacteus, *Gelpho de Lepanthe.*

25. *Magna reipublica.*] Athenæ dictæ ſunt *magna reſpublica*, quia hæc amplitudine & dignitate, alias reſpublicas Græcorum ſuperabat.

Ait ſeſe Athenas fugere cupere ex hâc domu.
Seſe illum amare meum herum, Athenis qui fuit:
Neque pejus quenquam odiſſe, quàm iſtum Militem.
Ego, quoniam inſpexi mulieris ſententiam,
Cepi tabellas, conſignavi clanculum:
Dedi mercatori, qui ad illum deferat
Meum herum, qui Athenis fuerat, qui hanc amaverat;
Ut is huc veniret. is non ſprevit nuncium.
Nam & venit, & is in proximo hîc devortitur
Apud ſuum paternum hoſpitem, lepidum ſenem.
Itáque ille amanti ſuo hoſpiti morem gerit.
Nóſque operâ conſilióque adhortatur, juvat.
Itáque ego paravi hîc intus magnas machinas,
Qui amanteis unà inter ſe facerem convenas.
Nam unum conclave, concubinæ quod dedit
Miles, quò nemo niſi cápſe inferret pedem,
In eo conclavi ego profodi parietem,
Quà commeatus eſſet hinc huc mulieri.
Et ſene ſciente hoc feci: is conſilium dedit.
Nam meus conſervus eſt homo haud magni pretii;
Quem concubinæ Miles cuſtodem addidit.
Ei nos facetis fabricis, & doctis dolis
Glaucomam ob oculos objiciemus: eúmque ita
Faciemus, ut, quod viderit, non viderit.
Et mox, ne erretis, hæc duarum hodie vicem:
Et hîc & illinc mulier feret imaginem:

INTERPRETATIO.

dicit ſeſe optare evadere ex his ædibus Athenas, ſeſe amare illum meum herum, qui fuit Athenis; neque eſſe odio quemquam capitaliùs, quàm iſtum Militem: poſtquam ego conſpexi mentem mulieris, accepi tabellas, conſignavi occultè, dedi mercatori, qui deferret ad meum herum, qui fuerat Athenis, qui hanc amaverat, ut is veniret huc. Is non aſpernatus eſt nuncium. Nam & venit, & idem verſatur hìc in proximo apud ſui patris hoſpitem feſtivum ſenem, & ille gerit morem ſuo hoſpiti amanti, noſque adhortatur & opitulatur operâ & conſilio. Itaque ego comparavi in ædibus magnas machinas, ut earum operâ convenirent amantes inter ſe. Nam ego confodi parietem in conclavi, quod Miles tradidit concubinæ, in quod nullus inferret pedem, niſi ipſa, quò huic mulieri eſſet tranſitus: & feci hoc conſcio ſene: id dedit conſilium. Nam meus conſervus eſt homo haud magni momenti, quem Miles adjunxit cuſtodem concubinæ. Nos objiciemus ob ejus oculos Glaucomam, lepidis fallaciis, & eruditis technis, & efficiemus, ut non conſpexerit quod conſpexerit; & ne erretis modò, Philocomaſium ſuſtinebit hodie perſonam duarum, & vicem earum implebit,

ANNOTATIO.

70. *Glaucoma,*] *atis.* Vitium oculorum, à cæruleo, ſeu glauco colore, quo ſuffuſi oculi laborant & hebeſcunt.

Atque eadem erit, verùm alia eſſe aſſimulabitur.
Ita ſublinitum eſt os cuſtodi mulieris.
Sed foris conerepuit hinc à vieino ſene.
Ipſe exit; hic ille eſt lepidus, quem dixi, ſenex.

INTERPRETATIO.

& erit eadem; ſed finget ſe eſſe aliam: adeò deceptus cuſtos mulieris; ſed foras concrepuerunt à partibus ſenis vicini; exit ipſe, hic eſt ille ſenex lepidus, quem dixi.

ANNOTATIO.

76. *Feris cencrepuit.*] Apud Græcos januæ fermè aperiebantur, non tractæ introrſum; ſed in vicum impulſæ: itaque periculum erat ne quando aperiebantur, prætereuntibus, aut moram, aut moleſtiam offerrent; idcircò qui aperiebant, repetitis ictibus prætereuntes commonefaciebant, ut ſibi ab iis caverent.

ACTUS SECUNDUS. SCENA SECUNDA.

ARGUMENTUM.

CONQUERITUR Periplectomenes, quòd Pyrgopolinicis familiares curioſiùs per impluvium intueantur, quòd domi geratur. Hoc eò dicit, quòd doleat Pleuſidem eſſe viſum eùm Philocomaſio. Palæſtrio fallendi Sceledri fraudibus conſilium init.

PERIPLECTOMENES, PALÆSTRIO.

PERIPLECTOMENES.

NI herele defregeritis talos, poſthac quemque in tegulis
Videritis alienum, ego veſtra faciam latera lorea.
Mihi quidem jam arbitri vicini ſciunt, meæ quid fiat domi.
Ita per impluvium intrò ſpectant. nunc adeò edico omnibus,

INTERPRETATIO.

PERIP. *PEr Herculem quemcumque alienum conſpexeritis deinceps in tegulis, niſi ei eliſeritis tales, ego faciam cutem veſtrerum laterum in lora. Sanè vicini ſunt jam teſtes eerum, quæ ſiunt in meis ædibus.*

ANNOTATIONES.

2. *Faciam latera lerea.*] Id eſt, edam veſtra latera loris concidenda, ita ut non meæ ſint, ſed lororum, & ad lora pertineant.

4. *Impluvium.*] Aſconius: *Eſt lecus ſine tecto in ædibus, quò impluere imber in domum poſſit.* Varro: *Impluvium. locus eſt in medio relictus, qui lucem ſuperne capias, quò deorſum impluat.* Cùm autem tecta depreſſiora ac ferè plana eſſent, ita ut cuivis inambulare poſſet; hinc fiebat ut ab alienis tectis, hinc inde eſſet aditus; unde Periplectomenis de Sceledro querela.

Quémque à milite hoc videritis hominem in noſtris tegulis,
Extra unum Palæſtrionem, huc deturbatote in viâ.
Quòd ille gallinam, aut columbam ſe ſectari, aut ſimiam
Dicat, diſperîſtis, ni uſque ad mortem malè mulcaſſitis.
Atque adeò, ut ne legi fraudem faciam Talariæ,
Accuràtote, ut ſine talis domi agitent convivium.
PA. Neſcio quid malefactum noſtrâ huic familiâ eſt, quantùm audio:
Ita hic ſenex talos elidi juſſit conſervis meis:
Sed me excepit. nihili facio, quid illis faciat cæteris.
Aggrediar hominem. éſtne advorſum? eſt quaſi *collaturus pedem.*
Quid agis, Periplectomene? *PE.* haud multos homines, ſi optandum fuerit,
Nunc videre & convenire, quàm te, mavellem. *PA.* quid eſt?
Quid negotii eſt? *PE.* res palàm eſt. *PA.* quæ res palàm eſt? *PE.* de tegulis
Modò neſcio quis inſpectavit veſtrorum familiarium
Per noſtrum impluvium intus apud nos Philocomaſium atque hoſpitem
Oſculanteis. *PA.* quis homo vidit? *PE.* tuus conſervus eſt. *PA.* quis is homo eſt?
PE. Neſcio, ita abripuit repentè ſeſe ſubitò. *PA.* ſuſpicor

INTERPRETATIO.

Ita deſpiciunt per impluvium; mando jam omnibus vobis, quemcumque hominem animadverteritis in noſtris tegulis, qui ſit hujus militis, præter Palæſtrionem unum, deturbate huc in viam, quanquam ille affirmet ſe perſequi, aut gallinam, aut columbam, aut ſimiam: eſt actum de vobis, niſi verberaveritis uſque necem: atque adeò, ut violent legem Talariam curate, & celebrent epulas, ſine talis. PAL. *Neſcio quid peccatum eſt in hunc ſenem à noſtrâ familiâ; ut audio hic ſenex imperavit frangi talos meis conſervis, ſed me excepit; curo parùm quid ſtatuat in alios. Alloquar hominem; éſtne converſus? Eſt quaſi collaturus pedem. Quid agis, Periplectomene?* PE. *Si mihi daretur optio, non eſt cum quo mallem conferre ſermonem, quàm tecum.* PA. *Quid eſt? Quid rei eſt?* PE. *Res eſt palàm.* PA. *Quæ res eſt palàm?* PE. *Neſcio quis veſtrorum familiarium deſpexit modò de tegulis per noſtrum impluvium apud nos, Philocomaſium atque hoſpitem oſculantes.* PA. *Quis vidit?* PE. *Eſt tuus conſervus.* PA. *Quis eſt is?* PE. *Neſcio, adeò ſeſe repentè proripuit ab oculis.* PA. *Suſpicor*

ANNOTATIONES.

5. *Tegulis.*] Tegulæ non de tegulis coctilibus, quales noſtræ ſunt, accipiendum videtur; ſed de re quavis ſolidiore, quæ ædibus ſuperjecta inambulantium veſtigia ferre poſſet.

8. *Mulcaſſitis.*] A *mulco*, pugnis calcibúſque impeto. *Mulceo* ſignificat ducere aliquod metallum feriendo. Unde Mulciber dictus Vulcanus, à molliendo, ducendóque ferro malleorum ictibus.

9. *Legi Talaria.*] Leges erant poſitæ iis, qui talis luderent, ut in quibuſvis aliis ludis. Inde captatur jocus in eos, quibus mandat *elidi talos*, ſi deprehenſi ſint in tectis. Raró convivia agitabantur, ſine talis luſoriis.

Me periiſſe. *PE.* ubi abiit, conclamo : heus quid agis tu ; inquam, *in tegulis?*
Ille mihi abiens ita reſpondit, ſe ſectari ſimiam.
PA. Væ mihi miſero, cui pereundum eſt propter nihili beſtiam.
Sed Philocomaſium hîccine etiam nunc eſt ? *PE.* cùm exibam, hîc erat.
PA. Sis, jube tranſire huc, quantùm poſſit, ſe ut videant domi
Familiares : niſi quidem illa nos vult, qui ſervi ſumus,
Propter amorem ſuum omneis crucibus contubernaleis dari.
PE. Dixi ego iſtuc ; niſi quid aliud vis. *PA.* volo. hoc dicito,
Paret artem & diſciplinam : obtineat colorem. *PE.* hei, quemadmodum ?
PA. Ut eum, qui hîc ſe vidit, vero vincat, ut ne viderit:
Si quidem centies hîc viſa ſit, tamen inficias eat.
Os habet, linguam, perfidiam, malitiam, atque audaciam,
Confidentiam, confirmitatem, fraudulentiam :
Qui arguet ſe, eum contrà vincat jurejurando ſuo.
Domi habet animum falſiloquum, falſificum, falſijurium :
Domi dolos, domi delenifica facta, domi fallacias.
Nam mulier olitori nunquam ſupplicat, ſi qua eſt mala.

INTERPRETATIO.

me eſſe perditum. PE. *Statim atque abiit, inclamo! heus tu quid agis?, inquam, in tegulis? Ille mihi repoſuit fugiendo, ſe perſequi ſimiam.* PA. *Va mihi infelici, cui eſt pereundum propter vilem beſtiam. Sed Philocomaſium eſtne hic etiamnum?* PE. *Quando egreſſus ſum, erat hic.* PA. *Jube, ſi vis eam huc tranſire, quàm citiſſimè poſſit, ut videatur domi à familiaribus: niſi illa velit nos, qui ſumus ſervi, omnes agi in crucem propter ſuos amores.* PE. *Dictum puta; niſi vis aliquid aliud.* PA. *Pracipe & hoc, ut comparet artificium, & diſciplinam* fallendi; *retineat* eumdem *colorem.* PE. *Quomodo?* PA. *Ut is à quo viſa eſt, credat hic ſe non vidiſſe; ſi eſt viſa centies, tamen perneget. Eſt illi lingua, fraus, nequitia, & audacia, impudentia, fiducia, conſtantia, dolus. Superet eum à quo accuſabitur, ſuo jurejurando. Eſt illi domi mens inſtructa ad dicendum falſum, ad faciendum, ad jurandum. Domi fraudes, domi facta doloſa, domi techna. Nam mulier qua nequam eſt, nihil mendicat ab olitore.*

ANNOTATIONES.

28. *Crucibus contubernales.*] Id eſt, omnes vult in crucem tolli. Crediderim hoc loco crucibus contubernales dici captato joco à quâdam popinâ, quæ erat Epheſi, in quâ penderent pro ſigno cruces. Sic jocatur Soſia in Amphitryone, quòd hoſpitio pugnæ ſit excipiendus.

32. *Inficias.*] Μονόπτωτον Accuſativi caſus, quod nunquam invenias, niſi cum *eo* conjunctum.

37. *Delenifica facta.*] A leniendo factum. Sed ferè in malam partem accipitur, ut ſi quis inducat in fraudem exquiſitis quibuſdam lenitatis & humanitatis officiis.

38. *Olitori nunquam ſupplicat.*] *Nemini ſupplico, & habeo domi*, phraſes ſunt, quas tarò disjungit Plautus; unum enim fermè ſequitur ex altero, ut quòd habemus, ab alio cum periculo repulſæ minimè rogemus. Porrò in hâc allegoriâ horti, herbarum, maleficiorum, crediderim Plauto eſſe in mente veneficam; quod erat in mulieres nequam jactari ſolitum convitium.

Domi habet hortum & condimenta ad omnes mores maleficos.
PE. Ego iſtæc, ſi erit hîc, nunciabo. ſed quid eſt, Palæſtrio,
Quod volutas túte tecum in corde? *PA.* pauliſper tace,
Dum ego mihi conſilia in animum convoco, & dum conſulo
Quid agam; quem dolum doloſo contrà conſervo parem,
Qui illam hîc vidit oſculantem: id viſum ut ne viſum ſiet.
PE. Quære. ego hinc abſceſſero abs te huc interim. illuc ſis vide
Quemadmodum abſtitit, ſeverâ fronte curas cogitans.
Pectus digitis pultat, cor credo evocaturu'ſt foras.
Ecce autem avortit, niſus lævâ, in femine habet lævam manum,
Dexterâ digitis rationem computat, feriens femur
Dexterum ita vehementer, quod tactu ægrè ſuppetit.
Concrepuit digitis; laborat; crebrò commutat ſtatus.
Eccere autem capite nutat: non placet quod repperit.
Quicquid eſt, incoctum non expromit: bene coctum dabit.
Ecce autem ædificat: columnam mento ſuffulſit ſuo.
Apage, non placet profectò mihi illa inædificatio.
Nam os columnatum Poëtæ eſſe inaudivi barbaro,

INTERPRETATIO.

Eſt illi domi hortus, & condimenta ad omnes mores nefarios. PE. *Ego nuntiabo, hæc, ſi eſt hîc; ſed quid eſt, Palaſtrio, quod tu mediteris tecum in mente?* PA. *Sile parumper, dum ego advoco in meum animum meum ſenatum, & dum reputo quid faciam: quas fraudes inſtruam adverſus conſervum fraudulentum, qui vidit illam oſculantem hîc: ut non conſpexerit, id quod conſpexerit.* P E. *Meditare; interim ego abceſſero hinc abs te huc. Vide illud amabo, quomodo abſtitit cogitabundus, fronte adductâ. Percutit pectus pugno, credo id, evocaturus eſt foras cor. Ecce ſe convertit, nixus lævâ manu, habet manum lævam in fœmore, dextrâ ſubducit rationem digitis, percutiens ita vehementer fœmur dextrum, quod expectat ægrè ſuccurrit. Tactu digitis plaudit; æſtuat, mutat identidem ſtatũ. Per Cererem nutat capite; quod venit in mentem, non illi probatur; Quidquid non eſt ſatis meditatum, non profert: depromet bene cogitatum. Ecce verò ædificat, ſupponit columnam ſuo mento. Apage, ſanè illa ædificatio non mihi arridet. Nam audivi os Poëtæ peregrino fuiſſe nixum*

ANNOTATIONES.

39. *Habet hortum.*] Verè ſervilis jocus, quò verna innuit eſſe meretricis animum inſtar fœlicis cujuſdam horti, in quo ſponte malefici mores enaſcantur, & ſoboleſcant.

Mores maleficos.] Alii moles maleficas, id eſt, artes, technas, machinationes.

41. *Volutas.*] Alii *volvitas*, vetus ſupinum à volvo, volvi, volvitum; caveo, cavi, cavitum; faveo, favi, favitum.

Tecum.] Alii tedecum, ut alibi medecum, inſerto *d*, vetus.

49. *Dextra digitis rationem computat.*] Deficientibus calculis & ſtilo, aut calamo, digitis ſemper ſunt uſi homines ad numerandum, præſertim ſi numeri, nec plures eſſent, nec operoſiores.

55. *Non placet.*] Id eſſe mali augurii putat Periplectomenes, quòd Palæſtrio cubito in genu impreſſo fulſiat mentem manu, quia videlicet Nævius, quem Poëtam barbarum ideò dicit, quia fingit fabulam eſſe palliatam, detruſus in carcerem, hoc ſitu corporis ſedere ſolebat.

56. *Os columnatum.*] Mentum columnâ nixum, videlicet de Nævio Poëtâ Romano, qui æqualis fuit Plauti, dicitur, quòd inter ſtudendum, cubito ſuffulcire mentum ſoleret.

Cui bini cuſtodes ſemper totis horis accubant.
Euge, euge, euſchemè hercle aſtitit, & dulicè & comœdicè.
Nunquam hodie quieſcet, priuſquam id, quod petiit, perficit.
Habet, opinor. age, ſi quid agis: vigila, ne ſomno ſtude:
Niſi quidem hîc agitari mavis varius virgis. vigila:
Tibi ego dico. au! feriatus ne ſis. heus te alloquor, Palæſtrio:
Vigila, inquam: expergiſcere, inquam: lucet hoc, inquam. *PA.* audio.
PE. Viden' hoſtis tibi adeſſe, tuóque tergo obſidium? conſule?
Arripe opem auxiliúmque ad hanc rem. properè hoc, non placidè decet.
Antevenito aliquà aliquos, aut tu circumduce exercitum,
Cu're in obſidium perduellis, noſtris præſidium para:
Intercludito inimicis commeatum, tibi muni viam:
Quâ cibatus commeatúſque ad te & legiones tuas
Tutò poſſit pervenire. hanc rem age. res ſubitaria eſt.
Reperi, comminiſcere, cedò calidum conſilium citò.
Quæ hîc ſunt viſa, ut viſa ne ſint: facta infecta uti ſient.
Magnam illic homo rem incipiſſis: magna munis mœnia.
Túte unus ſi recipere hoc ad te dicis, confidentia eſt

INTERPRETATIO.

columna, cui duo cuſtodes accubant ſemper omnibus horis. Euge, euge, lepidè per Herculem aſtitit, & ſerviliter & feſtivè. Nullomodò quieſcet hodie, antequàm conficiat id, quod appetit. Tenet opinor: fac, ſi facis aliquid, excitare, ne ſtude ſomno, niſi mavis reddi variegatus vibicibus virgarum: excitare; ego tibi dico: heus! ne ſis otioſus. Hem te alloquor, Palæſtrio: Excitare, inquam: expergiſcere, inquam: luces Cœlum, inquam. PA. *Audio.* PE. *Cerniſne hoſtes tibi inſtare? & tuum tergum oppugnari? conſule: occupa opem & ſuppetias ad hanc rem: decet facere hoc celeriter, non lentè. Anteverte hoſtes aliquâ parte, aut tu educ exercitum. Accelera ad obſidendos adverſarios, adorna præſidium noſtris: intercl*ude commeatum hoſtibus, aperi tibi viam: quâ annona & commeatus poſſit pervenire tutò ad te & tuas copias. Incumbe in id negotium: eſt repentinum. Inveni, comminiſcere, da celeriter conſilium calens, ut quæ ſunt viſa, non ſint viſa; ut non facta ſint facta. Inceptas tibi, ô homo, rem arduam: extruis excelſa mœnia, Si tu unus affirmas recipere in te,*

ANNOTATIONES.

57. *Cuſtodes.*] Canes.

58. *Euſchemè.*] Εὐσχημῶς, *decorè*: quòd refertur ad perſonam ſcenicam; nam *ſchema* perſonam ſcenicam ferè ſignificat.

Dulicè.] Serviliter: δουλικῶς, merum Græcum.

Comœdicè.] Id eſt, feſtivè. Verbum factum à Comœdiâ, in quâ ſibi proponit hiſtrio movere riſum.

63. *Lucet hoc.*] *Cœlum* lucet, Quia erecto in Cœlum, aut vultu, aut digito, id demonſtrat: Cœlum omittit nominare.

70. *Calidum conſilium.*] Repentè & ex arenâ ſumptum, quod quidem eſt ferè laudatiſſimum, videlicet imminentis periculi magnitudine territa mens, vires exerit, & hoc fœlicius conſilium repetit, quòd dato ad cogitandum ſpatio, non timidius, aut minus animoſum evadat.

Nos

Nos inimicos profligare poſſe. *PA.* dico & recipio
Ad me. *PE.* & ego impetraturum dico id quod petis. *PA.* at te Juppiter
Bene amet. *PE.* at imperti, amice, me, quod commentu's. *PA.* tace;
Dum in regionem aſtutiarum mearum te induco, ut ſcias
Juxtâ mecum mea conſilia. *PE.* ſalva ſumes indidem.
PA. Herus meus elephanti corio circumtentus eſt, non ſuo:
Neque habet plus ſapientiæ, quàm lapis. *PE.* egomet iſtuc ſcio.
PA. Nunc ſic rationem incipiſſam, hánceque inſtituam aſtutiam,
Ut Philocomaſio hanc ſororem geminam germanam alteram
Dicam Athenis adveniſſe cum amatore aliquo ſuo,
Tam ſimilem, quàm lacte lacti: & apud te eos hîc devortier
Dicam hoſpitio. *PE.* euge, euge, lepidè. laudo commentum tuum.
PA. Ut ſi illic concriminatus ſit adverſum Militem
Meus conſervus eam vidiſſe cum alieno oſcularier,
Eum arguam vidiſſe apud te contrà conſervum meum
Cum ſuo amatore amplexantem atque oſculantem. *PE.* imò ut optimè!
Idem ego dicam, ſi me exquiret Miles. *PA.* ſed ſimillimas
Dicito eſſe; & Philocomaſio id præcipiendum eſt, ut ſciat,
Ne titubet, ſi quæret ex eâ Miles. *PE.* nimis doctum dolum!
Sed ſi ambas videre in uno Miles concilio volet,
Quid agimus? *PA.* facile eſt, trecentæ poſſunt cauſſæ colligi:

INTERPRETATIO.

eſt ſpes nos poſſe ſuperare hoſtes. PA. *Dico, & in me recipio.* PE. *Et ego dico me conceſſurum id quod poſtulas.* PA. *At Jupiter te amet bene.* PE. *At fac me participem, amice, eorum quæ commentus es.* PA. *Sile; dum te induco in regionem mearum calliditatum, ut teneas perinde, atque ego, meam mentem.* PE. *Invenies integra ibidem* apud me ubi depoſueris. PA. *Meus herus eſt circumdatus pelle elephanti, non ſuâ; neque habet plus ſenſus, quàm ſaxum.* PE. *Egomet novi id.* PA. *Nunc ſuſcipiam hanc provinciam fallendi, ſic incipiam iſtam calliditatem, ut affirmem hanc eſſe ſororem germanam geminam Philocomaſii; eam adveniſſe Athenis cum quodam qui eſt ejus amator, tam ſimilem, quàm eſt lac lacti: dicam eos fuiſſe exceptos hoſpitio apud te.* PE. *Euge, euge, feſtivè: laudo tuum commentum.* PA. *Ut ſi ille qui eſt meus conſervus dixerit Militi ſe eam vidiſſe oſculantem alienum* virum, *eumdem contra convincam meum conſervum ſe vidiſſe apud te eam amplexantem & oſculantem ſuum amatorem.* PA. *Imò ut optimè* inventum! *ego dicam idem, ſi Miles à me petat.* PA. *Sed dic eas eſſe ſimillimas; & ſuggerendum eſt id Philocomaſio, ut ſciat, ne haſitet, ſi Miles ab eâ petat.* PE. *Nimis eruditum dolum! Sed ſi Miles velit videre ambas uno tempore, quid faciemus?* PA. *Eſt planum: poſſunt afferri*

ANNOTATIO.

80. *Elephanti corio circumtentus.*] Non hoc dicit, quaſi elephantus ſit hebes aliquod animal; ſed quia ejus corium eſt longè duriſſimum, quò heri ſtoliditatem exprimat,

Non domi eſt, abiit ambulatum, dormit, ornatur, lavat;
Prandet, potat, occupata'ſt, operæ non eſt, non poteſt:
Quantùm vis prolationum; dum modò nunc primâ viâ
Inducamus: vera ut eſſe credat quæ mentibitur.
PE. Placet ut dicis. *PA.* intrò abi ergo, & ſi iſtî eſt mulier, eam jube
Citò domum tranſire, atque hæc ei monſtra: præcipe,
Ut teneat conſilia noſtra, quemadmodum exorſi ſumus
De geminâ ſorore. *PE.* doctè tibi illam perdoctam dabo.
Nunquid aliud? *PA.* intrò ut abeas. *PE.* abeo. *PA.* & quidem ego ibo domum,
Atque hominem inveſtigando ſumam operam, hinc diſſimulavero.
Qui fuerit conſervus, qui hodie ſiet ſectatus ſimiam.
Nam ille non potuit, quin ſermoni ſuo aliquem familiarium
Participaverit de amicâ heri; ſeſe vidiſſe eam
Hîc in proximo oſculantem cum alieno adoleſcentulo.
Novi morem ego: & tacere *noſtrorum* ſolus ſcio.
Si invenio qui vidit, ad eum vineas pluteóſque agam.
Res parata eſt, vi pugnandóque hominem capere certa res eſt.
Si ita non reperio, ibo odorans quaſi canis venaticus,
Uſque donec perſecutus volpem ero veſtigiis.

INTERPRETATIO.

innumerabiles cauſæ: non eſt domi, abiit ambulatum, dormit, ornatur, ſe lavat, menſæ accumbit, potat, occupata eſt: non vacat, non poteſt. Afferamus quantumvis procraſtinationum; dummodò eum inducamus, nunc ut exiſtimet primâ fronte ea, quæ erunt mendacia, eſſe vera. PE. *Placet ut dicis.* PA. *Ingredere ergo, & ſi mulier eſt iſtic, manda ei ut tranſeat celeriter domum, & ei oſtende hæc: doce ut perſpecta habeat noſtra conſilia, quomodo inſtituimus* fallaciam *de ſorore geminâ.* PE. *Tibi illam reddam eruditam egregiè. Numquid vis aliud?* PA. *Ut introeas.* PE. *Introeo.* PA. *Equidem ego ibo domum, atque mentem adhibebo in homine obſervando, hinc diſſimulavero me ſcire, qui fuerit conſervus, qui ſectatus eſt hodie ſimiam. Nam non poteſt fieri, quin participem fecerit aliquem è familiâ ſui ſermonis de amicâ heri, & dixerit ſeſe eam vidiſſe hic in proximo, quando oſculabatur adoleſcentem alienum. Ego noſco eorum morem: & ego ſum ſolus è noſtris qui ſcio tacere. Si invenio eum qui vidit, admovebo ad eum vineas pluteóſque. Res eſt inſtructa, certum eſt expugnare hominem pugnando vi. Si non reperio hominem, ibo odorans quaſi canis venaticus, uſque eo dum ero aſſecutus vulpem veſtigiis.*

ANNOTATIONES.

111. *Vineas.*] Hic clauditur allegoria ſuperiùs inſtituta, pluribus verſibus, à re militari, elegans, & dignior caſtris quàm Scenâ. Porrò vinea erat machina bellica lignis conſtans, lata pedibus octo, alta ſeptem, longa ſexdecim, texta crudis & recentibus pellibus, ne immiſſo ab hoſtibus igne cremaretur, hac tecti oppugnantes accedebant ad mœnia urbium, & ſubruebant.

Pluteos.] Erat & machina bellica, cratibus munita, veſtita pellibus recens detractis, ne injectus ignis abſumeret, turri ſimilis, ſubjectis rotis, in quamvis partem mobilis, ad muros hoſtiles applicari ſolita, quò ſubruerentur.

Sed fores concrepuerunt noſtræ. ego voci moderabo meæ.
Nam. illic eſt Philocomaſio cuſtos meus conſervus. atque it foras.

INTERPRETATIO.

Sed noſtræ fores crepuerunt : ego loquar demiſſiore voce. Nam meus conſervus cuſtos Philocomaſii eſt illic, atque prodit foras.

ACTUS SECUNDUS. SCENA TERTIA.

ARGUMENTUM.

SCELEDRUS narrat Palæſtrioni viſam à ſe Philocomaſium cum amatore. Palæſtrio negat exiiſſe foras; eſſe intus affirmat.

SCELEDRUS, PALÆSTRIO.

SCELEDRUS.

NIsi quidem ego hodie ambulavi dormiens in tegulis,
Certò edepol ſcio me vidiſſe hîc proximæ viciniæ
Philocomaſium herilem amicam ſibi alium quærere.
PA. Hic illam vidit oſculantem, quantùm hunc audivi loqui.
SC. Quis hic eſt? *PA.* tuus conſervus. quid agis, Sceledre? *SC.* te, Palæſtrio,
Volupe'ſt conveniſſe. *PA.* quid jam? aut quid negotii, fac ſciam.
SC. Metuo. *PA.* quid metuis? *SC.* ne hercle hodie, quantùm hîc familiarium eſt,
Maximum in malum cruciatum inſiliamus. *PA.* tu ſali
Solus: nam ego iſtam inſulturam & deſulturam nihil hîc moror.

INTERPRETATIO.

SCEL. *PRofectò niſi ego inceſſi hodie ſomnians per tegulas, ſcio certò me vidiſſe in viciniis, iiſque contiguis, Philocomaſium amicam heri captare alium* amatorem. PA. *Hic vidit illam oſculantem, ut audio loqui hunc.* SCE. *Quis eſt hic?* PA. *Tuus conſervus? Quid dicis, Sceledre?* SCE. *Eſt mihi jucundiſſimum te conveniſſe, Palæſtrio.* PA. *Fac ſciam, quid tibi velis, aut quid ſit negotii.* SC. *Timeo.* PA. *Quid times?* SC. *Ne per Herculem inſiliamus hodie, quotquot ſumus hic familiarium, in malum cruciatum.* PA. *Salta ſolus: nam ego minimè curo iſtam inſulturam ac deſulturam.*

ANNOTATIONES.

8. *Inſiliamus.*] Erat pars in cruce quâ crucifixorum pedes poſiti nitebantur, quæ *ſuppedaneum* vocabatur. Hæc pars non altius à terrâ in cruce erat, quia cruciarii pede altero in eam poſito in crucem aſcendebant. Unde *aſcendere in crucem*, *inſilire in crucem*, & *cruciſalus*.

9. *Iſtam inſulturam & deſulturam.*] Ludit in verbo inſiliamus. *Inſultura* eſt ſaltus in unam crucem; *deſultura* in plures; alluditque ad deſultorios equos, in quos ſeſſor ſubinde deſilit.

SC. Neſcis tu fortaſſe, apud nos facinus quod natum eſt novum.
PA. Quod id eſt facinus? *SC.* impudicum. *PA.* túte ſcis ſolite tibi,
Mihi ne dixis, ſcire nolo. *SC.* non enim faciam, quin ſcias.
Simiam hodie ſum ſectatus noſtram in horum tegulis.
PA. Edepol, Sceledre, homo ſectatu's nihili nequam beſtiam.
SC. Dii te perdant. *PA.* te iſtuc æquum; quoniam occœpiſti eloqui.
SC. Fortè fortunâ per impluvium huc deſpexi in proximum:
Atque ego illâ aſpicio oſculantem Philocomaſium cum altero
Neſcio quo adoleſcente. *PA.* quod ego, Sceledre, ſcelus ex te audio?
SC. Profectò vidi. *PA.* túten'? *SC.* egomet duobus his oculis meis.
PA. Abi, non veriſimile dicis, neque vidiſti. *SC.* num tibi
Lippus videor? *PA.* medicum iſtuc tibi melius percontarier.
Verùm enim tu iſtam, ſi te dii ament, temerè haud tollas fabulam.
Tuis nunc crutibus capitíque fraudem capitalem hinc creas.
Nam tibi jam, ut pereas, paratum eſt dupliciter; niſi ſupprimis
Tuum ſtultiloquium. *SC.* quî verò dupliciter? *PA.* id dicam tibi.
Primúmdum, ſi falsò inſimulas Philocomaſium, hoc perieris:
Iterum, ſi id verum eſt, tu ei cuſtos additus perieris.
SC. Quid fiat me, neſcio: hæc me vidiſſe ego certò ſcio.

INTERPRETATIO.

SU. *Tu neſcis fortaſſe facinus, quod perpetratum eſt apud nos de novo.* PA. *Quod eſt facinus?* SC. *Impudicum.* PA. *Tu ſcias tibi soli, nolo ſcire, ne mihi dixeris.* SC. *Non patiar te neſcire. Sectatus ſum hodie noſtram ſimiam in tecto vicino.* PA. *Per ædem Pollucis, Sceledre, homo nihili ſectatus es nequam beſtiam nihili.* SC. *Dii te perdant.* PA. *Juſtum eſt te id proſequi: quoniam instituiſti.* SC. *Fortè fortunâ demiſi oculos huc per impluvium in proximo, & ego intueor hic Philocomaſium oſculantem alium neſcio quem juvenem.* PA. *Quod ſcelus, Sceledre, ego audio ex te?* SC. *Certè conſpexi.* PA. *Túne vidiſti?* SC. *Ego ipſe his duobus meis oculis.* PA. *Abi, non narras veriſſimile, neque vidiſti.* SC. *Nónne tibi videor lippus?* PA. *Faceres meliùs ſi peteres à medico; ſed ne autor ſis imprudenter iſtius narrationis, ſi Dii te amant, ex eâ fabulâ creas periculum ingens tuo capiti, tuis cruribus & cervicibus. Nam peſtis tibi parata eſt jam dupliciter: niſi coërces iſtum inſulſum ſermonem.* SC. *Quomodo verò dupliciter?* PA. *Tibi dicam id; primum, ſi accuſas falsò Philocomaſium, perieris hoc: rurſus ſi id eſt verum, & perieris tu, qui ei additus es cuſtos.* SC. *Neſcio quid fiat de me: ego ſcio pro certò me vidiſſe hoc.*

ANNOTATIONES.

11. *Tute ſcis.*] *Scis* pro *ſcies*, quanquam nihil obſtat quominus & præſens ſit.

Solite.] Id eſt, *aſſuetus* impudicis factis.

22. *Tollas fabulam.*] Tollere eſt verbum quò utebantur in ceremoniis adhiberi ſolitis in recenti partu. Nam puer recens natus humi deponebatur, tum pater aut patris loco futurus, tollebat humo. Ne tollas hanc fabulam, id eſt, vide ne autor eſſe videare hujus fabulæ.

23. *Fraudem capitalem creas.*] Id eſt, fraudem verberibus, & ipſâ vitâ expiandam.

PA. Pergin' infelix? *SC.* quid tibi vis dicam, niſi quod viderim?
Quin etiam nunc intus hîc in proximo eſt. *PA.* ehò, an non domi eſt?
SC. Viſe, abi intrò túte. nam ego mihi nihil credi poſtulo.
PA. Certum eſt facere id. *SC.* hîc te opperiar: eâdem illi inſidias dabo,
Quàm mox horſum ad ſtabulum junix recipiat ſe è pabulo.
Quid ego nunc faciam? cuſtodem me illi Miles tradidit.
Nunc ſi indicium facio, interii; ſi taceo, INTERII tamen,
„Si hoc palàm fuerit. *quid pejus* muliere atque audacius!
Dum ego in tegulis ſum, illàc hæc ſe hoſpitio edit foras.
Edepol facinus fecit audax, hóccine ſi Miles ſciat?
Credo hercle has ſuſtolat ædes totas, atque hinc in crucem.
Hercle quicquid eſt, muſſitabo potiùs, quàm inteream malè.
„NON EGO POSSUM, quæ ipſa ſeſe venditat, tutarier.
PA. Sceledre, Sceledre. *SC.* quis homo interminat? *PA.* eſt te alter audacior?
Quis magis diis inimicis natus, quàm tu, atque iratis? *SC.* quid eſt?
PA. Juben' tibi oculos effodiri, quibus id, quod nuſquam eſt, vides?
SC. Quid, nuſquam? *PA.* non ego nunc emam vitam tuam vitioſâ nuce.
SC. Quid negotii eſt? *PA.* quid negotii ſit, rogas? *SC.* cur non rogem?
PA. Nonne tibi iſtam prætruncari linguam largiloquam jubes?

INTERPRETATIO.

PA. *Proſequeris nequam?* SC. *Quid vis tibi dicam, niſi quod viderim? Quin etiam eſt nunc hic in proximo.* PA. *Nónne eſt domi?* SC. *Viſe, ingredere. Nam ego fidem haberi mihi nolo.* PA. *Decrevi facere id.* SC. *Te expectabo hìc, illi ſtruam inſidias ab eâdem parte; juvencula ſeſe recipiet velociter ſeorſum à paſcuis ad præſepium. Quid faciam ego jam? Miles me addidit illi ad eam cuſtodiendam. Nunc ſi facio indicium ſceleris, interii; ſi taceo, interii etiam, ſi hoc detectum fuerit. Quid pejus muliere, & audacius? Dum ego ſum in tegulis, hæc ſe conjicit foras ex hoſpitio. Per ædem Pollucis committis factum audax. quid ſi Miles ſciat id? Credo equidem hunc everſurum totas has ædes, & me ſu-* blaturùm *hinc in crucem. Per Herculem quidquid eſt, tacebo potiùs, quàm occumbam malè. Ego non poſſum tueri eam quæ cupit ſeſe vendere ipſa.* PA. *Sceledre, Sceledre.* SC. *Quis homo mihi interminatur?* PA. *Eſtne alius audacior te? Quis eſt natus diis magis infenſis, atque infeſtis, quàm tu?* SC. *Quid eſt?* PA. *Optáſne tibi erui oculos, quibus tu vides id, quod eſt nuſquam?* SC. *Quid nuſquam?* PA. *Ego non emam nunc tuam vitam nuce vitioſâ.* SC. *Quid rei eſt?* PA. *Quæris, quid ſit rei?* SC. *Cur non quæram?* PA. *Nónne mandas, ut tibi amputetur illa lingua garrula?*

ANNOTATIO.

33. *Horſum,*] Id eſt, *verſus hunc locum.*

SC. Quamobrem jubeam? *PA.* Philocomaſium eccam domi,
quam in proximo
Vidiſſe ajebas te oſculante.n atque amplexantem cum altero.
SC. Mirum eſt lolio victitare te, tam vili tritico.
PA. Quid jam? *SC.* quia luſcitioſus. *PA.* væ verbero! edepol tu quidem,
Cæcus, non luſcitioſus. nam illam quidem eccam domi.
SC. Quid? domi? *PA.* domi. hercle verò. *SC.* abi; ludis me, Palæſtrio.
PA. Tum mihi ſunt manus inquinatæ. *SC.* quî dum? *PA.* quia ludo luto.
SC. Væ capiti tuo. *PA.* tuo iſtuc, Sceledre, promitto fore,
Niſi oculos orationémque aliam commutas tibi.
Sed fores concrepuerunt noſtræ. *SC.* at ego illas obſervo fores.
Nam nihil eſt, quà hinc huc tranſire ea poſſit, niſi recto oſtio.
PA. Quin domi eccam. neſcio, quæ te, Sceledre, ſcelera ſuſcitant.
SC. Mihi ego video, mihi ego ſapio, mihi ego credo plurimùm:
Me homo nemo deterruerit, quin ea ſit in his ædibus.
Hîc obſiſtam, ne imprudenti huc ea ſe ſurrepſit mihi.
PA. Meus illic homo eſt: deturbabo jam ego illum de pugnaculis.
Vin' jam faciam, ut ſtultividum te fatearis? *SC.* age, face.

INTERPRETATIO.

S C. *Quare præcipiam?* P A. *Ecce in ædibus Philocomaſium, quam dicebas te conſpicatum amplectentem, atque oſculantem alium* virum. S C. *Mirum eſt te victicare lolio, quando triticum eſt tam vile.* P A. *Quare?* S C. *Quia es luſcioſus.* P A. *Væ* tibi, *maſtigia! Per ædem Pollucis, tu cæcus es, non luſcioſus: nam ecce illa eſt in ædibus.* S C. *Quid? in ædibus?* P A. *Domi ſanè.* SC. *Abi: ludis me, Palæſtrio.* PA. *Idcirco meæ manus ſunt fœdatæ.* SC. *Quare?* PA. *Quia ludunt cœno.* SC. *Væ tuo capiti.* PA. *Tibi polliceor, id tibi eſſe eventurum, niſi habeas alios oculos & ſermonem. Sed noſtrum oſtium obſtrepuit.* SC. *Sed ego cuſtodio illam januam. Nam nullus eſt tranſitus, quò ea poſſit commeare hinc huc, niſi antico.* PA. *Quin ecce eſt domi. neſcio, Sceledre, quæ intemperiæ te agitant.* SC. *Ego cerno mihi, ego ſcio mihi, ego mihi fidem habeo valde: nemo mihi ſuadeat eam non eſſe in his tectis: hic ſtabo, ne ſe ſubducat mihi incogitanti.* PA. *Ille homo eſt captus: ego illum depellam modò de propugnaculis. Viſne ut præſtem, ut fatearis te eſſe obſervatorem inſanum?* SC. *Age, fac.*

ANNOTATIONES.

50. *Mirum eſt lolio victitare te.*] Exprobrat Palæſtrio Sceledro, quaſi quoddam genus ebrietatis, quæ naſcitur ex pane loliaceo, quâ teneantur oculi, aut decipiantur, ut ii qui comederint, videre ſe putent, quòd minimè videant, Philocomaſium pro ſorore.

51. *Luſcitioſus.*] Qui eo morbo laborat oculorum, quo tempore veſpertino clarius, quàm meridiano videt: item, qui videnda propius oculis admovet, ſimiſque cernit, & tantùm non clauſis, Græcis ſunt μύωπες, vel quòd veluti clauſis ſint oculis, vel quod ſic clauſis, ut non hominum, ſed murium eſſe videantur, adeò ſunt exigui.

58. *Recto oſtio.*] Rectum oſtium dicebatur anticum; *la porte de devant.* Cui opponitur *poſticum*; *la porte de derriere.*

PA. Neque te quicquam ſapere corde, neque oculis uti? *SC.* volo.
PA. Nempe tu iſtic ais eſſe herilem concubinam? *SC.* atque arguo
Eam me vidiſſe oſculantem hîc intus cum alieno viro.
PA. Scin' tu nullum commeatum hinc eſſe à nobis? *SC.* ſcio.
PA. Neque ſolarium, neque hortum, niſi per impluvium? *SC.* ſcio.
PA. Quid nunc, ſi ea domi eſt, ſi faciam ut eam exire hinc videas domo,
Dignus es verberibus multis? *SC.* dignus. *PA.* ſerva iſtas fores:
Ne tibi clam ſe ſubterducat iſtinc, atque huc tranſeat.
SC. Conſilium eſt ita facere. *PA.* pedes ego jam illam huc tibi ſiſtam in viam.
SC. Agedum ergo, face. volo ſcire utrùm ego id quod vidi, viderim:
An illic faciat, quod facturum dicit, ut ea ſit domi.
Nam ego quidem meos oculos habeo, nec rogo utendos foris.
Sed hic illi ſupparaſitatur ſemper, hic ei proximus eſt,
Primus ad cibum vocatur, primo pulmentum datur:
Nam illic noſter eſt fortaſſe circiter triennium,
Neque cuiquam, quàm illi, in noſtrâ meliùs famulo familiâ.
Sed ego hoc quod ago, id me agere oportet, hoc obſervare oſtium.
Hic obſiſtam hàc quidem. pol certò verba mihi nunquam dabunt.

INTERPRETATIO.

PA. *Neque te cernere quidquam animo, neque videre oculis?* SC. *Volo.* PA. *Nimirum tu dicis concubinam heri eſſe iſtic.* SC. *Atque contendo me eam deprehendiſſe complectentem in ædibus alienum virum.* PA. *Sciſne tu eſſe nullum tranſitum ab his ædibus* ad ædes Militis. SC. *Scio.* PA. *Neque ſolarium, neque hortum, niſi per impluvium.* SC. *Scio.* PA. *Quid nunc, ſi ea eſt domi? ſi efficiam ut eam conſpicias exeuntem hinc ex ædibus, es dignus multis plagis.* SC. *Dignus.* PA. *Tuere iſtas fores, ne ſe ſurripiat tibi furtim iſtinc; & ne immigret huc.* SC. *Eſt mens ſic agere.* PA. *Ego pedibus nixus tibi illam ſtatuam ante oculos, mox, hìc in viâ.* SC. *Agedum, ergo fac: opto ſcire utrùm ego conſpicatus fuerim id quod fuerim conſpicatus: an ille faciat, quod pollicetur ſe facturum, ut ea ſit domi. Nam equidem habeo meos oculos, nec quæro foris mutuos. Sed Palæſtrio paraſiti vices obit ſemper apud eam, hic eſt propè eam, vocatur primus ad cibum, datur primo pulmentum: nam ille eſt noſter familiaris ferè à triennio; neque eſt quiſquam famulus apud nos cui ſit melius, quàm illi. Sed ego facio hoc quod me oportet facere, cuſtodio hanc januam, conſiſtam hic: profectò nunquam mihi dabunt verba.*

ANNOTATIONES.

69. *Solarium.*] Locus Soli quaquaverſùm apertus in ſummis ædibus, quod tectum & tegulis ſtratum cernimus. Olim tam depreſſa erant tecta, ut penè plana eſſent.

73. *Pedes.*] Quia hinc ubi vidiſſe ſe arbitrabatur Sceledrus Philocomaſium, non erat tranſitus ad ædes Militis, niſi avibus, ut ſcilicet per impluvium evolarent, hinc *pedes* opponitur *alato.*

ACTUS SECUNDUS. SCENA QUARTA.

ARGUMENTUM.

PALÆSTRIO oſtendit Sceledro Philocomaſium, quàm mox viderat cum Pleuſide; tum Sceledrus credit ſe hallucinatum eſſe, quia non videt quâ ſit aditus & exitus ad Periplectomenem, per Palæſtrionem in conclavi Philocomaſii perfoſſus. Ad decipiendum hominem penitiùs, narrat Philocomaſium vidiſſe in ſomnis advenientem germanam ſororem cum ſuo amatore.

PHILOCOMASIUM, PALÆSTRIO, SCELEDRUS.

PALÆSTRIO.

PRÆCEPTA facito ut memineris. *PH.* toties monere mirum eſt.
PA. At metuo, ut ſatis ſis ſubdola. *PH.* cedò vel doctas, docebo:
Memini malas, ut ſint malæ: mihi ſolæ è quo ſuperſit,
PA. Age, jam nunc inſiſte in dolos: ego abs te procul recedam.
Quid aſtas, Sceledre? *SC.* hanc rem gero: habeo auris, loquere quidvis.
PA. Credo ego iſtoc exemplo tibi eſſe eundum actutum extra [portam,
Diſpeſſis manibus patibulum cùm habebis. *SC.* quámnam ob rem?
PA. Reſpice dum ad lævam: quis illæc eſt mulier? *SC.* prô dii immortales.
Heri concubina eſt hæc quidem. *PA.* mihi quoque pol ita videtur.

INTERPRETATIO.

PAL. *DA operam ut recorderis monitorum* meorum. PH. *Miror te repetere tam ſæpe* tua *monita.* PA. *Vereor ne non ſis ſatis aſtuta.* PH. *Da mihi eruditas, etiam ego eas erudiam: recordor aſtutarum, & quantum ſint aſtutæ. ego eas una ſupero.* PA. *Perge, urge jam fraudes; ego abſiſtam longè à te. Quare adſtas, Sceledre?* SC. *Ago hanc rem: ſunt mihi aures, dic quidquid libet.* PA. *Ego credo hoc modo te iturum propediem extra portam* Metiam, *quando portabis crucem manibus extenſis.* SC. *Quare?* PA. *Converte te ad lævam: quæ eſt illa mulier?* SC. *Proh Dii immortales! profectò ecce concubina heri.* PA. *Equidem ſic exiſtimo.*

ANNOTATIONES.

3. *Mihi ſola ſuperſit.*] Solæ pro ſoli, verus; id eſt, novi malas, ſed omnes ſola ſupero nequitiâ.

6. *Iſto exemplo.*] Id eſt, *paſſis manibus*; quia videlicet ſtabat ad oſtium ſublatis manibus & deductis ab invicem Sceledrus, & obſervabat utrùm prodiret Philocomaſium, ut manus ſtatim injiceret. Itaque *iſto exemplo*, id eſt, *iſto modo ſitúque corporis.*

Extra portam.] Metiam videlicet, quâ exibant unâ ad ſupplicium rei: neque iis temporibus intra muros urbis ſupplicium ſumebatur de reis, neque tortoribus intra muros manere fas erat.

Age nunc jam, quando lubet. *SC.* quid agam ? *PA.* peri perproperè.
PH. Ubi iſte bonus ſervus, qui propudii me maximè innocentem
Falsò inſimulavit ? *PA.* hem tibi. hic mihi id dixit. *SC.* tibi. *PH.* quei dixti
Tu, te vidiſſe in proximo hìc, ſceleſte, me oſculantem ?
PA. Atque cum alieno adoleſcentulo, dixit. *SC.* dixi hercle verò.
PH. Tun' me vidiſti ? *SC.* atque his quidem oculis. *PH.* carebis. credo,
Qui plus vident, quàm quod vident. *SC.* nunquam hercle deterrebor,
Quin viderim id quod viderim. *PH.* ego ſtulta & mora multùm,
Quæ cum hoc inſano fabulem ! quem pol ego capitis perdam.
SC. Noli minitari : ſcio crucem futuram mihi ſepulcrum.
Ibi mei majores ſunt ſiti ; pater, avus, proavus, abavus.
Non poſſunt mihi minaciis tuis hiſce oculi fodiri.
Sed paucis verbis te volo, Palæſtrio. obſecro, unde
Hæc exit huc ? *PA.* unde, niſi domo ? *SC.* domo ? *PA.* me vidente. *SC.* video

INTERPRETATIO.

Age jam; quoniam vis. SC. *Quid agam ?* PA. *Occumbe velociter.* PH. *Ubi iſte bonus ſervus, qui me accuſavit falſiſſimè impudicitiæ inſontem ?* PA. *Adeſt ille, qui mihi id dixit.* SC. *Tibi!* PH. *Quem tu dixiſti, Sceleſte, te vidiſſe hic, qui me oſculabatur, in proximo ?* PA. *Et dixit, cum juvene alieno.* SC. *Dixi per Herculem.* PH. *Túne me vidiſti ?* SC. *Et his quidem oculis.* PH. *Non habebis, puto, oculos, qui plus cernunt, quàm quod cernunt.* SC. *Per Herculem adduci non potero, ut non conſpexerim, id quod conſpexerim.* PH. *Ego inſaniſſima & dementiſſima, quæ ſermonem inſtitue cum illo vecordi, cui ego adimam vitam.* SC. *Ne* mihi *miniteris : intelligo fore ut crux ſit meus tumulus : mei majores hìc conditi ſunt ; pater, avus, proavus, abavus. Oculi nequeunt mihi adimi hiſce minitationibus tuis. Sed te cupio* alloqui *paucis verbis, Paleſtrio; Rogo, unde hæc prodit huc ?* PA. *Unde* prodiret, *niſi ab ædibus ?* SC. *Ab ædibus ?* PA. *Me teſte.* SC. *Eſt factum*

ANNOTATIONES.

12. *Propudii inſimulavit.*] Propudium eſt, quaſi projecti pudoris crimen.

17. *Mora.*] Id eſt, ſtulta. Unde morari, deſipere, quâ voce eſt uſus Nero in morte Claudii deceſſoris ſui ; nimirum dicere ſolebat, teſte Suetonio, Claudium deſiiſſe inter vivos morari ; in quo *morari* non eſt à *moror maneo*. ſed à *morer inſanio*. Itaque ludus eſt in ambiguâ voce.

18. *Capitis perdam.*] Supp. *pœna*. Uſitatius, *capite perdam*. Id eſt, vita privabo. In vocibus accuſandi & puniendi hæ Ellipſes ſunt uſitatæ. Accuſare parricidii, furti &c. Supp. *crimine*.

20. *Sunt ſiti.*] *Situs* eſt vox exequiarum propria. Et una non ſolum ſignificat ſitum hominis, ſed ſitum mortui. In tumulo Hannibalis erat inſcriptum *Hannibal hìc ſitus eſt*. Id eſt, corpus Hannibalis mortui. *Siticines* vocabantur, qui canebant ad *ſitos*, ſeu ſepulcra mortuorum.

21. *Non potes tuis minaciis.*] Id eſt, non aſſequeris tuis minis, ut quod viderim non viderim.

Niſi mirum eſt facinus, quomodo hæc hinc potuerit tranſire!
Nam certò neque ſolarium eſt apud nos, neque hortus ullus,
Neque feneſtra, niſi clatrata. nam certò ego te hîc intus vidi.
PA. Pergin', ſceleſte, intendere, & hanc arguere? *PH.* ecaſtor ergo
Mihi haud falſum eveniat ſomnium, quod noctu hâc ſomniavi.
PA. Quid ſomniaſti? *PH.* ego eloquar. ſed, amabo, advortito
animum.
Hâc nocte in ſomnis mea ſoror gemina germana viſa
Veniſſe Athenis in Epheſum cum ſuo amatore quodam:
Hi ambo hoſpitio huc in proximum mihi devorti ſunt viſi.
SC. Palæſtrionis, ſomnium narratur. *PA.* perge porrò.
PH. Ego læta viſa, quia ſoror veniſſet, propter eandem
Suſpicionem maximam ſum viſa ſuſtinere.
Nam arguere in ſomnis me familiaris meus mihi viſu'ſt
Me cum alieno adoleſcentulo, quaſi nunc eſt, oſculatam eſſe:
Cùm illa oſculata mea ſoror gemina eſſet ſuumpte amicum.
Ita me inſimulatam perperàm falſum eſſe ſomniavi.
PA. Satin eadem vigilanti expetunt, quæ in ſomnis viſa memoras?
Heus hercle præſentia omnia! abi intrò, & comprecare.
Narrandum ego iſtuc Militi cenſebo. *PH.* facere certum.
Neque me quidem patiar probri falsò impunè inſimulatam.
SC. Timeo quid rerum geſſerim: ita dorſus totus prurit.

INTERPRETATIO.

prorſus admirandum, quâ viâ hac potuerit tranſire hinc. Nam certò neque eſt ſolarium apud nos, neque ullus hortus, neque feneſtra, niſi clatris obtenta. Nam ſine dubio ego te conſpexi hic in ædibus. PA. *Proſequeriſne, nequam, eſſe contumax, atque hanc accuſare?* PH. *Igitur ſomnium quod mihi contigit hac nocte, non erit falſum.* PA. *Quodnam fuit ſomnium?* PH. *Ego dicam; ſed, quæſo, adhibe mentem. Mea ſoror germana gemina mihi viſa eſt in ſomniis veniſſe Athenis Epheſum cum ſuo amico quodam. Hi duo mihi ſunt viſi venire huc in hoſpitium vicinum.* SC. *Proponitur ſomnium Palæſtrionis.* PA. *Proſequere porrò.* PH. *Ego viſa ſum gaudere adventu ſororis, viſa ſum & incurrere in maximam ſuſpicionem propter eandem. Nam meus ſervus mihi viſus eſt me inſimulare me eſſe oſculatam juvenem alienum, ſicut nunc ſe res habet: quia illa mea ſoror gemina germana oſculata eſſet ſuum amicum. Ita ſomniavi falſum eſſe me accuſatam.* PA. *Quæ memoras viſa in ſomniis, eadem conveniunt ſatis vigilantibus. Heus! Per Herculem omnia ſunt ſubjecta oculis. Ingredere, & precesfunde, ego exiſtimo referendum iſtud Militi.* PH. *Statui referre. Neque feram me accuſari falsò impudicitiæ citra pœnas.* SC. *Vereor ne quid commiſerim; adeò totum dorſum prurit.*

ANNOTATIONES.

26. *Feneſtra clatrata.*] Clatri ſeu clatra, ſunt virgæ ferreæ quibus feneſtræ communiuntur, ne perviæ ſint.

41. *Comprecare.*] Prodigialem Jovem, & Deos Averruncos depulſores malorum omnium.

44. *Dorſus prurit.*] Pro dorſum; id eſt, portendit ſibi plagas eſſe modò imponendas.

PA. Sein te periiſſe nunc quidem domi certò ? *SC.* certa res eſt
Nunc noſtrum obſervare oſtium, ubi ubi ſit. *PA.* at Sceledre, quæſo,
Ut ad id exemplum ſomnium quàm ſimile ſomniavit,
Atque ut tu ſuſpicatus es eam vidiſſe te oſculantem !
SC. Me eam non vidiſſe arbitraris ? *PA.* næ tu herde, opinor ! obſecro
Reſipiſce. ſi ad herum hæc res pervenerit, periſti pulcrè.
SC. Nunc demum experior, priùs ob oculos mihi caliginem obſtitiſſe.
PA. Dudum edepol hoc planum quidem : quæ hîc uſque fuerit intus.
SC. Nihil habeo certi quid loquar : non vidi eam, etſi vidi.
PA. Næ tu edepol ſtultitiâ tuâ nos pænè perdidiſti.
Dum te fidelem facere hero voluiſti, abſumptus es pænè.
Sed fores vicini proximi crepuerunt. conticiſcam.

INTERPRETATIO.

PA. *Intelligiſne te eſſe perditum in ædibus ſine dubio ?* S C. *Oportet jam obſervare januam noſtram, ut videam quò iverit hera.* PA. *At, Sceledre, quomodo, amabo, illi contigit ſomnium ejuſmodi ? & quomodo tu credidiſti te eam vidiſſe oſculantem?* SC. *Putáſne me eam non vidiſſe?* PA. *Per Herculem, tu periiſti, puto, funditus, ſi hæc res pervenit ad herum.* SC. *Nunc tandem animadverto caliginem mihi offuſam eſſe priùs ante oculos.* PA. *Certè hoc eſt apertum jam dudum : quandoquidem hæc fuit ſemper in ædibus.* S C. *Nihil habeo certi quod dicam : non eam conſpexi, etſi eam conſpexi.* PA. *Profectò tu nos fermè confeciſti tuâ amentiâ. Dum voluiſti te præſtare fidum hero, es pænè confectus : ſed oſtium vicini contigui edidit murmur; ſileam.*

ACTUS SECUNDUS. SCENA QUINTA.

ARGUMENTUM.

IPSA Philocomaſium per ædes Periplectomenis deſcendit, præterit ante ædes Pyrgopolinicis, ante quas verſatur cum Palæſtrione Sceledrus. Tum retentare fœminam conatur Sceledrus : percontanti quod eſſet nomen, reſpondit eſſe Glyceren, eſſe ſibi ſororem germanam Philocomaſium ; dimittit eam Sceledrus. Dimiſſa per ædes Periplectomenis revertitur in conclave ; tum demum erraſſe ſeſe credit Sceledrus.

PHILOCOMASIUM Pſeudo Glycere, PALÆSTRIO, SCELEDRUS.

PHILOCOMASIUM.

INDE ignem in aram, ut Epheſiæ Dianæ lauta laudes
Gratéſque agam, eíque ut Arabico fumificem odore amœnè:
Quæ me in locis Neptuniis templíſque turbulentis
Servavit, ſævis fluctibus ubi ſum afflictata multùm.
SC. Palæſtrio! ô Palæſtrio. *PA.* ô Sceledre, Sceledre, quid vis?
SC. Hæc mulier, quæ hinc exit modò, éſtne herilis concubina
Philocomaſium? an non eſt ea? *PA.* hercle opinor, ea videtur.
Sed facinus mirum eſt, quomodo hæc hinc potuerit tranſire:
Siquidem ea eſt. *SC.* an dubium tibi eſt eam eſſe hanc? *PA.* ea videtur.
Adeamus, appellemus. *SC.* heus, quid iſtuc eſt, Philocomaſium?
Quid tibi iſtic hiſce in ædibus debetur? quid negotii eſt?
Quid nunc taces? tecum loquor. *PA.* imò edepol túte tecum:
Nam hæc nihil reſpondet. *SC.* te alloquor, vitii probríque plena,
Quæ circum vicinos vaga es. *PH.* quîcum tu fabulâre?
SC. Quîcum, niſi tecum? *PH.* quis tu homo es, aut mecum quid negotii eſt?
SC. Men' rogas, hem, qui ſim? *PH.* quin ego hoc rogem, quod neſciam?

INTERPRETATIO.

PHI. *IMpone ignem altari, ut referam laudes & gratiam Dianæ Epheſinæ poſtquam lavi: & ut ei adoleam odores Arabicos amœniores: hoc me cuſtodivit in mari, & templis turbulentis, in quibus ſum plurimùm jactata iratis procellis.* SC. *Palæſtrio, ô Palæſtrio!* PA. *O Sceledre, Sceledre, quid vis?* SC. *Hæc mulier quæ hinc egreditur modò, éſtne Philocomaſium meretrix heri? An non eſt?* PA. *Puto, ea eſſe videtur: ſed miror, quomodo hæc potuerit nunc hinc tranſire, ſi ea eſt.* SC. *An dubitas quin ea ſit?* PA. *Ea eſſe videtur: conveniamus, advocemus.* SC. *Heu, quid eſt iſtud, Philocomaſium? Quid tibi debetur iſtic in hiſce ædibus? quid eſt rei? Quid jam ſiles? Te alloquor.* PA. *Imò ſane te ipſe alloqueris? Nam hæc nihil reponit.* SC. *Tecum mihi ſermo eſt, ô plena ſceleris & contumeliæ, quæ vagaris circum vicinos.* PH. *Quis es tu? aut quid rei eſt tibi mecum?* SC. *Hem! petis qui ſim?* PH. *Cur ego non petam, quod ignoro?*

ANNOTATIONES.

1. *Inde ignem in aram.*] Philocomaſium alloquitur ancillam, & quò decipiat cuſtodem ſuum Sceledrum, & ſuadeat ſe non eſſe Philocomaſium, ſed Glyceren ſororem Philocomaſii, vota nuncupat Dianæ Epheſiæ, quaſi recens à navigatione.

2. *Arabico odore.*] Id eſt, thure ſuaviſſimo. A Plinio vocatur, *Arabia odorifera*, quia ex Arabiâ laudatiſſimi afferuntur odores. Feſto: *Arabice olere*, idẽ eſt, ac ſuaviter.

3. *Templíſque turbulentis.*] Idem eſt quod loca Neptunia. Loca autem Neptunia ſunt undæ maris in quibus tanquam in templo habitare dicitur Neptunus.

6. *Quæ hinc exit.*] Id eſt, ex ædibus Periplectomenis.

PA. Quis ego ſum igitur, ſi tu hunc ignoras? *PH.* mihi odioſus, quiſquis es
Et tu, & hic. *SC.* nos non noviſti? *PH.* neutrum. *SC.* metuo maximè.
PA. Quid metuis? *SC.* enim ne nóſmet perdiderimus uſpiam.
Nam neque te, neque me noviſſe ait hæc. *PA.* perſcrutari hîc volo,
Sceledre, nos noſtri, an alieni ſimus: ne dum quiſpiam
Nos vicinorum imprudenteis aliquis immutaverit.
SC. Certè equidem noſter ſum. *PA.* & pol ego. quæris tu, mulier malum.
Tibi dico, heus Philocomaſium. *PH.* quæ te intemperiæ tenent,
Qui me perperàm perplexo nomine appelles? *PA.* ehò,
Quis igitur vocàre? *PH.* Glycere nomen eſt. *SC.* injuria eſt.
Falſum nomen poſſidere, Philocomaſium, poſtulas.
At iſtuc non decet, & meo adeò hero facis injuriam.
PH. Egóne? *PA.* túte. *PH.* quæ heri Athenis Epheſum adveni veſperi
Cum meo amatore, adoleſcente Athenienſi. *PA.* dic mihi,
Quid hîc tibi in Epheſo eſt negotii? *PH.* geminam germanam meam
Hîc ſororem eſſe inaudivi: eam veni quæſitum. *PA.* mala es.
PH. Imò ecaſtor ſtulta multùm, quæ vobiſcum fabuler.
Abeo. *SC.* abire non ſinam te. *PH.* mitte. *SC.* manifeſtaria
Res eſt, non mitto. *PH.* at mihi jam crepabunt manûs? malæ tibi,
Niſi me omittis. *SC.* quid, malûm, aſtas? quin retines altrinſecus.
PA. Nihil moror negotioſum mihi eſſe tergum. quî ſcio
An iſta non ſit Philocomaſium, atque alia ejus ſimilis ſit?
PH. Mittis me, an non mittis? *SC.* imò vi atque invitam, ingratiis,
Niſi voluntate ibis, rapiam te domum. *PH.* oſtium hoc mihi

INTERPRETATIO.

PA. *Quis ſum ego igitur, ſi tu non cognoſcis hunc?* PH. *Mihi es inviſus, quiſquis es & tu, & hic.* SC. *Nos non cognoſcis?* PH. *Neutrum;* SC. *Timeo magnopere.* PA. *Quid times?* SC. *Ne nos amiſerimus noſmet alicubi. Nam hæc ait ſe, neque te noviſſe, neque me,* PA. *Volo hìc explorare, Sceledre, ſi nos ſimus noſtri, an alieni: ne fortè aliquis vicinorum nos commutaverit inſcientes.* SC. *Profectò ſum noſter.* PA. *Et ego: mulier, tu quæris, malum. Tibi dico, heus! Philocomaſium.* PH. *Quæ amentia præcipitem agit, qui me nuncupes incaſſum nomine implicato?* PA. *Quomodo ergo vocaris?* PH. *Nomen eſt Glycere.* SC. *Eſt injuſtitia, poſtulas Philocomaſium poſſidere falſum nomen: at iſtud non decet, atque adeò infers contumeliam meo hero.* PH. *Egóne?* PA. *Tu.* PH. *Quæ heſternâ die adveni Athenis Epheſum cum meo amatore, juvene Athenienſi.* PA. *Dic mihi, quid rei eſt Epheſi?* PH. *Accepi meam ſororem germanam geminam eſſe hic. Veni eam quæſitum.* PA. *Es nequam.* PH. *Imò ſanè amens plurimùm, quæ diſſero vobiſcum, abeo.* SC. *Non patiar te abire.* PH. *Dimitte.* SC. *Non dimitto, res eſt palàm.* PH. *At meæ manus audientur; habes genas, niſi me dimittis.* SC. *Quare, aſtas* otioſus, *malum? Quin tenes ab alterâ parte?* PA. *Nolo negotium faceſſere meo tergo; quomodo ſciam an iſta non ſit Philocomaſium, an ſit alia ſimilis illi?* PH *Me linquis, an non linquis?* SC. *Imò te abducam in ædes reluctantem, niſi venias ultro.* PH. *Adeſt janua mea domus*

Domicilium eſt: Athenis domus ac herus. ego iſtam domum
Neque moror: neque vos, qui homines ſitis, novi, neque ſcio.
SC. Lege agito: te nuſquam mittam, niſi das firmatam fidem;
Te huc, ſi omiſero, intrò ituram. *PH.* vi me cogis, quiſquis es.
Do fidem, ſi omittis, iſtoc me intrò ituram, quò jubes.
SC. Ecce omitto. *PH.* at ego abeo miſſa. *SC.* muliebri feciſti fide.
PA. Sceledre, manibus amiſiſti prædam. tam ea eſt, quàm potis,
Noſtra herilis concubina. vin' tu facere hoc ſtrenuè?
SC. Quid faciam? *PA.* affer mihi machæram huc intus. *SC.* quid facies eâ?
PA. Introrumpam rectâ in ædes, quémque hîc intus videro
Cum Philocomaſio oſculantem, eum ego obtruncabo extempulò.
SC. Viſáne eſt ea eſſe? *PA.* imò edepol planè ea eſt. ſed quomodo
Diſſimulabat! abi, machæram huc effer. *SC.* jam faxo hîc erit.
„*PA.* Neque eques neque pedes profectò quiſquam, tantâ audaciâ,
„Qui æquè faciat confidenter quicquam, quàm quæ mulieres
Faciunt: ut utrobique orationem doctè edidit!
Ut ſublinitur os cuſtodi cauto, conſervo meo!
Nimis beat, quòd commeatus tranſtinet trans parietem.
SC. Heus, Palæſtrio, machætâ nihil opus. *PA.* quid jam, aut quid opus eſt?
SC. Domi eccam herilem concubinam. *PA.* quid? domi? *SC.* in lecto cubat.
PA. Edepol næ tu tibi malam rem repperiſti, ut prædicas.

INTERPRETATIO.

Epheſi. Sed Athenis eſt domus ac herus. Ego non curo iſtam domum: neque novi qui vos ſitis, neque ſcio. SC. *Intende mihi actionem: te nunquam dimittam, niſi interpoſueris fidem, te huc intraturam, ſi dimiſero.* PH. *Vim affers, quiſquis es. De fidem, ſi dimittis, me intraturam illuc, quò imperas.* SC. *Ecce dimitto.* PH. *At ego abeo dimiſſa.* SC. *Agis fide muliebri.* PA. *Sceledre, paſſus es elabi prædam de manibus: hæc mulier eſt tam concubina heri, quàm poteſt eſſe: viſne tu agere fortiter quod mandavero?* SC. *Quid agam?* PA. *Affer mihi enſem in ædes.* SC. *Quid ages?* PA. *Irrumpam rectà in ædes, quemcumque conſpexero in iis oſculantem Philocomaſium, ego eum occidam ſtatim.* SC. *Credisne eam eſſe?* PA. *Imò profectò eſt ipſa planè. Sed quomodo diſſimulabat! Abi, affer huc enſem.* SC. *Curabo ut hîc ſit modò.* PA. *Neque eques, neque pedes quiſquam eſt adeò audax, ut ſuſcipiat res perinde audaces, atque* ſuſcipiunt *mulieres: ut concinnavit disertè orationem, in utramque partem! ut ductavit meum conſervum cuſtodem callidiſſimè! O nos beatos, quibus eſt paries pervius!* SC. *Heus Palæſtrio! nihil opus enſe.* PA. *Quare? aut quid igitur opus eſt?* SC. *Ecce meretrix heri eſt domi.* PA. *Quid? domi?* SC. *Accubat in lecto.* PA. *Profectò tu conflaviſti rem malam, ut dicis.*

ANNOTATIONES.

43. *Lege agito.*] Dicebat id adverſarius adverſario, cujus jus erat, aut nullum, aut nullius momenti.

58. *Tranſtinet.*] Id eſt, commeatus, qui eſt trans parietem.

SC. Quidjam? *PA.* quia hanc attingere auſus mulierem hîc in proximo.
SC. Magis hercle metuo. ſed nunquam quiſquam faciet, quin ſoror
Iſta ſit germana hujus. *PA.* eam pol tu oſculantem hîc videras.
Et quidem palàm eſt eam eſſe, ut dicis. *SC.* quid propius fuit,
Quàm ut perirem, ſi locutus fuiſſem hero! *PA.* ergo ſi ſapis,
„Muſſitabis. Plus oportet ſcire ſervum, quàm loqui.
Ergo abeo à te, ne quid tecum conſilii commiſceam:
Atque apud hunc vicinum. tuæ mihi turbæ non placent.
Herus ſi veniet, ſi me quærit, hîc ero, hinc me arceſſito.

INTERPRETATIO.

SC. *Quare? PA. Quia auſus es injicere manus huic mulieri, quæ manet in proxime.* SC. *Per Herculem timeo magis; ſed nunquam aſſequetur quiſquam, queminùs iſta ſit hujus ſoror germana.* PA. *Certè tu eam fueras conſpicatus hîc oſculantem, & quidem patet eam eſſe, quàm loqueris.* SC. *Quàm parùm abfuit, quin occiderem, ſi rem dixiſſem hero!* PA. *Igitur, ſi ſapis, tacebis. Decet ſervum noſce plura quàm dicere. Ego diſcedo à te, ne videar eſſe particeps conſiliorum; atque ero apud hunc vicinum: tui tumultus non mihi probantur: ſi herus veniat, ſi me petit, hîc ero; hinc me evocato.*

ACTUS SECUNDUS. SCENA SEXTA.

ARGUMENTUM.

PERIPLECTOMENES laceſſit Sceledrum & objurgat, quòd perfregerit tegulas & imbrices, quòd per impluvium obſervet quid domi geratur, quòd Glyceram prætereuntem auſus ſit retentare. Precatur veniam Sceledrus.

PERIPLECTOMENES, SCELEDRUS.

SCELEDRUS.

SATIN' abiit ille, neque herile negotium
Plus curat, quàm ſi non ſervitute ſerviat?
Certò quidem illæc noſtra intus eſt in ædibus.
Nam ego & cubantem eam modò offendi domi.
Certum eſt nunc obſervationi operam dare.
PE. Non hercle hiſce homines me marem, ſed fœminam,

INTERPRETATIO.

SCEL. *Nonne ille diſceſſit ſatis? Neque magis ſollicitus eſt de re heri, quàm ſi non eſſet reverà ejus ſervus! ſine dubio illa hæc noſtra eſt domi. Nam ego eam reperi nunc modò in ædibus decumbentem: apud me ſtatui obſervare nunc diligenter.* PE. *Profectò hi famuli Militis vicini non arbitrantur me eſſe*

ANNOTATIO.

6. *Hiſce,*] Pro hice, & hi, in nominativo plurali.

Vicini rentur eſſe ſervi Militis :
Ita me ludificant. meámne hîc in viâ hoſpitam ,
Quæ heri huc Athenis cum hoſpiti advenit meo,
Tractatam , & ludificatam , ingenuam & liberam ?
SC. Perii hercle ? hic ad me rectâ habet rectam viam.
Metuo illæc mihi res ne magno malo fuat ,
Quantùm hunc audivi facere verborum ſenem.
PE. Accedam ad hominem. tun', Sceledre, hîc ſcelerum caput ,
Meam ludificaviſti hoſpitam ante ædis modò ?
SC. Vicine , auſculta quæſo. *PE*. ego auſcultem tibi ?
SC. Expurgare volo me. *PE*. tun' te expurges mihi ,
Qui facinus tantum, támque indignum feceris ?
An quia latrocinamini , arbitramini
Quidvis licere facere vobis, verbero ?
SC. Licétne ? *PE*. at ita me dî deæque omnes ament ,
Niſi mihi ſupplicium virgarum de te datur
Longum diutinúmque à mane ad veſperum ,
Quòd meas confregiſti imbrices & tegulas ,
Ibi dum condignam te ſectatus ſimiam ,
Quòdque inde inſpectaviſti meum apud me hoſpitem
Amplexum amicam cùm oſculabatur ſuam ,
Quódque concubinam herilem inſimulare auſus es
Probri , pudicam , méque ſummi flagitii :
Tum quòd tractaviſti hoſpitam ante ædes meas :
Niſi tibi ſupplicium ſtimuleum de te datur ,

INTERPRETATIO.

virum , ſed mulierem , adeò me ſubſannant. Oportétne meam hoſpitam , quæ advenit huc Athenis cum meo hoſpite, fuiſſe ſic habitam hîc in viâ, & irriſam , quamvis ſit *ingenua & libera ?* SC. *Occidi profectò :* Periplectomenes *contendit rectà ad me. Vereor ne hoc negotium mihi vertat magno detrimento ; ſicut audio loqui hunc ſenem.* PE. *Adoriar hominem : túne , Sceledre ſceleratiſſimè , illuſiſti mox mea hoſpiti ante oſtium ?* SC. *Vicine audi amabo ?* PE. *Ego audiam te ?* SC. *Volo me excuſare.* PE. *Túne te excuſes mihi , tu qui commiſiſti tantum ſcelus tamque atrox ? An quia eſtis milites, exiſtimatis vobis licere audere omnia, furcifer ?* SC. *Licitúmne eſt ?* PE. *Sed ita me omnes Dii Deæque ament , niſi ſumantur de te pœna virgarum longa diuturnaque à mane ad veſperam , quòd comminuiſti meas imbrices & tegulas , ſectando per eas ſimiam* belluam *dignum te , & quod inde deſpexiſti meum hoſpitem complectentem apud me ſuam amicam , & deoſculantem ; & quòd es auſus accuſare concubinam heri caſtam impudicitia , & me ingentis ſceleris : tum quoniam attrectaviſti hoſpitem ante meum oſtium: niſi ſumatur de te pœna ſtimulorum,*

ANNOTATIONES.

19. *Latrocinamini.*] Id eſt, milites eſtis.

21. *Niſi mihi ſupplicium.*] Si quis ſervus damno affecerat aliquem , vel dabat pœnas ejus arbitrio qui damnum paſſus erat ; vel Dominus æſtimationem litis pendebat , vel pipulo differebatur.

Dedecoris

Dedecoris pleniorem herum faciam tuum,
Quàm magno vento plenum eſt undarum mare.
SC. Ita ſum coactus, Periplectomene, ut neſciam
Utrúmne poſtulare priùs tecum æquom ſiet,
An me expurgare hîc tibi videatur æquius.
Niſi iſtæc non eſt hæc, neque iſta ſit mihi:
Sicut etiam nunc neſcio quid viderim:
Ita eſt iſtæc hujus ſimilis noſtræ tua,
Siquidem non eadem eſt. *PE.* viſe ad me intrò, jam ſcies.
SC. Licétne? *PE.* quin te jubeo. at placidè noſcita.
SC. Ita facere certum eſt. *PE.* heus Philocomaſium! citò
Tranſcurre curriculò ad nos, ita negotium eſt.
Pòſt, quando exierit Sceledrus à nobis, citò
Tranſcurrito ad vos rurſum curriculò domum.
Nunc pol ego metuo, ne quid infuſcaverit.
Si hîc non videbit mulierem, aperitur dolus.
SC. Prô dî immortales! ſimiliorem mulierem,
Magiſque eandem, ut pote quæ non ſit eadem, non reor
Deos facere poſſe. *PE.* quid nunc? *SC.* commerui malum.
PE. Quid igitur? eán' eſt? *SC.* etſi ea eſt, non eſt ea.
PE. Vidiſtin' iſtam? *SC.* vidi & illam, & hoſpitem
Complexam atque oſculantem. *PE.* ean' eſt? *SC.* neſcio.
PE. Vin' ſcire planè? *SC.* cupio. *PE.* abi intrò ad vos domum
Continuò, vide ſítne iſtæc voſtra intus domum.

INTERPRETATIO.

reddam tuum herum magis refertum contumeliâ, quàm mare eſt refertum undarum ingenti vento. SC. *Eò ſum redactus, Periplectomene, ut ignorem utrum ſit juſtius contendere priùs tecum, an me excuſare tibi hîc. Si iſta* mulier *non eſt* Philocomaſium, *neque mea: ſicut etiam nunc ignoro quid conſpexerim: adeò hæc quæ tua eſt,* eſt *ſimilis noſtræ Philocomaſio, ſi modò non eſt eadem.* PE. *Vide apud me in ædibus, ſtatim intelliges.* SC. *Mihíne id concedis?* PE. *Imò ego impero; ſed agnoſce placidè.* S C. *Deliberatum eſt ſic agere.* PE. *Heus! Philocomaſium, tranſi ad nos celeriter, & accurre; ita res poſtulat. Deinde quando Sceledrus diſceſſerit à nobis tranſi celeriter, & recures iterum in ædes Militis. Sanè ego pertimeſco jamne* Philocomaſium *miſceat aliquid; ſi hic non conſpiciat mulierem, fraus detegitur.* SC. *Proh Dii immortales! non arbitror Deos poſſe creare mulierem ſimiliorem, & magis eandem, utpote quæ non ſit eadem.* PE. *Quid* ais *nunc?* SC. *Meritus ſum pœnas.* PE. *Quid* ais *igitur? éſtne ipſa?* SC. *Etſi eſt ipſa, non eſt ipſa.* PE. *Conſpexiſtine iſtam?* SC. *Conſpexi & illam, & hoſpitem complexam, atque oſculantem.* PE. *Eſt-ne?* SC. *Neſcio.* PE. *Viſne ſcire planè?* SC. *Volo.* P E. *Introi domum ad vos uno tempore, vide utrum ſit iſta hæc veſtra in ædibus.*

ANNOTATIONES.

46. *Infuſcaverit.*] Id eſt, turbaverit. Plinius infuſcatam aquam appellat, moto luto quod in fundo eſt, turbatam.

54. *Intus domum.*] In domo, adverbia loco præpoſitionum reponuntur.

SC. Licet : pulcrè admonuiſti. jam ego ad te exibo foras.
PE. Nunquam edepol hominem quenquam ludificarier
Magis faceiè vidi, & magis miris modis.
Sed eccum egreditur. *SC.* Periple&tomene, te obſecro
Per deos atque homines, pérque ſtultitiam meam,
Pérque tua genua. *PE.* quid obſecras me ? *SC.* inſcitiæ
Meæ & ſtultitiæ ignoſcas. nunc demum ſcio
Me fuiſſe excordem, cæcum, incogitabilem.
Nam Philocomaſium eccam intus. *PE.* quid nunc, furcifer ?
Vidiſtin' ambas ? *SC.* vidi *PE.* herum exhibeas volo.
SC. Meruiſſe equidem me maximum fateor malum,
Et tuæ feciſſe me hoſpitæ aio injuriam :
Sed meam eſſe herilem concubinam cenſui,
Cui me cuſtodem herus addidit Miles meus.
Nam ex uno puteo ſimilior nunquam poteſt
Aqua aquæ ſumi, quàm hæc eſt, atque iſta hoſpita.
Et me deſpexe ad te per impluvium tuum,
Fateor. *PE.* quid ni fateare, ego quod viderim ?
SC. Sed Philocomaſium me vidiſſe cenſui.
PE. Ratúſne me iſtic hominem eſſe omnium minimi pretii,
Si ego, me ſciente, paterer vicino meo
Eam fieri apud me tam inſignitè injuriam ?
SC. Nunc demum à me inſipienter factum eſſe arbitror,
Cùm rem cognoſco : at non malitioſè tamen
„Feci. *PE.* imò indignè. namque HOMINEM ſervum ſuos
„Domitos habere oportet oculos & manus,
Orationémque. *SC.* egóne ? ſi poſt hunc diem
Muttivero, etiam quod egomet certò ſciam ;

INTERPRETATIO.

SC. *Placet : benè admonuiſti. Iam ego prodibo ad te foràs.* PE. *Certè nunquam audivi quemquam hominem irrideri magis feſtivè. & modis magis miris. Sed quando hæc prodit ?* SC. *Periple&tomene, te rogo per Deos & homines. & per meam amentiam, & per tua genua.* PE. *Quid me rogas ?* SC. *Ignoſce mea amentia & ignorantia : intelligo nunc demum me fuiſſe vecordem. cæcum, inconſideratum. Nam ecce Philocomaſium eſt in ædibus.* PE. *Quid jam, Cruciarie ? Conſpicatúſne es ambas ?* SC. *Conſpicatus ſum.* PE. *Volo ut producas herum.* SC. *Fateor equidem me meritum eſſe maximam pœnam. Et fateor me intuliſſe injuriam tua hoſpiti : ſed exiſtimavi eſſe meretricem mei heri, cui Miles meus herus me adjunxit cuſtodem. Nam nunquam poteſt hauriri ex eodem fonte aqua ſimilior aqua, quàm eſt Philocomaſium, atque iſta hoſpita. Et fateor me deſpexiſſe in tuas ædes per tuum impluvium.* PE. *Quare non fateare, quod ego conſpexerim ?* SC. *Sed exiſtimavi me vidiſſe Philocomaſium.* PE. *Arbitratúſne es me eſſe viliſſimum omnium hominum, ſi ego patiar inferri tam inſignem contumeliam meo vicino, me conſcio, apud me ?* SC. *Nunc demum exiſtimo eſſe à me factum amenter, quando cognoſco rem : attamen non feci nequiter.* PE. *Imò indignè ; nam oportet ſervum habere oculos moderatos, & manus, & ſermonem.* SC. *Egone ? ſi in poſterum locutus fuero, etiam quod egomet teneam planè, trade*

Dato excruciatum me : egomet dicam me tibi.
Nunc hoc mihi ignoſcas quæſo. *PE.* vincam animum meum,
Ne malitioſè factum id eſſe abs te arbitrer.
Ignoſcam tibi iſtuc. *SC.* at dii tibi faciant bene.
PE. Næ tu hercle, ſi te dii amant, linguam comprimes
Poſthac : etiam illud quod ſcies, neſciveris :
Ne videris, quod videris. *SC.* bene me mones.
Ita facere certum eſt. ſed ſatine oratus abis ?
Nunquid nunc aliud me vis ? *PE.* ne me noveris.
SC. Dedit hic mihi verba. quàm benignè gratiam
Fecit, ne iratus eſſet ! ſcio quam rem gerat :
Ut Miles, cùm extemplò à foro adveniat domum,
Domi comprehendat. unà hîc & Palæſtrio
Me habent venalem : ſenſi, & jamdudum ſcio.
Nunquam hercle ex iſtâ naſſâ ego hodie eſcam petam.
Nam jam aliquò aufugiam, & me occultabo aliquot dies,
Dum hæ conſileſcunt turbæ, atque iræ leniunt.
Nam jam nunc ſatis & plus nimiò merui mali.
Veruntamen de me quicquid eſt, ibo hinc domum.
PE. illic hinc abſceſſit. ſat edepol certò ſcio,
Occiſam ſæpe ſapere plus multò ſuem,
Cùm manducatur. ne id, quod vidit, viderit !

INTERPRETATIO.

me ſuſpendendũ: egomet me tibi permittam. Nunc obſecro hoc mihi condona. PE. *A me impetrabo, ut non rear id à te eſſe perpetratum per malitiam, tibi condonabo iſtud.* SC. *At Dii tibi benefaciant.* PE. *Per Herculem tu coërcebis deinceps linguam. ſi Dii te ament : etiam ignoraveris id quod noris, ne intuitus fueris quod intuitus fueris.* SC. *Me doces ſapienter : propoſitum eſt ſic agere. Sed éſne ſatis placatus ? Viſne mandare aliud ?* PE. *Ne me noveris.* SC. *Hic me fefellit : quàm ultrò conceſſit ne eſſet iratus ! Intelligo quid negotii agat :* ſtatuit videlicet, *ut Miles me capiat in ædibus, quando revertetur modò domum à foro. Periplectomenes & Palæſtrio me proponunt ambo venalem : hoc animadverti & intelligo jam pridem. Profectè nunquam ego depromam eſcam ex iſtâ naſſâ. Nam concedam jam in quemdam locum, & me abſcondam aliquot diebus, dum hæ contentiones componantur, atque iræ placantur. Nam meritus ſum nunc ſatis ſupérque pœnarum. Attamen quod ad me attinet, proficiſcor hinc in ædes.* PE. *Ille profectus eſt hinc. Per ædem Pollucis ſcio ſatis pro certò ſuem occiſam ſapere ſæpe multò plus, quando comeditur, ne id quidem conſpicatus eſt.*

ANNOTATIONES.

97. *Me habent venalem.*] Me produnt. Nos noſtro vernaculo dicimus, *vous me vendez.*

98. *Numquam ex iſtâ naſſâ eſcam petam.*] naſſa eſt vas quoddam vimineum, anguſtiori aditu, ſed facili, exitu difficili, ut pote acuminibus munito, *une Naſſe*, in ima autem naſſa eſca reponitur ad illiciendos piſces. Sceledrus confitetur ſe voluiſſe in illâ naſſâ cibum quærere, adjiſſe ſe periculum, ex eo evaſiſſe; jurátque ſe nunquam inde repetiturum.

100. *Iræ leniunt.*] Pro leniuntur, activum pro paſſivo. Cicero : *terra movet*, Id eſt, *movetur.* Virgilius : *venti poſuere. Inſinuat pavor.*

SC. Quamobrem jubeam ? *PA.* Philocomaſium eccam domi, quam in proximo
Vidiſſe ajebas te oſculante.n atque amplexantem cum altero.
SC. Mirum eſt lolio victitare te, tam vili tritico.
PA. Quid jam ? *SC.* quia luſcitioſus. *PA.* væ verbero ! edepol tu quidem,
Cæcus, non luſcitioſus. nam illam quidem eccam domi.
SC. Quid ? domi ? *PA.* domi hercle verò. *SC.* abi; ludis me, Palæſtrio.
PA. Tum mihi ſunt manus inquinatæ. *SC.* quî dum ? *PA.* quia ludo luto.
SC. Væ capiti tuo. *PA.* tuo iſtuc, Sceledre, promitto fore,
Niſi oculos orationémque aliam commutas tibi.
Sed fores concrepuerunt noſtræ. *SC.* at ego illas obſervo fores.
Nam nihil eſt, quà hinc tranſire ea poſſit, niſi recto oſtio.
PA. Quin domi eccam. neſcio, quæ te, Sceledre, ſcelera ſuſcitant.
SC. Mihi ego video, mihi ego ſapio, mihi ego credo plurimùm:
Me homo nemo deterruerit, quin ea ſit in his ædibus.
Hîc obſiſtam, ne imprudenti huc ea ſe ſurrepſit mihi.
PA. Meus illic homo eſt: deturbabo jam ego illum de pugnaculis.
Vin' jam faciam, ut ſtultividum te fatearis ? *SC.* age, face.

INTERPRETATIO.

S C. *Quare præcipiam ?* PA. *Ecce in ædibus Philocomaſium, quam dicebas te conſpicatum amplectentem, atque oſculantem alium* virum. S C. *Mirum eſt te victitare lolio, quando triticum eſt tam vile.* PA. *Quare ?* S C. *Quia es luſcioſus.* P A. *Væ* tibi, *maſtigia ! Per ædem Pollucis, tu cæcus es, non luſcioſus; nam ecce illa eſt in ædibus.* S C. *Quid ? in ædibus ?* PA. *Domi ſanè.* SC. *Abi: ludis me, Palæſtrio.* PA. *Idcircò mea manus ſunt fœdatæ.* SC. *Quare ?* PA. *Quia ludunt cœno.* SC. *Væ tuo capiti.* PA. *Tibi polliceor, id tibi eſſe eventurum, niſi habeas alios oculos & ſermonem. Sed noſtrum oſtium obſtrepuit.* SC. *Sed ego cuſtodio illam januam. Nam nullus eſt tranſitus, quò ea poſſit commeare hinc huc, niſi antico.* PA. *Quin ecce eſt domi, neſcio, Sceledre, quæ intemperiæ te agitant.* SC. *Ego cerno mihi, ego ſcio mihi, ego mihi fidem habeo valde: nemo mihi ſuadeat eum non eſſe in his tectis; hic ſtabo, ne ſe ſubducat mihi incogitanti.* PA. *Ille homo eſt captus: ego illum depellam modò de propugnaculis. Viſne ut præſtem, ut fatearis te eſſe obſervatorem inſanum ?* SC. *Age, fac.*

ANNOTATIONES.

50. *Mirum eſt lolio victitare te.*] Exprobrat Palæſtrio Sceledro, quaſi quoddam genus ebrietatis, quæ naſcitur ex pane loliaceo, quâ teneantur oculi, aut decipiantur, ut ii qui comederint, videre ſe putent, quòd minimè videant, Philocomaſium pro ſorore.

51. *Luſcitioſus.*] Qui eo morbo laborat oculorum, quo tempore veſpertino clariùs, quàm meridiano videt: item, qui videnda propius oculis admovet, ſimiſque cernit. & tantùm non clauſis, Græcis ſunt *μύωπες*, vel quòd veluti clauſis ſint oculis, vel quod ſic clauſis, ut non hominum, ſed murium eſſe videantur, adeò ſunt exigui.

58. *Recto oſtio.*] Rectum oſtium dicebatur anticum; *la porte de devant.* Cui opponitur *poſticum*; *la porte de derriere.*

PA. Neque te quicquam ſapere corde, neque oculis uti? *SC.* volo.
PA. Nempe tu iſtîc ais eſſe herilem concubinám? *SC.* atque arguo
Eam me vidiſſe oſculantem hîc intus cum alieno viro.
PA. Scin' tu nullum commeatum hinc eſſe à nobis? *SC.* ſcio.
PA. Neque ſolarium, neque hortum, niſi per impluvium? *SC.* ſcio.
PA. Quid nunc, ſi ea domi eſt, ſi faciam ut eam exire hinc videas domo,
Dignus es verberibus multis? *SC.* dignus. *PA.* ſerva iſtas fores:
Ne tibi clam ſe ſubterducat iſtinc, atque huc tranſeat.
SC. Conſilium eſt ita facere. *PA.* pedes ego jam illam huc tibi ſiſtam in viam.
SC. Agedum ergo, face. volo ſcire utrùm ego id quod vidi, viderim:
An illic faciat, quod facturum dicit, ut ea ſit domi.
Nam ego quidem meos oculos habeo, nec rogo utendos foris.
Sed hic illi ſupparaſitatur ſemper, hic ei proximus eſt,
Primus ad cibum vocatur, primo pulmentum datur:
Nam illic noſter eſt fortaſſe circiter triennium,
Neque cuiquam, quàm illi, in noſtrâ meliùs famulo familiâ.
Sed ego hoc quod ago, id me agere oportet, hoc obſervare oſtium.
Hic obſiſtam hàc quidem. pol certò verba mihi nunquam dabunt.

INTERPRETATIO.

PA. *Neque te cernere quidquam animo, neque videre oculis?* SC. *Volo.* PA. *Nimirum tu dicis concubinam heri eſſe iſtic.* SC. *Atque contendo me eam deprehendiſſe complectentem in ædibus alienum virum.* PA. *Sciſne tu eſſe nullum tranſitum ab his ædibus ad* ædes Militis. SC. *Scio.* PA. *Neque ſolarium, neque hortum, niſi per impluvium.* SC. *Scio.* PA. *Quid nunc, ſi ea eſt domi? ſi efficiam ut eam conſpicias exeuntem hinc ex ædibus, es dignus multis plagis.* SC. *Dignus.* PA. *Tuere iſtas fores, ne ſe ſurripiat tibi furtim iſtinc, & ne immigret huc.* SC. *Eſt mens ſic agere.* PA. *Ego pedibus nixus tibi illam ſtatuam ante oculos, mox, hic in viâ.* SC. *Agedum, ergo fac: opto ſcire utrùm ego conſpicatus fuerim id quod fuerim conſpicatus: an ille faciat, quod pollicetur ſe facturum, ut ea ſit domi. Nam equidem habeo meos oculos, nec quæro foris mutuos. Sed Palæſtrio paraſiti vices obit ſemper apud eam, hic eſt propè eam, vocatur primus ad cibum, datur primo pulmentum: nam ille eſt noſter familiaris ferè à triennio; neque eſt quiſquam famulus apud nos cui ſit melius, quàm illi. Sed ego faciam hoc quod me oportet facere. cuſtodio hanc januam; conſiſtam hic; profectò nunquam mihi dabunt verba.*

ANNOTATIONES.

69. *Solarium.*] Locus Soli quaquaverſùm apertus in ſummis ædibus, quod tectum & tegulis ſtratum cernimus. Olim tam depreſſa erant tecta, ut penè plana eſſent.

73. *Pedes.*] Quia hinc ubi vidiſſe ſe arbitrabatur Sceledrus Philocomaſium, non erat tranſitus ad ædes Militis, niſi avibus, ut ſcilicet per impluvium evolarent, hinc *pedes* opponitur *alato*.

ACTUS SECUNDUS. SCENA QUARTA.

ARGUMENTUM.

PALÆSTRIO oſtendit Sceledro Philocomaſium, quàm mox viderat cum Pleuſide; tum Sceledrus credit ſe hallucinatum eſſe, quia non videt quâ ſit aditus & exitus ad Periplectomenem, per Palæſtrionem in conclavi Philocomaſii perfoſſus. Ad decipiendum hominem penitiùs, narrat Philocomaſium vidiſſe in ſomnis advenientem germanam ſororem cum ſuo amatore.

PHILOCOMASIUM, PALÆSTRIO, SCELEDRUS.

PALÆSTRIO.

PRÆCEPTA facito ut memineris. *PH.* toties monere mirum eſt.
PA. At metuo, ut ſatis ſis ſubdola. *PH.* cedò vel doctas, docebo:
Memini malas, ut ſint malæ: mihi ſolæ è quo ſuperſit,
PA. Age, jam nunc inſiſte in dolos: ego abs te procul recedam.
Quid aſtas, Sceledre? *SC.* hanc rem gero: habeo auris, loquere quidvis.
PA. Credo ego iſtoc exemplo tibi eſſe eundum actutum extra [portam,
Diſpeſſis manibus patibulum cùm habebis. *SC.* quámnam ob rem?
PA. Reſpice dum ad lævam: quis illæc eſt mulier? *SC.* prô dii immortales.
Heri concubina eſt hæc quidem. *PA.* mihi quoque pol ita videtur.

INTERPRETATIO.

PAL. *DA operam ut recorderis monitorum* meorum. PH. *Miror te repetere tam ſæpe tua monita.* PA. *Vereor ne non ſis ſatis aſtuta.* PH. *Da mihi eruditas, etiam ego eas erudiam: recordor aſtutarum & quantum ſint aſtutæ, ego eas una ſupero.* PA. *Perge, urge jam fraudes; ego abſiſtam longè à te. Quare adſtas, Sceledre?* SC. *Ago hanc rem: ſunt mihi aures, dic quidquid libet.* PA. *Ego credo hoc modo te iturum propediem extra portam* Metiam, *quando portabis crucem manibus extenſis.* SC. *Quare?* PA. *Converte te ad lævam: quæ eſt illa mulier?* SC. *Proh Dii immortales! profectò ecce concubina heri.* PA. *Equidem ſic exiſtimo.*

ANNOTATIONES.

3. *Mihi ſola ſuperſit.*] Solæ pro ſoli, verus; id eſt, novi malas, ſed omnes ſola ſupero nequitiâ.

6. *Iſto exemplo.*] Id eſt, *paſſis manibus*; quia videlicet ſtabat ad oſtium ſublatis manibus & deductis ab invicem Sceledrus, & obſervabat utrùm prodiret Philocomaſium, ut manus ſtatim injiceret. Itaque *iſto exemplo*, id eſt, *iſto modo ſitúque corporis.*

Extra portam.] Metiam videlicet, quâ exibant unâ ad ſupplicium rei: neque iis temporibus intra muros urbis ſupplicium ſumebatur de reis, neque tortoribus intra muros manere fas erat.

Age nunc jam, quando lubet. *SC.* quid agam? *PA.* peri perproperè.
PH. Ubi iſte bonus ſervus, qui propudii me maximè innocentem
Falsò inſimulavit? *PA.* hem tibi. hic mihi id dixit. *SC.* tibi. *PH.* quei dixti
Tu, te vidiſſe in proximo hîc, ſceleſte, me oſculantem?
PA. Atque cum alieno adoleſcentulo, dixit. *SC.* dixi hercle verò.
PH. Tun' me vidiſti? *SC.* atque his quidem oculis. *PH.* carebis, credo,
Qui plus vident, quàm quod vident. *SC.* nunquam hercle deterrebor,
Quin viderim id quod viderim. *PH.* ego ſtulta & mora multùm,
Quæ cum hoc inſano fabulem! quem pol ego capitis perdam.
SC. Noli minitari: ſcio crucem futuram mihi ſepulcrum.
Ibi mei majores ſunt ſiti; pater, avus, proavus, abavus.
Non poſſunt mihi minaciis tuis hiſce oculi fodiri.
Sed paucis verbis te volo, Palæſtrio. obſecro, unde
Hæc exit huc? *PA.* unde, niſi domo? *SC.* domo? *PA.* me vidente.
SC. video

INTERPRETATIO.

Age jam; queniam vis. SC. *Quid agam?* PA. *Occumbe velociter.* PH. *Ubi iſte bonus ſervus, qui me accuſavit falſiſſimè impudicitia inſontem?* PA. *Adeſt ille, qui mihi id dixit.* SC. *Tibi!* PH. *Quem tu dixiſti, Sceleſte, te vidiſſe hic, qui me oſculabatur, in proximo?* PA. *Et dixit, cum juvene alieno.* SC. *Dixi per Herculem.* PH. *Túne me vidiſti?* SC. *Et his quidem oculis.* PH. *Non habebis, puto, oculos, qui plus cernunt, quàm quod cernunt.* SC. *Per Herculem adduci non potero, ut non conſpexerim, id quod conſpexerim.* PH. *Ego inſaniſſima & dementiſſima, quæ ſermonem inſtituo cum illo vecordi, cui ego adimam vitam.* SC. *Ne* mihi *miniteris; intelligo fore ut crux ſit meus tumulus: mei majores hic conditi ſunt; pater, avus, proavus, abavus. Oculi nequeunt mihi adimi hiſce minitationibus tuis. Sed te cupio* alloqui *paucis verbis, Paleſtrio: Rogo, unde hæc prodit huc?* PA. *Unde* prodiret, *niſi ab ædibus?* SC. *Ab ædibus?* PA. *Me teſte.* SC. *Eſt factum*

ANNOTATIONES.

12. *Propudii inſimulavit.*] Propudium eſt, quaſi projecti pudoris crimen.

17. *Mora.*] Id eſt, ſtulta. Unde morari, deſipere, quâ voce eſt uſus Nero in morte Claudii deceſſoris ſui; nimirum dicere ſolebat, teſte Suetonio, Claudium deſiiſſe inter vivos morari; in quo *morari* non eſt à *moror maneo*, ſed à *moror inſanio*. Itaque ludus eſt in ambiguâ voce.

18. *Capitis perdam.*] Supp. *pœna*. Uſitatius, *capite perdam*. Id eſt, vita privabo. In vocibus accuſandi & puniendi hæ Ellipſes ſunt uſitatæ. Accuſare parricidii, furti &c. Supp. *crimine*.

20. *Sunt ſiti.*] *Situs* eſt vox exequiarum propria. Et una non ſolum ſignificat ſitum hominis, ſed ſitum mortui. In tumulo Hannibalis erat inſcriptum *Hannibal hic ſitus eſt*. Id eſt, corpus Hannibalis mortui. *Siticines* vocabantur, qui canebant ad *ſites*, ſeu ſepulcra mortuorum.

21. *Non potes tuis minaciis.*] Id eſt, non aſſequeris tuis minis, ut quod viderim non viderim.

Niſi mirum eſt facinus, quomodo hæc hinc potuerit tranſire!
Nam certò neque ſolarium eſt apud nos, neque hortus ullus,
Neque feneſtra, niſi clatrata. nam certò ego te hîc intus vidi.
PA. Pergin', ſceleſte, intendere, & hanc arguere? *PH.* ecaſtor ergo
Mihi haud falſum eveniat ſomnium, quod noctu hâc ſomniavi.
PA. Quid ſomniaſti? *PH.* ego eloquar. ſed, amabo, advortito animum.
Hâc nocte in ſomnis mea ſoror gemina germana viſa
Veniſſe Athenis in Epheſum cum ſuo amatore quodam:
Hi ambo hoſpitio huc in proximum mihi devorti ſunt viſi.
SC. Palæſtrionis, ſomnium narratur. *PA.* perge porrò.
PH. Ego læta viſa, quia ſoror veniſſet, propter eandem
Suſpicionem maximam ſum viſa ſuſtinere.
Nam arguere in ſomnis me familiaris meus mihi viſu'ſt
Me cum alieno adoleſcentulo, quaſi nunc eſt, oſculatam eſſe:
Cùm illa oſculata mea ſoror gemina eſſet ſuumpte amicum.
Ita me inſimulatam perperàm falſum eſſe ſomniavi.
PA. Satin eadem vigilanti expetunt, quæ in ſomnis viſa memoras?
Heus hercle præſentia omnia! abi intrò, & comprecare.
Narrandum ego iſtuc Militi cenſebo. *PH.* facere certum.
Neque me quidem patiar probri falsò impunè inſimulatam.
SC. Timeo quid rerum geſſerim: ita dorſus totus prurit.

INTERPRETATIO.

prorſus admirandum, quâ viâ hæc potuerit tranſire hinc. Nam certò neque eſt ſolarium apud nos, neque ullus hortus, neque feneſtra, niſi clatris obtenta. Nam ſine dubio ego te conſpexi hîc in ædibus. PA. *Proſequeriſne, nequam, eſſe contumax, atque hanc accuſare?* PH. *Igitur ſomnium quod mihi contigit hac nocte, non erit falſum.* PA. *Quodnam fuit ſomnium?* PH. *Ego dicam; ſed, quæſo, adhibe mentem. Mea ſoror germana gemina mihi viſa eſt in ſomniis veniſſe Athenis Epheſum cum ſuo amico quodam. Hi duo mihi ſunt viſi venire huc in hoſpitium vicinum.* SC. *Proponitur ſomnium Palæſtrionis.* PA. *Proſequere porrò.* PH. *Ego viſa ſum gaudere adventu ſororis, viſa ſum & incurrere in maximam ſuſpicionem propter eandem. Nam meus ſervus mihi viſus eſt me inſimulare me eſſe oſculatam juvenem alienum, ſicut nunc ſe res habet: quia illa mea ſoror gemina germana oſculata eſſet ſuum amicum. Ita ſomniavi falſum eſſe me accuſatam.* PA. *Quæ memoras viſa in ſomniis, eadem conveniunt ſatis vigilantibus. Heus! Per Herculem omnia ſunt ſubjecta oculis. Ingredere, & preces funde, ego exiſtimo referendum iſtud Militi.* PH. *Statui referre. Neque feram me accuſari falsò impudicitiæ citra pœnas.* S C. *Vereor ne quid commiſerim; adeò totum dorſum prurit.*

ANNOTATIONES.

26. *Feneſtra clatrata.*] Clatri ſeu clatra, ſunt virgæ ferreæ quibus feneſtræ communiuntur, ne perviæ ſint.

41. *Comprecare.*] Prodigialem Jovem, & Deos Averruncos depulſores malorum omnium.

44. *Dorſus prurit.*] Pro dorſum; id eſt, portendit ſibi plagas eſſe modò imponendas.

PA. Scin te periiſſe nunc quidem domi certò ? *SC.* certa res eſt
Nunc noſtrum obſervare oſtium, ubi ubi ſit. *PA.* at Sceledre, quæſo,
Ut ad id exemplum ſomnium quàm ſimile ſomniavit,
Atque ut tu ſuſpicatus es eam vidiſſe te oſculantem !
SC. Me eam non vidiſſe arbitraris ? *PA.* næ tu hercle, opinor ! obſecro
Reſipiſce. ſi ad herum hæc res pervenerit, periſti pulcrè.
SC. Nunc demum experior, priùs ob oculos mihi caliginem obſtitiſſe.
PA. Dudum edepol hoc planum quidem : quæ hîc uſque fuerit intus.
SC. Nihil habeo certi quid loquar : non vidi eam, etſi vidi.
PA. Næ tu edepol ſtultitiâ tuâ nos pænè perdidiſti.
Dum te fidelem facere hero voluiſti, abſumptus es pænè.
Sed fores vicini proximi crepuêrunt. conticiſcam.

INTERPRETATIO.

PA. *Intelligiſne te eſſe perditum in ædibus ſine dubio ?* SC. *Oportet jàm obſervare januam noſtram, ut videam quò iverit hera.* PA. *At, Sceledre, quomodo, amabo, illi côntigit ſomnium ejuſmodi ? & quomodo tu credidiſti te eam vidiſſe oſculantem?* SC. *Putâſne me eam non vidiſſe?* PA. *Per Herculem, tu periiſti, puto, funditus, ſi hæc res pervenit ad herum.* SC. *Nunc tandem animadverto caliginem mihi offuſam eſſe priùs ante oculos.* PA. *Certè hoc eſt apertum jam dudum : quandoquidem hæc fuit ſemper in ædibus.* SC. *Nihil habeo certi quod dicam : non eam conſpexi, etſi eam conſpexi.* PA. *Profectò tu nos fermè confeciſti tuâ amentiâ. Dum voluiſti te præſtare fidum hero, es pænè confectus : ſed oſtium vicini contigui edidit murmur; ſileam.*

ACTUS SECUNDUS. SCENA QUINTA.

ARGUMENTUM.

IPSA Philocomaſium per ædes Periplectomenis deſcendit, præterit ante ædes Pyrgopolinicis, ante quas verſatur cum Palæſtrione Sceledrus. Tum retentare fœminam conatur Sceledrus : percontanti quod eſſet nomen, reſpondit eſſe Glyceren, eſſe ſibi ſororem germanam Philocomaſium ; dimittit eam Sceledrus. Dimiſſa per ædes Periplectomenis revertitur in conclave ; tum demum erraſſe ſeſe credit Sceledrus.

PHILOCOMASIUM Pſeudo Glycere, PALÆSTRIO, SCELEDRUS.

PHILOCOMASIUM.

INDE ignem in aram, ut Epheſiæ Dianæ lauta laudès
Gratéſque agam, eíque ut Arabico fumificem odore amœnè :
Quæ me in locis Neptuniis templíſque turbulentis
Servavit, ſævis fluctibus ubi ſum afflictata multùm.
SC. Palæſtrio ! ô Palæſtrio. *PA.* ô Sceledre, Sceledre, quid vis?
SC. Hæc mulier, quæ hinc exit modò, éſtne herilis concubina
Philocomaſium ? an non eſt ea ? *PA.* hercle opinor, ea videtur.
Sed facinus mirum eſt, quomodo hæc hinc potuerit tranſire :
Siquidem ea eſt. *SC.* an dubium tibi eſt eam eſſe hanc ? *PA.* ea
videtur.
Adeamus, appellemus. *SC.* heus, quid iſtuc eſt, Philocomaſium ?
Quid tibi iſtic hiſce in ædibus debetur ? quid negotii eſt ?
Quid nunc taces ? tecum loquor. *PA.* imò edepol túte tecum :
Nam hæc nihil reſpondet. *SC.* te alloquor, vitii probríque plena,
Quæ circum vicinos vaga es. *PH.* quîcum tu fabulâre ?
SC. Quîcum, niſi tecum ? *PH.* quis tu homo es, aut mecum quid
negotii eſt ?
SC. Men' rogas, hem, qui ſim ? *PH.* quin ego hoc rogem, quod
neſciam ?

INTERPRETATIO.

PHI. *IMpone ignem altari, ut referam laudes & gratiam Dianæ Epheſinæ poſtquam lavi : & ut ei adoleam odores Arabicos amœniores : hæc me cuſtodivit in mari, & templis turbulentis, in quibus ſum plurimùm jactata iratis procellis.* SC. *Palæſtrio, ô Palæſtrio !* PA. *O Sceledre, Sceledre, quid vis ?* SC. *Hæc mulier quæ hinc egreditur modò, éſtne Philocomaſium meretrix heri ? An non eſt ?* PA. *Puto, ea eſſe videtur : ſed miror, quomodo hæc potuerit nunc hinc tranſire, ſi ea eſt.* SC. *An dubitas quin ea ſit ?* PA. *Ea eſſe videtur : conveniamus, advocemus.* SC. *Heu, quid eſt iſtud, Philocomaſium ? Quid tibi debetur iſtic in hiſce ædibus ? quid eſt rei ? Quid jam ſiles ? Te alloquor.* PA. *Imò ſane te ipſe alloqueris ? Nam hæc nihil reponit.* SC. *Tecum mihi ſermo eſt, ô plena ſceleris & contumeliæ, quæ vagaris circum vicinos.* PH. *Quis es tu ? aut quid rei eſt tibi mecum ?* SC. *Hem ! petis qui ſim ?* PH. *Cur ego non petam, quod ignoro ?*

ANNOTATIONES.

1. *Inde ignem in aram.*] Philocomaſium alloquitur ancillam, & quò decipiat cuſtodem ſuum Sceledrum, & ſuadeat ſe non eſſe Philocomaſium, ſed Glyceren ſororem Philocomaſii, vota nuncupat Dianæ Epheſiæ, quaſi recens à navigatione.

2. *Arabico odore.*] Id eſt, thure ſuaviſſimo. A Plinio vocatur, *Arabia odorifera*, quia ex Arabiâ laudatiſſimi afferuntur odores. Feſto: *Arabice olere*, idē eſt, ac ſuaviter.

3. *Templíſque turbulentis.*] Idem eſt quod loca Neptunia. Loca autem Neptunia ſunt undæ maris in quibus tanquam in templo habitare dicitur Neptunus.

6. *Quæ hinc exit.*] Id eſt, ex ædibus Periplectomenis.

PA. Quis ego ſum igitur, ſi tu hunc ignoras? *PH.* mihi odioſus, quiſquis es
Et tu, & hic. *SC.* nos non noviſti? *PH.* neutrum. *SC.* metuo maximè.
PA. Quid metuis? *SC.* enim ne nóſmet perdiderimus uſpiam.
Nam neque te, neque me noviſſe ait hæc. *PA.* perſcrutari hîc volo,
Sceledre, nos noſtri, an alieni ſimus: ne dum quiſpiam
Nos vicinorum imprudenteis aliquis immutaverit.
SC. Certè equidem noſter ſum. *PA.* & pol ego. quæris tu, mulier malum.
Tibi dico, heus Philocomaſium. *PH.* quæ te intemperiæ tenent,
Qui me perperàm perplexo nomine appelles? *PA.* ehò,
Quis igitur vocàre? *PH.* Glycere nomen eſt. *SC.* injuria eſt.
Falſum nomen poſſidere, Philocomaſium, poſtulas.
At iſtuc non decet, & meo adeò hero facis injuriam.
PH. Egóne? *PA.* túte. *PH.* quæ heri Athenis Epheſum adveni veſperi
Cum meo amatore, adoleſcente Athenienſi. *PA.* dic mihi,
Quid hîc tibi in Epheſo eſt negotii? *PH.* geminam germanam meam
Hîc ſororem eſſe inaudivi: eam veni quæſitum. *PA.* mala es.
PH. Imò ecaſtor ſtulta multùm, quæ vobiſcum fabuler.
Abeo. *SC.* abire non ſinam te. *PH.* mitte. *SC.* manifeſtaria
Res eſt, non mitto. *PH.* at mihi jam crepabùnt manûs? malæ tibi,
Niſi me omittis. *SC.* quid, malûm, aſtas? quin retines altrinſecus.
PA. Nihil moror negotioſum mihi eſſe tergum. quî ſcio
An iſta non ſit Philocomaſium, atque alia ejus ſimilis ſit?
PH. Mittis me, an non mittis? *SC.* imò vi atque invitam, ingratiis,
Niſi voluntate ibis, rapiam te domum. *PH.* oſtium hoc mihi

INTERPRETATIO.

PA. *Quis ſum ego igitur, ſi tu non cognoſcis hunc?* PH. *Mihi es invisſus, quiſquis es & tu, & hic.* SC. *Nos non cognoſcis?* PH. *Neutrum.* SC. *Timeo magnopere.* PA. *Quid times?* SC. *Ne nos amiſerimus noſmet alicubi. Nam hæc ait ſe, neque te noviſſe, neque me.* PA. *Volo hic explorare, Sceledre, ſi nos ſimus noſtri, an alieni: ne fortè aliquis vicinorum nos commutaverit inſcienteis.* SC. *Profectò ſum noſter.* PA. *Et ego: mulier, tu quæris, malum. Tibi dico, heus! Philocomaſium.* PH. *Qua amentia præcipitem agit, qui me nuncupes incaſſum nomine implicato?* PA. *Quomodo ergo vocaris?* PH. *Nomen eſt Glycere.* SC. *Eſt injuſtitia, poſtulas Philocomaſium poſſidere falſum nomen: at iſtud non decet, atque adeò infers contumeliam meo hero.* PH. *Egóne?* PA. *Tu.* PH. *Quæ heſternâ die adveni Athenis Epheſum cum meo amatore, juvene Athenienſi.* PA. *Dic mihi, quid rei eſt Epheſi?* PH. *Accepi meam ſororem germanam geminam eſſe hic. Veni eam quæſitum.* PA. *Es nequam.* PH. *Imò ſanè amens plurimùm, quæ diſſero vobiſcum, abeo.* SC. *Non patiar te abire.* PH. *Dimitte.* SC. *Non dimitto, res eſt palàm.* PH. *At meæ manus audientur; habes genas, niſi me dimittis.* SC. *Quare, aſtas* otioſus, *malum? Quin tenes ab alterâ parte?* PA. *Nolo negotium faceſſere meo tergo; quomodo ſciam an iſta non ſit Philocomaſium, an ſit alia ſimilis illi?* PH. *Me linquis, an non linquis?* SC. *Imò te abducam in ædes reluctantem, niſi venias ultro.* PH. *Adeſt janua mea domus*

Domicilium eſt: Athenis domus ac herus. ego iſtam domum
Neque moror: neque vos, qui homines ſitis, novi, neque ſcio.
SC. Lege agito: te nuſquam mittam, niſi das firmatam fidem;
Te huc, ſi omiſeto, intrò ituram. *PH.* vi me cogis, quiſquis es.
Do fidem, ſi omittis, iſtoc me intrò ituram, quò jubes.
SC. Ecce omitto. *PH.* at ego abeo miſſa. *SC.* muliebri feciſti fide.
PA. Sceledre, manibus amiſiſti prædam: tam ea eſt, quàm potis,
Noſtra herilis concubina. vin' tu facere hoc ſtrenuè?
SC. Quid faciam? *PA.* affer mihi machæram huc intus. *SC.* quid facies eâ?
PA. Introrumpam rectâ in ædes, quémque hîc intus videro.
Cum Philocomaſio oſculantem, eum ego obtruncabo extemplò.
SC. Viſáne eſt ea eſſe? *PA.* imò edepol planè ea eſt. ſed quomodo
Diſſimulabat! abi, machæram huc effer. *SC.* jam faxo hîc erit.
„*PA.* Neque eques neque pedes profectò quiſquam, tantâ audaciâ,
„Qui æquè faciat confidenter quicquam, quàm quæ mulieres
Faciunt: ut utrobique orationem doctè edidit!
Ut ſublinitur os cuſtodi cauto, conſervo meo!
Nimis beat, quòd commeatus tranſtinet trans parietem.
SC. Heus, Palæſtrio, machærâ nihil opus. *PA.* quid jam, aut quid opus eſt?
SC. Domi eccam herilem concubinam. *PA.* quid? domi? *SC.* in lecto cubat.
PA. Edepol næ tu tibi malam rem repperiſti, ut prædicas,

INTERPRETATIO.

Epheſi, Sed Athenis eſt domus ac herus. Ego non curo iſtam domum: neque novi qui vos ſitis, neque ſcio. SC. *Intende mihi actionem: te nunquam dimittam, niſi interpoſueris fidem, te huc intraturam, ſi dimiſero.* PH. *Vim affers, quiſquis es. De fidem, ſi dimittis, me intraturam illuc, quò imperas.* SC. *Ecce dimitto.* PH. *At ego abeo dimiſſa.* SC. *Agis fide muliebri.* PA. *Sceledre, paſſus es elabi prædam de manibus: hæc mulier eſt tam concubina heri, quàm poteſt eſſe: viſne tu agere fortiter quod mandavero?* SC. *Quid agam?* PA. *Affer mihi enſem in ædes.* SC. *Quid ages?* PA. *Irrumpam rectà in ædes, quemcumque conſpexero in iis oſculantem Philocomaſium, ego eum occidam ſtatim.* SC. *Credisne eam eſſe?* PA. *Imò profectò eſt ipſa planè. Sed quomodo diſſimulabat! Abi, affer huc enſem.* SC. *Curabo ut hîc ſit modò.* PA. *Neque eques, neque pedes quiſquam eſt adeò audax, ut ſuſcipiat res perinde audaces, atque ſuſcipiunt mulieres: ut concinnavit disertè orationem, in utramque partem! ut duxtavit meum conſervum cuſtodem callidiſſimè! O nos beatos, quibus eſt paries pervius!* SC. *Heus Palæſtrio! nihil opus enſe.* PA. *Quare? aut quid igitur opus eſt?* SC. *Ecce meretrix heri eſt domi.* PA. *Quid? domi?* SC. *Accubat in lecto.* PA. *Profectò tu conflaviſti rem malam, ut dicis.*

ANNOTATIONES.

45. *Lege agito.*] Dicebat id adverſarius adverſario, cujus jus erat, aut nullum, aut nullius momenti.

58. *Tranſtinet.*] Id eſt, commeatus, qui eſt trans parietem.

SC. Quidjam? *PA.* quia hanc attingere auſus mulierem hîc in proximo.
SC. Magis hercle metuo. ſed nunquam quiſquam faciet, quin ſoror
Iſta ſit germana hujus. *PA.* eam pol tu oſculantem hîc videras.
Et quidem palàm eſt eam eſſe, ut dicis. *SC.* quid propius fuit,
Quàm ut perirem, ſi locutus fuiſſem hero! *PA.* ergo ſi ſapis,
„Muſſitabis. Plus oportet ſcire ſervum, quàm loqui.
Ergo abeo à te, ne quid tecum conſilii commiſceam:
Atque apud hunc vicinum. tuæ mihi turbæ non placent.
Herus ſi veniet, ſi me quærit, hîc ero, hinc me arceſſito.

INTERPRETATIO.

SC. *Quare?* PA. *Quia auſus es injicere manus huic mulieri, qua manet in proximo.* SC. *Per Herculem timeo magis; ſed nunquam aſſequetur quiſquam, quominùs iſta ſit hujus ſoror germana.* PA. *Certè tu eam fueras conſpicatus hîc oſculantem, & quidem patet eam eſſe, quàm loqueris.* SC. *Quàm parùm abfuit, quin occiderem,* *ſi rem dixiſſem hero!* PA. *Igitur, ſi ſapis, tacebis. Decet ſervum noſce plura quàm dicere. Ego diſcedo à te, ne videar eſſe particeps conſiliorum; atque ero apud hunc vicinum; tui tumultus non mihi probantur: ſi herus veniat, ſi me petit, hîc ero; hinc me evocato.*

ACTUS SECUNDUS. SCENA SEXTA.

ARGVMENTVM.

PERIPLECTOMENES laceſſit Sceledrum & objurgat, quòd perfregerit tegulas & imbrices, quòd per impluvium obſervet quid domi geratur, quòd Glyceram prætereuntem auſus ſit retentare. Precatur veniam Sceledrus.

PERIPLECTOMENES, SCELEDRVS.

SCELEDRVS.

SATIN' abiit ille, neque herile negotium
Plus curat, quàm ſi non ſervitute ſerviat?
Certò quidem illæc noſtra intus eſt in ædibus.
Nam ego & cubantem eam modò offendi domi.
Certum eſt nunc obſervationi operam dare.
PE. Non hercle hiſce homines me marem, ſed fœminam,

INTERPRETATIO.

SCEL. *Nonne ille diſceſſit ſatis? Neque magis ſollicitus eſt de re heri, quàm ſi non eſſet reverà ejus ſervus! ſine dubio illa hæc noſtra eſt domi.* *Nam ego eam reperi nunc modò in ædibus decumbentem: apud me ſtatui obſervare nunc diligenter.* PE. *Profectò hi famuli Militis vicini non arbitrantur me eſſe*

ANNOTATIO.

6. Hiſce.] Pro hice, & hi, in nominativo plurali.

Vicini rentur eſſe ſervi Militis:
Ita me ludificant. meámne hîc in viâ hoſpitam,
Quæ heri huc Athenis cum hoſpiti advenit meo,
Tractatam, & ludificatam, ingenuam & liberam?
SC. Perii hercle? hic ad me rectà habet rectam viam.
Metuo illæc mihi res ne magno malo fuat,
Quantùm hunc audivi facere verborum ſenem.
PE. Accedam ad hominem. tun', Sceledre, hîc ſcelerum caput,
Meam ludificaviſti hoſpitam ante ædis modò?
SC. Vicine, auſculta quæſo. *PE.* ego auſcultem tibi?
SC. Expurgare volo me. *PE.* tun' te expurges mihi,
Qui facinus tantum támque indignum feceris?
An quia latrocinamini, arbitramini
Quìdvis licere facere vobis, verbero?
SC. Licétne? *PE.* at ita me dî deæque omnes ament,
Niſi mihi ſupplicium virgarum de te datur
Longum diutinúmque à mane ad veſperum,
Quòd meas confregiſti imbrices & tegulas,
Ibi dum condignam te ſectatus ſimiam,
Quòdque inde inſpectaviſti meum apud me hoſpitem
Amplexum amicam cùm oſculabatur ſuam,
Quódque concubinam herilem inſimulare auſus es
Probri, pudicam, méque ſummi flagitii:
Tum quòd tractaviſti hoſpitam ante ædes meas:
Niſi tibi ſupplicium ſtimuleum de te datur,

INTERPRETATIO.

virum, ſed mulierem, adeò me ſubſannant. Oportétne meam hoſpitam, quæ advenit huc Athenis cum meo hoſpite, fuiſſe ſic habitam hìc in viâ, & irriſam, quamvis ſit *ingenua & libera?* SC. *Occidi profectò:* Periplectomenes *contendit rectà ad me. Vereor ne hoc negotium mihi vertat magno detrimento; ſicut audio loqui hunc ſenem.* PE. *Adoriar hominem; túne, Sceledre ſceleratiſſimè, illuſiſti mox mea hoſpiti ante oſtium?* SC. *Vicine audi amabo?* PE. *Ego audiam te?* SC. *Volo me excuſare.* PE. *Túne te excuſes mihi, tu qui commiſiſti tantum ſcelus tamque atrox? An quia eſtis milites, exiſtimatis vobis licere audere omnia, furcifer?* SC. *Licitúmne eſt?* PE. *Sed ita me omnes Dii Deæque ament, niſi ſumantur de te pœna virgarum longa dinturnaque à mane ad veſperam, quòd comminuiſti meas imbrices & tegulas, ſectando per eas ſimiam* belluam *dignam te, & quod inde deſpexiſti meum hoſpitem complectentem apud me ſuam amicam, & deoſculantem; & quod es auſus accuſare concubinam heri caſtam impudicitia, & me ingentis ſceleris: tum quoniam attrectaviſti hoſpitem ante meum oſtium: niſi ſumatur de te pœna ſtimulorum,*

ANNOTATIONES.

19. *Latrocinamini.*] Id eſt, milites eſtis.

22. *Niſi mihi ſupplicium.*] Si quis ſervus damno affecerat aliquem, vel dabat pœnas ejus arbitrio qui damnum paſſus erat; vel Dominus æſtimationem litis pendebat, vel pipulo differebatur.

Dedecoris

Dedecoris pleniorem herum faciam tuum,
Quàm magno vento plenum eſt undarum mare.
SC. Ita ſum coactus, Periplectomene, ut neſciam
Utrúmne poſtulare priùs tecum æquom ſiet,
An me expurgare hîc tibi videatur æquius.
Niſi iſtæc non eſt hæc, neque iſta ſit mihi:
Sicut etiam nunc neſcio quid viderim:
Ita eſt iſtæc hujus ſimilis noſtræ tua,
Siquidem non eadem eſt. *PE*. viſe ad me intrò, jam ſcies.
SC. Licétne? *PE*. quin te jubeo. at placidè noſcita.
SC. Ita facere certum eſt. *PE*. heus Philocomaſium! citò
Tranſcurre curriculò ad nos, ita negotium eſt.
Pòſt, quando exierit Sceledrus à nobis, citò
Tranſcurrito ad vos rurſum curriculò domum.
Nunc pol ego metuo, ne quid infuſcaverit.
Si hîc non videbit mulierem, aperitur dolus.
SC. Prô dî immortales! ſimiliorem mulierem,
Magiſque eandem, ut pote quæ non ſit eadem, non reor
Deos facere poſſe. *PE*. quid nunc? *SC*. commerui malum.
PE. Quid igitur? cán' eſt? *SC*. etſi ea eſt, non eſt ea.
PE. Vidiſtin' iſtam? *SC*. vidi & illam, & hoſpitem
Complexam atque oſculantem. *PE*. ean' eſt? *SC*. neſcio.
PE. Vin' ſcire planè? *SC*. cupio. *PE*. abi intrò ad vos domum
Continuò, vide ſítne iſtæc voſtra intus domum.

INTERPRETATIO.

reddam tuum herum magis refertum contumeliâ, quàm mare eſt refertum undarum ingenti vento. SC. *Eò ſum redactus, Periplectomene, ut ignorem utrum ſit juſtius contendere priùs tecum, an me excuſare tibi hîc. Si iſta* mulier *non eſt* Philocomaſium, *neque mea: ſicut etiam nunc ignoro quid conſpexerim: adeò hæc quæ tua eſt,* eſt *ſimilis noſtræ Philocomaſio, ſi modò non eſt eadem.* PE. *Vide apud me in ædibus, ſtatim intelliges.* SC. *Mihíne id concedis?* PE. *Imò ego impero; ſed agnoſce placidè.* SC. *Deliberatum eſt ſic agere.* PE. *Heus! Philocomaſium, tranſi ad nos celeriter, & accurre: ita res poſtulat. Deinde quando Sceledrus diſceſſerit à nobis tranſi celeriter, & recures iterum in ædes Militis. Sanè ego pertimeſco jam ne* Philocomaſium *miſceat aliquid; ſi hic non conſpiciat mulierem, fraus detegitur.* SC. *Proh Dii immortales! non arbitror Deos poſſe creare mulierem ſimiliorem, & magis eandem, utpote quæ non ſit eadem.* PE. *Quid* ais *nunc?* SC. *Meritus ſum pœnas.* PE. *Quid* ais *igitur? eſtne ipſa?* SC. *Etſi eſt ipſa, non eſt ipſa.* PE. *Conſpexiſtíne iſtam?* SC. *Conſpexi & illam, & hoſpitem complexam, atque oſculantem.* PE. *Eſt-ne?* SC. *Neſcio.* PE. *Viſne ſcire planè?* SC. *Volo.* PE. *Introi domum ad vos uno tempore, vide utrum ſit iſta hæc veſtra in ædibus.*

ANNOTATIONES.

46. *Infuſcaverit.*] Id eſt, turbaverit. Plinius infuſcatam aquam appellat, moto luto quod in fundo eſt, turbatam.

54. *Intus domum.*] In domo, adverbia loco præpoſitionum reponuntur.

Dato excruciatum me : egomet dicam me tibi.
Nunc hoc mihi ignoſcas quæſo. *PE.* vincam animum meum ,
Ne malitioſè factum id eſſe abs te arbitrer.
Ignoſcam tibi iſtuc. *SC.* at dii tibi faciant bene.
PE. Næ tu hercle , ſi te dii amant, linguam comprimes
Poſthac : etiam illud quod ſcies, neſciveris :
Ne videris , quod videris. *SC.* bene me mones.
Ita facere certum eſt. ſed ſatine oratus abis ?
Nunquid nunc aliud me vis ? *PE.* ne me noveris.
SC. Dedit hic mihi verba. quàm benignè gratiam
Fecit, ne iratus eſſet ! ſcio quam rem gerat :
Ut Miles, cùm extemplò à foro adveniat domum,
Domi comprehendat. unà hic & Palæſtrio
Me habent venalem : ſenſi ,& jamdudum ſcio.
Nunquam hercle ex iſtâ naſſâ ego hodie eſcam petam.
Nam jam aliquò aufugiam , & me occultabo aliquot dies ,
Dum hæ conſileſcunt turbæ , atque iræ leniunt.
Nam jam nunc ſatis & plus nimiò merui mali.
Veruntamen de me quicquid eſt , ibo hinc domum.
PE. illic hinc abſceſſit. ſat edepol certò ſcio ,
Occiſam ſæpe ſapere plus multò ſuem ,
Cùm manducatur. ne id , quod vidit , viderit !

INTERPRETATIO.

me ſuſpendendū: egomet me tibi permittam. Nunc obſecro hec mihi condona. PE. *A me impetrabo , ut non rear id à te eſſe perpetratum per malitiam , tibi condonabo iſtud.* SC. *At Dii tibi benefaciant.* PE. *Per Herculem tu coërcebis deinceps linguam, ſi Dii te ament : etiam ignoraveris id quod noris, ne intuitus fueris quod intuitus fueris.* SC. *Me doces ſapienter : propoſitum eſt ſic agere. Sed éſne ſatis placatus ? Viſne mandare aliud ?* PE. *Ne me noveris.* SC. *Hic me fefellit : quàm ultrò conceſſit ne eſſet iratus ! Intelligo quid negotii agat :* ſtatuit videlicet , *ut Miles me capiat in ædibus , quando revertetur modò domum à foro. Periplectomenes & Palæſtrio me proponunt ambo venalem : hoc animadverti & intellige jam pridem. Profectò nunquam ego depremam eſcam ex iſtâ naſſâ. Nam concedam jam in quemdam locum , & me abſcondam aliquot diebus , dum he contentiones compenantur , atque iræ placantur. Nam meritus ſum nunc ſatis ſupérque pœnarum. Attamen quod ad me attinet. proficiſcor hinc in ædes.* PE. *Ille profectus eſt hinc: Per ædem Pollucis ſcio ſatis pro certò ſuem occiſam ſapere ſæpe multò plus , quando comeditur , ne id quidem conſpicatus eſt.*

ANNOTATIONES.

97. *Me habent venalem.*] Me produnt. Nos noſtro vernaculo dicimus , *vent me vendez.*

98. *Numquam ex iſtâ naſſâ eſcam petam.*] naſſa eſt vas quoddam vimineum, anguſtiori aditu , ſed facili , exitu difficili, ut pote acuminibus munito , *une Naſſe,* in ima autem naſſa eſca reponitur ad illiciendos piſces. Sceledrus confitetur ſe voluiſſe in illâ naſſâ cibum quærere, adjiſſe ſe periculum , ex eo evaſiſſe ; juráſque ſe nunquam inde repeciturum.

100. *Iræ leniunt.*] Pro leniuntur , activum pro paſſivo. Cicero : *terra movet* , Id eſt , *movetur.* Virgilius : *venti poſuere, Inſinuat pavor.*

Nam illius oculi, atque aures, atque opinio
Transfugêre ad nos. uſque adhuc actum eſt probè.
Nimium feſtivam mulier operam præbuit,
Redeo in ſenatum rurſus. nam Palæſtrio
Domi nunc apud me: Sceledrus nunc autem foràs.
Frequens ſenatus poterit nunc haberier.
Ibo intrò: ne, dum abſum, illis ſortito fuam.

INTERPRETATIO.

quod conſpicatus eſt! Nam illius oculi, atque aures, atque ſententia migravêre in noſtras partes; & bene actum hucuſque. Philocomaſium exhibuit nimis jucundam operam. Revertor rurſus in ſenatum. Nam Palæſtrio eſt nunc apud me domi: Sceledrus verò eſt nunc foris. Senatus poterit nunc cogi frequens: ingrediar, ne fiat ſortitio me abſente.

ANNOTATIONES.

106. *Illius oculi transfugêre.*] Id eſt non videt niſi noſtris oculis.

112. *Illis ſortito fuam.*] Senex, allegoriâ à rebus gravibus factâ ad res ludicras, dicit redeundum ſibi in Senatum ſuorum congerronum, ne multâ irrogatâ, quod fieri ſolebat in abſentes Senatores apud Romanos, pœnas det. In Senatu ſortiebantur Provincias; hic autem jocans ſenex, dicit vereri ſe ne ipſe fiat ſortitio, id eſt, ne multam pendendam à ſe aliquis, tanquam Provinciam, ſortiatur.

ACTUS TERTIUS.

ARGUMENTUM.

PALÆSTRIO molitur fraudem in Pyrgopolinicem, quâ Philocomaſium ab eo abducat, & eam Pleuſidi hero reſtituat.

ACTUS TERTIUS. SCENA PRIMA.

ARGUMENTUM.

STATUUNT Periplectomenes Pleuſides & Palæſtrio, propoſitis Milphidippæ amoribus, Pyrgopolinicem vocare in fraudem, & ei ſubducere Philocomaſium.

PERIPLECTOMENES, PLEVSIDES, PALÆSTRIO.

PALÆSTRIO.

COHIBETE intra limen etiam vos parumper, Pleuſides.
Sinite me prius proſpectare, ne uſpiam inſidiæ ſient
Concilio, quod habere volumus. nam opus eſt nunc tuto loco,
Unde inimicus ne quis noſtris ſpolia capiat conſiliis,
Unde inimicus ne quis noſtra ſpolia capiat auribus:
„Nam BENE CONSULTUM, inconſultum eſt, ſi inimicis ſit uſui:
„Neque poteſt, quin, ſi id inimicis uſui eſt, obſit mihi.
„Nam BONUM CONSILIUM ſurripitur ſæpiſſimè,
„Si minus cum curâ aut catè locus loquendi lectus eſt.
„Quippe ſi reſciverint inimici conſilium tuum,
„Tuopte tibi conſilio occludunt linguam, & conſtringunt manus:
„Atque eadem, quæ illis voluiſti facere, faciunt tibi.
Sed ſpeculabor, ne quis aut hinc à lævâ, aut à dexterâ
Noſtro conſilio venator aſſit cum auritis plagis.

INTERPRETATIO.

PAL. *Continete vos adhuc pauliſper intra oſtium Pleuſidis; per vos liceat mihi obſervare, ne ſint alicubi inſidiæ* collocatæ *cœtui, quem optamus obire. Nam oportet habere nunc ſtationem ſecuram, ne aliquis hoſtis noſtrorum conſiliorum, ex eâ exuvias detrahat, ne quis de eâ inimicus auferat noſtra conſilia auribus: nam quod eſt meditatum eſt immediatum, ſi hoſtes poſſunt eo uti,* neque fieri *poteſt, ut id non mihi noceat, quod prodeſt meis inimicis. Nam bona conſiliâ perveniunt ſæpè ad hoſtes, ſi ſumitur locus ad loquendum minus diligenter & prudenter; quippe ſi hoſtes acceperint tua conſilia, tibi obſtruunt os tuomet conſilio, & colligant manus: & tibi conſlant eadem quæ voluiſti illis conſlare; ſed obſervabo ne aliquis venator adſit noſtro conſilio. aut à lævâ, aut à dextrâ. cum retibus auritis. Proſpectus eſt*

ANNOTATIONES.

3. *Concilio quod habere volumus.*] Alii; *inſidiæ ſint concilium* pro *inſidiæ ſint concilio poſita, collocata.* Sed hoc loco Plautus, quod alibi non ſemel, diſſoluto per verbum ſubſtantivum verbo, idem regimen retinet, *ne inſidiæ ſint* pro *ne inſidientur:* neque movere debet quemquam, quòd *inſidiari* dandi caſum regat, quia & is hoc in Poëta paſſim obvius Archaïſmus, quo deponens, cui jam adjungitur unus caſus, olim alius ſubjungeretur; ſic *inſidiari aliquem* pro *inſidiari alicui.*

4. *Spolia capiat conſiliis.*] Eſt allegoria ducta à re militari; quaſi dicat; ne conſilium, ſeu ſenatus, ut alibi vocat, congerronum, ſpolietur: quæ ſunt autem ſpolia conſilii ſeu ſenatus? eſt conſilium ſenatus, ſeu quod deliberatum eſt in ſenatu. Itaque *ſpolia capere conſiliis*, eſt audire ea de quibus deliberant ſenatores. Conſilium autem in hac allegoriâ duobus modis accipitur, qui niſi diſtinguantur, pariunt confuſionem: ſumitur enim & pro conſeſſu ſenatorum, & pro iis quæ deliberata ſunt in ſenatu

5. *Spolia capiat auribus.*] Ut hoſti victo manibus ſpolia, ſic inimico auribus ſecreta detrahuntur.

14. *Venator aſſit.*] Allegoria à re venaticâ. Nimirum quemadmodum venator plagas in manu fert ad captandas ex occultis inſidiis feras, ſic aures ad captanda conſilia inimici.

PL. Hanccine ætatem exercere me mei amoris gratiâ ?
PE. Quid ais tu ? itáne tibi ego videor oppidò Acherunticus,
Tam capularis , támne tibi diu videor vitâ vivere ?
Nam equidem haud ſum annos natus præter quinquaginta & quatuor :
Clarè oculis video , pernix ſum manibus , ſum pedes mobilis.
PA. Si albus capillus hic videtur , neutiquam ingenio eſt ſenex.
Ineſt in hoc amuſſitata ſua ſibi ingenua indoles.
PL. Pol id quidem experior ita eſſe, ut prædicas , Palæſtrio.
Nam benignitas quidem hujus oppidò ut adoleſcentuli eſt !
PE. Imò, hoſpes, magis cùm periculum facies, magis noſces meam
Comitatem erga te amantem. *PL*. quid opus nota noſcere ?
PE. Ut apud te exemplum experiundi habeas , ne petas foris.
„Nam QUI IPSE HAUD AMAVIT , ægrè amantis ingenium inſpicit.
Et ego amóris aliquantùm habeo, humoríſque meo etiam in corpore :
Neque dum exarui ex amœnis rebus & voluptariis.
Vel cavillator facetus , vel conviva commodus
Item ero : neque ego unquam oblocutor ſum alteri in convivio.
Incommoditate abſtinere me apud convivas commodè
Commemini , & meæ orationis juſtam partem perſequi :
Et meam partem itidem tacere , cùm aliena eſt oratio.
Minimè ſputator , ſcreator ſum , itidem minimè muccidus.
Pòſt Epheſi ſum natus ; non in Apulis , non in Umbriâ.

INTERPRETATIO.

PL. *Æquúmne eſt me vexare hanc ætatem pro meis amoribus ?* PE. *Quid dicis ? Tibíne videor ego adeò decrepitus , tam feretro proximus, tibíne videor tandiu vixiſſe ? Nam ego ſum natus tantum quinquaginta quatuor annos : video clarè oculis, ſum expeditis manibus , ſum velox pedibus.* PAL. *Si hæc cæſaries & coma eſt cana , nullomodo eſt ſenex animo. Hic præditus eſt naturâ liberali & exactâ ad unguem.* PL. *Per Pollucem profectò animadverto id eſſe ſicut prædicas , Palæſtrio. Nam ejus urbanitas eſt ut juvenis.* PE. *Imò, hoſpes, quando experieris , noſces magis magiſque meam urbanitatem erga te amantem.* PL. *Quid eſt opus experiri nota?* PE. *Quandoquidem habes locum faciendi periculi apud te , ne quæras foris. Nam qui non amavit ipſe , ægrè fert animum amantis. Et eſt etiam mihi nonnihil amoris humoriſque adhuc in meo corpore : neque adhuc exarui in rebus jucundis & voluptariis. Item ero vel feſtivus cavillator , vel epulator non moleſtus : neque ego obloquar unquam alteri in epulis : ſcio cavere commodè apud convivas ab incommodo , & obire iſtam partem mei ſermonis : & rurſum ſilentio premere partem orationis , quando eſt aliena. Non ſum ſputator. non ſum ſcreator , itidem non ſum mucidus. Præterea ſum natus Epheſi ; non in Apulia , non in Umbriâ.*

ANNOTATIONES.

36. *Pedes mobilis.* [Helleniſmus,
53. *Poſt Epheſi ſum natus.*] Quam labem inurat hoc loco genti ſuæ Umber Plautus, difficile eſt ſtatuere , niſi ſtoliditatis. Umbri enim fermè erant latis humeris, magnis & pedibus & auribus , quæ

PL. O lepidum ſenicem, ſi, quas memorat, virtutes habet:
Atque equidem planè eductum in nutricatu Venerio!
PE. Plus dabo, quàm prædicabo, ex me venuſtatis tibi.
Neque ego ad menſam publicas res clamo, neque leges crepo.
* * * *
Neque præripio pulpamentum, neque prævorto poculum,
Neque per vinum unquam ex me exoritur diſſidium in convivio.
Si quis ibi eſt odioſus, abeo domum, ſermonem ſegrego.
* * * *
PL. Tui quidem edepol omnis mores ad venuſtatem valent.
Cedò treis mihi homines aurichalco contrà cum iſtis moribus.
PA. At quidem illuc ætatis qui ſit, non invenies alterum
Lepidiorem ad omnes res, nec qui amicus amico ſit magis.
PE. Tute me ut fateare faciam, eſſe adoleſcentem moribus:
Ita apud omnes comparebo tibi res benefactis frequens:
Opúſne erit tibi advocato triſti, iracundo? ecce me.
Opúſne leni? leniorem dices, quàm mutum eſt mare.
Liquidiuſculúſque ero, quàm ventus eſt Favonius.
Vel hilariſſimum convivam hinc indidem expromam tibi,
Vel primarium paraſitum, atque obſonatorem optumum:
Tum ad ſaltandum non cinædus malacus æquè eſt atque ego.
PA. Quid ad illas artes optaſſis, ſi optio eveniat tibi?
PL. Hujus pro meritis ut referri pariter poſſit gratia:

INTERPRETATIO.

PL. O *feſtivum ſenem, ſi habet virtutes quas dicit: atque altum omnine nutrice Venere!* PE. *Plus tibi præſtabo venuſtatis, quàm pollicear ex me; neque ego vociferor res publicas inter pocula; neque prædico leges:* * * *
neque præripio cibum, neque præcipio poculum; neque rixa exoritur unquam ex me propter vinum in convivio. Si quis eſt ibi moleſtus, fugio domum, intermitto orationem. * * *
PL. *Omnes tui mores, per ædem Pollucis, ſunt compoſiti ad elegantiam. Da mihi tres homines pro quovis pretio contra iſtos mores.* PA. *At non reperies alium illâ ætate* natum *facetiorem ad omnes res nec qui ſit magis amicus amico.* P E. *Dabo operam, ut tu confiteare me eſſe juvenilibus moribus: ita videbor tibi aſſiduus in benefaciendo in omnibus rebus. Eritne opus patrono ſevero, iracundo? Ecce ego: opus miti? dices mitiorem, quàm eſt æquor tranquillum, ego magis ſerenus, quàm eſt ventus Favonius; tibi me vel præſtabo, vel epulonem jucundiſſimum, paraſitum egregium, atque obſoniorum emptorem. Præterea non eſt cinædus perinde flexilis ad ſaltandum atque ego.* P A. *Quid cupiveris addi illiſce artibus, ſi tibi offeratur optio?* PL. *Ut poſſit referri gratia ex æquo pro hujus meritis.*

ANNOTATIONES.

fermè indicia ſunt roboris quidem in corpore, ſed inſignis ſtoliditatis. Porrò Epheſi natos inde colligendum eſt fuiſſe elegantes corpore, animo præſtantes.

54. O *lepidum ſenicem.*] Senex, ſenicis, vetus, Senica mulier, pro, ſenex mulier.

64. *Cedo tres mihi homines.*] Da mihi tres homines iſtis moribus præditos, & ego tibi dabo orichalcum æqui ponderis.

71. *Liquidiuſculúſque.*] Id eſt, *liquidior:* Favonius, qui & zephyrus, ab occaſu ſpirat, lenis ille, & parturienti naturæ favens, dicitur à Græcis αἰθρηγενέτης, *ſerenitatis & tepentis aëris autor.*

Tibique,

Tibíque, quibus nunc me eſſe experior ſummæ ſolicitudini.
At tibi tanto ſumptui eſſe mihi moleſtum eſt. *PE.* môrus es.
„Nam IN MALA UXORE atque inimico ſi quid ſumas, ſumptus eſt:
„In bono hoſpite atque amico, quæſtus eſt, quod ſumitur:
„Et quod in divinis rebus ſumas, ſapienti lucro eſt.
Deûm virtute ut tranſeuntem hoſpitio accipiam, apud me eſt comitas.
Es, bibe, animo obſequere mecum, atque onera te hilaritudine.
Liberæ ſunt ædis. liber ſum autem ego: me uti volo liberè.
Nam mihi, deûm virtute dicam, propter divitias meas
Licuit uxorem dotatam genere ſummo ducere:
Sed nolo mihi oblatratricem in ædis intromittere.
PL Cur non vis? nam PROCREARE liberos lepidum eſt onus.
PE. Hercle verò, LIBERUM ESSE, id multò eſt lepidius.
PA. Túte homo & alteri ſapienter potis es conſulere, & tibi.
PE. Nam BONA UXOR, ſi ea deducta eſt uſquam gentium,
Ubi eam poſſim invenire? verùm egóne eam ducam domum?
Quæ mihi nunquam hoc dicat: Eme, mi vir, lanam, unde tibi pallium
Malacum & calidum conficiatur, tunicæque hibernæ bonæ,
Ne algeas hâc hyeme. hoc nunquam verbum ex uxore audias.

INTERPRETATIO.

& tibi quibus ſentio nunc me eſſe ſumma cura. At mihi grave eſt me tibi eſſe tanto ſumptui. PE. *Amens es. Nam ſi impendas quippiam cum malâ uxore, & cum inimico, diſpendium eſt; quod impenditur cum bono hoſpite atque amico, eſt lucrum: quod impendas in rebus ſacris, eſt quaſtus,* judicio *ſapientis. Benignitas ſi prabeam hoſpitium pratereunti apud me, beneficio deorum. Es, pota, indulge genio mecum, atque prolue te latitiá. Domus eſt libera; ego etiam ſum liber; volo frui meâ libertate. Nam mihi contigit habere uxorem cum egregiá* dote, *genere nobilem, propter meas opes, dicam id voluntate deorum: ſed nolo inducere in ades clamoſam.* PL. *Quare non vis? Nam eſt munus jucundum habere liberos.* PE. *Per Herculem, eſt multò jucundius, eſſe liberum.* PA. *Tu homo potes dare monita prudentia, aliis & tibi.* PE. *Nam ſi bona uxor uſquam gentium à quoquam ducta, ubi poſſim eam reperire? Sed eánne ducam ego domum, qua nunquam mihi ſic alloquatur: compara lanam, mi vir, ut tibi conficiam pallium molle, & calidum, & bonas tunicas hybernas, ne frigeas hac hyeme. Nunquam accipias hanc orationem ab uxore.*

ANNOTATIONES.

82. *Deûm virtute.*] Id eſt, auxilio Deorum. Etiam veri numinis ignati infirmitatem agnoſcunt humanam in rectis & laudabilibus rebus, quas non ſibi, ſed diis tribuunt.

88. *Lepidum eſt onus.*] Nos vernaculo noſtro dicimus liberos eſſe *onus*: vocat *onus* hoc Pleuſides lepidum, id eſt, minime grave, ſed jucundum. Nam & ſunt onera quæ quò graviera ſunt, eo ſunt & jucundiora: nemo conqueritur de uberiore, aut meſſe, aut vindemia; nemo quod non unquam à mercatu gravior ære dextra redeat, ut cum optimo Poëta loquar.

91. *Deducta eſt uſquam gentium.*] Id eſt, adducta eſt à quavis regione.

Verùm priuſquam galli cantent, quæ me ſomno ſuſcitet;
Dicat: Da mihi, vir, Calendis meam quod matrem juverit:
Da qui farciat, da qui condiat: da quod dem Quinquatribus,
Præcantatrici, conjectrici, hariolæ atque aruſpicæ:
Flagitium eſt, ſi nihil mittetur, quo ſupercilio ſpicit!
Tum piatricem clementer non poteſt quin munerem.

INTERPRETATIO.

Sed antequam galli cantum mittant, quæ me excitet ſomno & dicat: præbe mihi, vir, quod placeat meæ matri Calendis; tribue fartorem: tribue conditorem: da quod apponam in feſtis Minervæ præcantatrici, conjectrici, hariolæ & aruſpicæ; eſt crimen, ſi mittetur nihil, quo vultu me aſpiciat! Non poſſum quin dem munus benignè

ANNOTATIONES.

97. *Calendis.*] Martiis videlicet, quia Kalendæ erant Junoni ſacræ, unde Juno Kalendaris dicta, ſed imprimis Martiæ, ut potè à quibus eſſet olim anni exordium, & in iis Matronæ ſacra faciebant, quæ appellabantur Matronalia, ut annus eſſet fœlix.

98. *Quinquatribus.*] Dicitur quinquatribus & quinquatris, ſecundæ & quartæ inclinationis. Erant Romæ feſta Minervæ, ut Athenis παναθήναια, quinquatria dicta, quòd poſt quintum idus Martias celebrarentur. Iſque primis Romæ temporibus dicebatur quinquatrus, ut ſextus ſexatrus, & ſeptimus ſeptimatrus. Deinde factum eſt, ut creſcente Imperio, ſumpto errore ex nomine, arbitrati ſunt celebranda quinquatria, non ſolum poſt quintum idus Martias, verùm etiam diebus quinque. Ovidius in faſtis, & hanc vocis originem notat, & quâ ratione celebrarentur quinquatria:

Una dies media eſt, poſt fiunt ſacra Minervæ,
Nomina quæ à junctis quinque diebus habent.
Sanguine prima vacat, nec fas concurrere ferro,
Cauſa, quòd eſt illo nata Minerva die.
Altera treſque ſuper ſtratâ celebrantur arenâ,
Enſibus exertis bellica læta dea eſt.
Summa dies è quinque tubâ luſtrare canorâ
Admonet, & forti ſacrificare deæ.

Idem Poëta innuit fuiſſe minores quinquatrus, & quo ritu celebrarentur.

Et jam quinquatrus jubeor narrare minores,
Nunc ades ô captis flava Minerva meis.
Cur vagus incedit totâ tibicen in urbe,
Quid ſibi perſona? quid toga longa volunt?

Celebrabantur à tibicinibus perſonatis, & talari togâ indutis.

99. *Præcantatrici.*] Quia erant mulieres, quæ carminibus amoliebantur mala & venena.

Conjectrici.] Erant & conjectrices, ſomniorum interpretes.

Hariolæ.] *Hariolæ* dicta; quaſi *fariolæ* à fando; vel ab halando. Quia quando ad fata aperienda ſeſe accingebant, halabant, quaſi ad efflandam animam humanam, divinámque ſorbendam: exhalabant verò mortalem, repetito ſæpiùs vocabulo, *ohe*; quod ſæpiùs repetere non poſſis, niſi exhauſto & exhalato penitus ſpiritu.

100. *Quo ſupercilio ſpicit!*] id eſt, quo oculo; oculus enim viſui, non ſupercilium ſervit: ſed ſupercilium indicat affectum animi, quo ſpicias, ſeu cernas elatum ſupercilium arrogantiam, adductum ſeveritatem ſignificat, aliud æquanimitatem. Spicit à ſpicio, ſeu ſpecio: manet in compoſitis *aſpicio, deſpicio, ſuſpicio.*

101. *Piatricem.*] Aliis nominibus ſaga & ſimpulatrix appellabatur, ejuſque partes erant die luſtrico, ſeu nominali, quem veteres, ὀνομαστήρια vocabant, *luſtrationes facere.* Græcis ἀπομάκτειαι, & περιμάκτριαι. Feſtus: *Piatrix dicebatur ſacerdos, quæ expiare erat ſolita, quam & ſagam, & ſimpulatricem vocant.*

Jampridem, quia nihil abſtulerit, ſuccenſet ceraria.
Tum obſtetrix expoſtulavit mecum, parum miſſum ſibi.
Quid? nutrici non miſſurus quicquam, quæ vernas alit?
Hæc atque hujus ſimilia alia damna multa mulierum,
Me uxore prohibent, mihi quæ hujus ſimiles ſermones ſerat.
PA. Dii tibi propitii ſunt hercle: nam ſi iſtam ſemel amiſeris
Libertatem, haud facilè te in eundem rurſus reſtitues locum.
PL. At ILLA LAUS EST, MAGNO in genere & in divitiis maxumis,
,,Liberos hominem educare, generi monumentum & ſibi.
,,*PE.* Quando habeo multos cognatos, quid opus ſit mihi liberis?
Nunc bene vivo, & fortunatè, atque ut volo, atque animo ut lubet:
Mea bona meâ morte cognatis dicam, inter eos partiam.
Illi apud me edunt, me curant, viſunt quid agam, ecquid velim.
Priuſquam lucet, adſunt: rogitant, noctu ut ſomnum ceperim.
Eos pro liberis habeo. quin mihi mittunt munera.
Sacrificant; dant inde partem mihi majorem, quàm ſibi:
Abducunt ad exta, me ad ſe ad prandium, ad cœnam vocant.
Ille miſerrimum ſe retur, minimum qui miſit mihi.
Illi inter ſe certant donis. ego hæc mecum muſſito:
Bona mea inhiant: certatim dona mittunt & munera.
PA. Nimis bonâ ratione, nimíſque apertâ tu multùm vides.

INTERPRETATIO.

expiatrici. Ceraria conqueritur jamdudum, quod nihil acceperit. Tum obſtetrix mihi exprobrat ſibi eſſe miſſa pauciora. Quid? non es miſſurus quicquam nutrici, quæ nutrit vernas? Hæc & alia horum ſimilia detrimenta complura mulierum, me avocant ab uxore, quæ mihi occantet ſermones ejuſmodi. PA. *Per Herculem Dii tibi ſunt amici: nam ſi ſemel perdideris illam libertatem, haud citra laborem recuperabis rurſus eundem locum.* PL. *At eſt præclarum in nobili genere, & in ampliſſimis opibus, ſi homo enutriat prolem ad monumentum generis & ſui,* PE. *Quandoquidem ſunt mihi affines, quid mihi opus eſt liberis? Vivo bene nunc, & beatè, & ut placet, & ut libet animo. Dicabo meas fortunas conſanguineis in morte, eas dividam inter eos. Illi vivunt apud me,* gerunt *curam mei, obſervant quid agam, & quid optem: antequam illuceſcat, adſunt: rogant quomodo cœperim ſomnum noctu; ii ſunt mihi liberorum loco, quin ad me mittunt munera. Sacrificia offerunt. Mihi dant ex eis majorem partem, quàm ſibi: invitant ad exta, me invitant ad ſe, ad prandium, ad cœnam; ille arbitratur ſe eſſe infeliciſſimum, qui ad me miſit pauciora: illi contendunt muneribus inter ſe. Ego hæc mecum recogito; flagrant deſiderio meorum bonorum: mittunt certatim dona & munera.* PA. *Tu peritus perſpicis res animo valde acuto, & valde perſpicaci.*

ANNOTATIONES.

101. *Ceraria.*] Alii *Geraria.* Porrò nutrix à gerendo, geraria dicta eſt: alii *coraria* à *toro. Ceraria*, quæ Cereos ad ſacrificia ſuppeditabat.

118. *Abducunt ab exta.*] Sacrificiorum exta intelligit, quæ *exta luſtralia*, pars Diis offerebatur, pars ab amicis, iiſque cariſſimis comedebatur, & niſi adeſſent convivio, pars ſua ad eos mittebatur.

Et Tibi sunt gemini, & trigemini, ſi te bene habes, filii.
„*PE.* Pol, ſi habuiſſem, ſatis cepiſſem miſeriarum liberis.
Cenſerem emori: cecidiſſétne ebrius, aut de equo uſpiam:
Metuerem, ne ibi defregiſſet crura aut cervices ſibi.
Tum ne uxor mihi inſignitos pueros, pariat poſtea, [cum filium.
Aut varum, aut valgum, aut compernem, aut pætum, aut bron-
PA. Huic homini dignum eſt divitias eſſe, & diu vitam dari,
„Qui & rem ſervat, & qui bene habet, ſuiſque amicis eſt volup.
„*PL.* O lepidum caput! Ita me dii deæque ament, æquum fuit
„Deos paraviſſe, uno exemplo ne omnes vitam viverent:
„Sicuti merci pretium ſtatui, pro virtute ut veneat:
„Quæ improba eſt, pro mercis vitio dominum pretio pauperet.
„Itidem divos diſpertiſſe vitam humanam æquum fuit.
„Qui lepidè ingeniatus eſſet, vitam longinquam darent:
„Qui improbi eſſent & ſceleſti, iis adimerent animam citò.
„Si hoc paraviſſent, homines eſſent minùs multi mali,
„Et minus audacter ſceleſta facerent facta: & poſtea

Interpretatio.

Et habet filios gemines & trigemines, ſi tibi bene eſt. P E. *Per Pollucem ſi fuiſſent mihi liberi, pertuliſſem ſatis ægritudinum. mortuus fuiſſem; ut quidem arbitror, ſi ali*quis *cecidiſſet temulentus, aut de equo uſpiam: metuiſſem ne ſibi perfregiſſet ibi crura aut collum: præterea metuiſſem, ne ſuſcepiſſem à conjuge prolem deformem, aut filium valgum & compernem, aut pætum, aut broncum.* PA. *Eſt æquum hunc hominem habere opes, & diuturnam vitam, qui & tuetur fortunas, & qui bene ſe habet, & eſt jucundus ſuis amicis.* P L. *O feſtivum hominem! Ita Dii Deæque me adjuvent, eſt par Deos noluiſſe, ut omnes vitam agerent uno modo: quemadmodum* ſolet *aſſignari pretium merci, ut divendatur pro ſuâ præſtantiâ: ut quæ eſt illaudata, efficit pauperem* mercatorem *propter vitia mercis: ſic æquum fuit deos partiri genus humanum, ut tribuerent diuturnam vitam ei, qui eſſet ingenio præſtanti, ut ſpoliarent velociter vitâ, eos qui eſſent improbi & ſceleſti. Si feciſſent hoc, eſſent pauciores homines mali, & qui perpetrarent ſcelera adeò audacter. Præterea*

Annotationes.

127. *Tum ne uxor.*] Hi duo verſus, qui deſiderantur in manuſcriptis, è Feſto huc tranſlati ſunt.

Inſignitos.] Inſignitos aliquâ notâ deformi.

128. *Varum.*] Varus qui ſic intortis ſunt cruribus, ut junctis fermè genibus incedant, talis ab invicem disjunctis. Alii pro varum vatum ponunt. A *Varo Varis*, à *Vato Vatinus* Romani.

Valgum.] Valgus qui talis conjunctis fermè graditur, & invicem ſeſe tundentibus, genibus longiſſimè disjunctis.

Compernem.] *Compernis* Nonio eſt, cujus pes longior, quàm moles corporis ferat, & proportionis ratio.

Pætum.] Pætus dicitur, & qui alterum oculum habet minorem, vel ſaltem fermè clauſum, & qui obliquis oculis cœlum aſpicit, qualis venatoria avis; & qui detortis oculis, qui & luſcus dicitur; & is cujus oculi recti quidem ſunt, ſed perpetuò moventur.

Broncum.] Bronci dicuntur, qui labris ſunt tumidis & productioribus, itidem dente aliquo extus prominentiore extra cæterorum ordinem.

136. *Ingeniatus.*] Vox infrequens apud Latinos, ab *ingenio, ingenias*. Uſus eſt hac Gellius: *corpúſque & animum bene ingeniatis primordiis inchoatum inſitive, degeneríque alimento lactis alieni corrumpere.*

„Qui probi homines eſſent, eſſet his annona vilior.
„*PE.* Qui Deorum conſilia culpet, ſtultus inſcitúſque ſit,
Quíque eos vituperet. nunc jam iſtis rebus deſiſti decet.
Nunc volo obſonare, ut hoſpes tuâ te ex virtute, & meâ,
Meæ domi accipiam benignè, lepidè, & lepidis victibus.
PL. Nihil me pœnitet jam quanto ſumtui fuerim tibi.
„Nam Hospes nullus tam in amici hoſpitium devorti poteſt,
„Quin ubi triduum continuum fuerit, jam odioſus ſiet.
„Verùm ubi dies decem continuos immorabitur,
„Tametſi dominus non invitus patitur, ſervi murmurant.
PE. Servienteis ſervitute ego ſervos introduxi mihi,
Hoſpes, non qui mihi imperarent, quibus ego eſſem obnoxius:
Si illis ægrè eſt, mihi quod volupe eſt, meo remigio rem gero.
Tamen id quod odio eſt, faciundum eſt cum malo atque ingratiis:
Nunc quod occepi, obſonatum pergam. *PL.* ſi certum eſt tibi,
Commodulum obſona, ne magno ſumptu: mihi quidvis ſat eſt.
PE. Quin tu iſtanc orationē hinc veterem atque antiquam amoves.
Nam proletario ſermone nunc quidem, hoſpes, utere.
Nam hi ſolent quando accubuêre, ubi cœna appoſita eſt, dicere;
Quid opus fuit hoc, *hoſpes*, ſumptu tanto noſtrâ gratiâ?
Inſaniviſti hercle: nam idem hoc hominibus ſat erat decem.
Quod eorum cauſâ obſonatum eſt, culpant; & comedunt tamen.
PA. Fit pol illud ad illud exemplum. ut doctè & perſpectè ſapit!
PE. Sed iidem homines nunquam dicunt, quamquam appoſitum
eſt ampliter.

INTERPRETATIO.

annona eſſet vilior his qui eſſent probi. PE. *Qui incuſaverit conſilia deorum, & qui eos damnaverit, eſt amens, & imperitus. Jam ſuperſedendum eſt iſtis rebus. Jam conſilium eſt parare obſonia, ut invitem te, hoſpes, pro cuis meritis, & meis, liberaliter in meis ædibus, lautè, & lautis cibis.* PL. *Non me remordet nunc quòd tantæ impenſæ tibi fuerim. Nam nullus hoſpes poteſt hoſpitio excipi ab homine, adeò amicè, ut quando fuerit* apud eum *per tres dies continuos, moleſtus non evadat. Sed ſi manſerit per decem dies continuos, tametſi dominus eum fert ultro, ſervi ægrè ferunt.* PE. *Ego admiſi apud me ſervos, qui mihi miniſtrent, hoſpes, non qui mihi dominarentur, & quibus ego eſſem addictus: ſi illis eſt moleſtum id quod mihi placet, rem gero meo arbitratu, & illis agendum eſt, quod eſt odio, adhibitâ pœnâ & invitis. Nunc ibo ad paranda obſonia, ſicut inſtitui.* PL. *Si tibi id propoſitum eſt, compara obſonia commodè citra ſumptum: quidvis mihi eſt ſatis.* PE. *Quin tu abſtines ab iſto ſermone veteri & abſoleto. Adhibe nunc, hoſpes, orationem communem: nam hi conſueverunt dicere, quando accubuêre, quando cœna eſt appoſita: quid opus fuit his impenſis tantis noſtrâ causâ? Inſanis per Herculem: nam id ſufficiat decem hominibus. Vituperant quod eorum cauſà eſt paratum ad cœnam, attamen manducant.* PA. *Per Pollucem hoc fit hoc modo ut calles doctè, & perſpicaciter.* PE. *Sed iidem homines nunquam dicunt, tametſi eſt appoſitum largiter:*

ANNOTATIO.

157. *Proletario ſermone.*] Proletarii erant qui nihil niſi prolem habebant in republicâ; unde proletarius ſermo, id eſt, tenuiſſimæ plebis.

Jube illud demi : tolle hanc patinam;remove pernam.nihil moror:
Aufer illam offam penitam: probus hic conger frigidus:
Remove, abi, aufer. neminem eorum hæc aſſeverare audias.
Sed procellunt, ſed procumbunt dimidiati, dum appetunt,
PA. Bonus benè ut malos deſcripſit mores! *PE*. haud centeſimam
Partem dixi, atque, otium rei ſi ſit, poſſim expromere.
PA. Igitur id, quod agitur hîc, primùm prævorti decet.
Nunc huc animum advertite ambo. mihi opus eſt operâ tuâ,
Periplectomene: nam ego inveni lepidam ſycophantiam,
Quî admutiletur Miles uſque cæſariatus: atque uti
Huic amanti ac Philocomaſio hanc efficiamus copiam,
Ut hic eam abducat, abeátque. *PE*. dari iſtanc rationem volo.
PA. At ego mihi annulum dari iſtum tuum volo. *PE*. quam ad rem uſui eſt?
PA. Quando habebo, igitur rationem mearum fabricarum dabo.
PE. Utere, accipe. *PA*. accipe à me rurſum rationem doli,
Quam inſtitui. *PL*. perpurgatis ambo damus tibi operam auribus.
PA. Herus meus ita magnus mœchus mulierum eſt, ut neminem
Fuiſſe adæquè, neque futurum credam. *PE*. credo ego iſtuc idem.
PA. Itaque Alexandri præſtare prædicat formam ſuam:
Itaque omnis ſe ultrò ſectari in Epheſo memorat mulieres.
PE. Edepol quin te de iſto multi cupiunt non mentirier:

INTERPRETATIO.

Jube illud amoveri: tolle hanc patinam, remove pernam: nihil moror. Aufer illam offam penitam: hic conger eſt bonus frigidus. Remove, abi, aufer. Audias neminem eorum id contendere. Sed producunt ſe, & ſeſe inclinant in menſam dimidio corpore, dum invadunt eſcas. PA. *Ut bonus vir depinxit graphicè malos mores!* PE. *Haud notavi centeſimam partem, atque poſſem proponere, ſi eſſet otium.* PA. *Igitur oportet imprimis aggredi, id de quo agendum eſt. Nune advertite mentem ambo. Indigeo tuo adjutorio, Periplectomenes: nam ego reperi faſtivam fallaciam, quâ Miles tam egregiè comatus detondeatur uſque ad cutem: & ut efficiamus hanc copiam huic amanti & Philocomaſio, ut hic eam abducat, & proficiſcatur.* PE. *Volo ut doceas rationem*, quâ id aggrediaris. PA. *Sed ego volo mihi tradi iſtum annulum.* PE. *Ad quam rem eſt tibi hoc opus?* PA. *Quando habebo, tum oſtendam rationem mea fraudis.* PE. *Utere, accipe.* PA. *Accipe etiam à me rationem fraudis, quam meditor.* PL. *Te auſcultamus ambo auribus pervacuis.* PA. *Meus herus eſt adeò magnus mœchus mulierum, ut putem fuiſſe neminem, neque futurum, perinde* diſſolutum. PE. *Ego puto iſtud idem.* PA. *Igitur gloriatur ſuam pulchritudinem antecellere* pulchritudini *Alexandri: Idcircò dicit omnes mulieres ſe perſequi ultrò Epheſi.* PE. *Per ædem Pollucis complures optant te non mentiri de iſto:*

ANNOTATIONES.

165. *Offam penitam.*] Penis caudam ſignificat. De caudâ porcinâ, quæ eſt copioſi ſucci.

184. *De iſto multi cupiunt non mentiri.*] Id eſt, multi cupiunt id quod ille narrat fieri poſſe, ut mulieres omnes aſſectentur. Quaſi dicat ſpectaculum eſſet pulcrum, ſi omnes fœminæ virum unum aſſectarentur.

Sed ego ita eſſe, ut dicis, teneo pulcrè. proin, Palæſtrio,
Quàm potes, tam verba confer maximè ad compendium.
PA. Ecquam tu potes reperire formâ lepidâ mulierem,
Cui facetiarum cor corpúſque ſit plenum, & doli?
PE. Ingenuámne, an libertinam? *PA.* æquè iſtuc facio, dummodo
Eam des, quæ ſit quæſtuoſa, quæ alat corpus corpore:
Cuíque ſapiat pectus: nam cor non poteſt, quod nulla habet.
PE. Lautam vis, an quæ nondum ſit lauta? *PA.* ſiccam, ſuccidam
Quàm lepidiſſimam potes, quámque adoleſcentem maxumè.
PE. Habeo eccillam meam clientam, meretricem adoleſcentulam.
Sed quid eâ uſus eſt? *PA.* ut ad te eam jam deducas domum,
Utique eam huc ornatam adducas matronarum modo:
Capite compto, crines vittáſque habeat, aſſimulétque ſe
Tuam eſſe uxorem. ita præcipiendum eſt. *PL.* erro, quam inſiſtas viam.
PA. At ſcietis, ſed ecqua ancilla eſt illi? *PE.* eſt primaria.
PA. Eâ quoque opus eſt: ita præcipito mulieri, atque ancillulæ,
Ut ſimulet ſe tuam eſſe uxorem, & deperire hunc Militem.
Quaſíque hunc annulum Faviæ ſuæ ancillæ dederit: ea porrò mihi,
Militi ut datem: quaſique ego rei ſim interpres. *PE.* audio:
Ne me ſurdum verbera. *PA.* tu ſi audis, ego rectè meis

INTERPRETATIO.

ſed ego ſcio optimè, id eſſe ſicut loqueris. Itaque Palaſtrio, contrahe orationem pro viribus. PA. *Nónne potes invenire mulierem venuſtate egregiâ, cujus animus & corpus ſit refertum lepore & fraude?* PE. *Viſne ingenuam an libertinam?* PA. *Facio perinde eas, modò eam ſuppedites, quæ ſit quæſtui dedita, quæ nutriat corpus corpore, & cui pectus ſapiat: nam cor non poteſt ſapere, cùm nulla mulier cor habeat.* PE. *Petiſne lautam? an illautam?* PA. *Pete ſiccam, ſucco plenam, venuſtiſſimam quàm potes, & juvenem imprimis.* PE. *Eſt mihi mea clienta prope, juvenis meretrix: ſed in quo poteſt eſſe utilis?* PA. *Oportet, ut eam deducas jam in ades, & ut eam perducas huc habitu matronali. Sint illi capilli & vitta capite compto, fingátque ſe eſſe tuam uxorem. Hæc ſunt præcepta ei danda.* PL. *Nondum video quod iter ineas.* PA. *At videbis: ſed quam ancillam habet?* PE. *Eſt egregia* formæ. PA. *Opus eſt etiam eâ. Jube mulieri, atque ancillæ ut fingat ſe eſſe tuam uxorem, & amare perditè hunc Militem, & quaſi dederit hunc annulum Faviæ ſuæ ancillæ: Favia verò mihi dederit, ut darem Militi: quaſi ego ſim internuntius.* PE. *Audiotne me obtunde, quaſi ſurdum,* PA. *Si tu audis, ego dabo*

ANNOTATIONES.

191. *Lautam vis.*] Quæ pepererant, lavationibus multùm utebantur; id ex Amphitryone, & aliis locis videre eſt; itaque petit Periplectomenes, utrùm velit unam quæ pepererit fortè, ut plus habeat callidiſatis, & dolorum, ad adjuvandas Palæſtrionis fraudes.

Siccam, ſuccidam.] Siccam duo ſignificat, & quæ non ſit lauta, id eſt, quæ non pepererit, & quæ non biberit; quia opus eſt animo ſobrio, & attento ad nectendum Militi dolum. Succidam ſignificat, & quæ non ſit lauta; metaphora à lanis ducta, & quæ ſit juvenis, & ſucco plena ad concitandum cupiditatem glorioſi quidem, ſed ſtolidi Militis.

200. *Favia.*] Ancilla Juvenal. Sat. 6.
Et Faveam cui det mandata puellam,

Dabo : à tuâ mihi uxore dicam delatum & datum ;
Ut ſeſe ad eum conciliarem. ille ejuſmodi eſt ; cupiet miſer.
Qui , niſi adulterio , ſtudioſus rei nullæ aliæ eſt, improbus.
PE. Non potuit reperire, ſi ipſi Soli quærendas dares ,
Lepidiores duas ad hancce rem , quàm ego. age : habe animum bonum.
PA. Ergo accurato & properato opus. nunc tu auſculta, Pleuſides.
PL. Tibi ſum obediens. *PA.* hoc facito : Miles domum ubi advenerit,
Memineris ne Philocomaſium nomines. *PL.* quam nominem ?
PA. Glyceram. *PL.* nempe eandem , quæ dudum conſtituta eſt. *PA.* pax ! abi.
PL. Meminero. ſed quid meminiſſe id refert ? ego te tamen.
PA. Ego enim dicam tum , quando uſus poſcet : interea tace.
Ut nunc etiam hic agit, actutum partes defendas tuas.
PL. Ego eo intrò igitur. *PA.* & præcepta ſobriè ut cures , face.

INTERPRETATIO.

rectè Militi : dicam ad me eſſe allatum , & creditum à tuâ uxore , ut ſeſe ad eum conciliem ; ille eſt ſic factus ; infœlix cupiditate inflammabitur , qui nulli rei niſi libidini deditus eſt , nequam. P E. *Sol non poteſt invenire duas magis ad id idoneas, ſi ipſi dares quærendas , quàm ego. Eſto bono animo.* P A. *Igitur oportet fallaciam concinnare & accelerare ; nunc tu audi , Pleuſides.* PL. *Tibi obtempero.* PA. *Da operam, ut quando Miles advenerit domum, memineris ne appelles ſuo nomine Philocomaſium.* PL. *Quam apellabo !* PA. *Glyceram.* PL. *Nempe eamdem , quæ instructa eſt jamdudum.* PA. *Sile , abi.* PL. *Recordabor ; ſed qui oportet recordari ? ego te tamen* conſulam. PA. *Ego monebo tum quum erit opus. Interim ſile ; ut nunc Periplectomenes ſuſtinet adhuc ſuas partes, ſuſtine è veſtigio tuas.* PL. *Igitur ego ingrediar in ædes.* PA. *Fac ut cures diligenter præcepta.*

ANNOTATIO.

213. *Pax.*] Non pacem ſignificat , ſed eſt πὰξ , à Græco , ſilentii imponendi urbanior formula.

ACTUS TERTIUS. SCENA SECUNDA.

ARGUMENTUM.

SCELEDRO edormiente heſternam crapulam ſubcuſtos Philocomaſii Lucrio aliquò in urbem mittitur à Philocomaſio , quæ interim convenit Pleuſidem apud Periplectomenem. Lucrio occurrit Palæſtrioni , qui eum in gratiam Philocomaſii & Pleuſidis , quantùm in ſe eſt , remoratur.

PALÆSTRIO,

PALÆSTRIO, LVCRIO puer.

PALÆSTRIO.

QUANTAS res turbo! quantas moveo machinas!
Eripiam ego hodie concubinam Militi,
Si centuriati bene ſunt manupulares mei.
Sed illum vocabo. heus Sceledre. niſi negotium,
Progredere ante ædis: te vocat Palæſtrio.
LV. Non opera eſt Sceledro. *PA.* quid jam? *LV.* ſorbet dormiens.
PA. Quid ſorbet? *LV.* illud ſtertit volui dicere.
Sed quia conſimile eſt, quòd ſtertas, quaſi ſorbeas.
PA. Ehò an dormit Sceledrus intus? *LV.* non naſo quidem;
Nam eo magnùm clamat. tetigit calicem clanculum,
Demiſit nardini unam amphoram cellarius.

INTERPRETATIO.

PAL. *UT miſceo res! ut inſtruo machinas! Ego ſubducam hodie meretricem Militi, ſi mea copia ſunt rectè inſtructa. Sed illum appellabo. Heus, Sceledre; ſi licet per otium, prodi ante ædes, Palæſtrio te appellat.* LU. *Sceledrus non poteſt auſcultare.* PA. *Quare?* LU. *Sorbet dormiendo.* PA. *Quid ſorbet?* LU. *Volui dicere illum ſtertere. Quia ille qui ſtertit, eſt ſimilis ei qui ſorbet.* PA. *Ehò! an Sceledrus ſomno indulget in ædibus?* LU. *Non quidem naſo dormit; nam vociferatur* naſo *magnopere. Siccavit furtim ſciphum, cellarius exhauſit unam amphoram vini conditi nardo.*

ANNOTATIONES.

3. *Centuriati.*] Id eſt, ſub centurione inſtructi ad committendum certamen. *Centurio, as,* ſignificat in centurias diſtribuere Milites.

Manipulares mei.] Id eſt, milites mei manipuli. Manipulus autem propriè, eſt tantùm, aut fœni aut ſegetum, quantùm manu, alterâ contineri poteſt, ut alterâ ſuccidatur. Plinius accipit manipulum, pro faſciculo ejuſmodi manipulorum, qualis eſt ſegetis, quem vulgò appellamus, *une gerbe.* aut fœni, quem *une botte, ou un botteau de foin.* Tranſlatè dicitur manipulus de manu parvâ militum. Vegetius ſcribit manipulum eſſe contubernium decem militum, ſub eodem tentorio degentium, quòd conjunctis manibus dimicarent. Vocabantur ſigniferi manipulorum, & ipſi manipuli, à fœni manipulo, quem defixum haſta Romulo regnante ferebant loco aquilæ, aut aliorum ſignorum. Crediderim fuiſſe in legione quavis triginta ejuſmodi ſigna, & inde conſtabit quot certarent ſub ſingulis illis ſignis milites, cùm omnium conſenſu eſſent in legione, quæ ſexaginta erat centuriarum, manipuli triginta. A manipulo dicti ſunt manipulares milites, Servio teſte, & ipſo Ovidio:

Pertica ſuſpenſos portabat longa maniplos
Undè maniplaris nomina miles habet.

Manipulares mei, id eſt, *commanipulares* mei, milites ejuſdem manipuli.

10. *Tetigit calicem.*] Ελέστωσις, pro *hauſit, ſiccavit calicem.*

11 *Demiſit.*] Cellæ præfectus reliquit amphoram vini obviam.

Nardini.] Supple *vini.* Veteres enim odoratis vinis delectabantur. Nardus autem, & guſtum, & nares oblectat.

PA. Ehò tu ſcelcſte, qui illi ſuppromus es, ehò!
LV. Quid vis? *PA.* quî libitum eſt illi condormiſcere?
LV. Oculis opinor. *PA.* non te iſtuc rogito, ſcelus!
Procede huc: periiſti jam, niſi verum ſcio.
Prompſiſti tu illi vinum? *LV.* non prompſi. *PA.* negas?
LV. Nego hercle verò: nam ille me vetuit dicere.
Neque equidem heminas octo exprompſi in urceum,
Neque ille hîc calidum exbibit in prandium.
PA. Neque tu bibiſti? *LV.* dii me perdant, ſi bibi,
Si bibere potui. *PA.* quî jam. *LV.* quia enim obſorbui,
Nam nimis calebat, amburebat gutturem.
PA. Alii ebrii ſunt, alii poſcam potitant.
Bono ſuppromo & promo cellam creditam!
LV. Tu hercle idem faceres, ſi tibi eſſet credita:
„Quoniam æmulari non licet, nunc invides.
PA. Ehò an nunquam promſit antehac? reſponde, ſcelus.
Atque ut tu ſcire poſſis, edico tibi,
Si falſa dixis cocio, excruciabere.
LV. Ita verò, ut tu ipſe me dixiſſe delices;
Poſtea ſaginâ ego ejiciar cellariâ,

Interpretatio.

PA. *Ehò tu nequam, qui es vicarius premi, eho!* LU. *Quid vis faciam?* PA. *Quare libet illi ſomnum capere?* LU. *Oculis, puto.* PA. *Non à te peto id, nequam! prodi huc: jam occidiſti, niſi verum diſco. Tu illi eduxiſti vinum?* LU. *Non eduxi.* PA. *Inficiaris?* LU. *Eo inficias per Herculem: nam ille me prohibuit dicere. Neque equidem eduxi octo heminas in urſeum? neque ille potavit hic calidum per prandium.* PA. *Neque tu potaſti?* LU. *Dii me perdant, ſi potavi, ſi potui potare.* PA. *Cur?* LU. *Quia exſorbui: nam nimis calidum erat, amburebat fauces.* PA. *Alii ſunt temulenti, alii bibunt poſcam. O cellam creditam bene ſupprome & prome!* LU. *Certe tu ageres idem, ſi tibi eſſet cura: quoniam non potes imitari, nunc invides.* PA. *Ehò an nunquam eduxit antea? Reſponde, nequam? & ne ignores, tibi dico, ſi mentiaris dabis pœnas.* LU. *Sic verò, ut tu ipſe dicas me dixiſſe; poſtea ego extrudar*

Annotationes.

17. *Vetuit dicere.*] Dictum ad riſum movendum. Sceledrus enim præceperat Lucrioni ne diceret de amphorâ vini epotâ. Urget Palæſtrio Lucrionem. Lucrio reſpondet non dicam tibi bibiſſe Sceledrum, ne dicerem enim vetuit. Quod quid eſt aliud quàm dicere, eum bibiſſe?

18. *Heminas.*] Hemina eſt dimidia pars ſextarii, *un demi-ſetier.*

Urceum.] Urceus poculum unius fermè heminæ.

19. *Calidum exbibit.*] Id eſt, bibit Sceledrus vinum, non ad ſedandam ſitim; ſed quaſi veritus fuiſſet, ne ſi lentè duxiſſet, aduſſiſſet guttur, ſciphos integros abſorbet.

23. *Poſcam.*] Poſca eſt vinum acidum aquâ dilutum Erat autem vinum tenuioris plebeculæ. A *pote*, *poſca*; ut ab *ede*, *eſca*.

29. *Cocio.*] Aulo gellio eſt ariolator.

30. *Delices.*] Id eſt, *prodes, indices.*

31. *Saginâ cellariâ.*] *Sagina cellaria* de vino in quo plurimùm ſit virtutis ad vires ſuppeditandas & lacertos; imò & ſaginam ſeu pinguedinem.

Ut tibi qui promat, alium ſuppromum pares.
PA. Non edepol faciam. age loquere audacter mihi.
LU. Nunquam edepol vidi promere. verùm hoc erat:
Mihi imperabat, ego promebam poſtea.
PA Hui! illecebroſe! capite ſiſtebas cadum?
LU. Non hercle tam iſtoc validè caſabant cadi,
Sed in cellâ eſt paulùm nimis loculi lubrici,
Ibi erat bilibris aqualis, hìc propter cados.
Ea ſæpè decies complebatur die.
Eam plenam atque inanem fieri maximam
Vidi. bacchabatur hama, caſabant cadi.
PA. Abi, abi intrò jam. vos in cellâ vinariâ
Bacchanal facitis. jam hercle ego herum adducam à foro.
LU. Perii, excruciabit me herus, domum ſi venerit,
Quum hæc facta ſcibit, quia ſibi non dixerim.
Fugiam hercle aliquò, atque hoc in diem extollam malum.
Ne dixeritis obſecro, huic voſtram fidem.
PA. Quò tu te agis? *LU.* miſſus ſum aliò: jam huc revenero.

INTERPRETATIO.

è cellâ pingui, ut inducas alium ſuppremum. qui tibi educat vinum. PA. *Certè non agam; age, loquere mihi ſecurè.* LU. *Per ædem Pollucis numquam conſpicatus ſum educere; ſic ſe res habebat: mihi mandabat. ego educebam poſtea.* PA. *Hui! feſtivè! invertebas cadum capite.* LU. *Per Herculem hoc erat, quòd cadi non fundebant vinum tam validè. Sed eſt in cellâ locus parum nimis lubricus. erat ibi aqualis duarum librarum juxta cados. Ea implebatur ſæpiùs decies in die. Vidi eam ſubinde plenam atque vacuam omnino fieri. Aqualis ultro citroque commeabat: fundebant cadi.* PA. *Abi, abi in ædes jam, vos agitatis bacchanalia in cellâ vinariâ. Per Herculem ego adducam jam herum à foro.* LU. *Interii, herus me pœnis afficiet, ſi venerit domum, quando ſciet hæc eſſe facta; quia non ſibi aperuerim: me recipiam profectò aliquò, atque differam hanc pœnam in alium, atque alium diem: ne huic aperueritis, rogo veſtram fidem.* PA. *Quo tu vadis?* LU. *Sum miſſus aliò: jam revertar huc.*

ANNOTATIONES.

36. *Capite ſiſtebas cadum.*] Id eſt, tenebas in alto cadum, dum Sceledrus exciperet ore hiante vinum quod deflueret.

37. *Caſabant cadi.*] In Aſinaria: *Caſanti capite incedit*; id eſt, quaſi in paſſus ſingulos ruituro ex humeris capite. A *cado* aut *quaſſo* eſt hoc *caſo*. Id eſt, non tam effundebantur cadi, quàm ſi de capite funderetur vinum. Quia ſcilicet inclinabantur cadi in aqualem, nec humo tollebantur Id dicit jocando Lucrio; addit que eſt in cellâ vinariâ lubricus locus ad inclinandum cadum faciliùs.

39. *Bilibris aqualis.*] Duarum librarum erat, aut ipſum vas, aut vinum quod ipſo capiebatur.

41. *Plenam & inanem maximam.*] Id eſt, fiebat viciſſim & maximè plena, & maximè inanis.

42. *Bacchabatur hama.*] Hama eſt vas vinarium: dicitur autem bacchari, quia more Baccharum ultrò citròque currit.

Caſabant cadi.] Proni erant cadi, quaſi jamjam caſuri. Et *caſabant*, id eſt, *inane ſonabant*; *ſonnent le vuide*. *Caſo* eſt, quaſi imitativum verbum à ſono cadi inanis.

PA. Quis miſit? *LU*. Philocomaſium. *PA*. abi, actutum redi.
LU. Quæſo tamen tu meam partem infortunii,
Si dividetur, me abſente, accipito tamen.
PA. Modò intellexi, quam rem mulier geſſerit:
Quia Sceledrus dormit, hunc ſubcuſtodem ſuum
Foris ablegavit, dum ab ſe huc tranſitet. placet.
Sed Periplectomenes, quam ei mandavi, mulierem
Nimis lepidâ formâ ducit. dii hercle hanc rem adjuvant.
Quàm dignè ornata incedit, haud meretriciei!
Lepidè hoc ſuccedit ſub manûs negotium.

INTERPRETATIO.

PA. *Quis miſit?* LU. *Philocomaſium.* PA. *Abi, revertere celeriter.* LU. *Tamen, amabo, tu partire mecum pœnas, ſi dividantur, me abſente.* PA. *Audivi modò, quid mulier fecerit: quia Sceledrus dormit, foris miſit hunc ſuum ſubcuſtodem, dum migraret huc à ſuis ædibus; placet: ſed Periplectomenes adducit mulierem quam ei mandavi, pulchritudine nimis egregiâ. Per Herculem Dii opitulantur huic negotio. Quàm ambulat honeſtè ornata, non meretriciè: hoc negotium ſuccedit lepidè ſub manus.*

ACTUS TERTIUS. SCENA TERTIA.

ARGUMENTUM.

PERIPLECTOMENES adducit Milphidippam & Acroteleutium, compoſitas & ornatas ad illudendum Pyrgopolinici. Palæſtrio quid agant, quid dicant, docet.

PERIPLECTOMEMES, ACROTELEUTIUM, PALÆSTRIO, MILPHIDIPPA.

PERIPLECTOMENES.

REM omnem Acroteleutium tibi, tibique, mea Milphidippa,
Domi demonſtravi ordine. hanc fabricam fallaciaſque
Minus ſi tenetis, denuò volo percipiatis planè.
Satis ſi intellegetis, aliud eſt quod potiùs fabulemur.
AC. STULTITIA atque inſipientia inſulſa atque maxima hæc ſit,
Me ire in opus alienum, aut tibi meam operam pollicitari,

INTERPRETATIO.

PERIP. *Tibi oſtendi domi ſigillatim omne negotium, Acroteleutium, & tibi* quoque *mea Milphidippa: ſi neſcitis has technas & fraudes, volo ut rurſus accipiatis prorſus: ſi ſatis cognoſcitis, eſt aliud quod agitemus potiùs.* AC. *Eſſet amentia & inſania inſulſiſſima & maxima, ſi curarem res alienas, aut tibi promitterem*

ANNOTATIO.

6. *Me ire in opus alienum.*] Id eſt, opus alienum faciendum in me recipere, niſi illius faciendi artem teneam. Allegoria ducta ab opificibus, qui ſuâ arte, non alienâ, opera in ſe facienda recipiunt,

Si eâ in opificinâ neſciam aut mala eſſe aut fraudulenta.
PE. At meliùs eſt monerier. *AC.* meretricem commoneri,
Quàm ſanè magni referat, mihi clam eſt! quin ego me fruſtro,
Poſtquam adbibêre aures meæ tuam moram orationis.
Tibi dixi, Miles quemadmodum potis eſſet deaſciari.
„*PE.* At NEMO SOLUS SATIS SAPIT. nam ego multos ſæpe vidi
„Regionem fugere conſilii, priùs quàm repertam habere.
AC. SI QUID faciendum eſt mulieri malè atque malitioſè,
Ea ſibi immortalis memoria eſt meminiſſe & ſempiterna:
Sin bene quid aut fideliter faciundum eſt, eò deveniunt,
Obliviosæ extemplò uti fiant, meminiſſe nequeunt.
PE. Ergo iſtuc metuo, quò venit vobis faciundum utrunque:
Nam id proderit mihi, Militi malè quod facietis ambæ.
AC. Dum ne inſcientes quid bonum faciamus, ne formida.
Mala nulla eſt meretrix, ne pave, pejora ubi conveniunt.
PE. Ita vos decet. conſequimini. *PA.* ceſſo ego illis obviam ire.
Venire ſalvum gaudeo. lepido hercle ornatu incedit.
PE. Bene opportunéque obviam es, Palæſtrio. hem! tibi aſſunt,
Quas me juſſiſti adducere, & quo ornatu. *PA.* heus! noſter eſto.
Palæſtrio Acroteleutium ſalutat. *AC.* quis hic amabo eſt,
Qui tam pro notâ me nominat? *PE.* hic noſter architectus eſt.
AC. Salve architecte. *PA.* ſalva ſis. ſed dic mihi, ecquid hic te

INTERPRETATIO.

meum auxilium, ſi non ſim aut mala aut doloſa in eâ officinâ. PE. *At eſt ſatius eſſe monitam.* AC. *Mihi non eſt palam, quàm magni referat, monitam eſſe pellicem: quin ego memet decipio, ex quo meæ aures accepêre tuum ſermonem, qui me moratur. Tibi aperui, quâ ratione poſſet fruſtatim concidi Miles.* PE. *At nullus ſolus ſatis eſt ſapiens: nam ego plerumque animadverti multos nolle dare locum conſilio, antequam repererint.* AC. *Si mulieri eſt faciendum aliquid malè atque malitioſè, memoria ejus eſt immortalis, & ſempiterna: ſi agendum eſt quippiam rectè & cum fide, eò deveniunt, ut evadant ſtatim obliviosæ, & non poſſint recordari.* PE. *Ergo timeo id,* ne malè ſuccedat, *quod ſit vobis agendum utrumque; nam quòd damno afficitis ambæ Militem, id mihi erit utile.* AC. *Ne metue, niſi* unum, nempe *ne agamus aliquid recti imprudentes. Nulla pellex eſt nequam, ne time, quando nequiora ſeſe offerunt* agenda. PE. *Hoc vobis convenit, ſequimini.* PA. *Ego cunctor occurrere illis. Lætor te reverſum incolumem. Per Herculem* Acroteleutium *ambulat mundo eleganti,* PE. *Occurris rectè & tempeſtivè, Palæſtrio, ecce tibi praſtò ſunt, eæ quas me imperaſti adducere, &* eo *ornatu quo* voluiſti. PA. *Heus! eſto noſter. Palæſtrio ſalutem dicit Acroteleutio.* AC. *Quis eſt hic, quæſo, qui me appellat nomine tanquam notam?* PE. *Hic eſt noſter architectus.* AC. *Salve architecte.* PA. *Sis ſalva. Sed dic mihi, numquid Periplectomenes te oneravit*

ANNOTATIONES.

13. *Regionem conſilii fugere.*] Locum conſilio minimè facere.

25. *Heus! eſto noſter.*] Ad Periplectomenem directa oratio, quaſi dicat; oportunè ades, ut cœtum noſtrum augeas, & è nobis ſis,

27. *Noſter Architectus eſt.*] Id eſt, initæ fraudis inventor.

Oneravit præceptis? *PE.* probè meditatam utranque duco.
PA. Audire cupio, quemadmodum, ne quid peccetis paveo.
PE. At tua præcepta: de meo nihil his novum appoſivi.
AC. Nempe ludificari Militem tuum herum vis? *PA.* elocuta es.
AC. Lepidè & ſapienter, commodè & facetè res parata eſt.
PA. Atque hujus uxorem eſſe te volo aſſimulare. *AC.* fiet.
PA. Quaſi Militi animum adjeceris, ſimulare. *AC.* ſic futurum eſt.
PA. Quaſiq; hæc res per me interpretem, & tuam ancillam geratur.
AC. Bonus vates poteras eſſe, nam quæ ſunt futura, dicis.
PA. Quaſique annulum hunc ancillula tua abs te detulerit ad me,
Quem ego Militi darem tuis verbis. *AC.* vera dicis.
PE. Quid iſtis nunc memoratis opus eſt, quæ commeminêre? *AC.* meliu'ſt.
„Nam, mi patrone, hoc cogitato: Ubi probus est architectus,
„Bene lineatam ſi ſemel carinam collocavit,
„Facilè eſſe navem facere, ubi fundata & conſtituta eſt.
Nunc hæc carina ſatis probè fundata & conſtituta eſt.
Aſſunt fabri architectique, à me, à te, haud imperiti.
Si non nos materiarius remoratur, quod opu'ſt, qui det,
Novi indolem noſtri ingenii; citò erit parata navis.
PA. Nempe tu noviſti Militem meum herum? *AC.* rogare mirum eſt!
Populi odium quid ni noverim? magnidicum, cincinnatum,
Mœchum unguentatum. *PA.* num ille etiam te novit? *AC.* nunquam vidit;

Interpretatio.

monitis? PE. *Vobis ſiſte utramque optimè doctam.* PA. *Opto accipere quomodo ſit* meditata, *timeo ne erretis in aliquo.* PE. *Sed ſunt tua mandata, nihil addidi his de meo.* AC. *Nimirum vis Militem tuum herum ludificari?* PA. *Res eſt ita, ut tu dixiſti.* AC. *Res eſt inſtructa prudenter & feſtivè, commodè & jucundè.* PA. *Et cupio fingere te eſſe hujus uxorem.* AC. *Fiat.* PA. *Simula te adjeciſſe animum Militi.* AC. *Faciam ſic.* PA. *Et quaſi res fiat per me interpretem, & tuam ancillam.* AC. *Poteras eſſe bonus vates, nam divinas ea quæ ſunt futura.* PA. *Et quaſi tua ancillula ad me attulerit hunc annulum abs te, quem ego deferrem ad Militem tuis verbis.* AC. *Dicis vera.* PE. *Quid opus eſt nunc commemoratione horum, quorum recordatæ ſunt?* AC. *Id præſtat: nam hoc recordare, mi patrone: quando architectus eſt peritus, ſi ſemel bene directam carinam poſuit, eſſe facilè facere navem, ubi eſt fundata & collocata. Nunc hæc carina eſt fundata ſatis ſtabiliter & benè conſtituta: adſunt fabri & architecti à me & à te con*ducti, *haud parùm induſtrii, ſi materiarius non tardat ſuppeditare quod opus eſt quod det: novi noſtrum animum, navis erit brevi inſtructa.* PA. *Nempe tu ſcis qualis ſit Miles meus herus?* AC. *Miror quod à me petas: cur non noverim hominem inviſum omnibus, vaniloquum, calamiſtratum, adulterum, unguentis delibutum.* PA. *Num te novit ille etiam?* AC. *Numquam vidit?*

Annotatio.

42. *Bene lineatam carinam,*] Allegoria ducta ab architecto navis. Delineatam.

Quî noverit me, quis ego ſim? *PA.* nimis lepidè fabulâre.
Eò potuerit lepidiùs pol fieri. *AC.* potíne ut hominem
Mihi des? quieſcas cætera. ni lepidè ludificata
Ero, culpam omnem in me imponito. *PA.* agite igitur, intrò abite,
Inſiſtite hoc negotium ſapienter. *AC.* alia cura,
PA. Age, Periplectomene, has nunc jam duc intrò, ego ad forum illum
Conveniam, atque illi hunc annulum dabo, atque prædicabo
A tuâ uxore mihi datum eſſe, eámque illum deperire.
Hanc ad nos, cùm extemplò à foro veniemus, mittito *tu,*
Quaſi clanculum ad me miſſa ſit. *PE.* faciemus. alia cura.
PA. Vos modò curate. ego illum probè jam oneratum huc accibo.
PE. Bene ambula, bene rem gere. at egóne hoc ſi efficiam plane,
Ut concubinam Militis meus hoſpes habeat hodie,
Atque hinc Athenas abeat; ſi hodie hunc dolum dolamus,
Quid tibi ego mittam muneris? *AC.* dátne ab ſe mulier operam?
PA. Lepidiſſimè & comiſſimè. *AC.* confido confuturum.
Ubi facta erit collatio noſtrarum malitiarum,
Haud vereor, ne nos ſubdolâ perfidiâ pervincamur.
PE. Abeamus ergo intrò, hæc uti meditemur cogitatè:
Ne quid, ubi Miles venerit, titubetur. *AC.* tu morare,
Ut accuratè & commodè, hoc quod agendum eſt, exequamur.

INTERPRETATIO.

quomodo noverit quis ego ſim? PA. *Garris nimis feſtivè! Poterit fieri multò feſtiviùs.* AC. *Potéſne mihi dare hominem? cæterùm quieſce; niſi illi illuſero facetè, refunde in me omnem culpam.* PA. *Agite itaque; introite, urgete hanc rem callidè.* AC. *Cura alia.* PA. *Age, Periplectomene, duc illas domum nunc, ego ibo ad illum ad forum, atque illi dabo hunc annulum, atque affirmabo mihi eſſe datum à tuâ uxore, cúmque ab illa deperiri; tu mitte hanc ſtatim ad nos, quando revertemur à foro, quaſi ad me miſſa ſit occultè.* PE. *Agemus: cura alias res.* PA. *Vos curate hæc: ego illum adducam huc mox egregiè onuſtum.* PE. *Bene vade, gere rem bene. Sed ſi ego id aſſequar prorſus, ut meus hoſpes habeat hodie meretricem Militis, atque hinc remigret Athenas. Si inſtructa ſit rectè hodie hæc fraus, quod ego ad te mittam præmium?* AC. *Mulier facítne ſuo marte?* PA. *Feſtivè omnino & comiter.* AC. *Spero fore, ut res ex voto fluat: quandoquidem noſtræ nequitiæ conferuntur in unum, non timeo ne nos convincamur fraude & dolo.* PE. *Ingrediamur ergo in ædes, ut agitemus hæc animo, ne in aliquo titubemus, quando Miles aderit.* AC. *Tu nos retardas, ut perficiamus diligenter & commodè hoc quod faciendum eſt.*

ANNOTATIONES.

61. *Oneratum.*] Clitellis videlicet. Notum eſt ex ſuperioribus.

65. *Quid tibi ego mittam muneris?*] Id joco dicit, neque enim eſt ejus, qui exhibet operam, dare manus, ſed accipere.

ACTUS QUARTUS.

ARGUMENTUM.

PALÆSTRIO fraudibus ſuis ſic circumvenit Pyrgopolinicem, ut ultrò dimittat & Philocomaſium, & ſemet Palæſtrionem, & Pleuſidi reſtituat.

ACTUS QUARTUS. SCENA PRIMA.

ARGUMENTUM.

PALÆSTRIO nuntiat Pyrgopolinici eſſe fœminam eximiam formâ, Periplectomenis ſenis uxorem juvenem, quæ eum depereat: & ad fidem faciendam huic Sycophantiæ, dat ei nomine hujus mulieris annulum. Statim ſtolidus Miles de dimittendâ Philocomaſio cogitat. Monet Palæſtrio veniſſe Epheſum matrem & ſororem Philocomaſii, cum iis eam eſſe dimittendam.

PYRGOPOLINICES, PALÆSTRIO.

PYRGOPOLINICES.

VOLUP EST quod agas, ſi id procedit lepidè & ex ſententiâ.
Nam ego hodie ad Seleucum regem miſi paraſitum meum,
Ut latrones, quos conduxi, hinc ad Seleucum duceret,
Qui ejus regnum tutarentur, mihi dum fieret otium.
PA. Quin tu tuam rem cura potiùs, quàm Seleuci: quæ tibi
Conditio nova & luculenta fertur per me interpretem!
PY. Imò omnis res poſteriores pono, atque operam do tibi.
Loquere: aures meas profectò dedo in ditionem tuam.

INTERPRETATIO:

PYRG. *ID quod agis eſt jucundum, ſi id ſuccedit benè & ex animo. Ego miſi hodie meum paraſitum ad regem Seleucum, ut duceret hinc milites, quos conduxi, ad Seleucum, qui tuerentur ejus imperium, uſque eò dum eſſet otium eundi ad eum.* PA. *Quin tu cura potius tuam rem, quàm Seleuci: hoc conſilium novum & egregium tibi datur per me internuntium.* PY. *Imò poſtpono omnia, & te audio. Loquere: certè committo meas aures tuo arbitrio.*

PA.

PA. Circumſpicito dum, ne quis noſtro hîc auceps ſermoni ſiet.
Nam hoc negotii clandeſtinò ut agerem, mandatum'ſt mihi.
PY. Nemo adeſt. *PA.* hunc arrabonem amoris primùm à me accipe.
PY. Quid hic? unde eſt? *PA.* à luculentâ atque à feſtivâ fœminâ,
Quæ te amat, tuámque expetiſſit pulcram pulcritudinem,
Ejus nunc mihi annulum ad te ancilla porrò ut deferrem, dedit.
PY. Quid? ean' ingenua, an feſtucâ facta è ſervâ libera eſt?
PA. Vah! egóne ut ad te ab libertinâ eſſe auderem internuncius,
Qui ingenuis ſatis reſponſare nequeas, cupidis tui!
PY. Nupta ea eſt, an vidua? *PA.* & nupta & vidua. *PY.* quo pacto potis
Vidua & nupta eſſe eadem? *PA.* quia adoleſcens nupta eſt cum ſene.
PY. Euge. *PA.* lepidâ & liberali formâ eſt. *PY.* cave mendacium.
PA. Ad tuam formam illa una digna eſt. *PY.* hercle pulchram prædicas.
Sed quis ea eſt? *PA.* ſenis hujus uxor Periplectomeni in proximo,
Ea demoritur te, atque ab illo incipit abire: odit ſenem.
Nunc te orare atque obſecrare juſſit, ut tui copiam
Sibi poteſtatémque facias. *PY.* cupio hercle equidem, ſi illa vult.
PA. Quæ cupit! *PY.* quid illâ faciemus concubinâ, quæ domi eſt?
PA. Quin tu illam jube abs te abire, quò lubet: ſicut ſoror
Ejus huc gemina venit Epheſum, & mater, arceſſúntque eam.
PY. Ain tu, advenit Epheſum mater ejus? *PA.* aiunt, qui ſciunt.
PY. Hercle occaſionem lepidam, ut mulierem excludam foras.

INTERPRETATIO.

PA. *Circumſpice, ne quis aucupetur noſtrum ſermonem. Nam eſt mihi imperatum mandatum ut tractem occultè hoc negotium.* PY. *Nemo adeſt.* PA. *Primò accipe à me hoc pignus amoris.* PY. *Quid hic annulus? unde eſt?* PA. *A preclarâ atque jucundiſſimâ fœminâ, quæ te deperit, expetitque tuam egregiam pulchritudinem: ejus ancilla mihi dedit modò annulum, ut ad te deferrem.* PY. *Quid? éſtne ea ingenua? An eſt facta libera è ſervâ, vindictâ?* PA. *Vah! ut ego audeam eſſe internuncius ad te ab libertinâ, tu qui non valeas reſpondere ſatis ingenuis quæ te depereunt!* PY. *Eſt illa nupta, an vidua?* PA. *Et nupta & vidua.* PY. *Quomodo poteſt eſſe, & conjugata & vidua?* PA. *Quia eſt adoleſcens, & nupta cum ſene.* PY. *Euge!* PA. *Eſt feſtivâ & egregiâ formâ.* PY. *Cave ne mentiaris.* PA. *Illa eſt digna una tuâ pulchritudine.* PY. *Per Herculem tu dicis eſſe pulcram; ſed quæ eſt ea?* PA. *Uxor hujus ſenis Periplectomenis vicini, ea te deperit & incipit diſcedere à viro: averſatur ſenem. Juſſit modò me te orare & obſecrare, ut ſibi facias tui copiam poteſtatémque.* PY. *Per Herculem cupio, ſi illa cupit.* PA. *Si cupit?* PY. *Quid faciemus de illâ concubinâ, quæ eſt domi?* PA. *Quin tu impera illam proficiſci abs te, quò volet: ut ejus ſoror gemina venit huc Epheſum, & mater, & eam arceſſunt.* PY. *Dicíſne tu ejus matrem veniſſe Epheſum?* PA. *Dicunt, qui ſciunt.* PY. *Per Herculem pulchram occaſionem, ut ejiciam mulierem foras!*

ANNOTATIO.

15. *Feſtucâ.*] Id eſt, vindictâ, quæ virga erat manumittendis hominibus à prætore adhiberi ſolita. Sic vocat & Perſius.

PA. Imò vin' tu lepidè facere? *PY.* loquere, & conſilium cedò.
PA. Vin' tu illam actutum amovere, à te ut abeat per gratiam?
PY. Cupio. *PA.* tum te hoc facere oportet, tibi divitiarum affatim eſt:
Jube ſibi aurum atque ornamenta, quæ illi inſtruxſti mulieri,
Dono habere, auferréque abs te quò lubeat ſibi.
PY. Placet uti dicis: ſed ne iſtam amittam, & hæc mutet fidem,
Vide modò. *PA.* vah delicatus, quæ te tanquam oculos amet!
PY. Venus me amat. *PA.* ſt! tace. aperiuntur fores: concede huc clanculum.
Hæc celox illius eſt, quæ hîc egreditur internuncia.
PY. Quæ hæc celox? *PA.* ancillula illius eſt, quæ hîc egreditur foras,
Quæ annulum iſtunc attulit, quem tibi dedi. *PY.* edepol hæc quidem
Bellula eſt. *PA.* pithecium hæc eſt præ illâ, & ſpinturnicium.
Viden' tu illam oculis venaturam facere, atque aucupium auribus?

INTERPRETATIO.

PA. *Imò viſne tu lepidè facere.* PY. *Loquere. & da conſilium.* PA. *Viſne tu illam dimittere ſtatim, ut abeat à te per gratiam?* PY. *Volo.* PA. *Oportet te facere hoc. Tibi eſt ſatis opum, jube eam ſibi dono habere aurum atque ornamenta, quibus ornaſti illam mulierem, & ſibi auferre à te quod lubeat?* PY. *Placet uti dicis; ſed vide modò ne amittam iſtam, & hæc mutet fidem.* PA. *Vah jocaris, quæ te amet velut oculos!* PY. *Venus me amat.* PA. *Sile! reſerantur fores: concede huc occultè, hæc eſt celox illius, quæ egreditur, eſt illius internuntia.* PY. *Quæ eſt celox?* PA. *Eſt illius ancillula. quæ egreditur huc foras. quæ attulit iſtum annulum. quem tibi dedi.* PY. *Per Herculem hæc eſt bellula.* PA. *Hæc eſt pythecium & ſpinturnicium præ illâ. Videſne illam venari oculis, & aucupari auribus?*

ANNOTATIONES.

39. *Celox.*] Velox navigii genus.

42. *Pythecium & ſpinturnicium.*] Duo vocabula à veteribus adhiberi ſolita ad turpitudinem vultus & formæ inſignem connotandam illud à πίθηξ *ſimia*, hoc à ſpinturnix, quæ eſt inauſpicata avis.

ACTUS QUARTUS. SCENA SECUNDA.

ARGUMENTUM.

PALÆSTRIO inducit ad Pyrgopolinicem ancillam Acroteleutii Milphidippam; eam elato ſupercilio modò ſuſpendendus naſo Miles recipit; ei ſalutem dicit verbis Acroteleutii ancilla, & quanto ejus amore inardeſcat, ſubdolè exaggerat.

PYRGOPOLINICES, PALÆSTRIO, MILPHIDIPPA.

MILPHIDIPPA.

JAMNE eſt ante ædis circus, ubi ſunt ludi faciendi mihi?
Diſſimulabo, hos quaſi non videam, neque eſſe hîc, etiam dum ſciam.
PY. Tace: ſubauſcultemus, ecquid de me fiat mentio.
MI. Numquis nam hîc propè adeſt, qui rem alienam potiùs curet quàm ſuam?
Qui aucupet me quid agam? qui de veſperi vivat ſuo?
Eos nunc homines metuo mihi ne obſint, néve obſtent uſpiam,
Domo ſi ibit, ac dum huc tranſibit, quæ hujus cupiens corporis eſt,
Quæ amat hunc hominem nimium lepidum, & nimiâ pulcritudine
Militem Pyrgopolinicem. *PY.* ſatin' hæc quoque me deperit:
Meam laudat ſpeciem. edepol hujus ſermo haud cinerem quæritat.
PA. Quo argumento? *PY.* quia enim loquitur lautè & minimè ſordidè:
Tum autem illa ipſa eſt nimium lepida, nimiſque nitida fæmina.
Hercle verò jam allubeſcit primulum, Palæſtrio. [tibi.
PA. Priúſne, quàm illam oculis tuis? *PY.* video id, quod credo
Cùm hæc locuta illam autem abſentem ſubigit me ut amem? *PA.* hercle hanc quidem

INTERPRETATIO.

MIL. *Circus ubi mihi faciendi ſunt ludi, éſtne jam ante ædes? Diſſimulabo, quaſi non videam hoc, neque ſciam eſſe hîc etiamnum.* PY. *Tace: auſcultemus mentionem, quam faciet de me.* MI. *Nonne eſt hîc propè aliquis, qui curet potius rem alienam quàm ſuam? Qui aucupetur quid faciam? qui vivat veſpere de ſuâ re? Timeo illos homines ne mihi obſint nunc, nève obſtent uſpiam, dum qua proficiſcetur domo, & huc tranſeat, ea qua cupit ejus corpus, qua amat hunc hominem militem Pyrgopolinicem, magnopere lepidum, & egregiâ formâ.* PY. *Hac quoque me ſatis amat, laudat meam formam: hujus oratio non poſtulat cinerem.* PA. *Quare?* PY. *Quia loquitur tersè & nitidè: tum autem illa fæmina eſt valde lepida, & valde lauta. Per Herculem illa incipit jam placere, Palaſtrio.* PA. *Amá'ne ancillam, priuſquàm dominam videris tuis oculis?* PY. *Video tuis oculis, quod à te dictum credo. Quando autem ancilla loquitur, me cogit ut amem dominam abſentem.* PA. *Per Herculem, ne hanc*

ANNOTATIONES.

1. *Circus.*] Alludit Milphidippa ad ludos Circenſes; quaſi locus, in quo eſt ludificatura Militem, ſit inſtar Circi, loci videlicet in quo exhibebantur ludi ad oblectationem populi Romani.

5. *Qui de veſperi vivat ſuo.*] Qui è re ſuâ ſibi paret cibos: veſpertinum verò tempus notatur, & non matutinum, aut alia quavis hora ad cœnam, quia videlicet reliquæ comeſtiones ad veſpertinam uſque, aut nullæ erant, aut erant privatim à ſingulis familiaribus fieri ſolitæ. Communis erat omnis familiæ veſpertina, unde cœna à vocabulo Græco κοινὴ; id eſt, communis comeſtio.

10. *Haud cinerem quaritant.*] Id eſt, non egent cinere defricari, ut nitidiores clarioréſque fiant.

Nihil tu amaſſis. mihi hæc deſponſa eſt : tibi ſi illa hodie nupſerit,
Ego hanc continuò uxorem ducam. *PY.* quid ergo hanc dubitas colloqui ?
PA. Sequere hâc me ergo. *PY.* pediſſequus tibi ſum. *MI.* utinam, cujus cauſſâ
Foras ſum egreſſa, conveniendi mihi poteſtas eveniat !
PA. Erit ; & tibi exoptatum obtinget : bonum habe animum, ne formida :
Homo quidam eſt, qui ſcit, quod quæris, ubi ſit. *MI.* quem ego hîc audivi ?
PA. Socium tuorum conſiliorum, & participem conſiliarium.
MI. Tum pol ego, id quod celo, haud celo. *PA.* imò, etiamſi non celas.
MI. Quo argumento ? *PA.* infidos celas : ego ſum tibi firmâ fide.
MI. Cedo ſignum, ſi harunc Baccharum es. *PA.* amat mulier quædam quendam.
MI. Pol iſtuc quidem multæ. *PA.* at non multæ de digito donum mittunt.
MI. Enim cognovi nunc. feciſti modò mihi ex proclivo palàm rem.
Sed hic nunquis adeſt ? *PA.* vel adeſt, vel non. *MI.* cedò te mihi ſolæ ſolum.
PA. Brevin' an longinquo ſermone ? *MI.* tribus verbis. *PA.* jam ad te redeo.
PY. Quid ? ego hîc aſtabo tantiſper cum hâc formâ, & factis, ſic fruſtra ?

INTERPRETATIO.

ames : hæc mihi eſt deſponſa : ſi domina tibi nupſerit hodie, ego ſtatim ducam hanc uxorem. PY. *Quare igitur moraris illam alloqui ?* PA. *Sequere me igitur hàc.* PY. *Sum tuus pediſſequus.* MI. *Utinam mihi contingat poteſtas conveniendi ejus, cujus causâ ſum egreſſa foras.* PA. *Erit & optatum tibi eveniet : habe bonum animum, ne time : eſt quidam homo qui ſcit ubi ſit quod quæris.* MI. *Quem ego audivi hîc ?* PA. *Socium tuorum conſiliorum & participem.* MI. *Per Pollucem, ſi ita eſt, ego non celo id quod celo.* PA. *Imò tametſi non celas.* MI. *Quomodo ?* PA. *Celas infidos ; ſed ego tibi ſum inconcuſſâ fide.* MI. *Cedo ſignum, ſi es ex noſtris bacchis.* PA. *Quædam mulier amat quemdam.* MI. *Per Pollucem multæ* mulieres *amant.* PA. *At non multæ mittunt annulum dono detractum de digito.* MI. *Nam cognovi modò : mihi patefeciſti id ultrò : ſed adeſtne aliquis hic qui ſubauſcultet ?* PA. *Vel adeſt, vel non.* MI. *Da te ſolum mihi ſoli.* PA. *Brevine, an longo ſermone ?* MI. *Tribus verbis.* PA. *Jam revertor ad te.* PY. *Quid ? ego aſtabo hic vel minimum otioſus, hàc tam egregiâ formâ præditus, & factis clarus.*

ANNOTATIO.

25. *Cedo ſignum. ſi harum Baccharum es.*]. Allegoria a ſacris Bacchi, quæ in vulgus efferre quoniam nefas erat, nemini licebat de iis verba facere, niſi interpoſito ſigno, quo conſtat eum, quo cum de iis ſermo eſſet, eſſe initiatum ſacris, & de Baccharum numero.

PA. Patere, atque aſta. tibi ego hanc do operam. *PY.* properando excrucior.

PA. Pedetentim! tu hæc ſcis, tractari ita ſolere háſce hujuſmodi merces.

PY. Age, age ut tibi maximè concinnum eſt. *PA.* nullum eſt hoc ſtolidius ſaxum.

Redeo ad te. quid me voluiſti? *MI.* quo pacto hoc d d um accepi

Iſtuc fero ad te conſilium. *PA.* quaſi hunc depereat. *MI.* teneo iſtuc.

PA. Collaudato formam & faciem, & virtutes commemorato.

MI. Ad eam rem habeo omnem aciem, tibi ut dudum demonſtravi.

PA. Tu cætera cura & contempla, & de meis venator verbis.

PY. Aliquam mihi partem hodie operæ des denique: jam tandem ades illico.

PA. Aſſum: impera, ſi quid vis. *PY.* quid illæc narrat tibi? *PA.* lamentari

Ait illam miſeram, cruciari, & lacrumantem ſe afflictare.

Quia tis egeat, quia te careat. ob eam rem huc ad te miſſa'ſt:

PY. Jube adire. *PA.* at ſcin' quid tu facias? face te faſtidii plenum,

Quaſi non lubeat, me inclamato, quia ſic te vulgo vulgem.

PY. Memini, & præceptis parebo. *PA.* voco ergo hanc, quæ te quærit?

PY. Adeat, ſi quid vult. *PA.* ſi quid vis, adi mulier. *MI.* Pulcher ſalve.

PY. Meum cognomentum quis commemoravit? dii tibi dent quæ optes.

INTERPRETATIO.

PA. *Mane, atque aſta; ego tibi do hanc operam.* PY. *Excrucior accelerando.* PA. *Placidè! tu ſcis haſce ejuſmodi merces ſolere ſic tractari.* PY. *Age, age, ſicut tibi eſt maximè conveniens.* PA. *Eſt nullum ſaxum hebetius hoc. Revertor ad te: quid mihi voluiſti dicere?* MI. *Ad te fero illud conſilium, quo pacto hoc accepi dudum.* PA. *Quaſi hunc depereat.* MI. *Scio illud.* PA. *Lauda pulcritudinem & vultum, & recenſe virtutes.* MI. *Habeo omnem vim mentis ad eam rem* converſam, *ut tibi demonſtravi jam dudum.* PA. *Tu cura & conſidera cætera, & venare de meis verbis.* PY. *Da mihi tandem hodie aliquam partem operæ: tandem ades ſtatim.* PA. *Aſſum: jube ſi vis aliquid.* PY. *Quid tibi narrat illa?* PA. *Ait ſe miſeram lamentari, cruciari, & ſe afflictare lacrymantem; quia te careat. ob eam rem miſſa eſt huc ad te.* PY. *Jube venire.* PA. *Sed ſciſne quid tu facias? fac te plenum faſtidii, quaſi non lubeat: inclamato me, quia ſic vulgem te vulgo.* PY. *Recordabor, & obtemperabo præceptis.* PA. *Igitur accerſo hanc quæ te quærit.* PY. *Adeat, ſi vult aliquid.* PA. *Mulier adi, ſi quid vis.* MI. *Formoſe, ſalve!* PY. *Quis docuit hanc meum cognomen? Dii tibi dent quæ optes.*

ANNOTATIO.

42. *Quia tis egeat.*] Id eſt, tui. Mis, tis, antique, pro mei, tui.

MI. Tecum ætatem exigere ut liceat. *PY.* nimium optas. *MI.* non me dico,
Sed heram meam, quæ te demoritur. *PY.* multæ aliæ idem iſtuc cupiunt,
Quibus non eſt copia. *MI.* ecaſtor haud mirum, ſi te habeas carum,
Hominem tam pulcrum, & præclarâ virtute, & formâ, & factis.
Ecquis dignior fuit, homo qui eſſet? *PA.* non hercle humanum eſt ergo:
Nam vulturio plus humani credo eſt. *PY.* magnum me faciam
Nunc, quoniam illæc me collaudat. *PA.* viden' ignavum, ut ſeſe inferat?
Quin tu huic reſponde? hæc illæc eſt ab illâ quam dudum.
PY. Quâ nam ab illarum? nam ita me occurſant multæ: meminiſſe haud poſſum.
MI. Ab illâ, quæ digitos deſpoliat ſuos, & tuos digitos decorat.
Nam hunc annulum ab tui cupiente huc detuli huic, *qui* porrò.
PY. Quid nunc tibi vis, mulier? memora. *MI.* ut, quæ te cupit, eam ne ſpernas.
Quæ per tuam nunc vitam vivit. ſit, nec ne ſit, ſpes in te uno eſt.
PY. Quid nunc vult? *MI.* te compellare, & complecti, & contrectare.
Nam niſi tu illi fers ſuppetias, jam illa animum deſpondebit.
Age*, mi Achilles, fiat quod te oro: ſerva illam pulcram pulcrè:
Exprome benignum ex tete ingenium, urbicape, occiſor regum!
PY. Heu hercle odioſas res! quoties hoc tibi, verbero, ego interdixi,
Meam ne ſic vulgo polliciteris operam? *PA.* Audin' tu mulier?

INTERPRETATIO.

MI. *Ut detur degere vitam tecum.* PY. *Optas nimium.* MI. *Non dico me, ſed meam heram, quæ te deperit.* PY. *Complures aliæ cupiunt idem, quibus non eſt copia.* MI. *Per ædem Caſtoris non eſt mirum, ſi te æſtimes pluris, utpotè tam formoſum, virtute egregiâ, & formâ, & geſtis. Et quis fuit dignior, qui eſſet homo?* PA. *Per Herculem non eſt humanum; nam credo eſſe plus humanitatis in vulturio.* PY. *Me faciam nunc excelſum, quandoquidem illa me laudat.* PA. *Vidéſne ignavum, ut ſeſe efferat? Quin tu reſponde huic? hæc eſt quam tibi dixi, jam diu miſſam ab illâ.* PY. *A quanam illarum? Nam mihi occurſant adeò multæ, ut non poſſim meminiſſe.* MI. *Ab illâ, quæ deſpoliat ſuos digitos, & decorat tuos digitos. Nam detuli huic huc hunc annulum ab eâ, quæ tui deſiderio tenetur, qui porrò eum tibi redderet.* PY. *Memora mulier, quid vis nunc?* MI. *Ut ne eam ſpernas, quæ te vult alloqui, quæ vivit nunc per tuam vitam, ſpes in te uno eſt, ſit nec ne ſit.* PY. *Quid vult nunc?* MI. *Te compellare, & complecti, & contrectare. Nam niſi tu illi fers auxilium, jam illa deſpondit animum. Age, mi Achilles, fiat quod te oro: ſerva illam pulcram pulcrè: exprome ex te manſuetum ingenium, urbium expugnator, occiſor regum!* PY. *Heu per Herculem res moleſtas! quoties ego prohibui tibi id, verbero, ne ſic pollicereris meam operam vulgo.* PA. *Audiſne tu mulier?*

* * * * * * *
* * * * * * * *

MI. Dabitur quantum ipſus pretii poſcet. *PA.* talentum Philippum huic opus auri eſt.
Minus ab nemine accipiet. *MI.* heu ecaſtor nimis vile eſt tandem.
PY. Non mihi avaritia unquam innata eſt:ſatis eſt divitiarum.
Plus mihi auri mille eſt modiorum Philippei. *PA.* præter theſaurum.
Tum argenti montes,non maſſas habet.Ætna mons non æquè altus.
MI. Heu ecaſtor hominem perjurum. *PA.* ut ludo! *MI.*quid ego? ut ſublecto os! *PA.*ſcitè.
MI. Sed amabo, mitte me actutum. *PA.* quin tu huic reſpondes aliquid,
Aut facturum, aut non facturum? quid illam miſeram animi excrucias,
Quæ nunquam malè de te merita eſt? *PY.* at jube eámpſe exire huc ad nos.
Dic me omnia quæ vult facturum. *MI* facis nunc ut facere æquum;
Quod quæ te vult, eadem tu vis. *PA.* non hic inſulſum habet ingenium!
MI. Quúmque me oratricem haud ſpreviſti, ſiviſtique exorare ex te.
Quid eſt? ut ludo! *PA.* nequeo hercle quidem riſu me admoderarier.
Ob eam cauſſam huc abs te avorti. *PY.* non edepol tu ſcis, mulier,
Quantum ego honorem nunc illi habeo. *MI.*ſcio,& iſtuc illi dicam.
PA. Contrà auro alii hanc vendere potuit operam. *MI.* iſtuc pol tibi credo.

INTERPRETATIO.

* * * *
* * * *
* * *

* MI. *Dabitur tantum pretii quantum poſcat.* PY. *Hic habet opus talento Philippeo auri. A nemine minus accipiet.* MI. *Heu tandem pretium eſt nimis vile.* PY. *Avaritia non unquam eſt innata mihi; eſt ſatis divitiarum. Habeo plus mille modiorum auri Philippei.* PA. *Præter theſaurum; præterea habet montes argenti, non maſſas.: mons Ætna non perinde altus.* MI. *Heu, per ædem Caſtoris hominem perjurum!* PA. *Ut ludo hominem!* MI. *Quid ego facio? ut ſublino os!* PA. *Probè.* MI. *Sed quaſo, dimitte me ſtatim.* PA. *Quin reſpondo tu huic aliquid, aut facturum, aut non facturum? Quid illam excrucias animi infœlicem, quæ de te nunquam malè merita eſt?* PY. *Sed jube eam exire huc ad nos; dic me facturum cuncta quæ exoptat.* MI. *Facis jam ſicut eſt æquum facere: quando tu vis eam, quæ te vult.* PA. *Hic non habet inſulſam mentem.* MI. *Et quando non me contempſiſti oratricem, paſſúſque es exorari à te. Quid eſt hoc? ut ludo hominem!* PA. *Per Herculem nequeo temperare à riſu; propterea huc me averti abs te.* PY. *Per ædem Pollucis non ſcis, mulier, quantum ego illi habeo honorem.* MI. *Scio, & illi dicam id.* PA. *Poterat collocare hanc operam aliis contrà auro.* MI. *Per Pollucem iſtud credo.*

PA. Meri bellatores gignuntur, quas hic prægnantes fecit.
Et pueri annos octingentos vivunt. *MI*. væ tibi, nugator!
PY. Quin mille annorum perpetuò vivunt, ab ſeculo ad ſeclum.
PA. Eò minùs dixi, ne hæc cenſeret me advorſum ſe mentiri.
MI. Perii, quot hic ipſe annos vivet, cujus filii tam diu vivunt?
PY. Poſtriduo natus ſum ego, mulier, quàm Jupiter ex Ope natus eſt.
PA. Si hic pridie natus foret, quàm ille eſt, hic haberet regnum in cœlo.
MI. Jam jam ſat amabo eſt. finite abeam, ſi poſſum, viva à vobis.
PA. Quin ergo abis, quando reſponſum eſt. *MI*. ibo, atque illam huc adducam,
Quam propter opera eſt mihi. numquid vis? *PY*. ne magis ſim pulcher, quàm ſum.
Ita me mea forma ſollicitum habet. *PA*. quid hìc nunc ſtas? quin abis? *MI*. abeo.
PA. Atque adeò, audin' tu? dicito doctè & cordatè. *MI*. ut cor ei ſaliat.
PA. Philocomaſio dic, ſi eſt hìc, domum ut tranſeat: hunc hîc eſſe.
MI. Hîc cum meâ herâ eſt, clam noſtrum hunc ſermonem ſublegerunt.
Lepidè factum eſt: jam ex ſermone hoc gubernabunt doctiùs porrò
Rem. *MI*. me morare. *PA*. abeo; neque te moror, neque te tango, neque te. taceo.
PY. Jube maturatè illam exire huc. jam iſtic rei prævortemur.

Interpretatio.

PA. *Bellatores meri gignuntur, ex iis quas facit gravidas: & pueri vivunt octingentos annos.* MI. *Va tibi, nugator!* PY. *Quin vivunt mille annos, à ſeculo ad ſeculum,* PA. *Dixi minùs, ne hac exiſtimaret me mentiri coram ſe.* MI. *Perii! quot annos hic vivet, cujus filii vivunt tandiu?* PY. *Ego natus ſum poſtridie ejus diei, quo Jupiter eſt natus ex Ope.* PA. *Si hic pridie foret natus, quàm ille eſt, hic haberet regnum in cœlo.* MI. *Jam ſatis eſt quaſo: ſinite ut abeam viva à vobis, ſi poſſum.* PA. *Quare ergo non abis, quandoquidem reſponſum eſt.* MI. *Ibo. & illam adducam, hinc propter quam eſt mihi hac opera: numquid vis?* PY. *Ne ſim magis pulcher, quàm ſum. Adeò mea forma mihi eſt oneri* PA. *Quare ſtas hic nunc? quare non abis?* MI. *Abeo.* PA. *Atque adeò, audi'ne tu? dicito doctè & cordatè.* MI. *Ut cor ei ſaliat.* PA. *Dic Philocomaſio, ſi eſt hic, ut tranſeat domum, hunc eſſe hic.* MI. *Eſt hic cum meâ herâ, clam ſublegerunt hunc noſtrum ſermonem.* PA. *Factum eſt lepidè: jam adminiſtrabunt ex hoc ſermone doctiùs rem.* MI. *Me retardas.* PA. *Abeo: neque te retardo, neque te tango. neque te, ſileo.* PY. *Jube illam venire huc velociter, Jam iſtam rem ante alias faciemus.*

Annotatio.

87. *A ſeculo.*] A primo ſeculo ad ultimum ſeculum mille annorum.

ACTUS

ACTUS QUARTUS. SCENA TERTIA.

ARGUMENTUM.

DELIBERAT cum Palæſtrione Pyrgopolinices,quo pacto dimíttat Philocomaſium: ſuadet Pyrgopolinici Palæſtrio doli fabricator, ut eam cum auro & veſtibus dimittat.

PYRGOPOLINICES, PALÆSTRIO.

PYRGOPOLINICES.

QUID mihi nunc es autor, ut faciam, Palæſtrio;
De concubinâ? nam nullo pacto poteſt
Priùs hæc in ædis recipi, quàm illam omiſerim.
PA. Quid me conſultas, quid agas? dixi equidem tibi;
Quo pacto id fieri poſſit clementiſſimè.
Aurum atque veſtem omnem muliebrem habeat ſibi,
Quæ illi inſtruxiſti, ſumat, habeat, auferat.
Dicaſque tempus maximum eſſe, ut eat domum:
Sororem geminam adeſſe & matrem, dicito,
Quibus concomitata rectè deveniat domum.
PY. Quî tu ſcis eas adeſſe? *PA.* quia oculis meis
Vidi hîc ſororem eſſe ejus. *PY.* convenítne eam!
PA. convenit. *PY.* ecquid fortis viſa eſt? *PA.* omnis
Vis obtinere. *PY.* ubi matrem eſſe aiebat ſoror?

INTERPRETATIO.

PYR. *Quid exiſtimas mihi eſſe agendum, Palæſtrio? Nam Acroteleutium nullo modo poteſt admitti in ædes, antequàm illam dimiſerim.* PA. *Quid à me petis, quid facias? Profectò tibi dixi, quâ ratione id poſſit fieri leniſſimè. Servet omnem pecuniam, atque* omnes *veſtes muliebres quas illi dediſti, accipiat, retineat, auferat; & innue illi eſſe tempus, ut remigret in patriam. Innue illi sororem geminam eſſe hic & matrem, quibus comitibus repetat fæliciter civitatem.* PY. *Quomodo ſcis tu eas adeſſe?* PA. *Quia conſpicatus ſum meis oculis ejus ſororem eſſe hic.* PY. *Eámne adiit?* PA. *Adiit.* PY. *Viſáne eſt robuſta?* PA. *Optas habere cuncta.* PY. *Ubi ſoror Philocomaſii dicebat eſſe matrem?*

ANNOTATIONES.

8. *Tempus maximum.*] Occaſio opportuniſſima.

13. *Ecquid fortis viſa eſt.*] Nonius: *Formoſam* interpretatur. Servius, & de *formoſâ*, & de *robuſtâ*, ſeu *maturâ viro*.

Omnia vis obtinere.] Exprobrat proterviam militi Palæſtrio, ut qui de ſorore concubinæ videatur curioſiùs inquirere.

PA. Cubare in navi lippam, atque oculis turgidis;
Nauclerus dixit, qui illas advexit, mihi.
Is ad hos nauclerus hoſpitio divortitur.

* * * * * * * * * * *

PY. Hoc age nunc. *PA.* iſtuc. *PY.* quod das conſilium mihi?
Te cum illâ verba facere de iſtâ re volo;
Nam cum illâ ſanè congruus ſermo tibi.
„*PA.* Quin potius, QUUM TUTE ades, tuam rem túte agas.
Dicas uxorem tibi neceſſum eſſe ducere,
Cognatos perſuadere, amicos cogere.
PY. Itáne tu cenſes? *PA.* quid ego ni ita cenſeam?
PY. Ibo igitur intrò. tu hîc ante ædis interim
Speculare, ut, ubi illæc prodeat, me provoces.
PA. Tu modò iſtuc cura, quod agis. *PY.* curatum id quidem eſt.
Quin ſi voluntate nolet, vi extrudam foris.
PA. iſtuc cave faxis: quin potiùs per gratiam
Bonam abeat abs te: atque illæc, quæ dixi, dato:
Aurum, ornamentáque, quæ illi inſtruxiſti, ferat.
PY. Cupio hercle. *PA.* credo te facilè impetraſſere.
Sed abi intrò, noli ſtare. *PY.* tibi ſum obediens.

INTERPRETATIO.

PA. *Nauta, qui illas detulit, mihi dixit, eam cubare in navi, lippam, & oculis tumentibus. Idem navarchus verſatur apud illos.* * * * * * * * * * * *

PY. *Adverte nunc ad hoc.* PA. *Ago iſtud.* PY. *Quid mihi ſuades? Volo te loqui cum illâ de his; ſanè tibi erit oratio, qualem eſſe oportet cum illâ.* PA. *Quin, quoniam præſto es, tu geras potius tua negotia. Innue ei tibi ducendam eſſe uxorem, cognatos hortari, amicos urgere.* PY. *Putáſne ſic?* PA. *Quidni ego ſic putem?* PY. *Ingrediar ergo: tu interea, obſerva ante ædes, ut quando illa exibit, me voces.* PA. *Tu curam gere eorum quæ molitis.* PY. *Ea ſunt meditata. Quin ſi recuſet ultro abire, extrudam vi foris?* PA. *Vide ne feceris id; quin diſcedat potiùs à tuis ædibus, quaſi ultrò, & da illa quæ dixi: ut auferat pecuniam & veſtimenta, quibus illam donaviſti.* PY. *Volo per Herculem.* PA. *Credo te poſſe conſequi facilè. ſed ingredere, noli hærere.* PY. *Sũ tibi obſequens.*

ANNOTATIONES.

22. *Te cum illâ.*] Miles detrectat provinciam dimittendæ Philocomaſii, quaſi ſe ſit indignum cum muliercula verba facere.

25. *Dicas uxorem.*] Quas cauſas allaturus ſit meretrici Miles, docet artifex mendaciorum ſingularis Palæſtrio.

29. *Provoces.*] Evoces.

32. *Per gratiam bonam.*] Simplex id, ſed tamen Latinum, utpotè Plautinum, hoc nos noſtro vernaculò dicimus, *Faire les choſes de bonne grace.*

PA. Nunquid videtur demutare, atque uti ego
Dixi eſſe vobis dudum hunc mœchum Militem?
Nunc ad me ut veniat, uſu'ſt, Acroteleutium,
Ancillula ejus, & Pleuſides. pro Juppiter,
Satin' ut commoditas uſquequaque me adjuvat!
Nam quos videre exoptabam me maximè,
Unà exeunteis video hinc è proximo.

INTERPRETATIO.

PA. *Vobiſne videtur hic Miles eſſe alius, atque ego vobis dixi dudum, adulter? Nunc opus eſt, ut Acroteleutium, ejus ancilla, & Pleuſides veniant ad me. Proh Jupiter! commoditas ſatíſne mihi auxiliatur in omnibus? Nam conſpicor prodire unà è vicinis eos, quos exoptabam maximè videre.*

ANNOTATIONES.

37. *Demutare.*] Numquid mutatus eſſe videtur, & alius ab eo quem vobis modò adumbrabam.

41. *Commoditas.*] Dea quæ opportunitates rerum adminiſtrat.

ACTUS QUARTUS. SCENA QUARTA.

ARGUMENTUM.

PALÆSTRIO, Pleuſidem, Acroteleutium, & Milphidippam ad illudendum Pyrgopolinici perdocet.

PLEUSIDES, ACROTELEUTIUM, PALÆSTRIO, MILPHIDIPPA.

ACROTELEUTIUM.

SEQUIMINI; ſimul circumſpicite, ne quis adſit arbiter.
MI. Neminem pol video, niſi hunc, quem volumus conventum. *PA*. & ego vos.
MI. Quid agis, noſter architecte? *PA*. egóne architectus? vah!
MI. quid eſt?

INTERPRETATIO.

ACR. *SEquamini; & videte unà, ne quis nos audiat.* MI. *Per Pollucem neminem conſpicor, niſi quem optamus alloqui.* PA. *Et ego vos.* MI *Quid moliris, noſter architecte?* PA. *Egóne architectus? Vah!* MI. *Quid eſt?*

ANNOTATIO.

3. *Egóne architectus?*] Si tecum conferar, adeò tibi concedo in arte ſtruendarum fallaciarum, ut, qui vix ſciat palum defigere in pariete, minùs diſtet à peritiſſimo architecto.

PA. Quî enim non ſum dignus præ te, ut figam palum in parietem.
AC. Eia verò. *PA.* nimis facetè, nimiſque facundè mala eſt.
Ut lepidè deruncinavit Militem! *AC.* at etiam parum.
PA. Bono animo es, negotium omne jam ſuccedit ſub manus.
Vos modò, porrò, ut occepiſtis, date operam adjutabilem.
Nam ipſe Miles concubinam intrò abiit oratum ſuam,
Ab ſe ut abeat cum ſorore & matre Athenas. *AC.* eu! probè!
PA. Quin etiam aurum atque ornamenta, quæ ipſe inſtruxit, mulieri
Omnia dat dono, ſe ut abeat: ita ego conſilium ei dedi.
PL. Facile iſtuc quidem eſt, ſi & illa volt, & ille autem cupit.
„*PA.* Non tu ſcis, Cum ex alto puteo ſurſum ad ſummum eſcenderis,
„Maximum periculum inde eſſe, à ſummo ne rurſum cadas?
Nunc hæc res apud ſummum puteum geritur: ſi proſenſerit
Miles, nihil hinc ferri poterit hujus: nunc quàm maximè
Opus eſt dolis. *PL.* domi eſſe ad eam rem video ſilvæ ſatis:
Mulieres tres, quartus túte es, quintus ego, ſextus ſenex.
PA. Quot apud nos fallaciarum eſt exciſum! certò ſcio
Oppidum quodvis videtur poſſe expugnari dolis.
Date modò operam. *AC.* id nos ad te, ſi quid velles, venimus.
PA. Lepidè facitis. nunc hanc tibi ego impero provinciam.
AC. Impetrabis, Imperator, quod ego potero, quod voles.

Interpretatio.

PA. *Quia, ſi tecum conferar, non mereor defigere palum in parietem.* ACR. *Eia verò.* PA. *Eſt maligna nimis feſtivè, & nimis disertè. Ut feſtivè dedolavit Militem!* A C. *Sed nondum ſatis.* PA. *Eſto bono animo; omnis res ſuccedit jam ex voto. Vos præterea opitulamini, ut incepiſtis. Nam Miles ipſe introivit ad orandam ſuam meretricem, ut diſcedat ab ſe Athenas cum ſorore & matre.* A C. *Eu! bene eſt!* PA. *Quin etiam donat mulieri pecuniam, & omnia veſtimenta, quæ ipſi dedit, ut abeat ab ſe, ego ei ſic perſuaſi.* PL. *Illud fiet ſine negotio, ſi & illa optat, & ille cupit.* PA. *Tuneſcis quòd quando aſcenderis ex imo puteo ſurſum ad ſummum, eſſe maximum periculum ne corruas rurſum à ſummo! Nunc hæc res agitur in ſummo puteo: ſi Miles ſuſpicatus fuerit, nihil poterit auferri hinc, ex his quæ habet; nunc opus eſt quàm maximè fraude.* PL. *Video eſſe ſilvam ſatis denſam domi, ad id negotii* extruendum; *tres mulieres: tu es quartus, ego quintus, ſenex ſextus.* P A. *Quot exſectæ ſunt fallaciæ apud vos? habeo pro certo quámvis urbem poſſe expugnari* noſtris *dolis: auſcultate modò.* AC. *Idcirco nos ad te venimus, ſi quid velles.* PA. *Facitis feſtivè. Ego tibi aſſigno nunc hoc munus.* AC. *Obtinebis, ô dux, quod optabis, quod ego potero.*

Annotationes.

6. *Deruncinavit.*] *Roncina* eſt inſtrumentum fabri lignarii, quo lignum ex impoſito fit politius, *un rabot.*

18. *Sylva ſatis,*] Manet in allegoria ſuperius inſtituta architecti, dicítque ingentem eſſe fallaciarum ſylvam, à quâ ſit excidendum, ad inſtruendas *machinas*, ad *architectandos*, ut ita dicam, dolos.

PA. Militem lepidè, & facetè, & lautè ludificarier
Volo. *AC.* voluptatem mecaſtor mihi imperas. *PA.* & ſcin' tu quemadmodum ?
AC. Nempe ut aſſimulem me amore iſtius differri. *PA.* rem tenes.
AC. Quaſique iſtius cauſsâ amoris ex hoc matrimonio
Abierim, cupiens iſtius ſummè nuptiarum. *PA.* ordine is :
Niſi modò unum hoc : haſce eſſe ædis dicas dotalis tuas :
Hinc ſenem abs te abiiſſe, poſtquam feceris divortium :
Ne ille mox vereatur introire in alienam domum.
AC. Bene mones. *PA.* ſed ubi ille exierit intus, iſtic te procul
Ita volo aſſimulare, præ illius formâ quaſi ſpernas tuam,
Quasíque ejus opulentitatem verearis, & ſimul
Formam amœnitatis; illius faciem, pulcritudinem
Collaudato. ſatin' præceptum' ſt ? *AC.* teneo. ſatin' eſt, ſi tibi
Meum opus ita dabo expolitum, ut improbare non queas ?
PA. Sat habeo. nunc tibi viciſſim quæ imperabo. *PL.* dicito.
PA. Quàm extemplò hoc erit factum, ubi intrò hæc abierit, tu illico
Facito ut venias huc ornatus ornatu nauclerico,
Cauſiam habeas ferrugineam, culcitam ob oculos laneam,
Palliolum habeas ferrugineum (nam is colos thalaſſicu'ſt)
Id connexum in humero lævo, exaſſilato brachio,

INTERPRETATIO.

P A. *Opto Militem ludiſicari feſtivè & facetè, & exquiſitè.* AC. *Per Caſtorem mihi mandas rem jucundam.* PA. *Sciſne verò quomodo?* AC. *Nempe ut ſimulem me diſtrahi iſtius amore.* PA. *Tenes rem.* AC. *Et quaſi abierim ex hoc matrimonio, iſtius amoris causâ, flagrans deſiderio iſtius nuptiarum.* PA. *Is ordine: ſi præterea hoc dicas unum: hancce domum eſſe tibi dono datam pro dote: ſenem hinc demigraſſe, poſtquam feceris divortium: ne ille extimeſcat modò ſubire alienum tectum.* AC. *Admones ſapienter.* P A. *Sed ubi ille prodierit ab ædibus, volo te fingere hinc à longè, ſic quaſi ſpernas tuam formam præ illius formâ, & quaſi verearis ejus opes, & unà ejus pulcritudinem amœnam: collauda faciem, venuſtatem. Eſne ſatis docta?* AC. *Audio: ſatiſne eſt, ſi hoc opus ita accurem, ut non poſſis non laudare?* PA. *Sufficit. Nunc audi viciſſim, quæ tibi mandabo.* PL. *Dic.* PA. *Hoc fiet quàm celeriter: quando hæc introierit, tu* Pleuſides, *facito ut venias illico huc. habitu nautico. Habeas pileum ferrugineum, culcitam laneam ante oculum. habe palliolum ferrugineum (nam ille color eſt marinus) ſubnecte humero, lævo bracchio exerto,*

ANNOTATIONES.

41. *Cauſiam.*] Pileus Macedonicus, latis marginibus, ad arcendum Solis ardorem.

Culcitam.] Palæſtrio mandat Pleuſidi, ut ferat ob oculos culcitam laneam, & ſimulet oculorum dolorem; fortè ut non agnoſcatur à Milite, cui ſe habitu nauclerico offerebat. Porrò qui dolent oculis, vulgò habent in manu, quo eos aut foveant, ne luce nimiâ offendantur, aut ſiccent ſi ſint plus æquo humidi.

43. *Thalaſſicus color.*] Marinus.

44. *Exaſſilato brachio.*] Alii, *expapillato*, exerto altero brachio, humero, papillâ.

Præcinctus aliqui, aſſimulato quaſi gubernator ſies.
Atque apud hunc ſenem omnia hæc ſunt: nam is piſcatores habet.
PL. Quid? ubi ero exornatus, quis tu dicis, quid facturus ſim?
PA. Huc venito, & matris verbis Philocomaſium arceſſito,
Ut, ſi itura jam eſt Athenas, eat tecum ad portum citò:
Atque ut jubeat ferri in navim, ſi quid imponi velit.
Niſi eat, te ſoluturum eſſe navim: ventum operam dare.
PL. Satis placet pictura, perge. *PA.* ille extemplò illam hortabitur
Ut eat, ut properet, ne moræ ſit matri. *PL.* multimodis ſapis.
PA. Ego illi dicam, ut me adjutorem, qui onus feram ad portum, roget.
Ille jubebit me ire cum illâ ad portum: ego adeo, ut tu ſcias,
Prorſum Athenas protinus abibo tecum. *PL.* atque ubi illò veneris,
Triduum *unum* ſervire nunquam te, quin liber ſis, ſinam.
PA. Abi cito, atque orna te. *PL.* nunquid aliud? *PA.* hæc ut memineris.
PL. Abeo. *PA.* & vos abite hinc intrò actutum. nam illum hinc ſat ſcio
Jam exiturum eſſe intus. *AC.* celebre apud nos imperium tuum eſt.
PA. Agite, abſcedite ergo. ecce autem commodò aperitur foris:
Hilarus exit; impetravit. inhiat, quod nuſquam eſt, miſer.

INTERPRETATIO.

cum papillâ: eſto præcinctus, & aſſimula quaſi ſis nauclerus. Et omnia hæc ſunt apud hunc ſenem: nam ille habet piſcatores. PL. *Quid? Quando ero ſic veſtitus, quare tu non mones, quid ſum acturus?* PA. *Veni huc, & accerſe Philocomaſium verbis matris, quaſi jam ſit repetitura Athenas. Dicat pergat citò tecum ad portum, & mandet ferri in navim, ſi velit imponi aliquid. Niſi eat, dic te eſſe ſoluturum navim: ventum flare.* PL. *Hæc pictura placet ſatis. Perge.* PA. *Ille ſtatim illam hortabitur, ut eat, ut properet, ne remoretur matrem.* PL. *Sapis omnino.* PA. *Ego illi dicam, ut me roget adjutorem, qui feram onus ad portum: ille me jubebit ire ad portum cum illâ. Ego adeo, ut tu ſcias, abibo protinus prorſum Athenas tecum.* PL. *Et ubi veneris illò, non ſinam te ſervire tribus diebus antequam manumittam.* PA. *Abi celeriter, atque te exorna.* PL. *Viſne aliquid aliud?* PA. *Ut recorderis horum.* PL. *Abeo.* PA. *Et vos introite celeriter. Nam non ignoro illum exiturum eſſe jam ex ædibus.* AC. *Tuum mandatum eſt inviolabile apud nos.* PA. *Agite, abite ergo: ecce janua reſeratur opportunè. Prodit hilaris Miles, obtinuit. Miſer inhiat, quod eſt nuſquam.*

ACTUS QUARTUS SCENA QUINTA.

ARGUMENTUM.

PALÆSTRIO nuntiat Pyrgopolinici ſe à Philocomaſio precibus & omni ratione obtinuiſſe, ut cum matre Athenas remigraret. Pyrgopolinices in gratiam navatæ operæ, libertatem pollicetur.

PYRGOPOLINICES, PALÆSTRIO.

PYRGOPOLINICES.

QUOD volui, ut volo, impetravi per amicitiam & gratiam à Philocomaſio. *PA.* quidnam tam intus fuiſſe te dicam diu ?
PY. Nunquam ego me tam ſenſi amari, quam nunc, ab illâ muliere.
PA. Quid jam ? *PY.* ut multa verba fecit ! ut lenta materies fuit!
Verùm poſtremò impetravi ut volui ; donavíque ei
Quæ voluit, quæ poſtulavit. te quoque ei dono dedi.
PA. Etiam me ? quomodo ego vivam ſine te ? *PY.* age, es animo bono,
Idem ego te liberabo. nam ſi poſſet ullo modo
Impetrari ut abiret, ne te abduceret, operam dedi:
Verùm oppreſſit. *PA.* deos ſpetabo, téque poſtremò. tamen.
Etſi iſtuc mihi acerbum'ſt. quia hero te carendum eſt optimo,
Saltem id volupe eſt, cùm ex virtute formæ evenit tibi
Meâ operâ ſuper hanc vicinam, quam ego nunc concilio tibi.
PY. Quid opu'ſt verbis ? libertatem tibi ego & divitias dabo,
Si impetras. *PA.* reddam impetratum. *PY.* at geſtio. *PA.* at modicè decet
Moderate animo : ne ſis cupidus. ſed eccam ipſam, egreditur foras.

INTERPRETATIO.

PYR. *Obtinui à Philocomaſio, id quod optavi, amore, & animo grate ſicut exopto.* PA. *Quare fuiſti tandiu in ædibus?* PY. *Nunquam ego animadverti me tam diligi ab illâ muliere, quàm nunc.* PA. *Quare ?* PY. *Quàm longâ oratione me detinuit? Quam difficilè memet expedivi? Sed demum obtinui, quod volui; & ei dedi quæ optavit, quæ rogavit: te dono dedi quoque ei.* PA. *Me dediſti etiam? Quomodo ego vitam ducam ſine te?* PY. *Age, eſto bono animo: ego idem te donabo libertate; nam conatus ſum, ſi fieri poſſet ullâ ratione, ut proficiſceretur, ne te abduceret, verùm coëgit ut te darem.* PA. *Ponam ſpem in Diis, & in te poſtremò. Tametſi iſtud eſt mihi acerbum, quoniam eſt diſcedendum ab optimo hero. At certè id mihi jucundum, quod id contigit præſtantiâ tuæ formæ, quâ, me opitulante, hæc vicina tibi conciliata eſt.* PY. *Quid opus eſt tot verbis? Ego te donabo divitiis & libertate, ſi conſequaris.* PA. *Conſequar.* PY. *At geſtio.* PA. *At oportet continere impetum mentis, ne ſis cupidior: ſed adeſt ipſa quæ prodit foras.*

ANNOTATIONES.

4. *Ut lenta materies fuit.*] Quàm difficilè loquendi finem fecit, & obteſtandi ne ſe dimitterem ? quàm egrè id obtinui ? Interdum *lentus* ſignificat quiddam non aſperum, ſed tractabile, & quod ſequitur quà velis ducentem ; ſic *lenta*. dicuntur *vimina*.

10. *Sperabo Deos téque poſtremò.*] Poſtremò dictum videtur demiſſiore voce, ut non audiat Miles, audiant ſpectatores. Quia formula hæc urbanitatis, parùm conveniret tumori glorioſi Militis, qui vix Jovi ipſi concedat.

12. *Cùm ex virtute forma.*] Involuta oratio, & eo evolvenda modo, quo in interpretatione.

ACTUS QUARTUS. SCENA SEXTA.

ARGUMENTUM.

ADest Acroteleutium comite Milphidippâ, veniunt in conſpectum Pyrgopolinicis aſtante Palæſtrione,& traſonem miris modis ludificantur.

PYRGOPOLINICES, ACROTELEUTIUM, PALÆSTRIO, MILPHIDIPPA.

MILPHIDIPPA.

HERA, eccum præſto Militem. *AC.* ubi eſt? *MI.* ad lævam videto.
Aſpicito limis oculis, ne ille nos ſe videre ſentiat.
AC. Video edepol nunc nos tempus eſt malas pejores fieri.
MI. Tuum eſt principium. *AC.* obſecro, túte ipſum conveniſti?
Ne parce voci, ut audiat. *MI.* cum ipſo pol ſum ſecura
Placidè ipſa, dum libitum eſt mihi, otioſè, meo arbitratu, ut volui.
PY. Audin' quæ loquitur? *PA.* audio. quàm læta eſt, quia adit ad te!
AC. O fortunata mulier! *PY.* ut amari videor! *PA.* dignus es.
AC. Permirum ecaſtor prædicas, te adiſſe atque exoraſſe.
Per epiſtolam, aut per nuncium, quaſi regem, adiri eum aiunt.

INTERPRETATIO.

MIL. *HEra adeſt Miles.* AC. *Ubi eſt?* MI. *Vide ad levam, aſpice obliquis oculis, ne iſte animadvertat à nobis ſe cerni.* AC. *Conſpicor: Per ædem Pollucis eſt nunc tempus nos ex malis evadere nequiores.* MI. *Eſt tuum incipere.* AC. *Obſecro, tu ipſum conveniſti? Ne parce voci, ut audiat.* MI. *Sanè ſum locuta cum illo ipſa tranquillè, otioſè, meo arbitratu, ut volui, ad libitum.* PY. *Audiſne quod ait?* PA. *Audio; quàm eſt læta quia contendit ad te!* AC. *O beatam mulierem!* PY. *Quàm bene video eam me deperire!* PA. *Mereris.* AC. *Per ædem Caſtoris dicis permirum, te* eum *conveniſſe, & alloquutam eſſe; dicunt ad eum non eſſe acceſſum, niſi per epiſtolam, aut per nuntium, quaſi ad regem.*

ANNOTATIONES.

5. *Sequuta.*] Hæc dicit Milphidippa ancilla Acroteleutii, ídque ſatis altè, ut exaudiat Miles, ad eum vocandum in caſſes. *Sequuta* eſt à *ſequor*, quod apud veteres, idem erat ac *loquor*. Unde *ſequeſter* apud Ciceronem, pro Cluentio, eſt is, cujus ope utitur aliquis in corrumpendo judice, *quo ſequeſtre in illo judice corrumpendo dicebatur eſſe uſus.* Apud Quintilianum *ſequeſter* eſt, qui à litigatore doctus docet patronum. Alii pro *ſequuta*, legunt *loquuta.*

10. *Per epiſtolam, aut per nuntium.*] Hoc moris eſt regum, principum, & magnatum, ut non ſeſe cuivis conveniendos offerant, ſed per internuntios, aut epiſtolas poſtulata accipiant tenuiorum.

Quaſi regem,] De rege Perſarum ac-

MI.

MI. Namque edepol vix fuit copia adeundi atque impetrandi.
PA. Ut tu inclitus apud mulieres! *PY.* patiar, quando ita Venus vult.
AC. Veneri pol habeo gratiam. eandémque & oro & quæſo,
Ut ejus mihi ſit copia quem amo, quemque expeteſſo,
Benignúſque erga me ut ſiet, quod cupiam ne gravetur.
MI. Spero ita futurum, quanquam illum multæ ſibi expeteſſunt,
Ille illas ſpernit ſegregátque ab ſe omnes, extra te unam.
AC. Ergo iſte metus me macerat, quòd ille faſtidioſus eſt,
Ne oculi ejus ſententiam mutent, ubi viderit me.
Atque ejus elegantia meam extemplò ſpeciem ſpernat.
MI. Non faciet, bonum animum habe. *PY.* ut ipſa ſe contemnit!
AC. Metuo, ne prædicatio tua nunc meam formam exſuperet.
MI. Iſtuc curavi, ut opinione illius pulcrior ſis.
AC. Si pol me nolet ducere uxorem. genua amplectar,
Atque obſecrabo: alio modo ſi non quibo impetrare,
Conſciſcam lethum. vivere ſine illo ſcio me non poſſe.
PY. Prohibendam mortem video mulieri. adibon'? *PA.* minimè.
Nam tu te vilem feceris, ſi te ultrò largiere.
Sine ultrò veniat, quæritet, deſideret, exſpectet.
Summovere iſtam vis gloriam quam habes? cave ſis, faxis.
Nam nulli mortali ſcio obtigiſſe hoc, niſi duobus,
Tibi & Phaoni Leſbio, tam miſerè ut amarentur.

INTERPRETATIO.

MI. *Per ædem Pollucis vix conceſſum eſt eum convenire, atque exorare.* PA. *Ut tu celebris apud mulieres!* PY. *Patiar, quoniam Veneri ſic placet.* AC. *Per Pollucem gratias ago Veneri, & eandem precor & obteſtor, ut mihi liceat frui eo quem amo, & quem depereo; & ut ſit commodus erga me, & ne moleſtum ſit facere quod exopto.* MI. *Spes eſt ſic futurum, tametſi multæ illum exoptant; ille illas contemnit & ſummovet omnes à ſe, præter te unam.* AC. *Itaque iſte timor me diſcruciat, quoniam ille obnoxius faſtidio, ne meus conſpectus in cauſâ ſit, cur mutet ſententiam, atque ejus venuſtas contemnat ſtatim meam ſpeciem.* MI. *Non faciet, eſto bono animo.* PY. *Ut ipſa ſe deſpicit!* AC. *Vereor jam ne laudes, quibus extuliſti meam formam, majores ſint.* MI. *Curæ fuit, ut ſis venuſtior quam expectabat.* AC. *Per Pollucem ſi noluerit me ducere uxorem, complectar genua, atque obteſtabor: aliâ ratione ſi nequivero impetrare, manus mihi afferam. Intelligo me non poſſe vitam ducere ſine illo.* PY. *Video arcendam mortem à muliere; adibóne?* PA. *Minimè. Nam tu te depoſueris, ſi te dones ultrò. Sine accedat ultrò, quærat, exoptet, exſpectet. Vis deſerere iſtam gloriam, quam obtines? Cave, ſi vis, ne feceris; nam id evenit nemini, niſi duobus, tibi & Phaoni Leſbio, ut amarentur tam perditè.*

ANNOTATIONES.

cipe. Tanta enim fuit illis temporibus potentia Perſarum regis, ut κατ' ἐξοχὴν Rex appellaretur. Interdum *Magnus rex* dicebatur.

32. *Phaoni Leſbio.*] Phaon Leſbius ita à Sapphone amatus eſt, ut audito Phaonis mortis nuntio, Sappho ſeſe in mare præcipitem dederit, juxta Leucatem Epiri promontorium.

AC. Eo intrò. abi tu: illum evocato foras, mea Milphidippa.
MI. Imò opperiamur, dum exeat aliſquis. *AC.* durare nequeo,
Quin eam intrò. *MI.* occluſæ ſunt fores. *AC.* effringam. *MI.* ſana non es.
AC. Si amavit unquam, aut ſi parem ſapientiam hic habet ac formam,
Per amorem ſi quid fecero, clementi animo ignoſcet.
PA. Ut, quæſo, amore perdita eſt hæc miſera! *PY* mutuum fit.
PA. Tace, ne audiat. *MI.* quid aſtitiſti obſtupida? cur non pultas?
AC. Quia non eſt intus, quem ego volo. *PA.* quî ſcis? *AC.* ſcio edepol, ſcio.
Nam odore naſum ſentiat, ſi intus ſiet. *PY.* ariolatur.
Quia me amat, propterea Venus fecit eam ut divinaret.
AC. Neſcio, ubi hic propè adeſt, quem expeto videre: olet profectò.
PY. Naſo pol jam hæc quidem videt plus, quàm oculis. *PA.* cæca amore eſt.
AC. Tene me obſecro. *MI.* cur? *AC.* ne cadam. *MI.* quid ita? *AC.* quia aſtare
Nequeo, ita animus per oculos meos deſit. *MI.* Militem pol
Tu aſpexiſti! *AC.* ita. *MI.* non video. ubi eſt? *AC.* videres pol, ſi amares.
MI. Non edepol tu illum magis amas, quàm egomet, ſi per te liceat.
PA. Omnes profectò mulieres te amant, ut quæque aſpexit.
PY. Neſcio: tun' ex me hoc audieris, an non: nepos ſum Veneris.

INTERPRETATIO.

AC. *Ingredior. Perge tu. Voca eum foras, mea Milphidippa.* MI. *Imò expectemus, dum aliquis egrediatur.* AC. *Non poſſum diutiùs expectare quin ingrediar.* MI. *Fores ſunt junctæ.* AC. *Comminuam.* MI. *Es amens.* AC. *Si hic amavit unquam, aut ſi eſt illi tantùm ſapientiæ, quantùm pulchritudinis, condonabit benignâ mente, ſi commiſero aliquid per amorem!* PA. *Amabo! quàm hæc infelix eſt inflammata amore!* PY. *Eam depereo mutuò.* PA. *Sile, ne audiat.* MI. *Quare ſtas, ſtupens? Quare non feris oſtium?* AC. *Quia ille quem ego opto* convenire *non eſt in ædibus.* PA. *Quomodo noſti?* AC. *Novi per ædem Pollucis, novi. Nam ſi eſſet in ædibus, nares perciperent ejus odorem.* PY. *Divinat, quia me deperit, idcircò Venus ei dedit, ut divinaret.* AC. *Ille quem conſpicari expeto, præſto eſt hic propè: neſcio ubi; odorer ſine dubio.* PY. *Per Pollucem hæc cernit magis naribus, quàm oculis.* PA. *Occæcatur amore.* AC. *Retine me amabo.* MI. *Quare?* AC. *Ne corruam* MI. *Quamobrem?* AC. *Quia non poſſum conſiſtere, adeò animus fugit per meos oculos.* MI. *Per Pollucem tu conſpicata es militem.* AC. *Conſpicata ſum.* MI. *Non cerno. Ubi eſt?* AC. *Per pollucem cerneres ſi amares.* MI. *Per ædem Pollucis, tu non illum amas magis, quàm egomet, ſi ſinas.* PA. *Certè omnes mulieres te depereunt, ſtatim atque earum quæque te conſpexit.* PY. *Neſcio, utrùm illud tibi dixerim, necne; ſum nepos Veneris.*

AC. Mea Milphidippa, adi, obſecro, & congredere. *PY.* ut me
veretur!
PA. Illa ad nos pergit. *MI.* vos volo. *PY.* & nos te. *MI.* ut juſſiſti,
Heram meam eduxi foras. *PY.* video. *MI.* jube ergo adire.
PY. Induxi animum ne oderim, item ut alias, quando hoc oraſti.
MI. Verbum hercle facere non potis, ſi acceſſerit prope ad te,
Dum te obtuetur, interim linguam oculi præciderunt.
PY. Levandum morbum mulieri video. *MI.* viden' ut tremit
atque ex-
Timuit, poſtquam te aſpexit? *PY.* viri quoque armati idem iſtuc
faciunt:
Ne tu mirêre plus mulierem. ſed quid vult memet agere?
MI. Ad ſed eas: tecum vivere vult atque ætatem exigere.
PY. Egon' ad illam eam, quæ nupta ſit? vir ejus eſt metuendus.
MI. Quin tuâ cauſsâ exegit virum à ſe. *PY.* quid? quî id facere
potuit?
MI. Quia ædes dotales hujus ſunt. *PY.* itáne? *MI.* ita pol. *PY.*
jube eam domum ire.
Jam ego illîc ero. *MI.* vide ne ſis in exſpectatione,
Ne illam animi excrucies. *PY.* non ero profectò. abite. *MI.*
abimus.
PY. Sed quid ego video? *PA.* quid vides? *PY.* neſcio quis eccum
incedit
Ornatu quidem thalaſſico. *PA.* jam nos volt hic profectò:
Nauclerus eſt hic quidem. *PY.* videlicet acceſſit hanc hinc. *PA.*
credo.

INTERPRETATIO.

AC. *Mea Milphidippa, accede, amabo, & conveni.* PY. *Quantum me reveretur!* PA. *Illa contendit ad nos.* MI. *Vos cupio conventum.* PY. *Et nos te.* MI. *Eduxi foras meam heram, ut mandaſti.* PY. *Cerno.* MI. *Manda ergo ut accedat.* PY. *Impetravi à me, ut non averſatus ſim, ut alias, quoniam id rogaſti.* MI. *Per Herculem nequeat loqui, ſi advenerit te propiùs. Interea dum te contemplatur, oculi præpediunt linguam.* PY. *Animadverto eſſe medendum morbo mulieris.* MI. *Vidéſne quantùm trepidat & expaveſcit ex quo te conſpicata eſt.* PY. *Viri armis inſtructi idem experiuntur: ne tu mirere magis mulierem; ſed quid cupit me facere?* MI. Optat *ut eas ad ſe, ut vivat tecum, ut ſecum vitam tranſigat.* PY. *Egóne eam ad illam, quæ ſit conjugata? Ejus vir eſt timendus.* MI. *Quin eliminavit virum à ſe, tuâ gratiâ.* PY. *Quid? quomodo id potuit exſequi?* MI. *Quia ejus domus, eſt de ejus dote.* PY. *Itane?* MI. *Ita per Pollucem.* PY. *Manda ei ut eat in ædes, ego ero jam illic.* MI. *Vide ne diutiùs exſpectaveris; ne excrucies ejus animum.* PY. *Non morabor; abite.* MI. *Abimus.* PY. *Sed quid ego video?* PA. *Quid vides?* PY. *Ecce neſcio quis appropinquat habitu marino.* PA *Hic ſanè vos vult, jam hic quidem eſt Nauclerus.* PY. *Videlicet evocat hunc hinc.* PA. *Arbitror.*

ACTUS QUARTUS. SCENA SEPTIMA.

ARGUMENTUM.

PLEUSIDES habitu nauclerico fingit ſe eſſe nauclerum. Nunciat Philocomaſium expectari à matre, in portu, ut quamprimùm ſolvat.

PYRGOPOLINICES, PLEUSIDES, PALÆSTRIO.

PLEUSIDES.

ALIUM alio pacto propter amorem nî ſciam
Feciſſe multa nequiter, verear magis
Me amoris cauſsâ hoc ornatu incedere.
Verùm cùm multos multa admîſſe acceperim
Inhoneſta, propter amorem, atque aliena à bonis;
(Mitto jam, ut occidi Achilles civis paſſus eſt.)
Sed eccum Palæſtrionem, ſtat cum Milite:
Oratio aliò mihi demutanda eſt mea.
„Mulier profectò nata eſt ex ipsâ morâ.
„Nam quævis alia, quæ mora eſt æquè, mora
„Minor ea videtur, quàm quæ propter mulierem eſt.
Hoc adeò fieri credo conſuetudine.
Nam ego hanc arceſſo Philocomaſium. ſed fores
Pultabo. heus! ecquis hîc eſt? *PA.* adoleſcens, quid eſt?
Quid tu ais? quid pultas? *PL.* Philocomaſium quærito:
A matre illius venio: ſi itura eſt, eat:
Omnes moratur: navim cupimus ſolvere.

INTERPRETATIO.

PLEU. *Niſi compertum haberem alios egiſſe complura malignè alio modo, amoris gratiâ, metuerem magis me viam habere hac veſte propter amorem. Sed quum audiverim complures commiſiſſe multa turpia, atque contraria bonis, amoris causâ (prætereo jam quemadmodum Achilles paſſus eſt occidi cives) ſed ecce Palæſtrio, adeſt cum Milite. Meus ſermo mihi vertendus eſt aliò. Profectò mulier eſt nata ex morâ ipſa; nam quævis alia cunctatio, quamvis revera ſit cunctatio, tamen videtur muliebri morâ minor eſſe. Arbitror id evenire conſuetudine: nam ego acceſſo hanc Philocomaſium: ſed feriam fores. Heus! ecquis hic eſt?* PA. *Adoleſcens, quid eſt? quid dicis tu? quare feris?* PL. *Peto Philocomaſium: venio ab illius matre: veniat, ſi eſt ventura: retardat omnes: optamus ſolvere navim.*

ANNOTATIONES.

6. *Mitto jam.*] Achilles iratus Briſeïde amicâ ereptà, ſeſe continuit intra ſuas naves, & abſtinuit à pugnâ, deditque locum Græcorum cladi.

7. *Sed eccum Palæſtrionem.*] Abrupta oratio adventu perſonæ in ſcenam novæ,

PY. Jamdudum res parata eſt. heus! Palæſtrio,
Aurum, ornamenta, veſtem, pretioſum omne ut ferat!
Duc adjutores tecum ad navim, qui ferant.
Omnia compoſita ſunt, quæ donavi, ut ferat.
PA. Eo. *PL.* quæſo hercle propera. *PY.* non morabitur.
Quid iſtuc, quæſo? quid oculo factum eſt tuo?
PL. Habeo equidem hercle oculum. *PY.* at lævum dico. *PL.* eloquar.
Moris cauſſâ hercle iſtoc ego oculo utor minus.
Nam ſi abſtinuiſſem amare, tanquam hoc uterer.
Sed nimis morantur me diu. *PY.* eccos, exeunt.

INTERPRETATIO.

PY. *Jampridem hoc paratum eſt: heus! Palæſtrio, auferat omne aurum, ornamenta, veſtes. Duc tecum adjutores, qui ferant ea ad navim: omnia ſunt concinnata, quæ dedi, ut auferret.* PA. *Ergo.* PL. *Accelera obſecro per Herculem.* PY. *Non cunctabitur; quid iſtud obſecro? quid evenit tuo oculo?* PL. *Habeo equidem per Herculem oculum.* PY. *Sed loquor de lævo.* PL. *Edicam: maris cauſa per Herculem, ego utor minus iſto oculo? Nam ſi abſtinuiſſem à mari, eo tanquam dextro uterer; ſed me retardant diutius.* PY. *Ecce exeunt.*

ANNOTATIONES.

23. *Quid oculo factum eſt.*] Quia videlicet obdiderat oculo, ne agnoſceretur, culcitam, decipitque Pleuſides Militem ambiguâ reſponſione: cùm enim cauſam mali derivare videatur in mare, derivat in amorem. Nam ſi abſtinuiſſem *à mare*, inquit, non uterer minus. Miles præpoſitionem & nomen eſſe putat, Pleuſides ut verbum uſurpat.

25. *Moris cauſâ.*] Tam tenuiter pronuntiat *a* in *amoris*, ut non *amoris*, ſed *moris* dixiſſe videatur. Idque ad ludendum Militem, qui non *moris*, ſed *maris*, audiiſſe ſe exiſtimat.

ACTUS QUARTUS. SCENA OCTAVA.

ARGUMENTUM.

PHILOCOMASIUM, quò nihil deſit ad ſimulationem, valedicit Pyrgopolinici, cum tantâ copiâ lachrymarum, & fletus, ut ſerio dolere videatur. Abit Philocomaſium, abit Palæſtrio, abit & Pleuſides.

PYRGOPOLINICES, PLEVSIDES, PHILOCOMASIVM, PALÆSTRIO.

PALÆSTRIO.

QUID modi flendo, quæſo, hodie facies? *PH.* quid ego ni fleam?
Ubi pulcerrimè egi ætatem, inde abeo. *PA.* viden' hominem tibi,
Qui à matre & ſorore venit? *PH.* video. *PY.* audiſtin', Palæſtrio?
PA. Quid vis? *PY.* quin tu intus jubes efferri omnia, quæ iſti dedi?
PL. Philocomaſium, ſalve. *PH.* & tu ſalve. *PL.* matérque & ſoror
Tibi ſalutem me juſſerunt dicere. *PH.* ſalvæ ſient.
PL. Orant te ut eas, ventus operam dum dat, ut velum explicent.
Nam matri oculi ſi valerent, mecum veniſſet ſimul.
PH. Ibo, quanquam invita facio omnia: pietas ſic cohibet. *PL.* ſapis.
PY. Si non mecum ætatem egiſſet, hodie ſtulta viveret.
PH. Iſtuc crucior, à viro me tali abalienarier.
Nam tu quamvis potis es facere uti fluat facetiis:
Et quia tecum eram, propterea animo eram ferocior:
Eam nobilitatem amittendam video. *PY.* nimium hæc flet. *PH.* nequeo,
Cùm te video. *PA.* habe bonum animum! ſcio ego, & quid doleat mihi.
Nam nihil miror, ſi libenter, Philocomaſium, hîc eras.
Forma hujus, mores, virtus, animum attinuêre hìc tuum.

INTERPRETATIO.

PAL. *Quando finem facies lugendi hodie, amabo?* PH. *Quomodo non lugeam? Excedo è loco, in quo exegi ætatem jucundiſſimè.* PA. *Cerniſne hominem, qui accedit ad te à matre & ſorore.* PH. *Cerno.* PY. *Audiſtine, Palæſtrio?* PA. *Quid vis?* PY. *Quin jubes tu efferri ex ædibus omnia quæ iſti dedi?* PL. *Salva ſis, Philocomaſium* PH. *Et tu ſalvus ſis.* PL. *Et mater & ſoror mandaverunt me tibi dicere ſalutem.* PH. *Sint ſalvæ.* PL. *Rogant te, ut venias, dum ventus adjuvat, ut explicent velum. Nam ſi mater valeret oculis, veniſſet mecum unà.* PH. *Proficiſcar, quamquam facio iniquo animo: pietas ſic cogit.* PL. *Sapis.* PY. *Si non duxiſſet vitam mecum, nunc eſſet hebes.* PH. *Id doleo, me disjungi à tali hero. Nam tu potes facere, ut qualibet abundet leporibus: & quia vivebam tecum, idcirco eram animo elatiore. Animadverto amittendam eſſe eam nobilitatem.* PY. *Hæc plorat nimiùm.* PH. *Nequeo temperare à fletu, quando te intueor.* PA. *Eſto æquo animo: ego ſcio quid ægrè ſit mihi. Nam non miror te fuiſſe hic libenter, Philocomaſium, venuſtas hujus viri, mores, virtus, detinuêre hic tuam mentem.*

Quin ego ſervus, quando aſpicio hunc, fleo, quia dijungimur.
PH. Obſecro licet complecti, priuſquam proficiſco? *PY.* licet.
PH. O mei oculi, ô mi anime. *PA.* obſecro tene mulierem:[male
Ne affligatur, *PY.* quid iſtuc? *PA.* poſtquam abs te abit, animo
Factum eſt huic repente miſeræ. *PY.* accurrite intrò, atque afferte
aquam.
PA. Nihil aquam moror. *PY.* cur? *PA.* mâlo *merum.* ne *ipſe* interveneris,
Quæſo, dum reſipiſcit. *PY.* capita inter ſe nimis nexa hîce habent.
Non placet: labra labellis ferruminant. *PL.* acre malum!
Tentabam, ſpiraret an non. *PY.* aurem admotam oportuit.
PL. Sin' magis vis, ambos mittam. *PY.* nolo: retineat. *PA.* fleo
miſer.
PY. Exite, atque afferte huc intus omnia, iſti quæ dedi.
PA. Etiam nunc ſaluto te, Familiaris, priuſquam eo,
Conſervi conſervæque omnes bene valete & vivite.
Bene, quæſo, inter vos dicatis & mihi abſenti tamen.
PY. Age Palæſtrio, bono animo es. *PA.* eheu! nequeo quin fleam,
Quoniam abs te abeam. *PY.* fer æquo animo. *PA.* ſcio ego, quid
dolcat mihi.

INTERPRETATIO.

Quin ego ſervus, quando aſpicio hunc, lacrymor, quia divellimur. PH. *Amabo licet complecti, antequam diſcedo?* PY. *licet.* PH. *O mei oculi, ô mi anime!* PA. *Rogo tene mulierem, ne concidat.* PY. *Quid eſt iſtud?* PA. *Hæc miſera defecit animo repentè poſtquam receſſit abs te.* PY. *Exite velociter ab ædibus, atque afferte aquam.* PA. *Non curo aquam.* PY. *Quare?* PA. *Præſtat vinum, ne opituleris laboranti, amabo, dum convaleſcat.* PY. *Hice habent capita nimis contigua, id non mihi placet: conjungunt labra labris.* PL. *Ejus morbus eſt acer! videbam* utrùm *ſpiraret, an non.* PY. *Oportebat admovere aurem.* PL. *Maviſne ut ambos hîc relinquam?* PY. *Nolo: retineat.* PA. *Lugeo infelix.* PI. *Prodite, atque proferte huc cuncta quæ huic donavi.* PA. *Te ſaluto jam, ô* Lar *Familiaris, antequam proficiſcar, valete & vivite fœliciter omnes conſervi conſervæque; quæſo, benedicite vobis mutuò & mihi, licet abſenti.* PY. *Age Palæſtrio, eſto æquo animo.* PA. *Eheu! non poſſum, non collachrymari, quando diſcedo abs te.* PY. *Patere æquo animo.* PA. *Ego novi quid mihi moleſtum ſit.*

ANNOTATIONES.

19. *Proficiſco.*] Pro *proficiſcor*, vetus.

22. *Afferte aquam.*] Quia qui deliquium patiuntur mentis, conjectâ in vultum aquâ ſpiritum recipiunt & recreantur.

23. *Ne interveneris.*] Vox eſt Palæſtrionis ad Pleuſidem juvenem, qui quum inſimulato animi deliquio ſuccurreret Philocomaſio, arctiùs videbatur complecti, & locum dare ſuſpicioni Militi, licet ſtolido.

25. *Labra labris ferruminant.*] Ferruminare vernaculè, *ſouder.*

27. *Nolo retineat.*] Vox eſt Militis non ad Pleuſidem, ſed ad Palæſtrionem de Pleuſide; id eſt, nolim dimittat nauclerus Philocomaſium, ſed eam retineat.

29. *Familiaris.*] Moris erat olim, ut qui domo proficiſcerentur, Lares invocarent.

31. *Bene dicatis.*] *Bene precemini.*

PH. Sed quid hoc? quæ res? quid video? lux ſalve.
PL. Jam reſipiſti? *PH.* obſecro, quem amplexa ſum
Hominem? perii, ſumne ego apud me. *PL.* me time, voluptas mea.
PY. Quid iſtuc eſt negotii? *PA.* animus hanc modò hîc reliquerat.
Metuóque & timeo, ne hoc tandem propalàm fiat nimis.
PY. Quid id eſt? *PA.* nos nunc ſecundum ferre per urbem hæc omnia,
Ne quis tibi hoc vitio vortat. *PY.* mea, non illorum dedi.
Parvi ego illos facio: agite; ite cum diis benevolentibus.
PA. Tuâ ego hoc cauſsâ dico. *PY.* credo. *PA.* jam vale. *PY.* & tu bene vale.
PA. Ite citò: jam ego aſſequar vos: cum hero pauca *etiam* loquar.
Quanquam alios fideliores ſemper habuiſti tibi.
Quàm me, tamen tibi habeo magnam gratiam rerum omnium:
Et, ſi ita ſententia eſſet, tibi ſervire mavelim
Multò, quàm alii libertus eſſe. *PY.* habe bonum animum. *PA.* hau mihi
Cùm venit mihi in mentem, ut mores mutandi ſient;
Muliebres mores diſcendi, obliviſcendi ſtratiotici.
PY. fac ſis frugi. *PA.* jam non poſſum, amiſi omnem lubidinem.
PY. I, ſequere illos, ne morêre. *PA.* bene vale. *PY.* & tu bene vale.
PA. Quæſo, ut memineris, ſi fortè liber fieri occeperim,
Mittam nuncium ad te, ne me deſeras. *PY.* non eſt meum.
PA. Cogitato identidem, tibi quàm fidelis fuerim:
Si id facies, tum demum ſcibis, tibi qui bonus ſit, qui malus.

INTERPRETATIO.

PH. *Sed quid eſt hoc? quid negotii eſt? quid conſpicor? ſalve lux.* PL. *Jam convaluiſti anime?* PH. *Amabo, quem hominem ſum complexa? Perii! ſúmne ego mei compos!* PL. *Ne metue, mea voluptas!* PY. *Quid rei eſt illud?* PA. *Paſſa hic fuerat deliquium animi, & vereor & formido ne id fiat tandem nimis apertum.* PY. *Quid eſt id?* PA. *Ne aliquis te vituperet, quod nos ſpargamus hæc per urbem.* PY. *Prodegi meas fortunas non illorum. Ego parvi facio illos: agite, ite Diis faventibus.* PA. *Ego hæc loquor tui gratiâ.* PY. *Puto.* PA. *Jam vale.* PY. *Et tu rectè vale.* PA. *Pergite velociter; ego vos jam aſſequar; pauca loquar cum hero. Quamquam putaſti ſemper alios tibi magis fideſ quàm me, tamen tibi habeo gratiam maximam: etſi ita velles, multò mallem tibi ſervire, quàm eſſe libertus aliorum.* PY. *Eſto æque animo.* PA. *Heu mihi! quando cogito mecum, quemadmodum mores erunt mutandi! Diſcendi erunt mores muliebres, obliviſcendum militarium.* PY. *Fac ut ſis frugi.* PA. *Non poſſum, abjeci omnem voluntatem.* PY. *Sequere illos, ne moreris.* PA. *Bene vale.* PY. *Rogo, ut recorderis, ſi fortè evaſerim liber, ad te mittam nuncium, ne me relinquas.* PY. *Non eſt mei moris.* PA. *Reputa identidem, quàm tibi fuerim fidus: ſi id egeris, tum denique intelliges, qui tibi fuerit bonus, qui malus.*

ANNOTATIONES.

34. *Lux ſalve.*] Vox eſt Philocomaſii, ab animi deliquio ſimulato expergiſcentis.

39. *Nos ſecundum ferre hæc omnia.*] *Secundum ferre*, id eſt, ſecundo loco ferre, quando ſunt primi qui ferunt, & alii eos conſequuntur, qui & ſuum onus ferunt, hi dicuntur, *ſecundum ferre*.

PY. Scio

PY. Scio & perſpexi ſæpe: verùm cùm antehac, tum hodie maximè.
PA. Scies: imò hodie verum factum faxo pòſt dices magis.
PY. Vix reprimor, quin te manere jubeam. *PA.* cave iſtuc feceris.
Dicent te mendacem, nec verum eſſe, fide nullâ eſſe te.
Dicant ſervorum præter me eſſe fidelem neminem.
Nam ſi honeſtè cenſeam te facere poſſe, ſuadeam:
Verùm non poteſt: cave faxis. *PY.* abi, jam patiar quicquid eſt.
PA. Bene vale igitur. *PY.* ire melius eſt ſtrenuè. *PA.* etiam nunc vale.
PY. Ante hoc factum hunc ſum arbitratus ſemper ſervum peſſimum,
Eum fidelem mihi eſſe invenio. cùm egomet mecum cogito,
Stultè feci, qui hunc amiſi. ibo hinc intrò nunc jam
Ad amores meos. & ſenſi, hinc ſonitum fecerunt fores.

INTERPRETATIO.

PY. *Novi & perſpectam habui ſæpè; ſed cùm antea, tum maximè hodie.* PA. *Intelliges: imò dabo operam hodie ut dicas in poſterum evaſiſſe magis verum.* PY. *Parum abeſt, quin te vetem abire.* PA. *Cave ne facias iſtud: dicerent te mendacem, nec te eſſe veracem, ſed te eſſe nullius fidei. Dicant neminem ſervum eſſe magis fidum, quàm me. Nam, ſi putarem te agere poſſe honeſtè, ſuadeam: Verùm id fieri non poteſt: vide ne feceris.* PY. *Proficiſcere; jam feram quidquid eſt.* PA. *Rectè vale ergo.* PY. *Eſt generoſius abire conſtanter.* PA. *Etiam nunc vale.* PY. *Ante hoc factum ratus ſum ſemper hunc ſervum eſſe nequiſſimum: animadverto jam eum eſſe fidum. Quando egomet mecum reputo, feci inſipienter, qui hunc dimiſi. Jam pergam ad meos amores: & audivi; hinc fores ſonitum dederunt.*

ACTUS QUARTUS. SCENA NONA.

ARGUMENTUM.

PUER Acroteleutii adeſt, monet militem glorioſum expectari ab Hera.

PYGOPOLINICES, PUER.

PUER.

NE me moneatis! memini ego officium meum
Ego jam conveniam illunc: ubi ubi eſt gentium,
Inveſtigabo: operæ non parco meæ.

INTERPRETATIO.

PU. *NE me doceatis; ego implebo meas partes; ego illum adibo nunc: ubicumque tandem eſt quæritabo: non parcam meo labori.*

ANNOTATIO.

1. *Ne me moneatis.*] Verba ſunt pueri miſſi, ad vocandum militem in inſidias à Periplectomene inſtructas, qui quidem in Scenam ingreditur eo uſque, proſequentibus iis qui ad fraudem poſt Scenam inſtituerant, & monentibus etiam atque etiam, ut ſuam perſonam bene ſuſtineat.

PY. Me quærit illic. ibo huic puero obviam.
PV. Ehem te quæro. ſalve, vir lepidiſſime,
Cumulate commoditate: præter cæteros
Duo dî quem curant. *PY.* qui duo? *PV.* Mars & Venus.
PY. Facetum puerum. *PV.* intrò te ut eas obſecrat.
Te volt, te quærit, téque exſpectans deperit:
Amanti fer opem: quid ſtat! quin intrò is? *PY.* eo.
PV. Ipſus illic ſeſe jam impedivit in plagas.
Paratæ inſidiæ ſunt. in ſtatu ſtat ſenex,
Ut adoriatur mœchum, qui formâ eſt ferox.
Qui omnes ſe amare credit, quæque aſpexerit,
Mulier: cum odêre quà viri, quà mulieres.
Nunc in tumultum ibo: intus clamorem audio.

INTERPRETATIO.

PY. *Ille me inveſtigat: occurram huic puero.* PU. *Heus! te quæro. Salvus ſis vir jucundiſſimè, ornate omnibus commodis, quem duo Dii amant præter alios.* PY. *Qui dii?* PU. *Mars & Venus.* PY. *Feſtivum puerum!* PU. *Te rogat ut ingrediaris, te exoptat, te flagitat, te amat, inperditè te expectat. Succurre amanti: quare cunctaris, quare non ingrederis?* PY. *Vado.* PU. *Ille ſeſe jam irretivit ipſe plagis: inſidiæ ſunt ſtructæ. Senex ſtat in procinctu, ut invadat in adulterum ferocem ſuâ pulchritudine: ratum omnes mulieres, quæ ſe aſpexerint, ſe amare. Cæterum & viri & mulieres eum averſantur. Me injiciam nunc in turbam: audio clamorem.*

ANNOTATIO.

6. *Cumulate commoditate.*] Omni genere commoditatum cumulate. Erat apud Romanos Dea Opportunitas, de quâ ſuprà, quæ eadem eſt atque Commoditas.

ACTUS QUINTUS.

ARGUMENTUM.

PERIPLECTOMENES è latebris occupat Pyrgopolynicem. Accuſat eum quod auſus ſit inſidiari pudicitiæ uxoris ſuæ: mandat Carioni ut acuat cultros. De audaci trepidus, de feroci ſupplex veniam & orat, & exorat.

PERIPLECTOMENES, PYRGOPOLINICES, CARIO cocus, SCELEDRVS.

PE. DUcite iſtum: ſi non ſequitur, rapite ſublimem foras:
Facite inter terram atque cælum ut *medius* ſit: diſcindite.

INTERPRETATIO.

PE. *Ducite hunc: ſi non ſequitur, rapite foras elatum, efficite ut ſit ſublimis inter cœlum & terram: Diſcerpite.*

PY. Obſecro hercle, Periplectomene, te. *PE.* nequiquam hercle obſecras.
Vide ut iſtic tibi ſit acutus, Cario, culter probè.
CA. Quin jamdudum geſtit mœcho hoc abdomen adimere,
Ut faciam quaſi puero in collo pendeant crepundia.
PY. Perii! *CA.* haud etiam. numerò hoc dicis. jámne in hominem involo?
PE. Imò etiam priùs verberetur fuſtibus. *CA.* multum quidem.
PE. Cur es auſus ſubigitare alienam uxorem, impudens?
PY. Ita me dii ament, ultrò ventum eſt ad me. *PE.* mentitur: feri.
PY. Mane, dum narro. *PE.* quid ceſſatis? *PY.* non licet mihi dicere?
PE. Dic. *PY.* oratus ſum ad te venire huc. *PE.* quare auſus? hem tibi.
PY. Oh! hei! ſum ſatis verberatus, obſecro. *CA.* quàm mox ſeco?
PE. Ubi lubet: diſtendite hominem divorſum, & diſpennite.
PY Obſecro hercle te, ut mea verba audias, priusquam ſecat.
PE. Loquere: nondum nihili factus. *PY.* viduam eſſe cenſui:
Itáque ancilla, conciliatrix quæ erat, dicebat mihi.
PE. Jura, te nociturum eſſe homini nunc hâc de re nemini,
Quod tu hodie hîc verberatus, aut quod verberabere,
Si te ſalvum hinc mittimus Venereum nepotulum.
PY. Juro per Dianam & Martem, me nociturum nemini,
Quod ego hîc hodie vapulo: ſed mihi id æquè factum arbitror.
Et ſi inteſtatus non abeo hinc, bene agitur pro noxiâ.

INTERPRETATIO.

PY. *Per Herculem te rogo, Periplectomene.* PE. *Per Herculem rogas incaſſum. Cura, Cario, ut iſte gladius egregiè ſecet.* CA. *Quin jampridẽ geſtit exſcindere mœcho hoc abdomen, & efficere, ut pendeant in ejus collo, ut crepundia puerorum.* PY. *Interii!* CA. *Dicis id citius: invadamne jam in hominem?* PE. *Imò cadatur quoque priùs fuſtibus.* CA. *Jam excipiam egregiè.* PE. *Quare es auſus, impudens, illudere uxori alienæ?* PY. *Ita me Dii ament, illæ venerunt ultrò ad me.* PE. *Mentitur: verbera.* PY. *Ne feri interea dum narro* PE. *Quid moramini?* PY. *Non mihi licet loqui?* PE. *Loquere.* PY. *Sum rogatus venire huc ad te.* PE. *Quare es auſus? hem! tibi.* PY. *Oh! ahei! ſum ſatis exagitatus, rogo.* CA. *Scindamne?* PE. *Ut libebit: extendite hominem in diverſas partes & diſtendite.* PY. *Per Herculem, te rogo ut auſcultes, antequam ſecet.* PE. *Loquere: nondum nihili factus.* PY. *Exiſtimavi eſſe viduam: & ancilla, quæ conciliabat mihi, ſuadebat ita.* PE. *Jura nunc te nociturum eſſe nemini propter hanc rem, quod tu verberatus hodie hic, aut quod verberabere, ſi te dimittimus hinc incolumem, ô nepos Veneris.* PY. *Juro per Dianam & Martem, me nociturum nemini, quod ego do pœnas hic hodie: ſed reor id eſſe factum in me juſtè. Et ſi non diſcedo hinc inteſtatus, agitur benè mecũ pro peccato.*

ANNOTATIONES.

6. *Crepundia.*] *A crepo* dicitur quidquid appenditur collo pueri, cujus ſonitu oblectetur.

7. *Numerò.*] Id eſt, *prematurè.* Quaſi dicat: dicis te jam periiſſe, ſed nondum periiſti, ut eſt tibi pereundum.

14. *Diſtendite. Diſpennite.*] Error à ſcriptura: metaphora eſt ab avium alis, & pennis diſtentis.

PE. Quid ſi id non faxis? *PY*. ut vivam ſemper inteſtabilis.
CA. Verberetur etiam, pòſt tibi amittendum cenſeo.
PY. Dii tibi benefaciant ſemper, cùm advocatus mihi benè es.
CA. Ergo des minam auri nobis. *PY*. quamobrem? *CA*. ſalvis teſtibus,
Ut te hodie hinc amittamus Venereum nepotulum:
Aliter hinc à nobis: ne ſis fruſtrà. *PY*. dabitur. *CA*. magis ſapis.
De tunicâ & chlamyde & machæra, ne quid ſperes, non feres.
Verberóne etiam, antequam amittis? *PY*. mitis ſum equidē fuſtibus.
Obſecro vos. *PE*. ſolvite iſtum. *PY*. gratiam habeo tibi.
PE. Si poſthac prehendero ego te hîc, arcebo teſtibus.
PY. Cauſſam haud dico. *PE*. eamus intrò, Cario. *PY*. ſervos meos
Eccos video. Philocomaſium jam profecta eſt? dic mihi.
SC. Jamdudum. *PY*. hei mihi! *SC*. magis dicas, ſi ſcias, quod ego ſcio:
Námque ille, qui lanam ob oculum habebat, nauta non erat.
PY. Quis erat igitur? *SC*. Philocomaſio amator. *PY*. quî tu ſcis? *SC*. ſcio.
Nam poſtquam exierunt portâ, nihil ceſſarunt illico
Oſculari atque amplexari inter ſe. *PY*. væ miſero mihi!
Verba mihi data eſſe video. ſcelus viri Palæſtrio,
Is me in hanc illexit fraudem. jure factum judico.
Si ſic aliis mœchis fiat, minus hîc mœchorum ſiet:
Magis metuant, minus has res ſtudeant. eamus ad me. Plaudite.

INTERPRETATIO.

PE. *Quid ſi non feceris id?* PY. *Ut vivam ſemper inteſtabilis.* CA. *Verbera adhuc, poſtea arbitror tibi hunc eſſe dimittendum.* PY. *Dii tibi rectè faciant, quoniam mihi patrocinaris.* CA. *Ergo da nobis minam auri.* PY. *Quare?* CA. *Ut te dimittamus hinc, nepotulum Venereum ſalvum & integrum: aliàs non abibis hinc à nobis dimiſſus incolumis: ne erres.* PY. *Dabo.* CA. *Magis ſapis. Ne ſperes ferre hinc quidquam de tunicâ, chlamyde, machæra. Verberabone adhuc antequam dimittam?* PY. *Sum quidem manſuefactus fuſtibus: vos rogo.* PE. *Solvite hominem.* PY. *Tibi ſum obnoxius.* PE. *Si poſtea ego te deprehendero hîc, arceſſam teſtibus.* PY. *Non recuſabo.* PE. *Ingrediamur, Cario.* PY. *Ecce video meos ſervos. Philocomaſium eſtne jam profecta? Dic mihi.* SC. *Jampridem profecta eſt.* PY. *Hei mihi!* SC. *Dicas magis, ſi teneas, quod ego teneo. Nam ille, qui habebat lanam ob oculum, non erat nauta.* PY. *Quis erat igitur?* SC. *Amator Philocomaſii.* PY. *Quomodo ſcis tu?* SC. *Scio. Nam poſtquam exierunt portâ, non ceſſarunt illico oſculari & amplexari inter ſe.* PY. *Væ mihi miſero! Video mihi data eſſe verba: ſcelus viri, Palæſtrio: ille me induxit in hanc fraudem. Judico eſſe merito factum. Si fiat ſic aliis adulteris, minus eſſet hîc mœchorum: metuant magis, ſtudeant minus his rebus. Ingrediamur ad me. Plaudite.*

ANNOTATIONES.

24. *Inteſtabilis.*] *Inteſtabilis* dicebatur is, cujus in judicio teſtimonium non admittebatur, quæ erat nota infamiæ.

31. *Antequam amittis.*] Legunt alii *mittis*, quod magis probavero; idque ex reſponſo militis, qui ſe *mitem* fuſtibus dicit: in quo alludere videtur ad illud *mittis*, quaſi ſit *mitis*, & non *mittis*.

41. *Scelus viri Palæſtrio.*] Sceleſte Palæſtrio. Nunc demum ſtolidus bellator à Palæſtrione fuiſſe ſe deluſum animadvertit.

MILITIS GLORIOSI FINIS.

A01 1465541